Digitized by Google

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
II
SUPPL.
PALATINA
C
59bis
NAPOLI

G. 3. 1c

II. Sup. Pal.
C. 5 3 bis

6-B-15

Digitized by Google

II Suppl. Palat. C _ 59 Bis.

IDEA JVRIVM INTERIORIS FORI.

Digitized by Google

IDEA JVRIVM
INTERIORIS FORI

AD MENTEM DIVI THOMÆ, SANCTORUMQUE PATRUM DOCTRINAM ELABORATA.

HOC EST

DE REGULIS CONSCIENTIÆ GENERATIM

Ad ejuſdem Immunitatem, Reatumve veraciter diſcernendum.

OPVS THEOLOGICVM MORALE

Tripartitum.

Ubi Prior Pars De Conſcientia: Poſterior De Vincibili, Invincibilique Ignorantia Juris, & Facti: Poſtrema De Opinione Probabili;

In qua immoderatus uſus Probabilitatis ad diſcretam æquitatis menſuram ſpecialiter cobibetur.

CONTRA NONNVLLOS RECENTIORES.

A U T H O R E

R. P. FR. MARIO DIANA

Sacræ Theologiæ Magiſtro Ordinis Prædicatorum Provinciæ Siciliæ

A G R I G E N T I N O.

PANORMI MDCCV.

Typis Jo: Baptiſtæ Ajccardo Impreſ. Reg. Conv. S. Dominici.

Impr. Sidoti V. G. *Impr. Vgo P.*

Digitized by Google

Digitized by Google

DEO

TE Prima Veritas Deus; Te Domine Fons perennis totius veritatis, Patronum tandem, Auſpicemque delegi, cui has jure optimo tenuiſſimæ mentis meæ primitias obſequentiſsimè conſecrarem; non quod temerè, & quaſi propriæ puſillitatis oblitus; ſed fiducialiter potiùs, benè memor, & conſcius magnificentiæ tuæ, quà *infirma Mundi eligis, ut fortia quæque confundas*. Verebar quidem Majeſtatem tuam, & in conſpectu tuo humile volumen iſtud votivum appendere, reluctabam. At Te me interiùs confortante, id perficere ratum habui, ubi animadverti, quoniam Tu Domine *humilia reſpicis: & propè es omnibus invocantibus Te in veritate*. Te Te itaque Increata Veritas mihi deſuper Aſsiſtricem invoco, & volumen hoc, qualecumque ſit, ad tuæ divinæ legis cuſtodiam in ſpiritu veritatis contextum Tibi humillimà, quà par eſt, devotione offero, ut benignè illud inſpicias, gratum habeas, rore veritatis tuæ impleas, tua virtute confirmes, ſcuto omnipotentiæ tuæ protegas, promoveas, atque humanis pectoribus tandem inſeras ad agnitionem veritatis, & intellectum legis tuæ fructificandum, *quoniam lex tua veritas*. Quamobrem non alium præter Te, Domine, qui vivens veritas es, in veritate meà, vel verſùs tuà, Advocatum meum quæſivi, & Protectorem, imò & Teſtem, & Judicem in causà tuà; quoniam veritas tua Te uno, Teque toto digniſſima eſt, ubicumque ea ſit. Neque alicubi, ſi Tua non ſit, veritas eſt. Creata enim veritas, aut veritas non eſt, ſi non ſit Tua; aut Tua, & deſuper à Te deſcendens eſt, ſi veritas eſt. Neque Tota veritas eſt, ſi Tota tua non ſit. Si ergo vera loquar de lege tuà Domine, profectò totum Tuum erit eloquium meum. Et verbum meum non evacuabitur in ore meo, quoniam & ipſum idem

erit

Digitized by Google

erit in æternum permanens verbum Tuum. A Te illud accepi Domine, ideoque fiducialiter clamabo: *Dominus illuminatio mea: quem timebo?* Irruant Adverſarii mei adversùs me, arguant me de exceſſu in Doctrinà meà, & de rigido intellectu apud homines accuſent me, quaſi de ſuaviſsimà lege tuà in ignorantià blaſphemantem; *Non trepidabo:* Etenim ſcuto veritatis tuæ circumdabis me: quoniam *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*. Veritas quippè tua eſt tuum illud, *Nimis*. Quod ſi exceſſum ſonat, ſi rigorem ſpirat: Ille tuus eſt, non meus. At in æternum vivas Deus, fons veritatis: neque meus, neque tuus ille eſt benè Audientibus vocem tuam. Vox illa tua eadem prorsùs ſuavitate plena eſt, quâ & lex ipſa tua ſapit omnibus diligentibus Te: quoniam lex tua tota, & in ſingulis mandatis ſuis verè diligentibus Te ſuaviſsima eſt; & vox illa tua non aliud indicit nobis, niſi ut eam Totam, prout nobis à Te datur ex alto, in ſpiritu veritatis & ſine fictione ſervemus, nihilque de eà minuamus, quaſi ex induſtrià noſtrà ab eà eximentes nos. Exceſsus ergo ille, in eà voce tuà, libratus ad pondus æquitatis eſt, & pura divinæ tuæ legis veritas ſine diminutione, ſuavitatem undequaque redolens inquirentibus eam, nullam falſi, vel extranei operis patiens permixtionem. At qui Te non diligunt, cum nauſeà ad eam accedentes, exceſſum ibi eſſe credunt; quia totam, etſi uniſe ſuavis ſit, abhorrent; & niſi pro depravato appetitu ſuo ei magnam partem detrahant, ſuſcipere non valent, ac proptereà de exceſſu veritatem judicant, quæ aliquid alii menſuram eſt, & æquo pondere librata. Profectò *diminutæ ſunt veritates à filiis hominum*; quoniam illi ſemper *mendaces ſunt in ſtateris ſuis*; Sed *ſtatera doloſa abominatio apud Te eſt*, Domine, [illegible]. Jactent ſe igitur iſti in menſuris ſuis, legem tuam appendant in diſputationibus hominum quaſi in ſtaterà doloſà; nos acquieſcamus, quoniam non eſt in ore eorum veritas, niſi à Te veritate inventi docibiles fiant in teſtimoniis ſuis. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* A Te autem Domine illud audivi, nec ſemel, ſed & iterum, atque pluries repetitum, quod: *mandaſti juſtitiam teſtimonia tua & veritatem tuam nimis*. Tuum eſt teſtimonium hoc, veritas hæc verbum tuum eſt. Et in eo à Te intellexi integritatem præcipi legis tuæ, nunquam vanis ſubterfugiis hominum, aut diverticulis minuendæ; vel commentitiis, ſuperſtitioſiſque ritibus ampliandæ.

Quod

Quod ſi in hoc deceptus ſum, audeo dicere, quod Tu Domine, in verbo tuo decepiſti me. Niſi enim in eo hæc ſit veritas tua, ut non vana contra legem tuam effugia quærerent homines ad imminuendas veritates mandatorum ejus, profectò omnino vacuum foret tuum illud repetitum *Nimis*: & mandatum ipſum careret protinùs effectu ſuo. Hoc autem eſt totius hujus mei operis argumentum, vana hæc effugia impugnare, diminutionem divinæ tuæ legis inhibere, & mandatorum tuorum cuſtodiam ſine veritatis eorum ſciſſura ſtabilire; non illi quidpiam deſuper, quod non præceperis, admiſcere: quoniam *lex tua Domine, & omnia mandata tua veritas*; cui vel adjicere aliquid, vel detrahere non in hominum arbitrio eſt pro opinationibus ſuis. Hoc tuum illud mandatum ſonat de cuſtodiendis mandatis tuis nimis, deque juſtitiâ tuâ, teſtimoniis tuis, & veritate tua iterùm commendata nimis. Hæc veritas tua eſt, quam de ore tuo à Te prima Veritate ſuſcepi. Nec de mente tuâ Domine anceps, aut dubius ero; quoniam idipſum à fideliſſimo divinæ mentis tuæ Interprete Præceptore meo Aquinate totum didici. Ergo veritas omninò tua eſt, Domine, veritas mea, pro quâ calamum quaſi gladium ſtrinxi ad pugnandum pro lege tuâ juxta nimium mandatum tuum. Et ideò ad patrocinium tuum, ideò ad Te viventem Veritatem, à quo omnis veritas eſt in Cœlo, & in Terra, feſtinanter cucurri, & inſuper confidenter: dignum enim eſt verbum tuum, digna veritas tua eſt auſpiciis tuis. Quid refert ſi in puſillo, qualis ego ſum, eam aſpexeris? Puſillum, & magnum Tu feciſti Domine, & nihil eorum deſpicis, quæ Tu feciſti. Ubicumque, & à quocumque ſit veritas tua, donum tuum eſt, & munus dignum, quod ad Te redeat. Tibi ergo quod tuum eſt in humili hoc volumine meo cernuus Te adorans offero, & beneplacitum tibi fore ſpero, ut in præpotentiſſimâ veritate tuâ expugnem Adverſarios meos. Inſurgant illi adversùs me in argutiis ſuis, ut contradicant mihi: non confundar, quoniam qui ſuſtinent te non confundentur. Te ſuſtinui Domine in verbo tuo, & *Exprobrantibus mihi verbum* in faciem *reſpondebo* objiciens verbum tuum; Cui Domine *credidi*, *propter quod locutus ſum*, & loquar dicens *in exceſſu meo*, quem tribuunt mihi: *Deus verax eſt; omnis autem homo mendax*. *Scio cui credidi, & certus ſum*, *quod potens es Domine ſervare* depoſitam in ore meo veritatem tuam, ut non prævaleant, qui contradicunt, adversùs

eam.

eam. Tu ergo eam Domine in me cuſtodias, extra me promoveas, & pro me contra impugnantes me reſiſtas, ut per me veritas tua triumphet, *ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, ſi quando judicaris* in verbo tuo, quoniam cauſa tua eſt, pro qua ſatis huc uſque *laboravi, non ego autem, ſed gratia tua mecum, quæ operata eſt in me*. Suſcipe laborem meum, quoniam Donum, & munus tuum eſt, quod à Te in me deſcendit, & iterùm revertitur ad Te. Tibi illum offero, & fideliſsimè repono ante conſpectum tuum in obſequium humillimæ ſervitutis meæ, quia tibi debetur, & non alii quod tuum eſt. Idque totum Te enixè deprecor, & exopto, ut in profectum Animarum cedat, & ad majorem Sanctiſsimi Nominis tui gloriam, cui univerſa creatura mecum procumbens in ſpiritu, & veritate cum gratiarum actione benedicat in ſæcula.

AD LECTOREM.

FLURA optabam prima luce, quàm unicum hoc Volumen, tradere; Amice Lector, ea tamen ſpero per morales alios Tractatus, ſi Deo placuerit, prælo ſucceſſivè ſubiicere. Quid autem votis meis impedimento fuerit, ſcire cupis? paucis, & ingenuè dicam, Paupertas, & Obedientia, quas profiteor. Hæc quidem interpolatis diverticulis non ſemel ad alia deflexit animum, & incohato jàm Operi longa ſæpè intercæpit tempora: Illa verò vel ad hoc unum exarandum ægrè tulit expenſas, & vix tandèm ære alieno permiſit. Accipe ergo pro nunc primam hanc Theologicam Ideam ad Conſcientiam efformandam apprimè neceſſariam, quæ proindè merito à nonnullis Baſis Theologiæ Moralis dicta fuit, idcòque aliis Tractatibus jure optimo præponenda: Ego autē Ideæ nomine eam inſignivi, eo quod inde ſint mores omnium formandi, non minùs, quàm ab Idea Artificis quæcūque ejus Arteſacta: eſt enim ſcire benè moraliter vivere Ars Artium; & homò rectè componens actus ſuos, quaſi Sapiens Architectus ſuperadificans ſibi Domū ſuper ſolido ſundamento. Opportunè itaque primo loco, & ejuſmodi titulo inſcriptum opus hoc edidi, quo prima quædam & univerſalis rerum omnium agēdarum, ſeu Idealis ſpecies, Fidelium mentibus præſcribatur, Conſcientiæ atque humanis actibus ſuperædificandis aptiſſima, purior, ac certè quacumque alia expeditior: neque enim eam ex proprio cerebro formavi, ſed ab Angelico meo Præceptore, aliiſque Sanctis Patribus, & Eccleſiæ luminaribus præconceptam, expreſſamque in ſuis codicibus comperi, ac ipſorum rationibus luce meridiana clariùs præmonſtratam. Quamobrem eam ſi non ex me, ex illis ſaltèm tibi talē ſuadeas. Ex me verò fideliſſimè relatam habeas, depromptam, exſcriptam, ponderatam, ac pro meis viribus, ex qua parte à nonnulis Recentioribus quadantenùs obnubilata fuit, luci priſtinæ reſtitutam. Hinc autem ne, quod abſit, ad primum limen operis offendas pedem tuum, præmonitum te volo, cordate lector, ut caveas de me id facilè ſuſpicari, quod nempè novæ Doctrinæ Author tibi futurus ſim, & Diſciplinæ plùs juſto rigidioris: etenim & falſa, & noxia ejuſmodi præconceptio tibi erit, viam æquitatis impediens, & boni Conſilii ſtudium, ſructumque retardans; quandoquidem multos vidi vano huic timori ſuccumbentes, quaſi perterritos præ ejuſmodi ſalſa ſui ſuſpicione, Doctrinam ſanam audire renuiſſe. Caveas itaque ne ſupervacaneus iſte timor ſic perſtringat cor tuum, ut veriſſimas ſemitas æquitatis detrectes audire. Audi potiùs ad te loquentem Spiritum Sanctū per os Salomonis Proverb. 4. Ducam te (inquit) per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui. Ubi Gloſſa ſemitas æquitatis actiones rectas appellat, quæ antequàm quis eas ingredi incipiat, arctæ apparent, ſed non ſunt: quinimò adeò latæ, ut quicumque per eas ſemel ingreſſus jerit; poſſit cum Pſalmiſta exultabundus dicere: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Cordis enim noſtri tota hæc anguſtia eſt, quæ legem Dei arctam efficit apparere: & cordis noſtri anguſtia ex terrenis affectibus procedit, quibus jugiter implicamur, ac ferè omninò illud præoccupatum tenemus, ut vix ullus divinæ legi ſuperſit locus: qui verò ab his affectibus expurgabit cor ſuum, nec nimis ad mundi illecebras, & propria commoda vagum atque effrænem propriæ libertatis uſum affectabit, protinùs videbit dilatatum cor ſuum, & ad Domini legem ſemper & ubique excipiendam penitùs expeditum; apparebuntque ei viæ Domini non amplius arctæ, ſed latæ ac planæ, quæ facilè

b per-

percurri poſſint ; & jugum legis ejus videbitur ; ut ipſe dixit, veraciter ſuave. Experire & Tu, quiſquis es mi lector, conſilium meū; depone ſi quæ habes ejuſmodi impedimenta de corde tuo, procul ſit omnis ſuſpicio, & timor ille inanis ſuperſtitioſæ rigiditatis,atque animo candido & ſimplici,ab his ſatis expedito,oculos noſtræ huic Ideæ tutò admoveas, & experimento comperies non arctam tibi præſcribi regulam; ſed talem,qua expeditè & ſine offendiculo curras per ſemitas utique æquitatis;niſi fortè æquum ac rectum velis quoque rigidum appellare.Cæterùm qualiſcumque Diſciplina mea fuerit, ab ea enixè rogo,ne facilè & voluntariè divertas, antequàm benè perlegeris, eamque probaveris. Percurre priùs illam, & rationes ejus tecum maturiùs expende, ut ſi fortè videris eas intentum evincere, & efficaciter demonſtrare, ſi quid ibi rigoris invenies, non mihi, ſed legi tibi tunc hactenùs demonſtratæ tribuendum agnoſcas, & citra invidiam fatearis. Sin autem minùs eas probare inſpexeris, meritò tunc & me confutabis, & illas. Neque enim alioquin æquum eſt,causâ incognitâ,quempiam judicare.Lege ergo,iterùm precor, & relege priùs,ac tecum cogita in corde tuo, ſi vera ſint quæ ſcribo, ac pleniſſimè demonſtrata, & ſpero fore tibi boni conſilij fructū non exiguum ; quandoquidèm veritati demonſtrandæ ſtudeo. Ideòque communi ac plana methodo, & ſtylo ſimplici atque candido procedam;veritas enim eloquentiæ fuco non indiget,quin potiùs in ſeipſa nuda ac ſimplici ſui intuitione ſpecioſior perſpicitur,ſi ſemel intellectui proponatur nullatenùs caliganti : quamobrem in hoc opere offuſas primò ab adverſariis caligines ſatagam propellere, ut ſic quaſi velo ſubmoto,veritatis vultus appareat,atque in ſuo nativo candore ſplendidiùs eluceſcat,& in ſeipſo perſpicuè videatur ab omnibus abſque ulla prorsùs difficultate, vel minimâ ampliùs ambiguitatis umbra. Ad hoc ergo unicè collimabit, ſi quæ erit adversùs nonnullos Authores colluctatio : in quo te vehementer ac vehementiùs obſecro, ut mihi ingenuè loquenti omnem fidem adhibeas, ne ſit tibi dubitandi occaſio,me cum eis velle nominatim ex privato aliquo livore contendere, atque indè in me ſcandalum aliquod patiaris;cum tamen ſolius detegēdæ veritatis gratia, eorum placita multoties cogar refellere, & impugnare: quarè abſit à me, ut in eos referam, ſi quæ fortè,in una vel altera eorum aſſertione reprobanda,nonnihil videantur acrimoniæ habere : ejuſmodi enim ſi quæ ſint, ut argumentis, quibus permiſcentur, quodammodo majus robur adiiciant, adversùs ſenſa potiùs,quæ impugno,prolata cenſeas ex zelo veritatis; non in illos,quos aliàs ut Magiſtros veneror, viroſque fateor me longè doctiores. Poſt hæc tandē id unum, mi lector, ſupereſt, ut tibi ſuadeam, imò & inſtantiſſimè rogem,ut altiùs legem Domini in hoc opere mediteris, ut agnoſcas mandari eam cuſtodiri nimis: id enim æquum & juſtum eſt, quod ſi feceris, ut par eſt ; ille edocebit te, ſi quæ in hoc opere vera ſint, eligere: ſi quæ autem ſint falſa, redarguere,ac reprobare;imò & quo me corrigere,& emendare valeas,virtutem atque robur impendere. Vale.

Nos Frater Antoninus Cloche Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

CUm uti nobis exponitur, Rev. Adm. Pat. Magiſter Frater Marius Diana Provinciæ noſtræ Trinacriæ opus, cui titulus: *Idea Jurium interioris fori*, compoſuerit, illudq; prælo ſubiicere deſideret; Nos harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, quantum in nobis eſt, & ſervatis aliàs ſervandis paternè indulgemus, dummodo à duobus RR. PP. Magiſtris à R. P. Magiſtro Provinciali deſignandis luce dignum judicetur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die 5. Julii 1704.

FR. ANTONINVS CLOCHE
Magiſter Ordinis.

Locus ✠ Sigilli

Regiſtrata fol. 17.

Fr. Thomas Ripoll Magiſter, & Socius.

Nos Frater Petrus Martyr Mililli Sacræ Theologiæ Magiſter, ac totius Provinciæ Siciliæ Ordinis Prædicatorum humilis Prior Provincialis, & Servus.

QUoniam noſtri muneris eſt, Sapientibus noſtræ Provinciæ viris, qui in conſcribendis libris fructuosè operam navare ſolent, laudabilium laborum amorem excitare, eiſque quantum in nobis eſt in Domino ſuffragari; demandatumque nobis cum ſit à Reverendiſſimo Patre Fratre Antonino Cloche noſtri Ordinis Generali Magiſtro per literas datas Romæ die 5. Julii 1704. ut tibi Reverendo Admodum Patri Fratri Mario Diana Sacræ Theologiæ Magiſtro præfatæ noſtræ Provinciæ, qui opus cui titulus: *IDEA JURIUM INTERIORIS FORI* typis mandare deſideras de duobus Reviſoribus in Sacra Theologia Magiſtris provideamus.

Tenore præſentium, ac prædicta ſpeciali commiſsione attenta, committimus RR. Admodum Patribus Magiſtris Fratri Athanaſio Conſtantino, & Fratri Joanni Gundiſalvo Avolio, ut præfatum opus perpendant, diligenterque conſiderent; illudque ſi eis viſum fuerit publica luce dignum decernant, & approbent. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. In quorum fidem &c. Datum in hoc noſtro Venerabili Conventu Sancti Dominici Meſſanæ die 11. Novembris 1704. in diſcurſu Viſitationis.

Fr. Petrus Martyr Mililli, qui ſupra.

Locus ✠ Sigilli

Reg. fol. 31.
Fr. Vincentius Maria Demiceli Lector, & Profocius.

Digitized by Google

CENSORIUM COMMENDATITIUM

Rev. Admodum Patris Sacræ Theologiæ Magiſtri Fratris Athanaſii Conſtantino iam olim Almi Studii Generalis Regii Conventus Sancti Dominici de Panormo Regentis.

VOlumen hoc: *IDEA JURIUM INTERIORIS FORI*, (ſed veriùs: unica moralium motuum intelligentia inſcribendum) ab Admodum Reverendo Patre Magiſtro Fratre Mario Diana eximio quondam almi Netini Collegii Regente, claroque plurium aliorum ſtudiorum Moderatore, ut elucubratum, inſcriptum, anguſtam animi, ac intellectus mei ſphœrulam, cum primum ſub oculos cecidit, ſuperavit; cum liquidem ego Reviſoris munia ex deſignatione Rever. Admodum Patris Fratris Petri Martyris Mililli Sacræ Theologiæ Magiſtri, ac huius Provinciæ Trinacriæ Provincialis, cui à Reverendiſſimo Patre Magiſtro Ordinis Generali id fuerat ſpecialiter demandatum, obirem, admiratoris ecſtaſim paſſus, Reviſor, in purſi tranſii Encomiaſten, Opus abiit in prodigium, Liber in Evangelium, atque in unicum literati orbis miraculum hæc Idea. In iſta, deſignatas à Divino Apelle, ſubtiliſſimæ lineas veritatis, ſolo ſolis Aquinatis penicillo protractas a Mario tranſeuntium addiſcentium Univerſitati brevi ſtylo, ornatà methodo expoſitas circumſpexi; adeo equidem, ut de Mario confitear, quod de Aquino Eccleſia: *ſtylus brevis, grata facundia, celſa, clara, firma ſententia*. Firma fateor, ſententia eſt in æterna, ac inconcuſſa Dei veritate, Sanctorumque Patrum teſtimoniis ſtabilita; Clara, ab Angelico Sacrorum Lycæorum Sole decerpta; Celſa, à Lege Prima ineluctabili derivata. Grata facundia eſt, dulciſſima verbis, ordine ſuaviſſima, elegantiis peramæna, quam proinde pulcherrima Auctorum apophtegmata, ac lepidiſſima Doctorum dogmata exornarunt. Sed quod mirabiliſſimum conſideravi, reſtricta periodus eſt, breviſque ſtylus; cum & in ſtricto periodi circulo, laxas morum claudat habenas; atque brevi ſtylo, ceu veræ, tutæ, fideliſque doctrinæ gladio, remotas ferè à iuſtitia longè aberrantes, Probabiliſmi feriat opiniones. Quocirca ad legis æternæ tutelam, ad vivam noſtræ fidei praxim, ad veritatis divinæ oſtenſionem, nedum typis hoc opus poſſe arbitror demandari, verum, & æternitati aureis literis inſculpendum, conſecratum iri peropto. Ex hoc Regio Conventu Sancti Dominici de Panormo die 11. Februarii 1705.

Frater Athanaſius Conſtantino Magiſter.

Approbatio Admodum Rev. Patris Magiſtri Fratris Ioannis Conſalvi Avolio Ordinis Prædicatorum, iampridem in Collegio S. Dominici de Drepano, & deindè Almo Studio Generali S. Dominici de Panormo Regentis; nunc verò Prioris electi Conventus S. Dominici Civitatis Auguſtæ.

LIbrum, quem inſcriptum, *IDEA JURIUM INTERIORIS FORI*, ſummo, & accuratiſſimo ſtudio elaboravit, Adm. Rev. Pater Magiſter Frater Marius Diana Agrigentinus, eiuſdem Ordinis Prædicatorum; utque diſcutiendum, ac examinandum, mihi commiſſum ab Adm. Rev. Patre Magiſtro Fratre Petro Martyre Mililli, huius noſtræ Provinciæ Trinacriæ Priore Provinciali; in lucem prodire poſſe, certum, & incorruptum perhibent teſtimonium, titulus ipſe, clarumque, ac notum ipſius Auctoris nomen: Nihil liquidem bonis moribus diſſonum, decretiſque Pontificum, & Principum adverſum continere; ipſamet ingenioſa inſcriptio, quæ tutam ad formandos chriſtianos mores iuxta divinas, humanaſque leges, contra libertatem operandi, regulam omnibus præ oculis ponit, ſatis, ſuperque iudicat; nihilque fidei, Conciliis, Sanctis Patribus, noſtrique Angelici Præceptoris Divi Thomæ Aquinatis menti repugnans, referre, & exhibere, neminem, exiſtimo, ſuſpicari poſſe, qui noverit Auctorem, præſtantiſſimam, qua pollet, ingenii ſubtilitatem cum vitæ ſanctimonia, & ſtudii aſſiduitate nectentem, magnam, & inſignem ex ſcripturis ſacris, Conciliorum ſtatutis, Patrum ſententiis, Doctoris Angelici præcipuè doctrina, eruditionem ſibi comparaſſe; eamque, non ad ſui nominis gloriam captandam, ſed ad Eccleſiæ utilitatem quærendam, in hoc opere ſecundum partem tradidiſſe. Illud igitur Typis mandari dignum, non cenſeo tantum, ſed etiam maximè gratulor, quod tandem advenit exoptatum tempus, in quo tanti viri doctrina effulgeat hominibus, ut lux ad expellendas Probabiliſmi caligines, & viam ſibi aperiendam, qua rectè, & ſecurè incedere valeant. Datum Panormi in Conventu Sanctæ Citæ die 11. Februarii 1705.

Frater Joannes Conſalvus Avolio Magiſter.

PRÆPROPERA CURIOSITATE
PRÆVENTIS

Operis Intentio proponitur, & ſuadetur.

SEmel accipe, quiſquis es, fixumque id mente tene, quod & veriſſimum eſt, fruſtraneum eſſe hominibus in interiori conſcientiæ foro exiſtimata quædam pro ſe jura ad excuſandas excuſationes in peccatis pervicaciter allegare, niſi ea in ſe veriſſima ſint, & digna, quæ à ſupremo illo veritatis Sapientiſſimo Judice acceptentur, à quo tandem in die noviſſimo juſtè judicabimur. parum enim eſt hominibus plura pro ſe congerere, & rationum ſuarum calculo ſtabilire, ac quaſi veriſſima ſibi firmiter ſuadere, ſi huiuſmodi non habeantur ante oculos Domini. Quandoquidem in æquitate & veritate ſua, non noſtra, judicabit nos. De eo quippe ſcriptum eſt *pſal.* 95. *Judicabit orbem terræ in æquitate; & Populos in veritate ſua.* Unde & Job nec quidpiam juſti de ſua veritate audet illi reſpondere, ſed humiliter *cap.* 9. ait: *quantus ſum ego, ut reſpondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? qui etiam ſi habuero quidpiam juſtum, non reſpondebo, ſed meum Judicem deprecabor.*

Cum igitur *ex Apoſt. 2. ad Corinth. 5. Nos omnes manifeſtari oporteat ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Magnam opus eſt nobis ſollicitudinem habere, ut in geſtis propriis referendis nihil ſit, quod Judici veritatis diſpliceat; ſed quidquid fortè noſtri iuris tunc erit allegandum, verum, æquumve ſit ante oculos judicantis.

At certè ex ipſis operibus, & geſtis noſtris non aliud nobis verum ius emergere poteſt, niſi alterum ex duobus: puta, vel quod benè, & conformiter ad leges egerimus: vel quod, ſi malè & difformiter, id nobis ex errore, et ignorantia invincibili, atque inculpabili, et bona fide agentibus acciderit. Juſtum enim eſt, æquumque, ut qui iuxta legem egit; aut ſi contra illam, id materialiter, & bona fide fecit ex errore, et ignorantia ſibi prorſus invincibili; juſtus à domino judicetur, vel pro iuſto habeatur, ex ipſamet iuſtitiæ veritate, aut æquitate, huiuſmodi agenti bonæ fidei, domino commiſerante, quodammodo debita.

Verùm hoc opus, hic labor eſt, diſcernere nimirùm, ubi hæc iura re vera ſint: ubi hæc bona fides operationis: ubi error et ignorantia hæc prorſus invincibilis, & inculpabilis. Hæc enim eſt petra ſcandali, ad quam plerique Recentiores offendunt pedem ſuum, facilè de invincibili ignorantia, & bona fide iudicantes, ubi re vera ea talis non eſt. ac propterea facile iura quædam ſibi quæſita præſumunt, quibus plus iuſto confi–dunt poſſe in conſcientiæ foro, & coram Deo excuſari.

Ad hæc itaque diſcernenda lucubratio hæc noſtra collimat. Ubi Ideam quamdam tradere intendimus, qua poſsit unuſquiſque talem ſibi conſcientiam efformare, ut ſecundùm eam operando, in omnibus geſtis ſuis pro ſe veraciter alterum ex duobus reſultet ius, ſibi evidentiſsime cognitum, & manifeſtum; quod ſcilicet vel verè iuxta legem egerit: vel ſi erraverit, id ipſi acciderit ex ignorantia certiſsimè inculpabili. Quapropter meritò opus hoc inſcribimus: *Idea Jurium Interioris fori.*

Impugnabimus autem iura illa Recentiorum, quæ ſuæ practicæ probabilitati attribuunt; vel, ut alii licentioliùs volunt, cuilibet probabilitati, etiam purè ſpeculativæ, ne dicam, ſophiſticæ, & apparenti. Et demonſtrabimus ea omninò falſa eſſe, & commentitia; nec poſſe umquam in aliqua probabilitate fundari. Quod ſi interroges lector, quæ hæc iura ſint. Scias ea hæc eſſe, ius prudenter operandi, licitè agendi, & excuſandi totaliter à culpa etiam in caſu ignorantiæ & erroris contra legem. Credunt enim iſti, quod hoc ipſo, quod quis in operando ſequitur opinionem aliquam probabilem, prudenter operatur, ac per conſequens licitè, nec peccat, ſed à peccato excuſatur, etiam ſi aliquid re vera contra legem agat: adeò ut poſsit iuridicè etiam coram Deo allegare ſe contra legem egiſſe iure, & privilegio probabilitatis, ac propterea prudenter, & licite egiſſe, atque ideò eſſe totaliter, etiam in errore ſuo, ab omni peccato excuſatum; quia ſupponunt tunc huiuſmodi errorem eſſe invincibilem, & inculpabilem.

Sed in hoc certè valdè decipiuntur, & eorum deceptio oritur ex vario ac falſo conceptu, quem de invincibilitate ignorantiæ habent, ex quo multipliciter labuntur, ponentes eam, ubi re vera non eſt, utpote ad petram ſcandali, ut dixi, omnes offendentes pedem ſuum. Quapropter ne cum iſtis in idem offendiculum incidamus; oportet diligentiùs inveſtigare, unde re vera habeat ignorantia, quod ſit, & dicatur invincibiliis, & inculpabilis: non enim omnes ex uno eodemque capite hoc definiunt, ut ſatis manifeſtè colligi poteſt ex eo, quod non conveniunt in excuſandis hominibus ex ignorantia aliquid contra legem agentibus, ſed in varios dicendi modos dividuntur, quos mox referam, ut indè quid veri eliciendum ſit, appareat.

Ita-

Itaque nonnulli dicunt excuſari eos omnes, quibus nulla occurrit prævia cogitatio, aut ſuſpicio de malitia ſuorum actuum, habentes eos ſimpliciter, & quaſi habitualiter ut ſibi licitos, abſque ulla prævia diſcuſsione, utpote qui ex nullo capite ſe ſentiunt excitari ad hæſitandum, & diſcutiendum de eorum moralitate. Et ſimiliter eos omnes, qui alicui rationi, vel opinioni probabili innixi confidenter operantur; ſumpta opinione probabili in tota ſua latitudine, & abſque ulla limitatione. Et iſti Doctores videntur ignorantiam invincibilem definire ex eo, quod vinci non poteſt per ſcientiam. Atque ideò ponunt in primis invincibilem ignorantiam, ex eo quod illis nulla eſt prævia cogitatio de malitia ſuorum actuum; quia ubi nulla eſt huiuſmodi cogitatio præveniens, nulla eſt poſsibilis inquiſitio, & per conſequens nec ſcientia, aut cognitio malitiæ, ſine qua non poteſt hæc reddi agenti voluntaria, cum nihil ſit volitum, quin præcognitum. Et ex eodem capite ponunt invincibilem ignorantiam in ſecundis, utpotè qui ſupponuntur eſſe in materia opinabili, ubi ſimiliter eſt impoſsibilis agnitio veritatis per ſcientiam. Ita videtur ſentire Caramuel apud Ioannem de Cardenas, & cum Caramuele Probabiliſtæ laxiores.

Alii verò non tam facilè eos excuſant, qui nihil cogitantes de malitia, aliquid adverſus legem ignoranter agunt; quia multoties id evenit ex negligentia debitæ inquiſitionis, vel ex pravo aliquo habitu, aut paſſione, ita ut ex ipſorum culpa ſit, quod nihil cogitent de peccato, & malitiam actus non agnoſcant, nec de illa ſuſpicentur, eo quod inconſideratè omninò, & præcipitanter procedunt abeuntes poſt concupiſcentias ſuas. Et ſimiliter nec illos excuſant, qui cuilibet opinioni probabili confidunt, quantumvis non poſſint ad certitudinem veritatis per ſcientiam pervenire. Et iſti videntur ignorantiam invincibilem definire ex eo, quod nedùm vinci non poteſt per ſcientiam, ſed etiam quia nec practicè ſeu moraliter, & per cautionem eam vincere tenetur agens, eligendo ſcilicet alteram partem tutiorem, licet poſſit. Atque ideò non facilè excuſant primos, quia in illis multoties ſcientia legis eſt poſſibilis, & ex ipſorum culpa eſt, nempè ex propria negligentia, aut paſſione, quod ignorent, dùm de propriis agendis nihil cogitant, nec inquirunt de eorum moralitate. Nec excuſant ſecundos, quia ſupponunt multoties teneri ad eligendam alteram partem tutiorem pro meritis opinionis ſeu pro qualitate probabilitatis ab ipſis cum aliqua diſcretione, & non qualitercumque eligendæ.

Verùm quando agens teneatur hoc modo ignorantiam vincere, eligendo ſcilicet partem alteram tutiorem; & qualiter hoc diſcernere debeat, ſuppoſito quod ei ſit impoſſibilis cognitio veritatis in ſe per ſcientiam, ut contingit ſemper in materia hinc indè opinabili; non omnes conveniunt. Cum enim omnibus durum videatur dicere, quod ubi vera ſcientia legis eſt impoſſibilis, ſemper teneatur homo partem tutiorem eligere, & ſic practicè vincere ignorantiam ſuam; quia ſi ſemper hæc obligatio urgeret, imponeretur hominibus onus nimis grave, & ferè omninò importabile: & ulteriùs indè ſequeretur, quod numquam eſſet inculpabilis ignorantiæ locus, quod erroneum eſt, & doctrinæ catholicæ adverſatur; ideò oportet ad aliquam diſcretionis regulam devenire, ex qua dignoſci poſſit quando ignorantia etiam ſi invincibilis per ſcientiam ſeu ſpeculativè, ſit nihilominùs ab agente practicè, & per electionem alterius partis certò tutæ vincenda, vel non; ac proindè dici poſsit abſolutè, & ſimpliciter invincibilis ſeu inculpabilis, vel potius imputabilis, & vincibilis, ideſt practicè, & moraliter vincenda, ut dictum eſt. Et in hoc ſita eſt tota difficultas. In cuius reſolutione varia ſunt placita Probabiliſtarum pro varietate opinionum probabilium, quas defendunt.

Hinc aliqui dicunt licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem practicè probabilem, non autem probabilem purè ſpeculativè. Atque ideò iſti conſequenter volunt, quod ſtante opinione practicè probabili, etiam ſi in ea contingat contra legem errare, tunc huiuſmodi error, & ignorantia legis non eſt neceſſariò practicè vincenda, ac per conſequens nec imputabilis; benè tamen ſtante opinione ſolùm ſpeculativè probabili.

Alii diſtinguunt de opinione probabiliter probabili, & certò probabili. Et de prima dicunt licitum non eſſe eam ſequi; ac per conſequens ibi eſſe ignorantiam practicè vincendam. Econtra verò de ſecunda.

Alii verò aliam diſtinctionem faciunt, videlicet de judicio practicè probabili directo, & reflexo: & de primo dicunt non licere illud ſequi; ac per conſequens in eo ignorantiam eſſe practicè vincendam; non autem in ſecundo, quod ſequi licitum eſſe affirmant. Judicium autem directum appellant, quo directè ex aliquo principio probabili judicatur hoc vel illud eſſe licitum: reflexum verò, quo judicatur, hoc vel illud eſſe licitum eſt practicè probabile. Et de primo dicunt eſſe per ſe, & eſſentialiter incertum & formidoloſum, ac propterea reſolvendum eſſe in dubium; & quia in dubiis via tutior eſt eligenda, ideò ibi ignorantia eſt practicè vincenda. De ſecundo autem aiunt eſſe omninò certum, quia omninò certum putant eſſe licitum quod eſt practicè probabile, qua practicè probabile: idque prætendunt evidenter demonſtrari ex eo quod judicium probabile qua tale eſt judicium prudens, cui repugnat peccatum: & ideò ibi non eſt ignorantia neceſſariò practicè vincenda, licet poſſit practicè vinci, quia qui prudenter agit, non tenetur ad ampliùs inquirendum pro conſcientia ſua. Ita P. Joannes de Cardenas cum multis aliis.

Alii denique dicunt non licere ſequi opinionem minùs tutam, minuſque probabilem, benè tamen

men

tem probabiliorem. Ac per conſequens volunt quod ſtante opinione etiam practicè probabili de licito pro commodo, & libertate, in concurſu oppoſitæ probabilioris ſtantis pro lege, tunc ignorantia eſt practicè vincenda. Econtra verò ſi opinio ſtans pro commodo, & libertate ſit probabilior, tunc non eſt ignorantia neceſſariò practicè vincenda, unde tunc agens illam ſequendo, etiam ſi contingat errare contra legem, non peccat. Ita R. P. Tyrſus Gonſalez Societatis Jeſu Præpoſitus Generalis cum aliis Probabilioriſtis. Ut fuſiùs de his omnibus ſuis locis.

Hi ſunt in hac materia præcipui dicendi Modi Doctorum. Omnes autem in hoc uno conveniunt, quod in aſſignanda regula agendorum probabilitatis phantaſiam non traſcendunt; licet eam magis vel minùs amplient, aut reſtringant, prout unuſquiſque magis minùsve timet conſcientiæ ſuæ. Quorum omnium fontale principium eſt, quod unicuique pro modulo proprii conceptus, infra regulam probabilitatis ſe continendo, videtur quod faciat quantum in ſe eſt, ut prudenter agat, ubi præſertim ſcientiæ lumen non affulget. Ex quo credunt habere ſufficiens atque prudens motivum ſiſtendi in judicio ſuo, nec teneri ampliùs ad aliquid firmius inquirendum pro indemnitate legis, aut conſcientiæ ſecuritate.

At nos cum aliis, qui probabilitati minùs confidimus, eamque ex doctrina D. Thomæ aliorumque Sanctorum Patrum, extra regulam agendorum rejicimus, extra illam quoque conceptum ignorantiæ invincibilis collocamus. Quamobrem dari ignorantiam invincibilem, ideſt inculpabilem cum omnibus Catholicis admittimus: eam verò ſic definimus: quæ nec adhibito debito ſtudio, & ſe mota omnium paſſionum caligine, vinci poteſt per ſcientiam, ſeu ſpeculativè, neque ulteriùs eſt practicè, & per electionem alterius partis tutioris ex debito vincenda. In qua definitione vix poſſumus nos ab aliis, aut alii a nobis diſſentire, niſi velit quis veritatem in propriis terminis manifeſtam ſophiſticè calumniari; ut de ſe patet benè conſideranti. Et dicimus tunc eſſe talem, quando non habet agens, alias accuratè, & ſine ſua culpa procedens pro munere ſui officii ad veritatis inquiſitionem, ſufficiens motivum prudenter dubitandi de contrarietate ſui actus ad legem; tunc enim poteſt prudenter ſiſtere in judicio ſuo de licentia ſui actus, nec tenetur ulteriùs ad aliquid firmius vel tutius perquirendum; ac propterea ſi fortè contingat nihilominùs errare, erit ejus ignorantia omninò invincibilis, & inculpabilis, & nullo modo ex debito vincenda practicè, ſeu per electionem alterius partis. Et uſque adhuc neque eſt inter nos & Probabiliſtas controverſia aliqua, vel diſſenſio. Diſſentimus autem ab ipſis, quia ipſi volunt hoc evenire in agente ex opinione probabili, vel probabiliori, juxta varios ſaltem eorumdem dicendi modos ſuperiùs relatos, magis, vel minùs amplè ſumpta probabilitate, quam ipſi tuentur. Nos verò generatim hoc negamus, quia in qualibet opinione probabili, cui ex adverſo alia opponitur ſtans pro lege, in promptu eſt agenti ſufficiens motivum prudenter dubitandi de contrarietate ſui actus ad legem cum eſſentialiter afferat ſecum formidinem partis oppoſitæ; ac propterea non poteſt agens prudenter ſiſtere in judicio ſuo, & per conſequens oportet quod ulteriùs procedat ad aliquid firmius perquirendum, in quo prudenter tutò quieſcat, quod cum non poſſit invenire ſpeculativè ſeu per ſcientiam, tenebitur id invenire practicè per electionem alterius partis, ut ſic vincat, vel ut verius dicam, vitet errorem, & ignorantiam legis, in quem & in quam defacto incideret, ſiſtendo in ſua probabilitate.

Hac ergo ſuppoſita doctrina pro adæquato conceptu formando de ignorantia abſolutè invincibili, & inculpabili, manifeſtè conſtat relatos Probabiliſtas in eo, ſaltem practicè, erraſſe; illam ſcilicet applicando probabilitatibus ſuis pro variis cujuſque reſpectivè limitationibus, aut amplificationibus ſuperiùs adductis; cũ enim in illis ſemper in promptu ſit ſufficiens motivum prudenter dubitandi de contrarietate ad legem, hoc ipſo falſa, & inepta detegitur earum applicatio. Quod totum dictum volo nedùm de Probabiliſtis, ſed etiam de Probabilioriſtis, utrique enim ob eamdem rationem proportionaliter ſunt magis, minuſve decepti. Id quod in hoc opere per totum latè demonſtrabimus.

Ex his itaque intellige lector intentionem noſtram, quam conſulto ad prima limina, & quaſi ad januam operis affixam præ oculis habendam propono; ne ubi in Frontiſpicio videris adverſus Probabiliſtas inſcriptum titulum, falsò ſuſpiceris me in favorem probabilioritatis contra probabilitatem pugnaturum, quemadmodùm multi ante me fecerunt, & noviſſimè fecit R. P. Tyrſus Gonſalez Societatis Jeſu Præpoſitus Generalis, cujus opus ferè ab omnibus commendatur: & meritò quidem, utpotè quo effrænem probabiliſmum non parùm compeſcuit, ac ſancta, & piaintentione depreſſit. Nihilominùs cum eo in hoc quieſcere non poſſum, ſed ulteriùs progrediendum cenſeo, eò quod ulteriùs video Sanctos Patres proceſſiſſe, & cum eis manifeſtiùs D. Thomam, quo duce in via ſiſtere nequeo, niſi eò perveniam, quò ille me conducit. Profectò D. Thomas neque in probabilioritate contra legem quievit. Quievit autem in invincibili ignorantia, ut ad literam ſuo loco ex ipſomet oſtendam. Ubi autem hæc verè contingat, atque inde verè bona fides in operando habeatur, ſatis indicavit; numquàm tamen eam docuit in probabilitate involutam, aut in probabilioritate contra legem, reperiri: imò juris naturæ nuſtibi, niſi in Furia, & Amentia; alterius verò juris, ſicut & facti, quando, & ubi contingat, ſimiliter expreſſit. Ergo tunc & ibidem cum ipſo eam teneor fateri, & non alibi. Et ad hoc explanandum, atque demonſtrandum totis viribus inſiſtam, atque unicè intendam.

Cete-

Digitized by Google

Cæterùm in reliquis non multùm cum Probabiliſtis contendam, & præſertim in iis, quæ potiùs ad Scholaſticos pertinent, etiam ſi fortè ea doceant veritati minùs conſentanea, cuiuſmodi ſunt quæ ipſi tradunt de natura, & quidditate probabilitatis, eiuſque quibuſdam proprietatibus ſeu effectibus. Licet neque hæc pro quanto opus fuerit, prætermittam ex proprio ſenſu explicare. At ubi circa quædam ex his ab ipſis diſſentire pro veritate oportebit, non multùm inſiſtam; quia datis etiam multoties eorum principiis, & doctrinis, non propterea præcluſa mihi erit via ad intentum præcipuum operis proſequendum.

Hinc non curabo multùm inſiſtere contra definitionem opinionis probabilis, quam ipſi tradunt, & magnifaciunt; nempè quod ea ſit, quæ gravi, magnique momenti, ac prudenti rationi innititur: adeò ut ſuper ea, veluti ſuper ſolido fundamento, nedùm ſuperædificare præſumant decantata illa ſua iura practicæ probabilitatis, ſed etiam glorientur indè quaſi ex primo & irrefragabili principio totam ipſorum doctrinam de licito uſu cuiuſcumque opinionis probabilis unicè demonſtrari; ſervata etiam uſque ad ultimas apices ſyllogiſtica forma (ut ait P. Joannes de Cardenas) in ſecundo modo perfecto primæ figuræ. non inquam hoc curabo, nam licet eam novis quibuſdam terminis accommodaverint, qui ad ipſorum ſententiam conducant, & fortè ex induſtria, ut advertit Vincentius Baronius, ei adiecerint verbum illud prudentiæ, ad inferendam indè prudentem, atque ideò inculpabilem, operationem: nihilominùs adhuc huiuſmodi definitione eis gratis admiſſa, oſtendam non poſſe indè haberi prudentem operationem, ſeu moraliter licitam, ut poſſit agens ab errore contra legem ob ſui ignorantiam moraliter excuſari; quia prudentia agendi, & opinandi ſunt longè diverſi generis; & hæc non infert illam; nec aufert agenti onus vincendi practicè errorem & ignorantiam legis, contra quam agit; atque ideò ſemper eius error erit ipſi imputabilis.

Imò ulteriùs demonſtrabo judicium ipſum opinionis, quantumcumque in ſuo genere prudens, vel non applicari de facto ad opus, quod agens agit, licet dicatur juxta illud agere; ac per conſequens nec tunc de facto operari iuxta prudens judicium ſuæ opinionis, neque illam ſequi: vel ſi re vera agens illam ſequatur & applicet ad opus, hoc ipſo fieri peccati Reum, & formaliſſimè peccare ſaltem ex parte conſcientiæ, ſi fortè opinio, quam ſequitur, reperiatur in ſe vera. Quod totum ſic pro modo breviter oſtendo: nam aut agens, dum aliquid agit, quod probabiliter judicat ſibi licere, deponit formidinem partis oppoſitæ: vel non. Si primum; ergo non applicat re vera ad opus iudicium ſuæ opinionis probabilis, quia hoc eſt per ſe, & eſſentialiter formidoloſum, nec poteſt ſine formidine conſiſtere; ac per conſequens id, quod re vera applicat, erit judicium alterius generis, nempè ſine formidine, & tamquam certum in ſe, atque verè tutum, quod cum ſine ullo fundamento fiat, erit procul dubio temerarium, & imprudens. Si ſecundum; ergo jam operatur cum conſcientia formidante atque dubia de peccato; eadem enim eſt conſcienta dubia, & formidans, ut contra nonnullos huius veritatis calumniatores meliùs infra. Ergo hoc ipſo erit peccati Reus, ſaltem ex parte conſcientiæ, etiam ſi forte opinio illa ſit in ſe vera.

Similiter nec multum contra Probabiliſtas inſiſtam circa quaſdam proprietates ſeu effectus opinionis probabilis, puta quod ad ipſam ſubſequatur ignorantia invincibilis per ſcientiam; atque indè naturali ſequela ſuccedat nobis in regulam agendorum. Cum enim (inquiunt) impoſſibile ſit in materia opinabili, vel opinata, haberi ſcientiam, & certitudinem veritatis in ſe, oportet ibidem, ne dicatur Deus præcipere impoſſibilia, non alio judicio nos regulari, quam opinionis probabilis. Non, inquam, multùm contra hoc inſiſtam; nam gratis hoc ipſis admiſſo, adhuc contendo quod ipſamet ignorantia invincibilis per ſcientiam, eſt abſolutè unicuique vincibilis, & multoties ex debito de facto vincenda practicè, ſeu per electionem alterius partis certò tutæ, ſicut evenit in quacumque materia opinata, obligante ad hoc ipſamet formidine opinionis oppoſitæ eſſentialiter, & per ſe annexa cuilibet opinioni probabili. Ex quo apparet non ſequi illud inconveniens quod Deus obliget ad impoſſibilia: & multò minùs neceſſarium illud, quod ſcilicet oporteat nos regulari judicio cuiuſcumque opinionis probabilis, ut ipſi credunt, ſed potius tutioris, quo tunc ex debito vincenda eſt ignorantia. Ubi enim ſcientia haberi non poteſt, & lex eſt variè opinabilis, ſemper tenetur agens ignorantiam legis vincere practicè, & per electionem tutioris partis, quia, ut dictum eſt ſupra, ſemper in promptu habet ſufficiens motivum prudenter dubitandi de contrarietate ſuæ opinionis ad legem, ac propterea non poteſt prudenter tutò quieſcere in judicio ſuo probabili, vel etiam probabiliori minus tuto, ſed tenetur per electionem partis oppoſitæ vincere ignorantiam ſuam.

Cave tamen hìc cordate lector, ne ex hoc quod dico, quod non poteſt agens prudenter tutò quieſcere in judicio, ſeu opinione ſua probabili, vel etiam probabiliori, ſed tenetur per electionem partis oppoſitæ ſemper vincere ignorantiam ſuam; in æquivocationem incidas, & decipiaris, falſoque de me credas, quod ſtatim peccati Reum pronunciem illum, qui opinionem probabilem ſequitur minùs tutam, relicta oppoſita tutiori, vel etiam probabiliori; hoc enim falſum eſt; & eſſet ad plus homines obligare, quam eos re vera lex obliget, quod non intendo, nec umquam quid ſimile ſomniavi. Et certè tanta obligatio ſic ampla, & extenſa ad ſemper, cum ex nulla lege ſit, manifeſtè convinceretur quaſi ſupra legem à me conficta, quod abſit à me. Quis enim

ſum

ſum ego, qui jugum imponam ſuper cervices hominum, quod nulla lex imponit, & nec Patres noſtri, neque nos poſſumus portare? Quod itaque dico, cautè accipias; & ſolùm in caſu erroris contra legem intelligas, ideſt in caſu, quo opinio probabilis, vel etiam probabilior, minùs tuta, eſt in ſe falſa, ita ut re vera lex in oppoſitum ſit, & actum illum opinatum licitum re vera prohibeat, ut conſtat ex ipſis terminis aſſertionis meæ. Eſt enim aſſertio mea, quod tenetur agens ſemper vincere ignorantiam ſuam, & errorem ſuum ſibi probabilem, vel etiam probabiliorem, per electionem alterius partis oppoſitæ, & certò tutæ. Cæterùm ſi opinio minus tuta ſit in ſe vera, ita ut actus opinatus ab agente licitus, ſit re vera à lege permiſſus, quantumvis ſolùm probabiliter cognitus, imò minùs probabiliter; tunc non peccat agens, ſi in illo judicio tutò quieſcat depoſita formidine, quia contra nullam legem agit; neque tunc error, aut ulla ignorantia vincenda eſt, cum nulla tunc ſupponatur, ſed potiùs ſit cognitio veritatis, & judicium ſit in ſe verum, & agenti ſubiectivè indubitatum, dum actualiter non formidat. Si verò agens formidet, quia practicè reflectit ſuper incertitudine opinionis utique per ſe aſſerentis ſecum formidinem obiectivam, tunc procul dubio peccabit ex parte conſcientiæ, ſed hoc eſt per accidens, & ex parte ſubiecti, quatenùs agens ſic formidando quodammodò legem aliquam ſibi obſtantem præfigit, non quæ certò ſit, ſed addubitata in eius mente, contra quam nihilominùs agit, atque ideò peccat potiùs voluntate, quam facto, quia convincitur velle agere, etiam ſi lex actum illum fortè prohibeat; huiuſmodi enim eſt diſpoſitio agentis, & ſimul dubitantis.

Undè meum illud aſſertum, quod eſt per ſe verum, de debito ſcilicet, & obligatione vincendi practicè errorem & ignorantiam, quæ fortè contingit in opinione probabili, vel etiam probabiliori, intelligendum eſt de debito, & obligatione, non antecedente, ſed conſequente ad legem ipſam de facto tunc ignoratam; eſt enim huiuſmodi obligatio ex ipſamet lege ignorata, re vera tamen prohibente actum illum; quatenùs ſcilicet ipſamet lex prohibens licet ignorata, prohibendo tamen ſuo præcepto negativo talem actum, ligat, & obligat ad removēdum actum illum, & nullatenùs faciendum, utpotè malum, & illicitum, ut docere ſupponitur oppoſita opinio, per quam dicimus vincendam eſſe ab agente ignorantiam ſuam. Ac propterea talis obligatio non ſemper urget, ſed ſolùm in caſu erroris contra legem, quia tunc lex prohibet actum, qui probabiliter creditur licere, cum re vera non liceat, ac per conſequens intervenit in ea opinione error; & ignorantia vincenda. Neque enim credi debet, quod lex prohibens, licet ignorata, ceſſet obligare ex eo quod agens oppoſitum opinatur, & errat errore ſibi probabili, vel etiam probabiliori; quia eius error quantumvis probabilis, vel etiam probabilior, non poteſt vim veræ legis infringere, præſertim proclamante pro ipſa lege ex adverſo altera opinione probabili oppoſita, ex qua procul dubio offertur agenti ſufficiens motivum prudenter dubitandi de contrarietate ſuæ opinionis ad legem. Ac per conſequens non poteſt prudenter ſiſtere in opinione ſua, & formidinem deponere, quod ſi illam deponat, erit in deponendo imprudens; & error, in quem incidit, evadet ipſi imputabilis, utpote conſequens ad imprudentiam ſuam, quæ procul dubio aliqualis prævia culpa eſt, undè fit quod error conſequens contra legem, ſeu ipſamet tranſgreſſio legis ſit imputabilis.

Ex quibus conſtat quod nos non ad plus obligamus homines, quàm eos lex ipſa liget. Nec de peccato damnamus eos, qui ſequuntur opiniones probabiles, & etiam minùs probabiles ſtantes pro commodo, & libertate; relictis etiam probabilioribus ſtantibus pro lege, dummodo in illis quieſcant depoſita formidine; niſi in caſu ignorantiæ, & erroris contra leges; quod eſt dicere, quando re vera leges ad partem oppoſitam ligant; & tunc huiuſmodi obligatio ab ipſis legibus imponitur, non à nobis. Quare ſi jugum eſt, & onus aliquid rigoris habens, ipſarum legum eſt, non noſtrum; expoſitum potius à nobis, non tamen impoſitum. Quod ſi attentè adverterent Adverſarii, nullatenùs nos de nimio rigore redarguerent: ipſi potiùs forent redargutione digni, qui prætextu practicæ probabilitatis leges in magna parte diminuunt, & minùs obligant homines, quàm illæ ligent. Nos verò in medio ſiſtimus, dum ſacras leges nec minuimus, nec augemus.

Neque illas augere dici poſſumus, eo quod volumus etiam extra caſum erroris, ſi agens tamen de parte oppoſita ſuæ opinioni formidet, teneri ad electionem alterius partis tutioris, ad quam procul dubio re vera tunc lex non ligat. Non (inquam) ex hoc eas augere dici poſſumus, quia non obligamus illum ſimpliciter ad alteram partem tutiorem; ſed ſecundùm quid, & per accidens, ſeu ex ſuppoſitione, quatenùs ſcilicet ſupponitur iam conſtitutus in dubio, nec deponit illud; cum tamen ipſe ſe in illo conſtituerit; & poſſit, ſi velit, illud deponere; per ipſum enim ſtat, quod non deponat illud, quod totum per accidens eſt: et ſecundum quod in eo dubio anceps adhuc verſatur, et non aliter, tenetur partem alteram eligere tutiorem; quod non eſt abſolutè, et ſimpliciter teneri, ſed per accidens, et ſecundùm quid, atque obligatione conſequente ad conſcientiam ſuam, à qua poteſt facilè ſolvi, ſi velit, huiuſmodi conſcientiam deponendo. Undè ipſe potiùs tunc ſe ligat conſcientia ſua, non nos illi obligationem imponimus, quaſi addubitatam legem augentes. Quemadmodum quid ſimile docet de perplexo D. Thomas *quodlib. 3. a. 27. ad 2.* vel potiùs de habente conſcientiam erroneè ſibi dictantem teneri ad aliquid faciendum,

quod eſt contra legem Dei, puta ad fornicandum; de quo dicit ſemper peccare, ſive faciat, ſive non: nec propterea eſſe ſimpliciter perplexum, ſed ſecundùm quid; quia poteſt (inquit) conſcientiam erroneam deponere.

Addo ad hæc quod ſi per hoc dicimur quodammodo leges augere, non erit id nobis ſpecialiter imputandum; cum hoc ipſum commune ſit ipſiſmet Probabiliſtis, & nobis. Nemo enim eſt, qui neget operantem cum conſcientia dubia peccare, niſi deponat illam; ac propterea quandiù quis in dubio manet de una parte, & eſt certus de altera, non poſſe partem illam eligere ſine culpa, ſed teneri ad alteram tutiorem. Idque ex regula illa iuris: in dubiis via tutior eſt eligenda.

Et licet de hac regula nonnulli dicant conſilium importare, non præceptum. Non propterea nobis adverſantur; quia non in eo ſenſu hoc dicunt, quaſi velint quod agens cum conſcientia dubia non peccet; aut quod perſiſtens in dubio non teneatur ad alteram partem tutiorem: nemo enim eorum hoc docuit; ſed dicunt conſilium eſſe, non præceptum, quia nolunt ita neceſſariò obligare ad tutiorem viam, ut nec poſſit, quis depoſito dubio, alteram minùs tutam eligere, & ſic à regula illa pro ſuo beneplacito declinare; nam ubi ſemel dubium deponitur, perfectionis eſt, & non neceſſitatis tutiorem partem eligere, ac per conſequens eſt conſilium. Cæterùm quandiù quis in dubio perſiſtit, non negant teneri ad partem alteram tutiorem, & alioquin peccare. In cuius ſignum eſt, quod varios deponendi dubii titulos quærunt, & aſſignant, puta vel titulum opinionis, aut rationis alicuius probabilis; vel poſſeſſionis propriæ libertatis, iuxta alteram regulam iuris: in dubiis melior eſt conditio poſſidentis.

Quos quidem titulos ſeu iura deponendi dubium, & tutò agendi atque inculpabiliter, ſemel illo depoſito, extra caſum erroris contra legem controverſam admittimus; quia nullo modo volumus jugum, & onus legis augere, & ad minimum quidpiam ſupra legem ipſam homines obligare, ut proteſtati ſumus. At in caſu erroris, & ignorantiæ contra legem, probare non poſſumus, ne ex adverſo contingat divinam legem aliquando diminui. Et in hoc ſolùm, & dumtaxat Probabiliſtis opponimur. Ipſi enim huiuſmodi titulos, & iura ſua ad omnem caſum extendunt cuiuſcumque etiam erroris, & ignorantiæ contra legem. Nos autem ſemper eidem diſtinctioni inſiſtimus, qua ſupra uſi ſumus; videlicet, quod ſi depoſitio dubii contingat ſine errore contra legem, ita ut pars, quæ poſtpoſito dubio, & ſine formidine eligitur, in ſe vera ſit, ideſt verè permiſſa ab ipſa lege, tunc agens manet utique tutus, ex quocumque titulo dubium ſuum deponat; quia ſic jam nec contra legem, nec contra conſcientiam agit: & peccatum non eſt, ut docet D. Thomas, niſi vel contra legem ſit, vel contra conſcientiam. Si verò depoſitio dubii fiat cum errore, ita ut pars quæ eligitur, contra legem ſit, non excuſatur agens a peccato contra legem, quantumvis non agat tunc contra conſcientiam, cum dubium ſuum depoſuerit ex aliquo huiuſmodi titulo. Et ratio huius eſt, quia nullus huiuſmodi titulus reddit ignorantiam legis omninò invincibilem, cum numquam poſſit deſtruere motivum ſufficiens prudenter dubitandi de contrarietate ad legem re vera exiſtentem, licet ignoratam; & tamen, ut dictum eſt, ſola invincibilis ignorantia, & nullus alius titulus præter ipſam, poteſt quempiam à peccato contra legem excuſare. Licet enim quilibet titulus, ex quo dubium deponitur, ſufficiat ad excuſandum a peccato contra conſcientiam, quia hæc qualitercumque deponatur, hoc ipſo quod deponitur, non perſiſtit, & ſic ceſſat intimare obligationem aliquam agenti, ex qua poterat ad peccatum obligari; Lex verò licet dubitata, vel ignorata non ceſſat obligare, niſi eius ignorantia, & error ſit prorsùs invincibilis, & inculpabilis; quod non contingit, etiam dubio depoſito vi alicuius ex præfatis titulis, ſed manet adhuc in ſe practicè vincibilis, & vincenda, ut ſupra dictum eſt, ob prudentialem formidinem, quam dicti tituli ſecum eſſentialiter afferunt de contrarietate ſui ad ipſam legem.

Et ſi quis replicet dicens, quod hanc eamdem prudentialem formidinem ſecum afferunt etiam extra caſum erroris. Cur igitur tunc formidine depoſita qualitercumque, agens non peccat, nequè enim imprudenter videtur deponere formidinem ſuam? Ad hoc dico iterùm, ut dixi, quia tunc nullus error eſt aut ignorantia legis; ac propterea non poteſt eſſe obligatio aliqua illam practicè vincendi; eſſet enim de ſubiecto non ſupponente, cum nulla tunc ſupponatur ignorantia alicuius veræ legis. Undè imprudentia illa in deponenda formidine non poteſt inducere peccatum contra legem, quia hæc non ſupponitur; neque contra conſcientiam, quia hæc deponitur, & ceſſat inſtare: ſed ad ſummum ponit quemdam defectum in agente circa modum procedendi in agendo, non autem circa actum quem agit, eo ferè modo, quo quis actum aliquem, etiam bonum, agit, illud tamen minùs accuratè conſiderando, quam oporteret; ex quo diceretur inconſideratè agere illum. Sed de hoc iterùm erit ſermo infra loco ſuo. Pro nunc autem ſemper id veriſſimum eſt, quod tituli illi pro formidine deponenda locum habere non poſſunt in caſu erroris, & ignorantiæ contra veram legem ob rationes aſſignatas; quia ſcilicet error contra legem manet adhuc vincibilis, & de facto vincendus, quandiù in promptu eſt, & offertur motivum ſufficiens dubitandi; nec poteſt niſi imprudenter, eo motivo in ſuo robore perſiſtente, dubium deponi, ut hactenùs viſum eſt.

Nec dici poteſt motivum illud prudenter dubitandi, quod offertur in opinione probabili

de contrarietate ad legem, infringi, & auferri ex illa ſaltem regula juris: in dubiis melior eſt conditio poſſidentis; quaſi quod etiam in dubiis emergentibus circa legem ſit uniuſcuiuſque libertas præferenda ipſi legi dubitatæ, ac propterea agens melioris conditionis ſit utpotè poſſidens libertatem, quam lex de qua dubitatur, præſertim ubi videtur poſſeſſio ſtare pro eius libertate contra legem, ut dicunt Probabiliſtæ; atque ideò quod ex regula ipſius Canonici iuris manuteneri debeat in poſſeſſione ſuæ libertatis contra legem, nec teneatur illi cedere, & libertate ſua privari eligendo tutiorem partem potiùs in favorem legis cum præiudicio propriæ libertatis, in cuius poſſeſſione ſupponitur. Non inquam hoc dici poteſt, tum primò quia regula illa iuris non habet locum in præſenti materia, ſed ſolùm in materia juſtitiæ, ut ſuo loco demonſtrabitur infra. Tum etiam ſecundo, quia gratis dato quod & hic quoque ſuum locum habere poſſit, nequit tamen habenti libertatem ſuffragari contra leges, ſi benè applicetur, ſed potiùs econtra ſuffragabitur legibus contra libertatem, quia numquam in hac materia ſupponi poteſt quod poſſeſſio ſtet pro libertate, & non potiùs pro legibus, cum pro iſtis ſemper ſtet quædam ſuperpoſſeſſio contra poſſeſſionem libertatis, ut ſuo loco latè, atque evidentiſſimè, contra Probabiliſtas erit infra demonſtrandum. Et ſimul aperietur magna æquivocatio quam illi committunt in voce libertatis, quatenus in ea promiſcuè accipiunt, & confundunt libertatem phiſicam, quam quiſquis homo ex natura ſua ſemper certò poſſidet, non obſtante quacumque lege in oppoſitum; & libertatem moralem, quam nemo certò poſſidet; niſi ſit certò & re vera in ſe ab omni lege ſolutus. Quæ quidem magna æquivocatio in causâ fuit deceptionis eorum in hac parte.

Quare ex huc uſque dictis clarè colligitur nullatenus poſſe homines prudenter non dubitare, dum probabilitatibus ſuis innixi cum tanta fiducia procedunt ad operationes ſuas, & ſimiliter nec poſſe prudenter dubium deponere de contrarietate earum ad leges, quemadmodum exigeretur, ut poſſet error, & ignorantia eorum, ubicumque eis contingeret, dici & eſſe ſimpliciter, & abſolutè invincibilis atque inculpabilis. quia ſemper eis in promptu eſt, & offertur motivum ſufficiens prudenter de huiuſmodi contrarietate ad legem dubitandi, ipſamet ipſorum probabilitate illud offerente ex qua parte habet importare iudicium ſuum per ſe, & eſſentialiter formidoloſum, & incertum, & prudenter utique tale, ita ut nedùm iudicium, ſed & ipſamet ipſius formidoloſitas ipſi eſſentialiter annexa per modum alicuius complexi; vel clarius, ipſummet formidoloſum iudicium, & incertum, qua eſſentialiter tale, & ut contradiſtinctum atque ſpecie diverſum ab omni alio iudicio certo, & infallibili, prudens dicatur, & non aliter; quia eius ratio gravis & prudens cui innititur, & ex qua infertur, non eſt prudens, & gravis ad iudicandum certò, & infallibiliter, quod iudicatur; ſed ad iudicandum cum formidine, & incertitudine ſuæ obiectivæ veritatis, & non aliter. Id quod verificatur in quacumque probabilitate ſive ſpeculativa, ſive practica; ſive directa, ſive etiam reflexa, ut latè infra demonſtrabitur. Ac propterea nullo modo à iudicio opinionis probabilis præſcindi poteſt eius formidoloſitas, & ſi hæc ab illo præſcindatur totaliter deſtruetur; eritque loco eius iudicium aliud eſſentialiter, & ſpecie diverſum, videlicet temerarium, quia ſublata & remota ab eo formidoloſitate, & incertitudine, evadet huiuſmodi ſic præſcindenti ut certum, & infallibile ſine principio ſeu fundamento ſufficiente ad eius infallibilitatem, & certitudinem, ac per conſequens evadet ipſi procul dubio temerarium, & imprudens. Ex quo evidentiſſimè infertur non poſſe homines de illo prudenter non dubitare ex vi eiuſdem motivi, & principii undè procedit, ac per conſequens nec poſſe eius eſſentialem formidinem, & dubietatem prudenter deponere, eo quod ſemper affert ſecum, & indiſpenſabiliter motivum ſufficiens prudenter dubitandi, & formidandi de oppoſito. Nec poteſt dictum motivum ab aliquo reiici via alicuius principii extrinſeci ſeu reflexi, ut credunt Probabiliſtæ, quia ut dictum eſt, & latiùs infra demonſtrabitur, nulla huiuſmodi reflexio ad hoc valebit, ſive ſit ſuper ipſâ probabilitate ut ſic, ſive ſuper poſſeſſione libertatis agentis in dubio legis conſtituti, vel alia ſimili.

Ex quibus omnibus habes tandem, lector quò totum hoc opus collimet. Collimat profectò non ad evertendam totam probabilitatem, vel ad eius uſum quaſi per ſe, & ſemper, illicitum condemnandum. Non enim nos ſtatim de peccato iudicamus eos, qui opinione probabili utuntur etiam ſtante pro commodo, & libertate, relicta oppoſita, quæ favet legi, etiam probabiliori. Imò conſtantiſſimè docemus cum D. Thoma infra ad literam adducendo, numquam homines peccare, quamcumque ſibi eligant & ſequantur opinionem, ſi in illa abſque ulla formidine practica quieſcentes, vel veriùs ex illa pro licito accipientes, id quod licitum ab ea iudicatur, depoſita qualitercumque illius iudicii formidine, operantur actus ſuos, niſi re vera ea ſit in ſe contra legem non invincibiliter ignoratam. Undè nec eò collimat, ut invincibilem ignorantiam univerſaliter negemus; aut, quod peius eſt, ut inficiemur, quod excuſet ubi illa reperitur: Imò eam ſæpè ſæpius dari ſupponimus; & ſolam poſſe, ubi reperitur, à peccato totaliter excuſare unicè docemus. Inficiamur autem illam in opinione probabili reperiri, aut tam facilè, & univerſaliter contingere, prout exiſtimant Recentiores. Ac propterea malè adverſus nos conqueruntur Probabiliſtæ, quaſi velimus penitùs uſum opinionum probabilium ſemper & ubique criminis redarguere, & de ignorantia etiam invincibili homines culpare; ſubindeque ſagum illis imponere, & onus importabile; eoſque ad plus cogere, & obligare, dum jura illa ſuæ probabilitatis practicæ impugnamus, quam lex ipſa eos cogat, & liget. Ideò

Digitized by Google

Impugnamus profectò nos ea iura, quia nulla, quia falſa, & adverſus ſacras Dei leges ſunt; dum indè prætendunt homines contra illas ſe tueri, quaſi poſsint vigore eorum facilè illarum iugum à ſe excutere, ſeque ab omni ſibi debita ſubiectione ſubtrahere, & ſic liberè, atque inculpatè ea agere, quæ illæ prohibent, & execrantur. Cæterùm nos ea impugnando, nullum ſuperimponimus onus, aut novum iugum hominibus præter id, quod ex legibus ipſis ſupponimus; nec eos de peccato arguimus, ubi non redarguit lex. Volumus namque nullatenùs homines peccare, etiam quamcumque opinionem probabilem ſequendo, quandiù per eam legibus re vera non contradicunt: At ſi ſuis probabilitatibus innixi contra leges operantur, prætextu illorum iurium, quibus ſe tueri prætendunt, excuſari poſse negamus: nullum enim titulum, vel ius agnoſcimus, quo poſsint homines à legibus excuſari, præter quam in caſu invincibilis ignorantiæ. Hanc autem in probabilitate per ſe involutam eſse non probamus, ſed contendimus oppoſitum; & in hoc Probabiliſtis adverſamur, qui prætextu practicæ probabilitatis prætendunt homines ſi contra leges agant errando, invincibiliter errare; & ex vi iurium illius manere cum conſcientia virgine, & incontaminata, ac ſi leges in oppoſitum non eſsent, quod nos admittere non poſsumus.

Itaque ſequelam, & uſum probabilium admittimus, ubi lex in oppoſitum re vera non reſiſtit; ubi verò hæc reſiſtit, negamus: quia probabilitas non tollit culpam, ubi re vera eſt tranſgreſsio legis; nec ab ea excuſat, niſi ſecum afferat ignorantiam invincibilem; ſed eam per ſe ſecum afferre nos negamus; & meritò, ut infra conſtabit ex rationibus adducendis. Aliud ergo eſt dicere, quod ubi nos lex re vera ligat, ibi non prodeſt nobis probabilitas, ut id, quod lex vetat, inculpatè agamus: & aliud, quod uſus opinionum probabilium ſit per ſe ſemper, & ubique illicitus, aut quod nos obliget ad peccatum, ita ut hoc ipſo quod illis utimur, de facto peccemus, etiam ubi ex lege re vera nullum peccatum eſt. Nos autem primum veriſsimum eſse contra Probabiliſtas, imò etiam contra Probabilioriſtas contendimus. At ſecundum reiicimus tamquam falſum cum Probabiliſtis omnibus. Uno verbo, id quod prætendimus eſt, ita practicæ probabilitati iura illa denegare, quæ ei Probabiliſtæ attribuunt, ſolvendi à culpa, ubi lex ad culpam re vera ligat; ſicut ipſi ei denegant ius ligandi ad culpam quaſi contra legem, ubi lex ad culpam re vera non ligat. Cur enim ipſi tam amplam tribuunt practicæ probabilitati ſtanti pro commodo, & libertate facultatem ſolvendi à culpa contra legem, cum hæc re vera actum prohibet: & probabilitati practicæ ſtanti pro lege denegant vim ligandi, ubi lex re vera non ligat; imò quod plus eſt, etiam ubi re vera lex obligat? Nonne verum eſt utrobique, quod ipſi de probabilitate docent univerſaliter, quod importat iudicium prudens? qua ergo fronte poſſunt aſſerere, quod iudicium prudens de licito licitum reddat; & iudicium prudens de illicito vim faciendi illicitum non habeat? poteſt illud reddere licitum, quod in ſe licitum non eſt ſecundum legem; & iſtud nec id, quod eſt in ſe, & ſecundum legem illicitum, reddere poteſt illicitum agenti, & ad culpam imputabile? certè cui ius ſolvendi tribuitur, ius ligandi denegari non debet; & maximè ubi una eademque omninò eſt ratio utrumque ius fundandi. Quis autem neget quod ratio prudentiæ in iudicio opinionis probabilis reperta, ut Probabiliſtæ docent, una eademque omninò ſit ſufficiens ratio fundandi, ſicut ius ſolvendi à culpa contra legem, in actu, qui iudicatur licitus; ita & ligandi ad culpam, ubi conſimili prudenti iudicio idem actus iudicatur illicitus, & contra legem, & maximè, ſi in ſe re vera talis ſit? Cur igitur ipſi hoc ſecundum probabilitati denegant, & concedunt primum? ſi primum fundant in prudentia iudicii de licito, cur & ſecundum in eadem iudicii prudentia non fundant? & tamen certiſſimum eſt, quod prudentia ſic eſt recta ratio agendorum, ſicut & non agendorum, ut videbimus infra ex Auguſtino. Quod ſi per ipſos iudicium prudens opinionis nequit hoc ſecundum fundare, nec poterit primum per nos. Et hoc eſt quod nos docemus, videlicet neutrum ius fundari legitimè poſſe in illo prudenti iudicio, quod dicunt, opinionis probabilis, nec ſolvendi à culpa contra legem, neque ad culpam ligandi; niſi ubi verè lex ſolvit, aut ligat. Atque ideò non plus homines oneramus, quam in quo eos onerat lex; niſi ipſimet ſe magis onerent ex propria conſcientia: nec eis iugum legis diminuimus, niſi in quo eos invincibilis ignorantia excuſat, quam tamen in probabilitate contingere negamus. Et hæc eſt tota doctrina, quam in hoc opere demonſtrare intendimus, eaque veriſſima eſt, & ex D. Thoma fideliſſimè deprompta *ex quodlib.8.a.*13. quam in ſua integritate ſicut à S. Doctore accepimus, conſtantiſſimè propugnamus.

Et ratio fundamentalis totius huiuſmodi doctrinæ ex D. Thoma *loc. cit.* & alibi eſt, quia homo dupliciter obligatur ad peccatum; vel ſcilicet ex conſcientia, vel ex lege: Ita ut ſi contra unam, vel alteram agat, ſemper peccet; niſi error contra legem, ubi lex eſt in oppoſitum, contingat ex invicibili ignorantia: vel ubi lex in oppoſitum non eſt, error aut dubietas conſcientiæ deponatur. Ex quo infertur, quod qui ex opinione probabili aliquid agit, cum id non contra conſcientiam, ſed potiùs iuxta illam agat; ſi aliàs neque contra legem eſt; quia fortè opinio, quam ſequitur, eſt vera; nullo modo peccat ſequendo illam: ſi verò contra legem agit, quia fortè opinio, quam ſequitur, eſt in ſe falſa; non excuſatur prætextu ſuæ opinionis probabilis; quia in probabilitate, vel etiam probabilioritate in ſe falſa, & contra legem, non eſt per ſe involuta ignorantia invincibilis, ut credunt Probabiliſtæ; ac propterea falſa ſunt iura illa, quæ indè attribuunt practicæ probabilitati.

Quam

Digitized by Google

Quam utique doctrinam, ubi ſemel integrè demonſtratam, lector, inſpexeris, non dubito in promptu tibi fore modum diſcernendi ignorantiam verè invincibilem à vincibili, ubicumque una, vel altera tibi accidere queat. Atque indè veram Ideam habebis pro recta conſcientia tibi formanda, cui tutò confidere poſsis, ut juxta illam agendo, vel numquam aberres à lege: vel ſi quis tibi contingat error, ſit tibi certò invincibilis, atque ideò non pecces. Et tunc quidem verè tibi jura illa comparabis; non tamen ex vi probabilitatis; ſed ex vi invincibilis ignorantiæ; vel veriùs ex vi virtutis prudentiæ, quæ procul dubio, vel non aberrat à veritate legis; vel ſi quandoque ab illa deficit, id ei non accidit, niſi in caſu invincibilis ignorantiæ. Et tunc quidem ipſa jura ſua conſervat, & tibi procul dubio proderunt in interiori foro coram ſupremo illo Judice veritatis omnia proſpiciente ante omnem allegationem tuam.

Et ſi adhuc rogites: Undè mihi erit invincibilis ignorantia certò habenda, ſi non ex probabilitate, vel ſaltem ex probabilioritate opinionum? Reſpondeo id ſatis ex huc uſque dictis conſtare. Quod ſi adhuc non ad ſufficientiam intellexiſti, iterùm & breviùs repetam, tunc tibi contingere ignorantiam verè invincibilem ſive juris, ſive facti; quando ſic prudenter te geris in veritate legis inquirenda, ut debitum ſtudium pro ea invenienda, poſtpoſita omni paſsione adhibeas, & per te non ſtet, quod illam non invenias; & ulteriùs ſi in hujuſmodi diligenti inquiſitione ſufficiens motivum tibi offertur prudenter dubitandi, de lege vel de facto, quod es acturus, debitam cautionem adhibeas, ut legis, vel facti periculum vites pro quanto in te eſt: Aut ſi hujuſmodi ſufficiens motivum prudenter dubitandi non habetur, procedas ad operationem tuam, tamquam jam tibi licitam ex præmiſſa hujuſmodi diligentia judicatam. Tunc enim ſi fortè error, & ignorantia contingat, erit tibi omninò invincibilis, & inculpabilis. Cæterum ſi vel negligas per debitum ſtudium veritatem inquirere; vel propria paſsione detentus, & obcæcatus ſis tibi in cauſa, quod à veritate devies; vel denique invenias ſufficiens motivum prudenter dubitandi de illicito, & periculum peccati negligas practicè per debitam cautionem vitare, ideſt per electionem tutioris partis; atque ideò inde tibi contingat aliquid agere contra legem errando; error tunc & ignorantia non erit invincibilis, & inculpabilis, nec poteris à peccato excuſari, quia per te ſtetit, & ex cauſa tibi voluntaria, quod ignorantiam non viceris, vel ſpeculativè & per agnitionem veritatis; vel ſaltem practicè, & per debitam cautionem periculi prudenter dubitati.

Et ratio hujus eſt, quia error, & ignorantia dupliciter vinci poteſt, videlicet, vel per ſcientiam, & ſpeculativè; vel per cautionem, ſeu practicè. Ergo ab oppoſito, tunc vinci non poteſt, & dici debet invincibilis; quando lex nec ſpeculativè ſciri poteſt; nec practicè ejus periculum præcaveri, eo quod non apparet, ut prudenter timeri debeat; tunc enim ejus periculum prudenter timeri debet, & præcaveri, quando prudenter dubitatur ſi lex prohibeat, vel permittat actum, quem quis eſt acturus. Et ideò in probabilitate, vel etiam in probabilioritate, ſi ignorantia, & error legis in ea contingat, non eſt invincibilis, & inculpabilis; quia ſit in ea ſemper & eſſentialiter reperitur prudens formido partis oppoſitæ ſtantis atque proclamantis pro lege, quæ ſi non poteſt vinci per ſcientiam, debet practicè vinci per cautionem, & evitationem periculi eligendo tutiorem partem. Ubi autem nec lex, nec ejus periculum apparet prudenter timendum; ibi ſi ignorantia, & error contingat, procul dubio erit invincibilis omninò, & inculpabilis; & tunc agens operando dicitur verè bona fide agere, quod agit, & excuſatur totaliter à culpa, etiam ſi re vera aliquid contra legem agat.

Hanc igitur Doctrinam intendimus in hoc opere per totum ſuadere, ad quam oportet per tres tractatus pervenire; quorum primus erit de conſcientia. Alter de ignorantia vincibili, & invincibili; ſive juris, ſive facti. Et tertius de probabiliſmo.

Ubi comperies, ſi benè omnia conſideres lector, nos per hanc doctrinam in hac materia media via incedere; & extrema, quæ ferè ſemper ſunt vitioſa, derelinquere. Nam nec abſolutè cum Probabiliſtis uſum probabilium admittimus, quaſi ſemper licitum, & inculpabilem; nec abſolutè damnamus cum aliis, quaſi ſemper quis peccet ſequendo opinionem etiam minùs probabilem ſtantem pro commodo, & libertate, relicta oppoſita ſtante pro lege, etiam probabiliore. Sed volumus uſum probabilium vario modo ſe habere, nunc ſcilicet culpabiliter, nunc inculpabiliter, ſecundùm quod nimirùm contingit eſſe ſine, vel cum errore contra legem; eoque vincibili, vel invincibili: poteſt enim his omnibus modis accidere; & debet pro hujuſmodi varietate variè determinari; ut ex D. Thomæ doctrina inſinuatum uſque modo eſt, & fuſiùs infra manifeſtabitur. Similiter nec onus legis, & jugum ejus augemus, quaſi ſic velimus homines in probabilibus obligare ad tutiorem partem, ut ſemper peccet partem alteram eligendo, ut videntur nonnulli aſſerere; ſic enim facilè contingeret obligari homines ad id, ad quod re vera eos non obligat lex, quia pars tutior multoties ſub lege non cadit: neque illud minuimus, quaſi ſic velimus homines à tutiore parte deobligare, ut numquam peccent minùs tutam opinionem eligendo, ut volunt Probabiliſtæ; ſic enim eveniret, quod in magna parte jugum legis à ſe homines excuterent, & ſibi illud diminuerent; quia pars minùs tuta multoties verè vetatur à lege. Et denique neque ita volumus legem ab hominibus ſervandam in integritate ſua materiali, ita ut ſi quid contra il-

lam

lum fiat ex errore etiam invincibili, non excuſentur, ut volunt Janſeniſtæ; quaſi quod teneantur homines de eo, quod lege prohibetur aut permittitur, veritatem attingere ſecundum certitudinem infallibilem, & ut dicunt, mathematicam, quod multoties impoſſibile eſt, & onus importabile, atque humanas vires excedens; ſed contenti ſumus de morali certitudine, quæ interdùm eſt cum falſitate, & errore contra legem licet invincibili; atque ideò admittimus multoties invincibilem ignorantiam, & per eam fatemur homines excuſari, & tunc ſervari dicimus legem integre formaliter, licet non materialiter, quo pacto non excedit humanas vires, & modum procedendi humanum, ut faciliter ſcilicet, & ſuaviter onus legis feratur, pro quanto fallibilis humana cognitio apta nata eſt illam attingere; & non plus; ita ut vel in hoc ipſo, quod tenetur homo de veritate legis diligenter inquirere pro modulo ſuæ capacitatis, verificetur dictum illud Evangelicum de divina lege, ſcilicet: jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.

Ut quid ergo nos rigiditatis redarguunt Probabiliſtæ? Ut quid laqueatores animarum appellant? Quid rigoris habet doctrina, quæ nihil aliud ſervandum docet, niſi quod ſervari re vera lex præcipit? imò aliquandò minùs, numquam plus; quia ex eo excipit, quod invincibiliter ignoratur; neque ad ſcientiam hujus habendam obligat; ſi, & ubi nequit moraliter haberi per congruam inquiſitionem, nec prudenter dubitari. An fortè rigorem ſapere dicenda eſt, eo quod doceat obligari homines ad id ſervandum, de quo ſibi ſufficiens motivum offertur prudenter dubitandi? Sed hoc dici non poteſt, quia neque hoc abſolutè docet; ſed in caſu, quo ſcilicet vel agens dubium non deponit; & tunc non noſtra quidem tantùm doctrina eſt, ſed communis, & ipſorum quoque Probabiliſtarum nobiſcum hujuſmodi obligationem affirmantium utpotè ortam ex conſcientia ipſa, eamque extendentium etiam ad id, quod lex fortè re vera & in ſe nullatenùs ſervari præcipit. Vel ſi agens dubium deponit, errat in lege, utpotè quia hæc re vera id præcipit, & tunc quidem ſpecialis doctrina noſtra eſt contra Probabiliſtas, quod agens nullatenùs excuſatur prætextu ſuæ probabilitatis, vel alterius tituli, ex quo dubium deponit, quod alias ex ſufficienti motivo ſupponitur prudenter habitum, quia tunc error ille, ut diximus non eſt omninò invincibilis, cum poſſit & debeat vinci practicè per electionem tutioris partis, quam ſcilicet tunc re vera lex præcipit, pro qua etiam diximus prudens illud dubium proclamare, atque inde obligationem hujuſmodi in agente ſuboriri conſecutivè ad legem ipſam id præcipientem. At ſi in hoc doctrina noſtra rigorem aliquem ſapit, ille procul dubio ipſius legis rigor eſt potiùs, quam doctrinæ noſtræ; nos enim ex quo præcisè id lex verè præcipit, obligamus, & non aliter; ſed de noſtro tantùm ſuperaddimus non poſſe homines à lege id verè præcipiente & obligante, prætextu invincibilis ignorantiæ excuſari, quatenùs hanc dicimus non eſſe in eo caſu verè invincibilem; ex quo procul dubio redit rigor legis, quem ſupponimus, non autem imponimus. Ubi ergo eſt rigiditas noſtra? Ubi onus importabile? certè nullum, niſi onus ipſum legis velint ſibi importabile judicare; quod procul dubio ipſimet legi ſatis injurioſum eſt, & contra id, quod de lege dictum intelligitur: jugum meum ſuave, & onus meum leve.

Et inde tandem (quod pejus eſt) Janſeniſtas nos eſſe dicunt, quaſi cum illis invincibilem ignorantiam minimè excuſare dicamus? Cum tamen nos expreſſiſſimis, & rotundis verbis doceamus oppoſitum; imò unicè de ea dicamus, quod totaliter à peccato excuſet, ubi agens cum illa, & ex illa ſimpliciter operatur. ſolùm tamen negamus contra Probabiliſtas eam in quacumque opinione probabili reperiri ob rationes ſuperiùs attactas, & fuſiùs infra diſcutiendas. Profectò niſi Janſenianum appellent ipſum Eccleſiæ lumen & Doctorem, Angelicum, inquam, præceptorem D. Thomam, hanc eamdem doctrinam luculentiſſime nobis ſuis Diſcipulis propinantem; nec nos poterunt Janſeniani erroris, ſine contradictione damnare. Diſcant ergo modeſtiùs, atque correctiùs loqui, & ab injuriis, & cenſuris abſtineant præſertim ſuper quibus cadere non poſſunt.

Scio utique eos contra nos conqueri, eo quod ipſos interdùm laxatores legum, dicamus. Sed ſi in hoc offendimus, volumus ipſos contra nos Judices eſſe. Dicant, & exponant nobis, quid ſit laxare leges? Et reſponſo dato, indè ſententiam proferant contra nos. Nonne vel ipſi Pontifices Summi, dùm legitima, ac pleniſſima poteſtate, ſibi divinitùs tradita, ſuper obſervantia quarumdam legum cum privatis quibuſdam perſonis diſpenſant, dicuntur eas laxare? Quid enim eſt diſpenſatio legis, niſi quædam ejus relaxatio, & vulneratio legis, ut communiter loquuntur Doctores? Et hoc ipſum quid aliud eſt, niſi ſpeciale privilegium concedere alicui, ut communi legi in ea parte non teneatur; nec peccet tale quid, alias lege vetitum, agendo? Si ergo Probabiliſtæ privilegiis atque juribus, ut dicunt, practicæ probabilitatis, docent operantes ex opinione probabili liberos eſſe à lege, etiam ſi re vera lex vetet id, quod ipſi operantur, nec peccare; cur non erit ipſorum doctrina dicenda relaxativa legis? Diſpenſatio pontificia privilegium quoddam eſt, & jus ſpeciale alicui conceſſum contra legem communem; & dicitur legis relaxatio: & privilegia ac jura probabilitatis practicæ ab ipſis publicata, & conceſſa contra leges communes, ut accidit quando quis re vera à legibus aberrat in probabilitatibus ſuis, non erunt congruè dicenda relaxatio legum? Jam verò publicè ipſimet fatentur, ac promulgant, atque ſua doctrina concedunt hujuſmodi jura omnibus, & quibuſcumque hujuſmodi practica probabilitate liberè utentibus. In quo ergo eos offendimus?

Et

Et ſi replicent: in eo quod dicamus, quod huiuſmodi eorum relaxatio legitima non ſit, eamque reiiciamus; Verum utique dicunt, ſed minùs juſtè de hoc ipſo conqueruntur, donec eam ipſi re vera legitimam oſtendant. Pontificia quidem, legitima eſt, quia ex plenaria procedit facultate, quam Chriſtus Dominus tradidit Vicariis ſuis, cum oportuerit, ligandi, atque ſolvendi, ac per conſequens diſpenſandi, ſeu relaxandi, & declarandi leges, & cum infallibilitate. Dicant autem ipſi, à quo quid ſimile facultatis habuerint, & fatebimur ipſorum quoque relaxationem ex vi jurium ſuæ probabilitatis practicæ fore legitimam.

Quod ſi ad doctrinam, & peritiam legum recurrant, quæ ad Viros Doctos ex proprio munere ſpectat, atque ideò eſſe ſibi dicant facultatem legitimam, nimirùm doctrinalem. Optimè dicunt. At huiuſmodi facultatis munus non eſt contra leges determinare, aut eas in aliquo, vel minimo, diminuere; ſed illas potiùs in ſua integritate ſecundùm intrinſecam ipſarum veritatem aliis manifeſtare, eoſque docere; ſi tamen verè earum peritiam, & doctrinam in ſeipſis priùs fuerint aſſecuti. At quid ubi erraverint? Quo ſale ſapientiæ ſuæ poterunt ampliùs aliorum mentes condire? Et tamen proprium Evangelici ſalis munus, quo Eccleſiæ Doctorum ſapientia procul dubio adumbratur, non aliud eſt, niſi Animas omnium, fide, moribuſque imbuere ſecundùm veritatis agnitionem. Ubi verò hæc defecerit, in quo Doctoris munus aſſument? Numquid in probabilitate? Sed hæc ubi contra legem erraverit, ibi procul dubio evanuiſſe dicenda eſt: *Et Matth.* 5. dicitur: Si ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Undè ergo, & qua facultate opinationibus ſuis etiam in caſu erroris jura illa adſciſcunt, quibus in magna parte leges obtruncant, atque diminuunt in præceptis ſuis?

Non ſic autem nos in doctrina noſtra, qui nec plus, nec minus, quàm in ſe re vera lex obliget, intendimus homines obligare. Quandoquidem integritati legum conſulimus, ut in ſua integritate ſerventur, et nihil earum prætextu jurium probabilitatis prætereatur, quæ in ſeipſis omninò, & abſolutè vana eſſe contendimus.

Quod ſi & nos titulo invincibilis ignorantiæ, quam utique cum D. Thoma, omnibuſque aliis communiter admittimus, de earum integritate videamur adhùc quidpiam minuere: hoc ipſum non in ſola facultate doctrinæ noſtræ, quantumvis in hac parte evidentiſſimæ, fundamus; ſed magis in ipſa doctrina fidei, & Sacroſanctis Eccleſiæ definitionibus pro invincibili ignorantia expreſsè, ac ſpecialiter aſſiſtentibus. Quæ omnia ad ſatietatem per totum opus demonſtranda promittimus. Utinam non in hoc ipſo, quod quidem valde timeo, nonnullis me diſplicere contingat; ſcio enim multos compendia potiùs affectare, & in re morali præcipuè, reſolutiones caſuum velle curſim, breviter, clarè, & ut plurimùm benignè expeditas; quibus fortaſſis inutilis, aut ſuperfluus videbitur labor iſte, eo quod totus ſit, non ad deciſiones caſuum in ſpeciali, ſed ad unius tantùm quæſtionis diſcuſſionem impenſus, quæ hactenùs creditur ante me à tot Doctiſſimis Viris, & Recentioribus Probabiliſtis pleniſſimè diſcuſſa, ſicut & eorum omnium calculo pars quoque benignior legitimè hac noſtrâ tempeſtate ſancita. Utinam falſa hæc imaginatio non plures retrahat ab uſu huius noſtri operis; illudque evoluere non pigeat, id quod potiſſimum vereor de illis, qui in diſciplina ſcholaſticâ non ſunt verſati, nec queſtionibus, aut implexis problematibus aſſueti. Huiuſmodi enim conditionis homines optant in omni materiâ ſine controverſia edoceri, cupiuntque in omnibus docti fieri per compendia, ut ſic veluti in pugillo, quæcumque ſcire deſiderant, facilè recluſa poſſideant. Hinc facillimè contemnunt volumina evolvere, ſi ea præſertim videant ad unam, vel alteram quæſtionem tantummodò deſtinata; imò ea legere apprehendunt ſibi fore quamdam ſpeciem torturæ, & crucem intolerabilem.

Sciant autem cuncti in hoc ſe valdè decipi; nihil enim in totâ morali Theologiâ, & maximè hac noſtrâ tempeſtate, magis utile, imò & magis neceſſarium eſt, quàm huic doctrinæ attendere, & totis viribus de hac tàm celebri quæſtione radicitùs deciſionem perquirere, quæ proindè merito à nonullis Salis Theologiæ moralis appellatur. Niſi enim huic doctrinæ priùs accuratiſſimo ſtudio operam dederint homines, & ſuper illâ ædificaverint reſolutiones ſuas in materiis ſingulis ad conſcientiam quoquo modo ſpectantibus, vanus omninò erit, inutilis, & fortè pernicioſus ipſorum labor in evolendis Caſuiſtarum libris, ſive eorum compendiis cum ſingulis expeditis deciſionibus ſuis. Et multo quidem pernicioſior eiſdem erit communis illa deciſio tàm expeditè, atque benignè, ibidem fortaſsè reperta, de hac eadem quæſtione apud illos iam ſtabilita in favorem libertatis, atque ideò ab omnibus adeò univerſaliter recepta, & commendata; quandoquidem blanda illa ſecuritas Recentiorum, & facilis illa, atque expedita methodus eorum, niſi res in ſeipſa ita ſe habeat, quid prodeſt? Veritati oportet in re tam neceſſariâ ad ſalutem inſiſtere, & non facilitati, aut benignitati ſolis auribus tinnienti penès vocem, ſi, quod abſit, in re deficiat, atque indè decipiat. Ut quid ergo multi pura compendia quærunt, ut in parvo ſtringant omnia, & quaſi univerſa poſſidentes, ſe breviter, atque facile divites credunt, & omni ſcientiâ pollentes; ſi poſt deglutita illa compendia, quæ tàm facilè, & iucundè percurrunt, contingat errare, & ventum, aut aerem tam vanè ſtrinxiſſe reperiantur?

Pro-

Profectò credant mihi, non compendiis fidant homines, ſi nolint ſe invenire deceptos; non blandis ſententiis, eo quod ſibi placeant, capi ſinant, ſed eas priùs toto conatu curent examinare; vel eos, qui diffusè eas expendunt, libenter audire, eorumque volumina evolvere; laboribus non parcant, ſi velint fructum boni operis, ut ſupponitur, guſtare; alioquin oleum, & operam perdent in illo etiam ſuo tenuiſſimo labore pro legendis quibuſdam compendiis aſſumpto; etenim ieiuni tandem manebunt, & vacui, ſicut antea. Quandoquidem niſi priùs aliundè edocti fuerint dignoſcere vera ne ſint, an falſa; & an periculoſa, vel tuta, quæ ibi quaſi ſolida dogmata definita conſpexere; ita ut ipſimet oculis propriis videant, & iudicent de intereſſe ſuo, qua ſcientiâ poterunt dici veraciter pollere? aut quâ ſaltem fide ſibi infallibili, atque certâ muniri, ut non ſe inveniant deceptos tandem in promiſſionibus ſuis? Fides illa, cui credunt ſe tam firmiter, humana eſt, fallibilis, & tota periculis plena, in quæ qui ſemel inciderit, quis eum indè liberabit? Ne deſpiciant igitur homines noſtri temporis hos labores noſtros, quos ad ipſorum utilitatem aſſumpſi, agnoſcant obſequium meum ſibi utique officioſum, ni dicam omninò neceſſarium, legant igitur ex corde, & affectuosè volumen iſtud, vel ſaltem patienter, & tunc iudicent à ſemetipſis de veritate.

IDEÆ
JURIUM INTERIORIS FORI
PARS PRIMA
DE CONSCIENTIA.

CVm præcipua noſtræ hujus lucubrationis intentio, eò unicè collimet, ut quiſquis indè ſciat benè ſibi efformare Conſcientiam ſuam, & juxta illam actus ſuos regere, & moderari, prout eos decet, qui volunt per rectas ſemitas ambulare (Eſt namque Conſcientia proxima quædam, & immediata regula, ſingularis, & interna, uniuſcujuſque particularis Agentis in genere moris) jure optimo in hac prima Parte ſpecialem de ipſa Tractatum inſtituimus; Multùm enim refert ante omnia ejus naturam, & quidditatem exponere; quemadmodùm & partes ejus, ſeu ſpecies, in quas dividi ſolet, aſſignare; & tandèm proprietates, ſeù effectus, pro quanto Opus fuerit ad rem noſtram tradere, quæ proindè per capita ſubſequentia ventilabimus.

CAPUT PRIMUM

De Natura, & quidditate Conſcientiæ.

§. I.
Quid ſit Conſcientia.

1 COnſcientia eſt judicium, ſeù dictamen intellectus practici ex principiis ſynderesis procedens, dictans unicuique agenti quid hic & nunc ſit, vel non ſit ſibi moraliter agendum; vel quid ab ipſo moraliter actum fuerit, hoc eſt bonum, aut malum; vel licitum, aut illicitum. Ita colligitur ex D. Thoma 1. *p. q. 79. a.* 13. & alibi.

2 Ex quo colligitur, quod conſcientia non eſt aliqua potentia, neque habitus; ſed actus quidam intellectus practici, quod ibidem probat D. Thomas tùm ex ipſa nominis ethimologia; tum ex his, quæ communiter conſcientiæ attribui ſolent. Ex ethimologia quidem nominis: quia conſcientia idem ſonat, quod cum alio ſcientia. Undè non importat ſcientiam ſeù cognitionem tantùm, ſed aliquid aliud cum illa; importat enim ordinationem ejus ad opus. Conſtat autem, quod ordinatio ſeù applicatio ſcientiæ ad opus aliquod agendum fit per aliquem actum intellectus practici actualiter ordinantis, ſeu dirigentis, ac regulantis opus illud, quod eſt agendum. Qui quidem actus ju-

dicium quoddam eſt, ſeu dictamen, quo intellectus practicè judicat, & dictat interiùs quid ſit, vel non ſit moraliter agendum, & ſic judicando unumquemque dirigit, & regulat, oſtendendo, & indicando ei quale ſit opus ejus hic & nunc, agendum ſcilicet, vel non agendum; ſeu, quod idem eſt, bonum, vel malum; ſeu licitum, vel illicitum.

3 Similiter hoc ipſum probat D. Thomas ibidem ex his, quæ communiter conſcientiæ attribuuntur. Conſcientiæ enim hæc munera tribui ſolent; videlicet: Teſtificari, ligare, vel inſtigare; vel etiam accuſare ſeu remordere; & reprehendere, vel excuſare. Quæ omnia conſequuntur ad applicationem illam ſeù uſum ſciẽtiæ ad opus, quatenùs procedimus ad ea judicanda in ſingulari, quæ agimus, vel egimus. Per hoc enim, quod intellectus in nobis ſic recognoſcit, & judicat aliquid in ſingulari in genere moris nos feciſſe, vel non feciſſe, ſivè bonum ſivè malum; dicitur conſcientia teſtificari. Et per hoc, quod judicat nobis aliquid eſſe, vel non eſſe hic, & nunc faciendum; dicitur conſcientia ligare; vel inſtigare. Et per hoc denique, quod judicat fuiſſe à nobis aliquid benè, vel non benè factum; dicitur excuſare, vel accuſare, ſeù remordere. Cum igitur hæc omnia ad illius judicii actum de aliquo opere ſingulari per dictam applicationem ſcientiæ, conſequantur, liquidum eſt, quod in hujuſmodi actu judicii intellectus practici conſcientia propriè conſiſtat; & in eo de facto fit applicatio illa ſcientiæ, de qua nomen conſcientiæ exponit D. Thomas.

4 Illud tamen hic eſt advertendum, quod cum dicitur conſcientia importare applicationem ſcientiæ ad opus aliquod hic, & nunc in genere moris judicandum; nomine ſcientiæ non venit ſola cognitio ſcientifica, ſed quæcumque alia cognitio prævia, qua utitur intellectus ad judicium illud practicum faciendum, quod conſcientiam appellamus.

5 Et ſimiliter cum in definitione conſcientiæ diximus, eſſe judicium intellectus practici ex principiis ſynderesis procedens. Non intendimus dicere, quod immediatè procedat ex illis, quaſi ex illis tantùm dependeat, & ſolùm illis intellectus utatur ad conſcientiæ judicium formandum, & non ſcientia, vel opinione, aut cognitione quacumque ad alios habitus cognoſcitivos pertinente: hoc namque falſum eſt, utitur, enim iis omnibus. Sed quia omnes iſti habitus cognoſcitivi, ſivè cognitiones, quibus utitur efficaciam ſuam habent ab habitu primorum principiorum, qui in propoſito eſt ſynderesis, ideò conſcientia dicitur ex principiis ſynderesis procedens.

6 Quam quidem doctrinam totam exponit D. Thomas loco ſupra cit. 1. *p. q.* 79. *a.* 13. *ad* 3. Cum enim ibi D. Thomas tertium argumentum ſibi objeciſſet in hunc modum; videlicet: *Neceſſe eſt, quod conſcientia ſit vel actus, vel habitus, vel potentia. Sed non eſt actus; quia non ſemper maneret in homine. Nec etiam habitus; non enim eſſet unum quid conſcientia, ſed multa; per multos enim habitus cognoſcitivos dirigimur in agendis. Ergo conſcientia eſt potentia.* Reſpondet argumento ſic: *Ad tertium dicendum, quod actus, & ſi non ſemper maneat; ſemper tamen manet in ſua cauſa, quæ eſt potentia, & habitus. Habitus autem ex quibus conſcientia formatur, & ſi multi ſint, omnes tamen efficaciam habent ab uno primo principio, ſcilicet ab habitu primorum principiorum, qui dicitur ſynderesis. Undè ſpecialiter hic habitus interdum conſcientia nominatur, ut ſupra dictum eſt.* nempè ibid. in Corp. Articuli; Ubi dixerat quod; *quia habitus eſt principium actus, quandoque nomen conſcientiæ attribuitur primo habitui naturali, ſcilicet ſynderesi; ſicut Hieron. in gloſſ. Ezech. 1. ſynderesim conſcientiam nominat.* Hæc D. Thomas.

§. II.

Nùm, & qualiter Conſcientia differat à Morali Scientia, vel opinione, aut quacumque alia cognitione.

7 CONſcientiã, ſeu judiciũ iſtud intellectus practici, quod conſcientiã appellamus, aliud eſſe a judicio ſcientiæ, vel opinionis moralis, aut cujuslibet alterius cognitionis, qua intellectus practicus utitur, eamque applicat ad conſcientiam, ſeù judicium conſcientiæ formandum, potiùs ſupponi, quam dubitari deberet. Conſcientia enim, ut ex D. Thoma dictum eſt, ex proprietate vocabuli applicationem quamdam ſcientiæ, vel alterius cognitionis moralis, importat. Conſtat autem, quod applicatio ſcientiæ, vel ſimilis cognitionis moralis, actus quidam diverſus eſt ab ipſa cognitione, quæ applicatur; non enim idem actus intellectus poteſt eſſe ſimul applicatiò alicujus cognitionis, & ipſamet cognitio applicata. Nihilominus tamen placet diverſitatem hanc expreſſiùs animadvertere. Multi enim ad eam minimè attendentes, in errorem maximum inciderunt, credentes ex prudentiali judicio opinionis moralis, ſtatim prudentem quoque conſcientiam haberi, & ex hac conſequenter ſubſequi in agente prudentem operationem, quaſi per prudens judicium regulatam; ut multis repetunt Probabiliſtæ. Quarè ſpecialiter hic inquirimus; nùm, & qualiter inter ſe differant, quaſi præveniendo ea, quæ fuſiùs infra de exiſtimata prudentialitate operationis ex vi opinionis probabilis contra Probabiliſtas dicturi ſumus.

8 Undè breviter hic dicimus, quod judicium conſcientiæ, ſeù quod idem eſt, conſcientia ipſa, eſt actus, & judicium diſtinctum à judicio ſcientiæ moralis, vel opinionis, aut alterius cognitionis, licet illud ſupponat, & ab illo dependeat; illo enim intellectus practicus utitur, & applicat ad formandum ſuum judicium practicum, quod conſcientiam appellamus; atque

que

quæ ideò eſt ab illo diverſum; & adeò diverſum, ut ab illo differat tum objecto, tum fine, tum etiam, & modo procedendi; & præſertim a judicio ſcientiæ, vel opinionis moralis.

9 Et quidem primò differt objecto, quia judicium ſcientiæ, vel opinionis moralis eſt de agibili, non ut agibili, ſed ut purè ſpeculabili; non enim eſt de operatione, ſeù de actu aliquo humano, ut hìc, & nunc licitè, vel illicitè faciendo, vel facto ab agente, ſicut eſt judicium conſcientiæ: ſed eſt de illo conſiderato in abſtracto, & in ſua ſpecie, ut ſpeculando in ſe ſecundum ſua prædicata eſſentialia, quæ videntur ei poſſe competere ſecundum ſcientiam, vel opinionem moralem; puta prædicatum liciti, vel illiciti; cum præciſione ejus ab omni actuali exercitio, ſeù executione ipſius hìc, & nunc facienda. Ex quo dicitur ſecundò differre fine; quia finis ſcientiæ, vel opinionis moralis, eſt ſiſtere in pura cognitione ſeù contemplatione veritatis in ſe; quærit enim ſcire vel opinari de tali actu humano morali in ſpecie, & abſtractè conſiderato, quale in ſe iſtorum prædicatorum ei propriè conveniat, liciti ſcilicet, vel illiciti, purè ſpeculando ejuſmodi prædicatorum connexionem cum illo, & ibi ſiſtendo; & non intendendo directionem agentis in genere moris: hoc enim poteſt eſſe finis ſcientis, vel opinantis; non autem ipſius ſcientiæ vel opinionis moralis. Finis autem conſcientiæ eſt praxim ſeù operationem agentis hìc, & nunc faciendam ſuo judicio dirigere, ut rectè fiat; vel ſi rectè facta fuerit, judicare. Et ex hoc tandem differt in modo procedendi; quia ſcientia vel opinio moralis procedit modo reſolutivo; non compoſitivo, ſeù factivo, aut directivo: Conſcientia verò è contra. Unde judicium conſcientiæ eſt omninò, & ſimpliciter practicum: Scientiæ verò, vel opinionis moralis eſt ſpeculativum; quantumvis objectivè materialiter ſit de aliqua praxi ſeù operatione in ſe agibili; & ideò dici poteſt quodammodo practicum, ideſt materialiter objectivè: formaliter autem quælibet ſcientia, & opinio re vera ſpeculativa eſt, quia quærit veritatem in ſe, & propter ſeipſam; & ibi ſiſtit pro quanto ad ipſam ſpectat; quantumvis ejus objecto ſpeculato, quando eſt in ſe aliquod agibile, utatur agens, ad praxim illud deducendo, & per hujuſmodi ſcientiam, vel opinionem ſeipſum dirigendo; quod tamen non facit, niſi per novum aliud judicium practicum, quod indè deducit, & per quod immediatè ſe dirigit, & hoc judicium in propoſito conſcientiam appellamus.

10 Quod ſi quis velit protervè ſuſtinere ſcientiam, & opinionem moralem eſſe per ſe practicam, & formaliter directivam in ordine ad praxim; advertat ſaltem hoc, quod negare non poterit, videlicet non eſſe talem immediatè, ſed mediante alio ultimo judicio practico, quod fit de eodem agibili in ſingulari, conſiderato, ut hìc, & nunc faciendo; ac propterea ſemper firmum manet, quod judicium conſcientiæ aliud ſit a judicio ſcientiæ, vel opinionis moralis: imò nec ſemper huic conforme, experimur enim multoties, quod quis opinando, aliquem actum judicet eſſe licitum, & nihilominus ob formidinem oppoſiti opinioni eſſentialiter annexam, ultimo judicat practicè non eſſe ſibi agendum, ſed ab eo abſtinendum, & ſic format ſibi oppoſitam conſcientiam.

11 In ſignum ulteriùs aſsignatæ differentiæ eſt, quod nemo, qui ſcientiam, vel opinionem habet de aliquo morali agibili, dicitur propriè loquendo de eo conſcientiam habere; donec ad tale judicium practicum de tali agibili in ſingulari deveniat, quod hìc, & nunc ſit ab ipſo actualiter agendum, vel jam factum; ita ut judicet tunc, quod ſibi hìc, & nunc talis actio ſingularis liceat, vel non liceat; aut poſt factum, quod ſibi licuerit, vel non. quod quidem judicium, ut fiat, indiget nova diſcuſſione ſupra judicium ſcientiæ, vel opinionis moralis: Undè non fit per puram, & nudam applicationem quaſi extrinſecam illius ad opus ſingulare hìc, & nunc agendum, ſine novo alio judicio practico; ut fortè nonnulli exiſtimant. quia ſæpè ſæpiùs, quod congruit uni fini, non congruit alteri. Cum igitur, ut diximus varius ſit finis ſcientiæ, vel opinionis moralis, & finis conſcientiæ: illa enim quærit connexionem prædicatorum in ſe ſpeculādam: iſta verò quærit actionis faciendæ rectitudinem: conſequenter oportet diſcutere priùs, an judicium illius conducat re vera, vel non conducat ad finem iſtius, antequam applicetur; & benè conſulere quodnam de facto ad hunc conducat, & illud de facto applicare, & non qualecumque judicium ſpeculativum, quod fortè pro ſuo fine prudentiſſimum erit; ſed non pro fine iſtius. Quod ſæpè ſæpiùs evenit in judicio opinionis moralis; ut fuſiùs infra explicabitur, cum ſermo erit de opinione probabili. Alioquin ſi ex quocumque judicio ſpeculativo, ſine ulteriori diſcuſſione fiat per puram ejus applicationem ad opus, judicium practicum, ſeù conſcientia de tali opere agendo; facilè evenire poterit, quod ex prudenti judicio ſpeculativo, quale eſt illud opinionis, contingat conſcientia imprudens. Quare veriſſimum eſt, quod conſciētia in quodam judicio intellectus practici conſiſtit, quod fit per applicationem ſcientiæ, ſeù cognitionis præviæ ſpeculativæ; ſed falſiſſimum eſt, quod conſcientia eodem modo ſemper contingat prudens, vel imprudens; ſicut prævia illa cognitio præſupponitur. Stat enim quod hæc in ſuo genere ſit prudens; & non ſit prudens conſcientia ſubſequens ad illam; quod valdè notandum eſt. Sed de hoc diffuſiùs alibi dicendum eſt, cum de opinione probabili.

12 Denique ſciendum eſt hìc, quod judicium iſtud conſcientiæ eſt purè indicativum, & per modum dictantis; & ideò dicitur dictamen intellectus practici, & non imperativum,

ſeù

ſeù per modum imperantis. Ex quo infertur differre etiam a judicio practico, quod eſt proprium prudentiæ, & eſt per modum imperii, cui agens reſiſtere non poteſt, quia eſt ultimò ejus determinativum ad agendum, & concluditur per diſcurſum intellectus practici in hūc modum: Ergo hic, & nunc fac hoc; vel ergo hic, & nunc ne facias hoc. Judicium autem conſcientiæ eſt purè indicativum ſeù oſtenſivum, & concluditur per diſcurſum intellectus practici in hunc modum: Ergo hic, & nunc hoc eſt faciendum; vel ergo hic, & nunc hoc non eſt faciendum; Cui agens poteſt utique reſiſtere, & oppoſitum facere. Undè ſæpè ſæpiùs dicimur nos agere contra dictamen conſcientiæ. Nihilominùs tamen judicium conſcientiæ poteſt congruenter dici prudens, & tale dicitur de facto, quandocumque ſit ex prævia cognitione, & conſilio, quibus utitur prudentia ad formandum ſuum judicium practicum per modum imperii. Quæ omnia placuit hcl advertere ad maiorem conſcientiæ notitiam habendam, ut non confundatur cum judicio ſcientiæ, aut opinionis moralis, vel quocumque alio judicio cuiuslibet alterius habitus cognoſcitivi, aut cum judicio prudentiæ, quod eſt per modum imperii, & eſt ultimò determinativum ad agendum; atque ideò non poteſt ad conſcientiam præcedere, ſicut quæcumque alia judicia, ſed ſemper ſubſequitur ad illam, ſi ſit recta. Sicut ad illam ſubſequitur ab oppoſito judicium imprudentiæ, ſi recta non fuerit, quo etiam ultimò determinatur agens ad imprudenter agendum. Et hæc benè notanda ſunt, multum enim faciunt ad rem noſtram, ut infra videbimus.

CAPUT SECUNDUM.

De diviſione, ſeù multiplici acceptione Conſcientiæ.

§. I.
Quotuplex ſit Conſcientia.

13 Conſcientia communiter dividi ſolet in certam, probabilem, dubiam, rectam, erroneam, laxam, & ſcrupuloſam. Quæ quidèm diviſio videtur deſumpta penès triplicem reſpectum, quem conſcientia poteſt habere in unoquoque agente judicante de agibilibus ſuis. Dum enim agens judicat de moralitate ſuorum actuum, eius judicium poteſt conſiderari reſpectivè ad modum eius procedendi in judicando, ideſt reſpectivè ad motiva ſeù principia, unde movetur, & inclinatur ad ſic vel ſic judicandum; ſi enim procedit ex motivis ſeù principiis ſibi certis, ſic oritur in eo judicium ſeù conſcientia certa; ſi verò ex principiis probabilibus, ſic oritur in eo conſcientia probabilis; Si verò ex defectu, aut ex paritate rationum pro utraque parte ſuſpendit judiciū, ſic dicitur habere conſcientiam dubiam. Similiter poteſt ulteriùs judicium ſeu conſcientia conſiderari reſpectivè ad obiectum ſeu rem judicatam: Et ſic conſcientia dividitur in rectam ſeù veram; & erroneam ſeù falſam; nam vel iudicium eſt conforme ad obiectum ſeù rem iudicatam ſicut eſt in ſe, ita ut in genere moris, & ſecundum legem in ſe ita ſit, puta licita, vel illicita, ſicut judicatur; & ſic eſt conſcientia recta ſeu vera; vel judicium eſt difforme, ita ut res judicata licita, ſit in ſe illicita, & contra legem; vel econtra res judicata illicita, ſit in ſe licita; ſic dicitur conſcientia erronea, ſeu falſa. Et deniqùe poteſt judicium ſeu conſcientia conſiderari reſpectivè ad ſubiectum, in quo eſt, videlicet ad ipſum agens morale, quatenùs ex ipſo, utpotè minùs benè diſpoſito poteſt in ejus judicium defectus aliquis derivari, qui non contingeret, ſi non eſſet in eo talis prava diſpoſitio; & ſic conſcientia dividitur in laxam, & ſcrupuloſam; Si enim quis ſit ex inordinato aliquo affectu corruptæ voluntatis, vel ex prava aliqua conſuetudine, aut ſimili paſſione, excæcatus, atque ideò ex propria concupiſcentia contingat ei in ſuo judicio errare contra legem; erit conſcientia laxa; ſi verò econtra ex nimio quodam ſuperſtitioſo eius animi timore, atque indè ex levibus quibusdam conceptis ratiunculis plùs rigidè, quam lex obliget, errando judicet; erit conſcientia ſcrupuloſa. Ut accidere ſolet in hominibus frigidæ complexionis, & melancholicæ, ſubindeque valdè timidis.

14 Nihilominus tamen, licet hæc diviſio ſit communiter recepta, non videtur adæquata, quia ex parte modi procedendi ad judicium poteſt conſcientia aliter dividi, puta in certam, probabilem, & temerariam, reiiciendo de membris dividentibus dubiam, & congruentiùs quidèm; nam agens non ſolum ex motivis certis, aut probabilibus procedit ad judicandum aliquid licere, vel non licere; ſed interdùm ex leviſſimis, & omninò frivolis, & quandoque nullis penitùs rationibus motus purè temerè judicat, & præcipitanter; ex quo oritur conſcientia temeraria. Dubia verò reiicienda eſt, quia propriè loquendo conſcientia judicium aliquod importat, quod non intervenit in puro dubio. Quare qui eſt purè dubius de moralitate ſui actus, potiùs dicendus eſt ſine conſcientia eſſe, quam conſcientiam habere.

15 Nec refert, quod qui cum dubio, & omninò ſic ſuſpenſus aliquid agit, dicatur contra conſcientiam agere, & peccare. Dicitur enim agere contra conſcientiam negativè, quatenùs non ex conſcientia agit; & quod non eſt ex conſcientia, peccatum eſt, juxta dictum illud Apoſtoli: *Omne quod non eſt ex fide* (ideſt ex Conſcientia) *peccatum eſt.*

16 Præterea conſcientia certa, & recta, aut accipitur pro certa, & recta ſimpliciter, & abſolutè, ſeu ſecundùm ſe: aut pro certa, & recta ſecundùm quid, ſeu moraliter: aut pro certa, & recta

Digitized by Google

recta ut ſic, quatenùs communis eſt ad utramque certitudinem, & rectitudinem ſive phiſicam, & ſecundum ſe, ſive moralem; poteſt enim conſcientia utroque modo dici certa, & & recta; nimirùm phiſicè, & in ſe, per conformitatem videlicet ad legem ſecundùm veritatem objectivam: & moraliter, per prudentialem videlicet exiſtimationem. Si accipiatur primo modo, ſic conſcientia certa, & recta, eadem eſset ac vera in ſe; ac per conſequens non eſſent duæ ſpecies conſcientiæ ſed una: & tunc inter membra dividentia deficeret conſcientia certa, & recta ſecundùm certitudinem, & rectitudinem moralem. Si autem accipiatur ſecundo modo, ſic conſcientia certa, & recta eadem eſset, ac conſcientia quædam ſecundùm prudentem exiſtimationem, quæ congruè dici poteſt conſcientia prudentialis, quæ ſtare poteſt cum falſitate in ſe, ſeu objectiva; & tunc deficeret inter membra dividentia conſcientia certa, & recta in ſe, & ſecundùm certitudinem, & rectitudinem objectivam. Et denique ſi accipiatur tertio modo, ſic conſcientia certa, & recta eſset ſubdividenda in certam, & rectam in ſe, ideſt ſecundum certitudinem, & rectitudinē objectivam ſeu phiſicam; & in certam, & rectam ſecundum quamdam certitudinem, & rectitudinem diminutam ideſt moralem ſeu ſubjectivam. alioquin diviſio eſset deficiens.

17 Denique conſcientia dici ſolet bona vel mala. Unde Apoſt. 1. ad Thimoth. 1. dicit: *finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona.* Et actuum 24. dicitur: *ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam bonam habere ad Deū, & homines.* & tamen in ſuperiori diviſione nulla fit mentio bonæ, vel malæ conſcientiæ. Nec dici poteſt, quod conſcientia bona eadem ſit, ac recta; & mala eadem, ac erronea, quæ in præfata diviſione numerantur. Nam ibi recta videtur contrapoſita erroneæ, quæ eadem eſt, ac falſa; ac proindè recta potius eadem eſt, ac vera, quam bona. Quod ſi illæ ſumantur pro bona, & mala, jam deficeret diviſio veræ, & falſæ. Neque iſtæ confundi poſsunt cum bona, & mala: nam nec falſa ſemper eſt mala; nec vera ſemper eſt bona: quia falſa, ſi ſit prudentialis adhuc in ſua falſitate eſt bona; & vera, ſi ſit formidoloſa, ut evenit in probabili, adhuc in ſua veritate eſt mala; ut alibi demonſtrabitur.

18 Profectò ſi fiat vis in terminis, bona eſt, qua agens inculpabiliter operatur, licet fortè deviet à veritate. Et mala dicitur, qua culpatur agens, etiam ſi fortè contingat agere ſecundùm veritatem legis. Recta autem potiùs cum vera, quàm cū bona coincidit; quia videtur abſolutè recta dici, quia nullo modo declinat nec phiſicè, nec moraliter a veritate legis. Bona verò non ſic, ſed quia non declinat moraliter, eſto poſſit phiſicè a lege declinare.

19 Sed hæc non ad confutandam diviſionem communiter receptam dicta ſunt; ſed ſolùm, ut advertas, lector, præfatam communem diviſionem non ſic accipiendam eſse, quaſi formaliſſimè, & in rigore metaphiſico factam, ut non poſſit conſcientia aliis modis, vel ſub aliis titulis accipi, & dividi. Quare ſi quam, fortè tibi novam, diviſionem adiungimus ad noſtrū propoſitum neceſsariam, non mirum eſse debet. Cum enim hic in materia morali ſimus, ubi ea, quæ loquimur, ſemper, & præcipuè, in ordine ad bonitatem, & malitiam, oportet accipere; ideò de conſcientia loquentes, multùm refert illam ſub expreſſis titulis, bonæ, vel malæ, dividere.

20 Quia verò bona, vel mala conſcientia nō facilè conſtat ad quas ex ſeptem ſupra aſſignatis debeant determinatè reduci; cum poſſint nunc ad unam, nunc ad alteram revocari; Bona enim conſcientia poteſt quandoque eſse vera in ſe, & quandoque etiam in ſe falſa, & erronea, ut ſi ex invincibili errore procedat: Et ſimiliter quandoque certa, quandoque probabilis, & interdùm fortè improbabilis, & temeraria, ac ſine ullo fundamento; & idem eſt proportionaliter de conſcientia mala; ideò ut utraque (quocumque modo contingat) ſub certa definitione comprehendatur, placuit ſub novis quibuſdam titulis conſcientiam dividere, quibus poſſit bona, vel mala conſcientia definiri, ſive contingat eſse veram in ſe, ſive falſam; ſive certam, ſive probabilem, ſive etiam ſine rationabili fundamento, & fortè temerariam. ac propterea dicimus, quod conſcientia alia eſt practicè, hoc eſt in genere operandi, prudentialis, & alia imprudentialis. Dixi autem (practicè, hoc eſt in genere operandi) ad inſinuandum, quod hæc diviſio non coincidit cum illa, qua conſcientia dicitur probabilis, vel improbabilis. Nam licet conſcientia probabilis ſit prudentialis, non tamen eſt talis practicè, ideſt in genere operandi, ſed ſpeculativè, & in genere opinativo, ut fuſiùs demonſtrabitur, cum ſermo erit de probabiliſmo. Et ſimiliter conſcientia improbabilis, ex hoc, quod eſt purè improbabilis, imprudentialis dicitur in eodem genere, & purè ſpeculativè; quod quidem genus præſuppoſitivè tantùm, & quaſi materialiter ſe habet ad genus operandi. Quæ omnia infra loco proximè citato diſtinctiùs explicabuntur.

21 Pro nunc autem ex noſtra hac diviſione aptè definimus conſcientiam bonam, & malam. Et bonam quidem dicimus eſse; quæ prudentialis eſt in genere operandi, ſive in ſe vera ſit, ſive falſa, & erronea. malam autem, quæ eſt in ſe falſa, & ſimul imprudentialis in eodem genere operandi, etiam ſi fortè ſit in alio genere prudens. Ex quo infra demonſtrabimus eos, qui operantur ſecundùm aliquam opinionem probabilem de licito, formantes indè ſibi conſcientiam ſuam, ſi illa in ſe falſa ſit, non agere in bona conſcientia, ſed mala; quia opinio probabilis eſto importet judicium prudens in genere opinativo, non tamen eſt prudens in genere ope-

randi; atque ideò conſcientia inde formata, imprudentialis eſt in ordine ad operationem moralem, ſubindeque mala. Sed de hoc iterum, & diffuſiùs infra redibit ſermo ſuo loco.

22 Quod ſi quis hìc petat, cur nos ad bonam conſcientiam id unum exigimus, quod nempè ſit in genere operandi prudens; ad malam autem duos defectus requirimus, & quod ſit in ſe falſa, & quod in dicto genere operandi ſit imprudens? videtur enim hoc contra commune axioma, quod *bonum eſt ex integra cauſa, malum autem ex defectu cuiuſcumque*. quare igitur ad conſcientiam malam non ſatis eſt, quod vel ſit in ſe falſa, vel in genere operandi ſit imprudens, eſto in ſe vera ſit: ſicut ad bonam dicimus ſufficere quod ſit prudens, licet ſit in ſe falſa, & erronea? Ad hoc dicimus rationem eſſe, quia malum morale, de quo hìc loquimur, non ex hoc uno præciſè ſumitur, quod in ſe malum ſit, per contrarietatem videlicet, quam habet ad legem; ſed ex hoc, quod in huiuſmodi contrarietate ſit ulterius quodammodò voluntarium. Ex imprudenti autem electione veri, licet habeatur aliqualis defectus ex parte modi procedendi, nullum tamen in ſe malum habetur per oppoſitionem ad legem in actu ipſo, qui eligitur; ſubindeque nullum ibi eſt malum morale quodammodo volitum, ſed potiùs bonum, vel licitum juxta legem. Et ſimiliter ex prudenti electione alicuius actus in ſe habentis contrarietatem ad legem, licet habeatur defectus in re electa, quæ nimirum in ſe mala ſit, non tamen habetur malum morale, quia nullo modo id malum eſt volitum; ſi prudenter, ut verum, & bonum judicetur eligendum. At ex imprudenti electione falſi in ſe, & conſequenter mali, fit malum illud etiam ſuo modo voluntarium, & moraliter imputabile, & ideò ex duplici hoc defectu conſcientia illud dictans agendum, dicitur mala. Ut etiam infra ſuo loco meliùs dicetur.

23 Collige ex his diviſionem hanc conſcientiæ in prudentialem, & imprudentialem in genere operandi; ſive noviter adiunctam, & diverſam ab aliis cenſeas, ſive ad alias reducibilem dicas, & ſolo vocabulo novam; valdè utilem eſſe ad dijudicandam bonam conſcientiam à mala. Et quia in multiplici acceptione conſcientiæ hoc eſt potiſſimum, ad quod attendere debemus, ut ſcilicet bonam, & malam conſcientiam diſcernamus; ideò communi diviſioni hanc adiecimus. Re vera tamen diverſa eſt ab aliis, nec facilè poteſt ad aliquam ex ſupra recenſitis diviſionibus reduci; ut liquet ex dictis. Nam diviſio hæc ſe tenet ex parte modi procedendi ipſius agentis in formando ſibi dictamine cum, vel ſine prudentia in genere electivo ſeu operativo, & non in puro genere cognoſcitivo: Nulla autem ex recenſitis aliis diviſionibus eſt in tali genere, ſed potiùs in puro genere cognoſcitivo veritatis in ſe, ſi benè conſiderentur; ſicut nos conſiderabimus, & demonſtrabimus cum ſermo erit de probabiliſmo.

24 In cuius ſignum eſt, quod dari poteſt conſcientia prudentialis, quæ ad nullam ex aliis reduci poteſt, cuiuſmodi eſt illa, qua agens in dubio conſtitutus, ſibi judicat id eligendum, quod eſt tutum, etiam ſi ſibi ſit minùs probabile, imò vix quodammodo probabile. Certum enim eſt dubitantem ſæpè ſæpius experiri in ſeipſo ſimile dictamen, & illud ſequi, quod procul dubio ſpecialis quædam conſcientia eſt, quæ non poteſt dici certa, nec probabilis, ut conſtat; nec dubia, cum ad hanc potiùs ſuccedat. Nec recta ſeu vera in ſe, aut erronea, & falſa; quia poteſt uno, & altero modo contingere. Neque denique laxa, aut ſcrupuloſa, quia favorabilis eſt legi, & non procedit ex ſuperfluo aliquo, & ſuperſtitioſo timore agentis, ſed ex prudenti cautione in materia dubia neceſſariò adhibenda.

25 Fateor tamen, quod conſcientia hæc prudentialis poteſt quodammodò in aliquo ſenſu cum certa, & recta confundi; quatenùs ſcilicet dictamen de tutiore parte eligenda, ideſt ſtante pro lege, in ſe rectum eſt, & verè, ac certò ab omni legis periculo declinans, ac proindè optimè dici poteſt conſcientia certa, vera, ac recta. Verùm quia veritas hæc, & certitudo alterius generis eſt à veritate, & certitudine in ſe, & objectiva, undè propriè dici ſolet conſcientia vera, certa, atque recta; ideò propriè, & rigoroſè loquendo conſcientia hæc non debet cum certa, & recta ſeu vera confundi. Nam conſcientia dici ſolet certa, & recta ſeu vera ex certitudine, & veritate judicii attingentis id, quod in ſe eſt juxta veram diſpoſitionem legis: At judicium huius conſcientiæ prudentialis non eſt huiuſmodi; imò poteſt ſtare cum falſitate, & errore a vera diſpoſitione legis, quia poteſt contingere, quod judicet id eſſe agendum, quod lex non præcipit agendum eſſe; & id non eſſe agendum, quod lex non prohibet, ſed permittit, ut licitum. Quare tutum illud, quod dictat tunc agendum, dicitur certò, & verè rectum non poſitivè, & quaſi per regulam legis re vera agendum; ſed negativè, quatenùs non eſt contra illam, & certum, ac verum eſt non eſſe contra illam.

§. II.

An prædictæ ſpecies conſcientiæ ſint ſpecies inter ſe adæquatè contradiſtinctæ.

26 AD maiorem notitiam præfatæ diviſionis paragrapho præcedenti traditæ multùm conducit hìc advertere, quod ſeptem iſtæ ſpecies conſcientiæ communiter aſſignatæ non ſunt inter ſe ſic adæquatè diſtinctæ, ut una non poſſit aliquando ſub alia contineri. Multoties enim una cum alia coincidit; ſed quia non dicuntur ad convertentiam, ideò ponuntur, ut ſpecies diſtinctæ. Atque hinc eſt, quod conſcientia certa ſemper eſt recta, & vera; non

tamen

Digitized by Google

tamen econtrà recta, ſeu vera, ſemper eſt certa. Ratio primi eſt, quia conſcientia certa dicitur ex hoc, quod ex certis principiis, & certa cognitione bonitatis, vel malitiæ, ſicut eſt in ſe ex parte rei judicatæ, procedit; ac proindè eſt in ſe recta, & vera. Ratio autem ſecundi eſt, quia aliquando judicium de vero, & recto, in ſe objectivè, non eſt formaliter, & ex parte intellectus judicantis certum; ſed probabile; quatenùs id intellectus ex principiis probabilibus judicat, ac proindè cum formidine partis oppoſitæ, licet res judicata in ſe ita ſit. Et ſimiliter conſcientia certa ſemper eſt prudentialis: non tamen econtra, quia prudentialis, ut diximus, habet etiam locum in materia dubia.

27 Ex quo etiam eſt, quod conſcientia probabilis aliquando coincidit cum recta, & vera in ſe, & econtra; non tamen ſemper, quia intellectus procedens ad judicium formandum ex principiis probabilibus, ſi contingat verum in ſe attingere, formabit conſcientiam utique rectam, & veram; non tamen certam, ſed probabilem. At ſi contingat à vero in ſe deficere; formabit utique conſcientiam probabilem, ſed non rectam ſeu veram; ſed falſam atque erroneam. Et ideò quia variè contingunt, & interdum coincidunt, non ſemper ponuntur, ut ſpecies diſtinctæ. Et ſic conſcientia recta, & vera quandoque certa eſt, quandoque probabilis. Et probabilis quandoque recta, & vera eſt, quandoque erronea, & falſa. Et falſa, & erronea quandoque eſt, & dicitur probabilis, quandoque laxa, quandoque ſcrupuloſa. Falſa autem probabilis etiam ſi ſit contra legem, non propterea tamen ſtatim laxa dici ſolet, ſed probabilis; quia licet tunc relaxet legem, ac per conſequens poſſit meritò laxa nuncupari; Uſus tamen obtinuit, quod conſcientia laxa ea ſola dicatur, quæ non ex principiis probabilibus contra legem procedit, ſed ex depravato potiùs judicio ob impetum paſſionum, aut ex prava conſuetudine corrupto, vel affectata ignorantia, ut dictum eſt ſupra. Unaquæque igitur conſcientia ex nominatis, licet aliquando cum alia confundi poſſit, & coincidat, ponitur nihilominus, ut diſtincta ab alia, vel pro qua parte re vera diverſificatur; vel pro qua parte juxta communem modum loquendi diverſificari ſolet.

28 Præterea conſcientia dubia, ſi ſit rigoroſè talis, ut re vera omne judicium ſuſpendatur, propriè loquendo non eſt inter ſpecies conſcientiæ computanda, ut ſupra diximus, ſed dici debet potiùs defectus conſcientiæ; quia conſcientia propriè judicium, & dictamen aliquod importat. Unde qui nullum dictamen habet de aliquo agibili, ſed omne judicium ſuſpendit, non habet de tali agibili conſcientiam aliquam, ſed deficit ei conſcientia. Nihilominùs nos eam conſcientiam dubiam appellamus, & quaſi inter alias ſpecies computamus, ut geramus communem morem aliorum, qui eam, & conſcientiam appellant, & cum aliis ſpeciebus connumerant. Sic autem accepta eſt prorsùs ab omnibus aliis diſtincta. At ſi non ita rigoroſè ſumatur pro ſuſpenſione cujuſcumque judicii, ſed ſit cum judicio aliquo alterius partis, tunc ea cum probabili coincidere poteſt, ut meliùs infra demonſtrabimus contra Probabiliſtas.

29. Ad conſcientiam dubiam reducimus etiam perplexam; hæc enim ab illa nullatenùs differt. Et ſi quæ eſt inter eas differentia, tota ex parte materiæ eſt, de qua dubitatur; quatenùs ſcilicet utraque pars dubitata, ut peccatum timetur in perplexa; non ſic autem in dubia, ſed una tantùm pars contradictionis, ut communiter ſolent Doctores explicare. Qui enim dicitur dubius de aliquo agibili ſi ſit licitum, vel illicitum; ſolùm dubitat de peccato, ſi illud agat; non autem dubitat de peccato, ſi illud omittat. Qui verò dicitur perplexus non ſolùm dubitat de peccato ſi illud agat, ſed etiam ſi illud non agat. Uterque tamen re vera, & formaliter dubius eſt. Undè falſum eſt, quod nonnulli dicunt, nempè perplexum habere duplex judicium ſeu dictamen contradictorium, quaſi judicet de utraque parte contradictionis eſſe peccatum, puta, & quod facere hoc, & non facere hoc, ſit peccatum. Nemo enim poteſt duplicem hujuſmodi conſcientiam habere. Sed de utraque parte dubitat ne fortè ſit peccatum ob rationes fortè ſibi pro utraque parte æqualiter urgentes, ex quibus omne judicium ſuſpendit de una, & altera parte, & ſic eſt perplexus. Atque hæc de ſpeciebus conſcientiæ ſat is.

CAPUT TERTIUM.

De proprietatibus, & effectibus conſcientiæ.

§. I.

An omnis conſcientia dictans aliquid agendum, vel non agendum ſemper obliget.

30 OMnis conſcientia dictans alicui aliquid ab ipſo agendum eſſe, vel non agendũ ſemper illum obligat ad id, quod dictat, & eo modo, quo dictat. Reſolutio eſt D. Thomæ *quodl. 3. a. 27.* ubi ſic habet. *Dicendum eſt, quod omnis conſcientia ſive recta, ſive erronea, ſive in per ſe malis, ſive in indifferentibus eſt obligatoria, ita quod qui contra conſcientiam facit, peccat*. Probatur autem ratione ejuſdem S. Doctoris ibid. ſic. Quotieſcumque id, quod eſt, vel non eſt contra legem Dei, apprehenditur ut contra legem Dei exiſtens, & voluntas ſic in ipſum fertur; manifeſtum eſt, quod in illud fertur, per ſe loquendo, & formaliter, tamquam in id, quod eſt contra legem Dei; etiam ſi materialiter id ſit ſecundum Dei legem: & ideò manifeſtum eſt, quod eſt ibi contemptus legis Dei ex parte agentis, ac proindè eſt formaliter peccatum, & tale peccatum, quale conſcientia dictat, quia in illud, qua tale, tunc fertur voluntas agentis.

Ex

31 Ex quo patet proprium conſcientiæ eſſe, ex hoc quod aliquid dictat, vim habere obligandi ad id, quod dictat: Eamque vim habere ex Dei lege derivatam, quatenùs nomine illius dictat aliquid præcipi, aut prohiberi; etiam ſi in hoc ipſo quis fallatur, & erret. Nam quantumvis hoc ipſum in ſe falſum ſit, & erroneum; veriſſimum tamen eſt, quod in id fertur voluntas, eodemque prorſus modo, ac ſi verum eſſet, dum ſibi pro vero, licet erroneè, proponitur à conſcientia ſua, ac propterea veriſſimè contra legem Dei formaliter agit, ideoque peccat. Et hæc eſt præcipua, ac principalis proprietas ſeu effectus conſcientiæ, undè reliquæ proprietates proveniunt, puta teſtificandi, accuſandi, vel excuſandi, vel remordendi, de quibus ſupra meminimus; Omnia enim hæc ad vim iſtam, quam habet in ſuo dictamine obligandi, conſequuntur. Nec eſt de aliis aliqua ſpecialis difficultas agitanda, præter illam, quæ ab huius oppoſito agitari ſolet, videlicet: An ſicut conſcientia dictans aliquid agendum, vel non agendum, obligat ad peccatum, ſi ei quis controveniat; Ita conſcientia dictans non eſſe peccatum id, quod in ſe peccatum eſt, excuſet? de qua infra videbimus. Pro nunc autem manent adhùc aliquæ difficultates reſolvendæ circa præſentem reſolutionem noſtram, quo ad vim obligandi ad peccatum in quibuſdam caſibus, quos nonnulli recentiores figurant, prætendentes in eis conſcientiam non obligare, ut in paragrapho ſequenti.

§. II.

An conſcientia pro utraque parte contradictionis dictans de peccato obliget ſub peccato ad utramque?

32 MOvent hìc ſpecialiter hanc difficultatem nonnulli Recentiores, & caſum figurant quaſi poſſibilem, quod ſcilicet conſcientia alicui dictet pro utraque parte contradictionis de peccato, ita ut agens maneat omninò perplexus, ignorans quam partem eligere, cum utrinque de peccato à propria conſcientia admoneatur, & habeat in ſe duo dictamina contradictoria, ita ut quamlibet partem eligendo exiſtimet peccare. Ut ſi quis (inquiunt) videns hominem à perſecutore fugientem, interrogetur, ut dicat quò ille aufugerit: Et conſcientia ei dictet non mentiendum, ne fiat reus mendacii; & ſimul dictet mentiendum, ne fiat reus homicidii. Ex quo fit (inquiunt) perplexus in duplici dictamine contradictorio. atque ideò quærunt an quodcumque iſte talis eligat, peccet? Videtur ex reſolutione noſtra peccare. Econtra verò videtur aliis non peccare, quia ſic perplexus cenſetur tunc in neceſſitate peccandi conſtitutus, ita ut non ſit in eius poteſtate tunc peccatum vitare, ac propterea tunc peccare videtur abſurdum, cum ad peccatum prærequiratur libertas. Ergo in eo caſu dicendum eſt non peccare.

33 Hæc tamen difficultas in primis falſum ſupponit, videlicet quod iſte talis ſic perplexus habeat in ſe duo dictamina contradictoria, quod nempè, & mentiri, & non mentiri, ſit peccatum: quod tamen falſiſſimum eſt; neque enim eſt poſsibile ſimul de eodem ſecundùm idem concipere, eſſe, & non eſſe peccatum; ac per conſequens neque quod quis teneatur, ad non mentiendum, & mentiendum, quod idem eſt, ac mentiri, & non mentiri eſſe ſibi peccatum. Sed in eo caſu propriè loquendo vel dubitat pro utraque parte de peccato, ſi ſcilicet peccatum ſit mentiri in caſu homicidii vitandi; & ſi peccatum ſit verum dicere in caſu, quo ſubſequitur homicidium; In quo nulla eſt contradictio: vel habet ſimul duo dictamina veriſſima ſine ulla etiam contradictione; videlicet utrumque illorum eſſe peccatum, quod veriſsimum eſt; nam re vera in propoſito caſu, nec mentiri licet, nec hominem prodere ad occidendum, ſed nulla ibi intervenit contradictio, ut conſtat. ſunt enim duo vera dictamina de diverſis actibus; vel duo dubia diverſa. Sed quidquid ſit de hoc. Dato quod eſſet ibi aliqua vera perplexitas cum duplici dictamine contradictorio, quod eſt omninò impoſsibile: vel cum dubio ex utraque parte contradictionis, ut de facto evenire poſſet in caſu aliquo veræ perplexitatis ob oppoſita motiva utriuſque partis, quæ redderent agentem ſuſpenſum, dubium, & perplexum, quo caſu procul dubio talis difficultas procederet; Nihilominùs reſolutio noſtra ſemper videtur ſubſiſtere, quod ſcilicet quidquid quis tunc ageret, peccaret, utpote qui ageret ſemper contra dictamen conſcientiæ ſuæ.

34 Reſpondeo itaque abſolutè ad quæſitum, quod ſivè ſupponatur in agente duplex conſcientia contradictoria circa idem agibile, dictans pro utraque parte peccatum: ſive veriùs, una tantùm conſcientia, dubia ſcilicet, & perplexa ex utraque parte, ſemper agens peccaret, quia eiuſmodi conſcientia ad utramque partem ſive dictatam, ſive purè dubitatam de peccato, ſimul obligaret. Neque obſtat perplexitas illa ſeu neceſsitas agentis ad peccandum, quia non eſt neceſsitas abſolutè, & ſimpliciter; ſed ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione ignorantiæ ſuæ, & erroris, quem poteſt facilè vincere, & deponere, & eligere, quod rectum eſt, tuendo vitam proximi ſine mendacio. Quarè neceſsitas illa ſeu perplexitas agentis eo caſu ſibi imputanda eſt, qui ſe in illa conſtituit. Ita expreſsè docet D. Thomas *loc. cit. quodlib.* 3. *a.* 27. quem communiter ſequuntur omnes ferè Theologi, ubi de aliquo caſu ſimilis perplexitatis loquuntur, ut videri poteſt apud P. Thomam Tamburinum loco mox citando, qui alios Theologos refert.

35 Nihilominùs relatus P. Tamburinus in

Explic. Decalog. lib. 1. de conſcientia cap. 3. §. 2. n. 5. & ſeq. poſt datam communem hanc reſponſionem, quam ibi cum aliis amplexatus eſt; ſubiungit, quod ſi quis in eo caſu non poſsit ignorantiam ſuam vincere, ſive Confeſſarium conſulendo, ſive alio modo; tunc erit eius conſcientia inculpabilis, ita ut quodcumque eligat ex duobus, non peccet. Et infra id confirmat figurando alios caſus, videlicet: Si quis Ægroto gravi aſsiſtens credat ſe mortaliter peccare deſerendo infirmum, ut die feſtivo miſsam audiat: & iterum ſi non audiat contra Eccleſiæ præceptum. Et idem eſt (inquit) in excommunicato non valente abſolutionem impetrare, ſi putet ſibi imputari ad peccatum die feſto non intereſſe ſacro, quia non obedit Eccleſiæ; Et ſimiliter intereſse, quia contra eiuſdem Eccleſiæ præceptum ſe irretitum excommunicatione immiſcet divinis. Et ſimile quid (ait) evenire poſse in carcere detentis, in nemorum, & Gregum cuſtodibus, & ſimilibus. In quibus omnibus dicit, nec intercedere veram perplexitatem, nec ullum ab iis peccatum committi, quamcumque partem eligant. Eaque omnia, ait, docere Thomam Sanchez, *lib. 1. in decal. cap. 11. n. 14. & Joan. Sanchez in ſelect. diſp. 41. n. 27. & Eman. Rodriq. 2. tom. ſum. cap. 51. n.* 6. Et rationem reddit, quia in his caſibus ſine culpa occurrentibus non adeſt ſufficiens libertas ad peccandum. Si enim quamlibet ex partibus eligendo peccarent, jam neceſsariò peccarent; Neceſsariò enim aliquid eligere compelluntur, cum tamen ad peccandum requiratur ea libertas, qua in operantis arbitrio ſit poteſtas peccandi, & poteſtas non peccandi. Nec refert (ſubdit n. 8.) ſi ipſi judicent ſe peccare, nam peccatum non conſequitur ad judicium intellectus, ſed ad actum liberæ voluntatis. Hæc ille.

36 Sed profectò diſplicent hæc dicta, nec probabilia mihi ſunt. Nam inintelligibile eſt, quod quis putet aliquid agendo peccare; & quod id ipſum eligendo, dum ſic putat, non peccet. Nam formaliter peccare nihil aliud eſt, niſi formaliter aliquid eligere contra legem Dei. At qui putat aliquid eligendo peccare; jam illud eligendo, formaliter eligit contra legem Dei, quam putat, etiam ſi erret. Ergo inintelligibile eſt, quod id ipſum eligendo, dum ſic putat, non peccet. Nec video præcipuè in ſuo illo primo exemplo, prout ab ipſo proponitur, quod poſsit in tali errore invincibilis ignorantia intervenire, niſi fortè omnis ignorantia dicatur invincibilis. Nam ignorantia huiuſmodi in eo caſu facilè ab unoquoque vinci poteſt, qui ſit rationis compos, & quidem ex vi proprii dictaminis; nam ſi ei ſua conſcientia dictat, peccare, ſi mentiatur; & iterùm, ſi veritatem aperiat: cur non indè infert ab utroque abſtinendum? Numquid non eſt conſequens iſtud immediatè connexum cum ſuo dictamine, & per ſe patens unicuique uſum rationis habenti? Et ſi per ſe patens eſt, ſicut re vera eſt, cur non eligit ab utroque abſtinere, quod eſt quid tertium inter duo illa extrema in promptu ſe offerens, ac primo intuitu, & per immediatam conſequentiam ſe reddens manifeſtum? numquid non poteſt, & pleniſsima libertate? Numquid inter mentiri, & verum aperire nihil mediat? Quis non videat interponi ſilentium, & taciturnitatem; aut dexteram aliquam reſponſionem, quæ perſequentem deludat, & reiiciat?

37 Quod ſi dicat P. Tamburinus: Hoc ſecundum acuto, & prompto eget ingenio, quo pauci pollent. Benè: quid de primo? Primum (inquiet) periculoſum eſt. Sed quid inde? Numquid propterea fiet ei licitum mentiri? aut proximum ad mortem indicare? Jam quod ſibi poſſit licitè eligere præſentaneum eſt. Quod ſi nolit propter metum vitæ temporalis, non proindè ei poteſtas adimitur non peccandi, ſi velit. Ubi ergo perplexitas conſcientiæ? Ubi ignorantia invincibilis? Ubi neceſſitas eſt peccandi? Ipſe ſe in perplexitate, & neceſſitate conſtituit; Ipſe potiùs vinci ſinit ab ignorantia; quia non vult eam vincere, non quod non poſſit. Et quidem ſi præſto ei eſſet Theologus conſiliarius, poſſet ne ſaniori conſilio ſubvenire, quàm quod neutra pars ſibi liceret? quàm quod foret ab utraque abſtinendum? quam quod tertia via procedendum eſſet? hoc autem ipſum conſilium prōptum ei ſit ex vi proprii dictaminis, & intùs ipſimet coruſcat adhuc in tenebris ignorantiæ ſuæ per immediatam illam conſequentiam, connexionemque, quam habet cum dictamine ſuo, ut viſum eſt, niſi rationis uſum ſibi adimat ex paſſione, & nimio affectu ad propriam vitam, cui timet. Undè ergo habetur in eo ignorantia illa invincibilis, qua poſſit ſibi fieri licitum quodcumque eligat ex duobus?

38 Si igitur in eo caſu conſtitutus perplexus manet homo, id ei accidit ex propria voluntate, non quod non videat, quid ſibi eſſet agendum; ſed quia quod agendum videt, ſibi non placet. videt enim malum eſſe mentiri, & verum eſt. Videt ſe ad homicidium illud cooperari, fugientem indicando, & veriſſimum eſt. videt impiè interroganti condignis reſponſionibus reſiſtendum, quæ ſcilicet aptæ ſint ad impediendum, ne opere compleat iniquitatem ſuam; de hac enim reſiſtentia loquor, quæ optimè fieri poteſt, & debet, placida aliqua, ſed dextera, & acuta reſponſione prætenſi ſceleris diverſiva, aut deluſiva, ſine ullo mendacio; aut humili ſilentio, & taciturnitate; vel alio meliori modo, qui promptiùs excogitari poſſit. hoc (inquam) aperiſſimè videt: ſed quia nonnihil temporalis periculi hìc timet, non vult per hanc tertiam viam incedere; atque ideò perplexus manet, ignorans quid eligere, & in neceſſitate ſe conſtituit reſtringens ſe voluntariè ad duo illa extrema, quæ optimè agnoſcit ſibi non licere. Deponat autem timorem hunc

mundanum, & protinùs videbit abſque ullo prorſus errore, quid ſibi ſit eligendum.

39 Quod ſi fortè quis replicet: Nemo cum vitæ ſuæ periculo tenetur vitam alterius cuſtodire; Nam charitas, & dilectio proximi non obligat cum tanto diſpendio. Imò ordo charitatis exigit, ut vita propria præferatur alterius vitæ, & magis quàm illa cuſtodiatur, ac proindè non benè ageret, qui periculo exponeret propriam vitam, ut periculum imminens vitæ proximi ſui longiùs removeret, ergo in præfato caſu non ſuper eſt homini illi via tertia media inter duo illa extrema, aut ſcilicet mentiendi, aut verum dicendi; cum via illa media in caſu periculi minùs congruat debito ordini charitatis. Duo autem illa extrema utrumque ei ſua conſcientia dictat non licere, ut ſupponimus: Primum, quia veracitati opponitur: Alterum verò quia opponitur charitati, & dilectioni proximo ſuo debitæ; ac proindè verè manet perplexus citra ſuam voluntatem, & citra omnem culpam, & cum ignorantia ſibi invincibili, eo quod putat teneri ex charitate non indicare fugientem; & iterum teneri non mentiri; & denique nec poſſe, nec deberé vitam propriam ponere pro tuenda aliena; atque ideò undequaque peccaturum, attento eius dictamine. Quod ſi re vera peccaturum dicamus, jam non ex libertate peccabit, ſed ex neceſſitate, quod abſurdum videtur.

40 Si quis (inquam) ita replicet. Reſpondeo utique veriſſimum eſſe, quod nemo cum propriæ vitæ diſpendio tenetur vitam proximi cuſtodire, & fortè nec moraliter poteſt, quia ordo charitatis præcipit, ut plùs propria, quam aliena vita diligatur, cæteris paribus, quod pro nunc alibi examinandum remitto. Sed hoc non eſt ad propoſitum caſus noſtri. Primò, quia in eo non agitur de vita propria ponenda pro alterius vita; ſed potiùs econtrà de ponenda vita proximi pro propria vita, quod certè non licet. Non enim poſſumus proximum tradere ad occidendum, ut vitæ noſtræ tuendæ conſulamus. Hominem autem fugientem indicare inimico perſequenti eſt illum tradere in manus inimici ad occidendum, & cooperari poſitivè ad illius homicidium, quod numquàm licet, neque ut vitam noſtram ponamus in tuto. ac proindè peccatum eſt indubitatum illum in eo caſu manifeſtare; etiam ſi mors nobis per accidens indè contingat.

41 Secundò, quia aliud eſt vitam propriam activè, & poſitivè ponere pro vita alterius: & aliud pro alterius vita tuenda permittere, quod propriæ vitæ detrimentum per accidens, & citra noſtram voluntatem patiamur. Primum enim ordo charitatis prohibet, cæteris paribus. At ſecundum charitas ipſa commendat, undè Joan. 13. dicitur: *Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Quapropter qui eiuſmodi fugientem prodere recuſat, vel tacendo, vel ſic reſpondendo, ut nec mentiatur, nec illum manifeſtet; etiam ſi indè prævideat ſibi mortis periculum imminere, paratus potiùs mortem pati, quam proximum ſuum hoſti indicare, commendandus eſt, ut magis omnibus in charitate præſtans. Quemadmodùm in eodem prorsùs caſu Epiſcopum quemdam Tagaſtenſem nomine Firmum celebrat Auguſtinus *lib. de mendacio cap. 13.* qui fugitivum quemdam apparitoribus Imperatoris ad mortem inſequentibus intrepidè reſpondit: *Nec mentiar, nec prodam*: multa proindè in corpore ſuo paſſus ab illis propè ad mortem, quam utique ſuſtinuiſſet, ſi ei fuiſſet illata.

42 Concludo itaque ex his, quod ſive dicatur in caſu noſtro teneri hunc talem ſub mortali ad non indicandum hominem illum ad mortem perquiſitum, etiam ſi indè prævideat facilè pati poſse vitæ propriæ detrimentum; quod veriſsimum cenſeo: ſivè dicatur id eſse perfectioris charitatis; quod negari non poteſt: ſemper tamen indubitatum manet id licitum eſse, & inſuper eſse quid medium tertium inter duo illa dictamina conſcientiæ, quod ſcilicet nec mentiri tunc liceat, nec prodere veritatem; nam qui tacet interrogatus, vel reſpondet aliqua utili reſponſione ſine mendacio, & ſine proditione veritatis quæſitæ, nec mentitur, nec veritatem prodit, quam prætendit Quæſitor. Cur igitur hoc tertium ſibi licitum non eligit? ergo non quia non videt quid ſibi eligere poſsit, & licitè; ideò ſuſpenſus manet; ſed quia, quod videt poſse licitè eligere, non vult; ne indè forte aliquid corporaliter patiatur. Quare non eſt in eo vera perplexitas, ſed voluntaria, cauſata ex eius propria paſsione, nempè ex inordinato timore, quem habet alicuius detrimenti corporalis, cui voluntariè ſuccumbit. Neque eſt in eo invincibilis ignorantia; quia licet ignorantia ſit credere, quod teneatur veritatem prodere ex una parte, ne mentiatur: hanc tamen apud ſemetipſum vincit per alium errorem ex alia parte, quo credit teneri ad mentiendum, ne veritatem prodat contra charitatem. Sunt enim hi duo errores invicem ſe deſtruentes. Ex quibus invicem deſtructis, protinùs illucet ei vera ſcientia, qua poſsit utrumque convincere, nempè neutrum eorum licere, ſed aliquod medium tertium cuiuſmodi eſt, quod diximus; videlicet tacere, aut dextera reſponſione diffugere, quo omnis perplexitas, omniſque ignorantia evaneſcit.

43 Quod ſi tandem quis dicat: Et quid ſi ei conſcientia adhùc dictet neque hoc tertium ſibi licere? erit ſaltem tunc ſibi licitum eligere quodcumque voluerit? Si licitum dicatur, jam formaliter, loquendo redit Dottrina Patris Tamburini. Si non. quid ergo faciet in illa perplexitate, cum nullus tunc ei præſto ſit conſiliarius?

44 Reſpondeo in primis jam tunc caſum variari. Sed nihilominùs non video, undè tunc infer-

inferri poſſit, quod ſaltem in ea anguſtia erit ei licitum eligere quodcumque voluerit, non priùs depoſita practica perplexitate. Nam in illa anguſtia conſtitutus libertatem peccandi, & non peccandi non habet, ex P. Tamburino, ſed ſupponitur in neceſſitate peccandi conſtitutus. Ex hoc autem non ſequitur manere ei libertatem eligendi quodcumque voluerit ſine peccato; ſed oppoſitum, videlicet quod ſemper peccabit, quamlibet partem eligendo. ubi enim quis pro qualibet parte neceſſariò cogitur ad peccandum, nulla poteſt cadere alicujus partis electio ſine peccato; alioquin deſtrueretur neceſſitas peccandi, quæ in eo ſupponitur. Aut ergo P. Tamburinus in ea anguſtia ſupponit pro vera neceſsitatem illam peccandi ſimpliciter, & abſolutè; aut eam reputat ſimpliciter, & abſolutè falſam, & ſolùm quodammodò, & ſecundùm quid veram, ſicut docet D. Thomas *quodlib.* 3. *a.* 27. Si primum; ergo malè indè infert libertatem eligendi quodcumque quis voluerit, ſine peccato. Si ſecundum; ergo abſolutè, & ſimpliciter, dicendus eſt agens tunc habere libertatem peccandi, & non peccandi, ita ut in ſua poteſtate tandem ſit, ſi velit, vel nolit peccare. Sed quia eiuſmodi poteſtas in eo impeditur ſecundùm quid, hoc eſt ſecundùm quod reperitur in eo perplexitas illa conſcientiæ, qua perſiſtente neceſsitatur ad peccandum, licet poſsit illam deponere; ideò ut exerceat expeditè libertatem ſuam ad peccandum, & non peccandum, in qua ſupponitur abſolutè, & ſimpliciter eſse; tenetur perplexitatem illam à ſe excutere, & deponere, formando ſibi novum judicium practicum ſeu conſcientiam de licito, alioquin ſemper peccabit. Numquam ergo licitum erit perplexitate illa practica perſiſtente eligere quodcumque quis voluerit.

45 Ex quo conſtat quid in tali perplexitate conſtitutus facere debeat, ut non peccet. debet enim illam deponere, & novam conſcientiam de licito ſibi determinatè formare. Poteſt autem hoc duplici modo efficere. Primo modo (quem tamen periculoſum cenſeo contra legem, licet ſufficiens ſit ad non peccandum ex vi conſcientiæ, de qua in præſenti præcisè loquimur) formando ſibi conſcientiam de licito etiam pro utraque parte ex aliquo motivo, puta ex eodem motivo neceſsitatis agendi in tali anguſtia; ut ſi judicet, & credat in tali anguſtia, propter neceſsitatem agendi, excuſari à peccato etiam eam partem eligendo, quæ fortè in ſe non licet. & ſic deponit perplexitatem illam priorem de peccato pro utraque parte, & format ſibi hoc novum judicium practicum, videlicet, in utraque parte ex tali neceſsitate excuſari a peccato, etiam ſi fortè erret in eligendo. quod ſatis eſt ad non peccandum contra conſcientiam. verùm quia ſic poteſt error contingere contra legem aliquo modo vincibilis, quatenùs fortaſsis ex affectu ad proprium commodum, vel ſimili paſsione ductus, ſub tali judicio deliberat tandem eligere partem ſibi magis favorabilem cum errore contra legem, quæ tunc re vera urget; atque ideò contra legem culpabiliter ageret, licet non contra conſcientiam; ideò modus iſte periculoſus eſt.

Secundo modo, formando ſibi conſcientiam de licito unius partis tantùm, illius ſcilicet, quam ſincerè, & poſtpoſita omni paſſione, judicat tunc ex vi legis magis urgere. & ſic deponit perplexitatem priorem, & format ſibi hoc novum judicium practicum pro hac parte, & hanc eligit. & hoc modo procedendo, procul dubio non peccat, nec contra conſcientiam, nec contra legem; quia etiam ſi in hoc judicio contingat contra legem errare, quatenùs fortè falsò judicat tunc legem pro hac parte urgere, non pro altera parte; cum tamen in ſe econtra res ſe habeat; nihilominùs excuſatur, quia relinquit Deum, pro Deo, & error eſt invincibilis; nam cum non poſſit ab illo vinci ſpeculativè ideſt per ſcientiam veritatis (ut pro nunc ſuppono; nam de hoc alibi iterùm diſcurrendum eſt, cum erit ſermo de ignorantia juris) neque practicè, ideſt per debitam cautionem; quia nulla major cautio adhiberi poteſt ad vitandam controventionem legis, quàm quod ſit eligere partem, quæ ſincerius, & veriſimiliùs creditur tunc ex lege urgere pro quanto ſit unicuique poſſibile; conſequenter error evadit omninò invincibilis, & excuſans. In caſu enim perplexitatis, cum ex omni parte dubitetur de peccato, non poteſt certò tutum infallibiliter haberi, quia quælibet pars eſt pro lege; & non una pro lege, & altera pro commodo, & libertate, ſicut regulariter evenit in opinionibus contrariis, ubi proindè facilè poteſt error, & ignorantia vinci practicè per electionem alterius partis, quæ favet legi. ac propterea error in caſu perplexitatis interdùm nec practicè vinci poteſt, ac per conſequens ubi non poteſt vinci ſcientiâ, ſatis eſt, quod eligatur pars illa, quæ ſincerè, & poſtpoſita omni paſſione, creditur veriſimiliùs tunc ex vi legis urgere, etiam ſi in hoc judicio adhùc error contingat; quod enim in hoc caſu veriſimiliùs judicatur urgere ex lege, hoc procul dubio tutius eſt volenti in tanta anguſtia ſincerè agere pro Deo.

47 Nec refert, ſi adhùc, formato cum omni ſinceritate huiuſmodi judicio practico, & depoſita priori perplexitate, agens aliqualiter trepidet, & formidet de oppoſito; quia trepidatio illa in parte ſpeculativa eſt, quaſi pulſans ad oſtium intellectus practici, ſed non intrat, ſi illum invenit novo illo judicio practico, ſincerè putato tutiore, præoccupatum; dummodò ſub hoc de facto procedat agens ad operandum, quia ſic ſecundùm conſcientiam agit, & non contra. & trepidatio illa pulſans adhuc in mente extra conſcientiam eſt, quaſi hoſtis doloris tentans inſidias, ut pacem conſcientiæ perturbet, ſed non nocet, niſi agens ſuccumbat, & iterùm

tùm ad perplexitatem practicam, & priorem conſcientiam redeat.

48 Scio tamen timoratis viris moleſtum eſſe in huiuſmodi anguſtiis ita agere; ſed non proindè turbari debent, nec propterea credere ſe peccare; mirum enim non eſt, quod in anguſtiis conſtituti, adhùc cum aliqua anguſtia operentur, atque ideò etiam formato ſibi recto judicio practico, & in illo firmiter ſiſtendo, aliquem trepidationis inſultum ſentiant, quem nonniſi cum aliqua difficultate reiiciunt; ſolent enim viri timoratæ conſcientiæ, & juſti ſimiles timoris inſultus pati. Undè Gregorius 5. *moral. cap. 7. juſti*, inquit, *in ipſis bonis operibus poſiti trepidant, ac ne in eiſdem occulto aliquo errore diſpliceant, continuis lamentis vacant*. reiiciant ergo inſultus, quos contra conſcientiam ſentiunt, & patiuntur; nec ſinant ab eis induci in aliquam dubitationem practicam, in qua priùs extiterant, & tutò operentur.

49 Atque ex his patet quid proportionaliter dicendum ſit ad alia exempla P. Tamburini, videlicet de aſſiſtente cum infirmo, & de Excommunicato, quibus propria conſcientia dictat peccare, niſi miſſam audiant, non obſtantibus ipſorum impedimentis, & ſimiliter peccare, ſi audiant; ita ut non ſit eis locus in illo caſu, inter duo illa extrema, eligendi aliquod tertium, quo poſſint à peccato utriuſque extremi, prout eis propria conſcientia dictat, aliquo modo declinare. patet, inquam, quod tenentur ſaltèm ſecum ſibi conſulere id, quod tutius ſincerè ſibi videbitur, & perplexitatem illam à ſe excutere, ac formare ſibi determinatam conſcientiam, & juxta illam agere, ut non peccent ſaltèm contra conſcientiam, de qua præcisè in præſenti loquimur. Quod ſi in eo judicio contingat errare contra legem, quæ tunc urget; ſi ſupponatur invincibilis per ſcientiam (quod non eſt præſentis loci determinare, ſed alibi, ubi nimirùm ſermo erit de ignorantia juris) procul dubio excuſabit, cum non poſſit practicè meliori cautione vitari; ut ſupra dictum eſt. Cæterùm ſi contrà egerint, & in perplexitate illa manentes partem aliquam elegerint, procul dubio peccabunt, quia non ex conſcientia operabuntur, quod ſatis eſt ad peccandum, ut ſæpiùs dictum eſt, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 14. quod non eſt ex fide peccatum eſt. hoc eſt, ut Patres explicant, quod non eſt ex conſcientia. conſulant ergo ſecum, ut dixi, & iterùm replico, quod legi videbitur conformius ex duobus, & alterum deponant. & ſic ſecundum conſcientiam propriam procedant. & ſi contingat errare, quia fortè minus præceptum maiori præferunt, cum debeant vice verſa judicare; error non imputabitur ad culpam, ſi tamen ex culpa ſua non errent, hoc eſt, ſi non ſit eorum, quæ poterant, & tenebantur ſcire. In hoc enim ſenſu ſemper intelligendum volo, cum dico, quod ſi error contingat, excuſabit. Nec pro modo determino, an & quando ignorantia juris excuſet, vel ſit culpabilis: hoc enim alibi diſcutiendum eſt. Sed ſolùm hic intendo concludere, quod conſcientia ſemper obligat, etiam ſi dictet utrumque oppoſitorum eſſe peccatum; donec agens altero depoſito, alterum ſecundum propriam eius conſcientiam proſequatur. Sic enim certiſsimum eſt, quod non peccat contra conſcientiam: An autem peccet contra legem, hoc ex alia celebri quæſtione pendet, nempè an ignorantia juris ſit vincibilis vel invincibilis? ſeu an excuſet, & quando, vel non? quæ infra examinabitur.

50 Ad alia denique exempla de detentis in carcere, de nemorum, & Gregum cuſtodibus, & ſimilibus, dico quod valdè diſpar eſt ratio: Nam detenti in carcere quantumcumque conſcientiam habeant de peccato, ſi ſacrum non audiant, procul dubio non peccant, quia non agunt aliquid contra conſcientiam ſuam, ſed patiuntur, ac proindè judicium illud erroneum eſt purè ſpeculativum, nec conſcientia appellari poteſt, quia non dictat, nec dictare poteſt voluntati, quod imperet executionem operis ſibi impoſſibilis, ſed ad ſummum dictare poteſt advenire ei peccatum ex detentione illa, abſque eo quod ipſa illud faciat. quod eſt judicium potiùs de exiſtentia peccati in ipſa, quam de factione ſeu praxi ipſius peccaminoſa, atque ideò eſt purè ſpeculativum; ad quod procul dubio non ſequitur peccatum, ut optimè ait idem P. Tamburinus, nam hoc ſequitur ad actum voluntatis, & non ad judicium illud intellectus. Et idem eſt de nemorum, & Gregum cuſtodibus, & ſimilibus, ſi tamen ſit in eis eadem phiſica impotentia vel ob loci diſtantiam, vel ob aliam cauſam. Secùs verò ſi ſit eis poſsibilis executio, nam tunc dicendum eſt de iſtis, ſicut ſupra de aliis dictum eſt.

CAPUT QUARTUM.

De depoſitione conſcientiæ erroneæ.

§. UNICUS.

Qua via ſit deponenda conſcientia erronea dictans aliquid eſſe agendum vel non agendum?

51 OStendimus præcedenti capite conſcientiam erroneam dictantem aliquid eſſe agendum, vel non agendum, ſemper obligare, niſi deponatur. Nunc verò videndum eſt, qua via poſſit, & debeat deponi?

52 Circa hanc difficultatem ſunt variæ opiniones. Quidam enim dicunt deponendam eſſe per rationem aliquam validiorem, quæ vincat errorem illum intellectus; Alioquin temerè deponeretur. Ita P. Vaſquez *p. 2. diſp. 67. c. 1. n. 5.* apud P. Thomam Tambur. *lib. 1. de conſc. cap. 3. §. 2. n. 9.* Quidam verò aiunt ſufficere rationem aliquam probabilem in oppoſitum, etiam ſi ſit minùs probabilis oppoſita ratione

Digitized by Google

tione ſtante pro conſcientia illa erronea. Ita P. Tamburinus cum aliis *loc. cit. n.* 12. fundatus in eo, quod pro nunc certum ſupponit, licere ſcilicet unicuique operari ſecundum opinionem practicè probabilem, etiam relicta probabiliori. Aliqui autem reſpondent diſtinguendo: quod ſi conſcientia erronea nulla fuerit ratione ſulcita, poterit itidem abſque ulla ratione deponi. ſi autem alicui rationi ſuerit innixa, nec poterit niſi oppoſita aliqua probabilitate deponi. Ita P. Merolla cum aliis quos citat, & ſequitur P. Bardi *de conſc. diſp.* 3. *cap.* 11. *n.* 5. apud Tambur. *loc. cit. n.* 11. Denique aliqui cenſent deponi etiam poſſe abſolutè per puram non acceptationem judicii erronei, reſpuendo illud ut erroneum, cum ſimplici quadam adhæſione ad oppoſitum, & ſub iſta credulitate ſe ad opus applicando, quantumvis agens nullam pro ſe habeat rationem, qua error ille poſitivè convincatur. Ita Caietanus 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. Ubi ſic habet: *Depoſitio erroneæ rationis fit non ſolùm per oppoſitam rationem expellentem ignorantiam, aut per veritatis cognitionem, ſed etiam per excluſionem ad applicationem ad opus. v. g. Mulier audiens à Prædicatore, quod uti alienis capillis eſt peccatum mortale, quia eſt ſimulatio; Concipienſque ex ratione audita, & authoritate Prædicatoris talem uſum eſſe peccatum mortale: & ex alia parte vellet uti huiuſmodi capillis: Et indè ratione, hinc appetitu movente, neſcit ſolvere motiva rationis erroneæ contrariæ appetitui ſuo. tamen putans abſque ſolutione rationis id ſibi licere, utitur talibus capillis. In hoc, & ſimilibus non eſt propriè loquendo voluntas diſcordans à ratione errante, quia non fit contra conſcientiam. Et ratio eſt quia licet maneat ratio errans in ſe, non manet tamen applicata ad hoc velle, nec actualiter, nec virtualiter, ſed deponitur applicatio illa, ac per hoc erronea conſcientia, quæ in applicatione conſiſtit. Licitè autem hoc abſque ulla alia ratione fit, etiam ſi ex impetu, vel libito fiat; quia ratio erronea non habet in ſe undè liget, ſed quatenùs acceptatur. Undè ex quacumque cauſa non acceptetur, vel in ſe, vel in applicatione, non ligat*, huc uſque Caietanus.

53 Inter has autem opiniones, poſtremam cenſeo cum Caietano veram eſſe. Nam licet, ut verum fatear, via ordinaria & aptior conſcientiam erroneam deponendi, fit per rationem oppoſitam vincentem ignorantiam, ſeu quod idem eſt, per veritatis agnitionem: tamen quocumque alio modo procedatur ad illam deponendam, dummodò verè deponatur; ſatis eſt, & ſufficit, ut ſubſequens operatio ſine peccato fiat. Ratio huius potiſſima eſt, quia ut docet D. Thomas *quodlib.* 8. *a.* 13. duobus modis aliquis ad peccatum obligatur, vel ſcilicet faciendo contra legem, vel contra conſcientiam. Ergo ſuppoſito quod quis conſcientiam erroneam deponit, quocumque modo illam deponat, operando non peccat; Nam nec contra legem agit, cum opus illud re vera contra legem non ſit, ſed ſolum ex conſcientia erronea putabatur contra legem eſſe; Nec contra conſcientiam, cum hæc non ampliùs perſeveret in agente, ſi verè illam depoſuit, quocumque modo eam depoſuerit. Undè ſi quis erroneam conſcientiam ſuam cum ſuo motivo, quantumcumque intùs pulſantem ſentiat, eam tamen non acceptet, ſed parvipendendo illam, verè deponat, etiam nulla ratione adhibita oppoſitum convincente, aut ſuadente; ſed quia ſimpliciter credit oppoſitum in ſe verum eſſe, & format ſibi aliud dictamen ſeu conſcientiam, & ſecundum hanc operatur, procul dubio non peccat; quia jam ſic operando, & ſecundum legem, & ſecundum conſcientiam agit.

54 Sed contra urget P. Tamburinus *loc. cit. n.* 10. dicens: *Aio enim primò contra Caietanum, neceſſe eſſe, ut error deponatur ex vi alicuius rationis ſaltèm probabilis. Ratio eſt, quia ſecùs temerariè prius illud judicium licet in ſe erroneum, ſed à te non ut ſic cognitum relinqueres. Adde, ſi nulla affulgeat ratio contra eiuſmodi prius judicium, non poſſe intellectum judicare contrarium, quantumcumque à voluntate imperetur; Intellectus enim eſt potentia neceſſaria, quæ obiecto cuilibet non aſſentitur, niſi ex vi alicuius tandem veritatis viſæ in aliqua ratione ſaltem probabili.*

55 Ad hanc autem inſtantiam reſpondeo, utiquè negari non poſſe in huiuſmodi voluntaria depoſitione conſcientiæ erroneæ nonnihil temeritatis intervenire ex parte modi procedendi, quia ſine ſufficienti, & prudentiali motivo agens procedit ad deponendum errorem ſuum. Sed indè non ſequitur poſterius judicium, ſeù conſcientiam, veram rectamque non eſſe, aut eſſe inſufficientem ad licitè operandum, quia ſemel depoſito errore, & formato recto judicio, actio ſubſequens nec contra legem eſt, nec contra conſcientiam, ſubindèque nullo modo peccatum; Omne enim peccatum ex eo peccatum eſt, quia vel contra legem, vel contra conſcientiam agitur. Inde ergo agens non poteſt in ſpeciem peccati ſuæ actionis ſubſequentis incidere; ſed ad ſummum poteſt ex parte modi procedendi notari de imprudentia, & levitate in errore ſuo deponendo, & novo judicio formando, quod ſi aliquod peccatum eſt, alterius generis eſt, nempè puræ imprudentiæ, & inconſiderationis, quatenùs in agendo, & judicando deficit à modo prudentiæ, qui eſt veluti conditio quædam generalis omnium humanorum actuum; quidquid enim agit homo quantumcumque in ſe rectum & bonum, debet ſemper prudentiali modo illud agere. quod ſi ſecùs faciat, non proindè malum operabitur, ſed bonum & licitum, quantumvis fortè illud quodammodo malè ideſt leviter, & imprudenter agat. Sicut ſi quis imprudenter & inconſideratè ſagittam projiceret in via, nihil

Digitized by Google

penitùs advertendo periculum indè poſſibile homicidii, vel ſimilis damni, & re vera neminem læderet, deberet utique imprudentiæ, inconſiderationisque notari, ſed nullo modo homicidii vel alterius damni, quod non fuit; ſed ſolùm poterat evenire. Econtra verò ſi homicidium ſubſequeretur, Reus foret homicidii. Et eodem modo Reus eſſet homicidii, etiam ſi non ſubſequeretur, ſi homicidium indè poſſibile advertens, nihilominus ſagittam proiiceret. Et ratio huius eſt, quia peccatum non eſt niſi voluntarium aut formaliter in ſe, aut ſaltem virtualiter in cauſa; homicidium autem quod non eſt in re, nec aliquo modo fuit prædubitatum ab eo, qui imprudenter, & inconſideratè proiicit ſagittam, procul dubio voluntarium eſſe non poteſt, nec formaliter, & in ſe, ut conſtat; Neque virtualiter & in cauſa, nempè in ipſo proiectu ſagittæ, qui homicidii cauſa non fuit, imò nec illud virtualiter præcontinebat, ut alibi demonſtrabitur. At ſi prædubitatum fuit in ipſo proiectu ſagittæ, & nihilominùs neglectum; etiam ſi phiſicè non contingat, ſupponitur jam obiectivè præſens, & volitum formaliter ut coobiectum volentis cum connotatione talis periculi ſimul ſagittam proiicere.

56 Sic itaque qui conſcientiam erroneam imprudenter, & irrationabiliter, ac quadammodò temerè deponit & aliam in ſe veram, ac rectam ſibi format, & ſecundum iſtam, rectum ſeu licitum agit, poteſt utique imprudentiæ notari, ſed non proindè Reus eſſe poteſt in eo, quod judicavit agendum, & egit, quaſi malum aliquod egerit, aut judicaverit, cum id nullatenùs malum ſit; neque in illa imprudentiali depoſitione prioris conſcientiæ fuerit ut periculoſum prædubitatum, alioquin non eſſet prior conſcientia depoſita, ut ſupponitur. Econtra verò qui eodem prorſùs modo imprudenter rectam conſcientiam deponit, & novam ſibi format erroneam contra legem, ut contingit in eo, qui opinionem probabilem in ſe veram relinquit, & ſequitur aliam in ſe falſam, & contra legem, nedùm imprudentiæ notari debet in deponendo irrationabiliter conſcientiam priorem, ſed etiam Reus erit judicandus malitiæ ſui actus in propria ſpecie, quia quod eſt in ſe malum, & contra legem, voluntariè agit, non quidem formaliter & in ſe, ſed virtualiter, & in cauſa in illa ſcilicet voluntaria, & imprudentiali (ut pro nunc ſupponimus, & infra demonſtrabimus) depoſitione conſcientiæ prioris rectæ. Conſtat igitur ex dictis contra P. Tamburinum, & in gratiam Caietani non neceſſe eſſe ad depoſitionem prioris judicii erronei, ut quis licitè operetur, quod error deponatur ex vi alicuius rationis ſaltem probabilis. Neque ratio illa temeritatis ſeù imprudentiæ ex parte modi procedendi adducta à P. Tamburino hanc neceſſitatem convincit.

57 Ad id autem quod ibidem addit P. Tamburinus, quod ſi nulla affulgeat ratio contra eiuſmodi prius judicium, non poteſt intellectus judicare contrarium, quantumcumque à voluntate imperetur, quia intellectus eſt potentia neceſſaria, quæ obiecto cuilibet non aſſentitur, niſi ex vi alicuius tandem veritatis viſæ in aliqua ratione ſaltem probabili. Reſpondeo quod ſi P. Tamburinus loquatur ibi de ratione aliqua in ſe verè probabili; id eſt omninò falſum, alioquin nemo poſſet habere in intellectu ſuo errorem aliquem improbabilem, quia non poſſet ex P. Tamburino illi aſſentiri; quod experientia conſtat eſſe falſum, multi enim dicuntur habere errores intolerabiles, & formare judicia omninò temeraria. Et ulteriùs indè ſequeretur, in ſententia præcipuè eiuſdem Tamburini, omnia judicia quantumcumque erronea poſſe licitè ad praxim deduci, nec dari poſſe ignorãtiam vincibilem, & culpabilem, quia jam omnia ſupponerentur in aliqua ratione ſaltem probabili fundata, ſubindèque in ſe probabilia, quæ per ipſum unicuique licitum eſt ſequi, relictis oppoſitis quantumcumque probabilioribus, cum ſequens judicium ſeù opinionem probabilem, ut ipſe docet, ſemper prudenter agat, nec peccet. At ſi loquatur de ratione aliqua probabili largè ſumpta, & accepta pro aliquo motivo utcumque movente intellectum ad aſſenſum; ſic verum eſt, nam intellectus nihil accipit ut verum, niſi ex aliquo motivo videatur ſibi verum. Sed in hoc ſenſu quæcumque diſpoſitio ſubiecti; ſeù pia, vel prava affectio voluntatis inter motiva, & rationes inclinantes intellectum ad aſſenſum computari poteſt, nam quæ placent facilè credimus, iis verò quæ diſplicent, cum difficultate aſſentimur. Et multotiès experimur nonnullos, qui propria commoda affectant, quidquid ex lege arduum ſibi faciendum proponitur, ut falſum reſpuere, & oppoſitum judicare ſibi omninò licere, non ex alia ratione, niſi quia impoſſibile eis videtur, quod extet lex tàm ardua præcipiens; & ſic pro ratione arduitatem ſufficiunt, quam averſantur, & indè conſcientiam legis deponunt. Hinc Hieronymus *lib. 1. comm. in cap. 5. Matth.* dicit: *Multi præcepta Dei, imbecillitate ſua, non Sanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia, quæ præcepta ſunt: & dicunt ſufficere virtutibus, non odiſſe Inimicos: cæterùm diligere, plùs præcipi, quàm humana natura patiatur.* Ecce judicium erroneum de impoſſibilitate præcepti, non ex alia ratione procedens, quàm ex propria imbecillitate, teſte Hieronymo. Menſura ergo veritatis in huiuſmodi hominibus ipſorum imbecillitas eſt, hæc pro ratione ſufficitur, cui innixi judicium formant erroneum. Sed hæc certè ratio probabilis non eſt, ſed pura prava diſpoſitio ſubiecti, & mala affectio voluntatis, quà infectus, & præoccupatus intellectus falſum accipit pro vero.

58 Hinc etiam D. Thomas 2. 2. q. 60. a. 3. in

Digitized by Google

in corp. cauſas ſeu motiva aſſenſus, & judicii temerarii aſſignans dicit: *Contingit ex tribus. Uno quidem modo ex hoc, quod aliquis ex ſeipſo malus eſt, & ex hoc ipſo quaſi conſcius ſuæ malitiæ faciliter de aliis malum opinatur, ſecundùm illud Eccleſ. 10. in via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat. Alio modo ex hoc, quod aliquis malè afficitur ad alterum; cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut iraſcitur, vel invidet ei, ex levibus ſignis opinatur mala de ipſo, quia unuſquiſque faciliter credit, quod appetit. Tertio modo procedit ex longa experientia. Undè Philoſophus dicit in 2. Reth. quod ſenes ſunt maximè ſuſpicioſi, quia multoties experti ſunt aliorum defectus. Prima autem duæ ſuſpicionis cauſæ manifeſtè pertinent ad perverſitatem affectus. Tertia verò cauſa diminuit rationem ſuſpicionis, inquantum experientia ad certitudinem proficit, quæ eſt contra rationem ſuſpicionis.* Ubi manifeſtè conſtat quod D. Thomas ſuſpiciones, & judicia temeraria (quæ ibi ſub nomine ſuſpicionis comprehendit, ut mox oſtendam) præcipuè primi, & ſecundi modi, ad perverſitatem affectus reducit, tamquam ad cauſam undè procedunt; & ſi quæ ſigna ſimul quandoque concurrunt, ea levia ſunt, non probabilia, ut conſtat ex textu D. Thomæ; & nihilominùs judicia ſunt, quæ format intellectus, iiſque aſſentitur, & quandoque firmiter atque tenaciter pro gradu perverſitatis affectus, undè movetur ad judicandum. Undè idem D. Thomas ibidem immediatè poſt ſubdit: *Et ideò ſuſpicio vitium quoddam importat, puta perverſitatis affectus, & quantò magis procedit ſuſpicio; tantò magis eſt vitioſum. Eſt autem triplex gradus ſuſpicionis. Primus quidem gradus eſt, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicuius dubitare incipiat; Et hoc eſt veniale, & leve peccatum, pertinet enim ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur .... Secundus gradus eſt, cum aliquis pro certo malitiam alterius affirmat ex levibus indiciis, & hoc, ſi ſit de aliquo gravi, eſt peccatum mortale &c.* Ecce quomodo quandoque judicium certum format intellectus (quod procul dubio temerarium eſt) ex levibus indiciis, quæ probabilia non ſunt, & perverſitate affectus judicantis. Nihil ergo obſtat in re noſtra, quod quis ex affectione ad proprium commodum, ſi ab alio accipiat, puta à Prædicante (ut ſiſtam in exemplo Caietani ſupra adducto) quod uti alienis capillis ſit peccatum mortale, quia eſt ſimulatio, & indè formet ſibi conſcientiam erroneam; illam ſine ulla ratione probabili tandem deponat, judicetque pro affectione ſua eſſe falſam, præcipuè hoc leviſſimo principio comitante, quod id ſibi durum videtur, & jugum divinæ legis dicitur ſuave; quantumvis ex hoc nec probabiliter evincatur falſitas prioris conſcientiæ ſuæ. Et hoc eſt, quod veriſſimè docet Caietanus.

59 In deponendo ergo judicio erroneo, & recto formando, ut licitè ſecundùm illud quis operetur, non opus eſt ratione aliqua probabili, ſed ſatis eſt, quod utcumque deponatur judicium illud ſeu conſcientia, & alia de novo recta formetur, quod fieri poſſe pro varia diſpoſitione ſubiectorum non eſt dubitandum, licet tunc ex modo procedendi aliqualis eorum defectus imprudentiæ, & temeritatis ibi interveniat, qui non inficit rectitudinem rei judicatæ, & operationis ſubſequentis. ut oſtenſum eſt; inficeret autem ſi oppoſito modo quis rectam conſcientiam deponeret, & cum erronea committaret, quia tunc actio ſubſequens in ſe prava, & contra legem, ut virtualiter voluntaria imputaretur in imprudenti illa, & temeraria depoſitione conſcientiæ prioris rectæ, quæ procul dubio voluntariè facta præſupponitur.

60 Præterea ad hominem contra Authores adverſæ ſententiæ ſic arguo: Per eos deponenda eſt conſcientia erronea, & optimè deponitur per rationem aliquam validiorem, ut putat P. Vaſquez, vel ſaltem per rationem probabilem ſuadentem oppoſitum, etiam ſi ſit minus probabilis motivo ſtante pro errore, ſicut ait P. Tamburinus. Sed probabilioritas iſta, vel probabilitas præcipuè ſi ſit minor cum ſemper ſit cum formidine oppoſiti, non deiicit probabilitatem erroris, ſed illum in ſua probabilitate relinquit, ut ipſimet concedunt. ergo ex vi eiuſmodi probabilitatis non ſufficienter deponitur error, ac proindè, nec ſine temeritate. & tamen ipſi credunt, quod quantumvis error ille adhuc in ſua probabilitate, ſicut antea, perſiſtat; Nihilominùs ſine temeritate deponitur accedente ratione illa oppoſita probabili. Cur igitur non hoc ipſum dici poteſt, accedente oppoſita bona fide ſeu credulitate? Scio eos maiorem vim tribuere probabilitati, quam profectò credulitati illi non tribuunt. Sed quid indè? Cur non ponderant, quod vis illa major non interimit hoſtem, nempè errorem, ſed ab illo ſimpliciter declinat: non vincit, ſed fugit. At declinare ab hoſte æquè poteſt vis maior, ac minor; dummodò hæc verè ab hoſte illo recedat, ſicut illa. Ergo ſi verè quis per oppoſitam credulitatem à conſcientia erronea utique ſibi hoſte recedit, non magis ab illa interimi poſſe timere debet, quàm qui per rationem probabilem, aut probabiliorem. Uterque autem ab ea declinando, ac fugiendo, ponetur in tuto; ſicut uterque peribit, niſi effugiat ab illa.

61 At inquiet aliquis ad hominem contra me, quod ſupra in caſu quo quis conſcientiam haberet de peccato utriuſque partis oppoſitæ, docui teneri illum ſecum conſilium adhibere, & quod tutius pro lege judicaverit, eligere. Nunc dico, quod abſque ulla ratione, ac proindè abſque ullo conſilio, poſſum conſcientiam erroneam non acceptare, eamque ex proprio impetu reiicere: quæ dicta cohærere non poſ-

ſunt;

ſunt; cum tamen utrobique videatur pariformiter diſcurrendum.

62 Reſpondeo primò in promptu diſparitatem eſſe, quia ibi in caſu illius perplexitatis periculi eſt tranſgreſſionis legis, cum ex duabus illis partibus oppoſitis neceſſe ſit alteram earum ſtare ſub lege, à qua non poteſt homo pro ſuo libito ſolvi, ac proindè oportet, ut meliori modo, quo poteſt, videat ne legem ſolvat, & contra illam peccet. At in præſenti ſupponitur homo ſolutus à lege, & ſolùm ab erronea ſua conſcientia ligatus: Sicut ergo ipſe ſe ligavit per errorem ſuum, ita ipſè poteſt ſe ſolvere depoſito errore. Nec refert, quod ſe ligaverit per errorem ex aliqua ratione illum ſuadente, quaſi quod indè teneatur ad errorem deponendum ex aliqua ratione oppoſita convincente, aut diſſuadente. nam ratio illa non habet utcſique eum ligare, ſed quatenùs agens ſinit ab ea trahi ad aſſenſum, vel ſaltem ad dubium practicum; quapropter quandocumque ab aſſenſu illo, ſeu dubio, iterum retrahitur, manet, quaſi non eſſet, omninò impotens ad ligandum, nam vim quam habebat, ex applicatione eius ad agibile hic, & nunc habebat, quæ ab agente ipſo fiebat, illi practicè ſuccumbendo: At ſi ſemel agens eius jugum excutit, non ampliùs illi ſuccumbendo, jam manet à vinculo illius ſolutus, hoc ipſo, quod eam nec acceptat, nec applicat, neque illi pulſanti aperit, ſed foras reiicit, & excludit quaſi hoſtem ſibi inſidiantem credens, per ſimplicem quamdam apprehenſionem, & credulitatem ſine ullo diſcurſu, & quaſi impetu quodam ſeu inſtinctu naturalis luminis interiùs ſuo modo affulgentis, quo non credit errare, nec errat; cum de facto ita ſit.

63 Secundò quia apprehenſio illa in ſe recta, licet ſine ratione aliqua ſit, nihilominùs ipſi hic, & nunc vera videtur, & ratio oppoſita ſaltem practicè falſa, dum interim non ampliùs ab illa ſuadetur, nec applicabilis ab ipſo creditur, ſed reiicibilis, ut falſa; hoc enim quoddam ſibi ſanum conſilium tunc eſt, non per modum diſcurſus, ſed per modum ſimplicis apprehenſionis, in qua bona fide quieſcit, abſque ullo rationum circuitu, vel motu aliquo intellectus practici. quo conſilio formatur ei conſcientia recta, & erronea evaneſcit: ac proindè agendo, ſecundum conſcientiam agit, nec peccare poteſt, cum opus ſit de facto tunc, & ſecundum legem, & ſecundum conſcientiam.

CAPUT QUINTUM.

De altera principali proprietate conſcientiæ, quoad vim excuſandi.

§. UNICUS

An conſcientia erroneè dictans aliquid non eſſe peccatum, excuſet?

64 Diximus in ſuperioribus conſcientiam etiam erroneam, ſi dictet aliquid agere vel non agere peccatum eſſe, ſemper ad peccatum obligare, donec deponatur. Nunc verò inquirimus an ſi vice verſa erroneè dictet non eſſe peccatum id, quod in ſe peccatum eſt, excuſet à peccato, ſi agens illud agat juxta errorem ſuum?

65 D. Thomas *p. 2. q. 19. a. 6.* reſpondet quæſito diſtinguendo: *Si ratio* (inquit) *vel conſcientia erret errore voluntario vel directè, vel propter negligentiam, quatenùs eſt error circa id, quod quis ſcire tenetur; tunc talis error, non excuſat. Si autèm ſit error, qui cauſat involuntarium, proveniens ex ignorãtia alicuius circumſtantiæ abſque omni negligentia, tunc talis error excuſat. Puta ſi ratio errans dicat, quod homo teneatur, vel poſſit ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti, eſt mala, eo quod error iſte provenit ex ignorantia legis Dei, quam ſcire tenetur: ſi autem ratio erret in hoc, quod credat aliquam mulierem ſubmiſſam eſſe ſuam uxorem, & ea petente debitum, velit eam cognoſcere, excuſatur voluntas eius, ut non ſit mala, quia error iſte eſt ex ignorantia circumſtantiæ, quæ excuſat, & involuntarium cauſat.* Huc uſque D. Thomas.

66 In qua reſponſione duo ſunt mihi notatu digna: alterum eſt reſponſio ipſa bimembris, quod ſcilicet ſi error ſit aliquo modo voluntarius, ſive directè, quatenùs nempè non vult ſcire, quod aliàs poterat, & tenebatur ſcire; ſivè indirectè, quatenùs ob ſui negligentiam idipſum neſcit, non excuſat. Si verò non ſit voluntarius, ſed provenit ex ignorantia alicuius circumſtantiæ abſque omni ſui negligentia, tunc excuſat. Alterum eſt, quod tam in dicta reſponſione, quam etiam in exemplo quod adducit, ſupponit quod error proveniens ex ignorantia alicuius circumſtantiæ, ſi non ſit ibi aliqua negligentia, ſit involuntarius. Quod tamen non videtur ſupponere de errore, qui provenit ex ignorantia legis Dei, quinimò de hoc abſolutè pronunciat, quod non excuſat eo quod error iſte provenit ex ignorantia legis Dei, quam homo ſcire tenetur. Quaſi quod velit tacitè dicere, quod ignorantia juris ſemper faciat voluntarium errorem, ſemperque culpabilem. Et rationem reddit, quia jus ſeu legem tenetur homo ſcire; per quod inſinuat, quod poteſt ſcire ſi velit; ſi enim non poſſet aliquando, non teneretur, nam ad impoſſibile nemo tenetur. Ac proindè paucis verbis videtur docere, quod ignorantia juris ſemper ſit vincibilis per ſcientiam, quam quilibet, & poteſt, & tenetur quærere, niſi eam vel directè nolit, vel ex voluntaria negligentia non inveniat, ac propterea erit ei error voluntarius, & imputabilis ad culpam, & numquam excuſans. Non ſic autem dicit de ignorantia facti, qualis eſt ignorantia alicuius circumſtantiæ, ſed ſupponit abſque negligentia contingere poſſe, & omninò involuntariè.

Cum

67 Cum igitur adæquata reſolutio præſentis quæſiti unicè, & totaliter pendeat ex qualitate ignorantiæ, undè provenit dictamen illud erroneum conſcientiæ, nempè de licito, quod aliàs in ſe illicitum eſt; vix videtur difficultati in titulo propoſitæ ſatisfieri poſſe, niſi gravis priùs quæſtio illa diſcutiatur de ignorantia juris, qualis nimirùm in ſe ſit, vincibilis, aut invincibilis, ſeù culpabilis, aut inculpabilis. Verùm quia quæſtio hæc præ ſui difficultate non perfunctoriè tractari debet, eam alibi opportuniùs examinandam cenſeo, nempè in ſecunda parte huius tractatus. Ubi fusè, & ex profeſſo agitabitur præviè ad quæſtionem alteram etiam hac tempeſtate celebrem de probabilitate, utpotè quæ ad eius reſolutionem plurimùm conducit.

68 Quare pro nunc ſatis eſt ad præſens quæſitum cum D. Thoma reſpondere, quod ſi, dùm conſcientia erronea dictat licere, id quod in ſe illicitum, & contra legem eſt, proveniat error ex ignorantia vincibili, non excuſat. Si verò proveniat ex invincibili ignorantia, excuſat. Quæ reſolutio certiſſima eſt, & in ea conveniunt Theologi omnes. Ratio primi eſt, quia ubi ignorantia vincibilis eſt ab agente per ſcientiam veritatis, vel alio modo, tenetur eam vincere, & ad legis ſcientiam pervenire actum prohibentis, antequàm actum illum faciat; alioquin convincitur nolle ſcire, aut velle negligere legem, ut liberiùs agat, quod vult, jam lege contempta; ac proindè fit ei voluntaria transgreſſio legis, & peccat. Ratio autem ſecundi eſt, quia ubi ignorantia invincibilis eſt, reddit actum illum in ſe illicitum, & lege prohibitum, omninò involuntarium agenti ſub ratione illiciti ſeù prohibiti à lege, cum nec legem videat, neque ex ſua culpa illam non videat, cum nec velit non videre, nec negligat; ſed non videt, quia ſibi ſit impoſſibile eam videre, ac proindè actus ille fit ei omnino involuntarius ſub ratione illiciti ſeu prohibiti à lege, tum directè, tùm indirectè, & ideò non peccat, quia peccatum non eſt niſi ſit aliquo modo voluntarium, ſivè directè, & in ſe, ſivè indirectè & in ſua cauſa. Cauſa autem actus huius illiciti in eiuſmodi agente ignorantia eſt, quam abſque omni prorsùs ſua voluntate incurrit, hoc ipſo quod ſit ei invincibilis, & ſine eius aliqua culpa. Sed quando talis ſit, vel non, ex quæſtione inferiùs agitanda pendet de ignorantia invincibili. Undè eò lectorem remittimus, ſi velit ad plenum ſatisfieri.

CAPUT SEXTUM.

De Conſcientia dubitante.

§. I.

Explicatur quid ſit? & quotuplex ſit dubium?

69 Conſcientia dubia, ut ſupra, dictum eſt impropriè conſcientia dicitur, quia non importat judicium aliquod, ſeu dictamen intellectus, in quo propriè conſcientia ſita eſt; ſed potiùs eſt ſuſpenſio quædam judicii; qui enim dubitat de aliquo agibili, nullam habet de illo conſcientiam formaliter loquendo, niſi fortè obiectivè, ut loquitur P. Bardi *diſcept. 5. de conſc. dub.* quatenùs ſcilicet dubitans habet judicium quoddam reflexum de ſua dubitatione; & tale judicium poteſt aliqualiter dici conſcientia obiectivè dubia. Verum quia ipſa formalis dubitatio conſuevit conſcientia dubia appellari, ideò ſub eodem nomine compellor hìc ea tractare, quæ ad ipſam formalem dubitationem, ſeu dubium, moraliter pertinent.

70 Eſt itaque dubium motus quidam intellectus interminatus ſuper utramque partem contradictionis. Dicitur autem motus intellectus ſuper utramque partem, quatenùs intellectus dubitans, cogitando nititur judicium aliquod ferre de obiecto, quale ſcilicet in ſe ſit, vel non ſit; ac proindè quaſi quodam motu inquiſitionis fertur in illud: At quia non habet undè magis hoc, quàm illud de obiecto judicare poſſit, atque ideò judicium ſuſpendit, dicitur motus interminatus. Et hoc contingit, vel quia nulla occurrit ratio ſufficiens, ut poſſit magis unam partem, quàm aliam judicare: vel quia pro utraque parte ſunt æquales rationes, ita ut non magis poſsit ab uniſs in unam partem, quàm ab aliis in aliam per determinatum aſsenſum inclinari. Et ſiquidem primo modo ſe habeat intellectus, appellari ſolet eius dubium negativum: Si autem ſecundo modo, dubium poſitivum dici ſolet.

71 Sed hìc eſt notanter advertendum, quod definitur dubium ſtrictè ſumptum, quod ſcilicet eſt abſolutè, & ſimpliciter dictum, de hoc enim verificatur ſuſpenſio iſta judicii, nam ille dicitur abſolutè, & ſimpliciter dubitare, qui neutri parti contradictionis aſſentitur, ſed manet anceps, & ſuſpenſus ab omni determinato aſsenſu, & judicio: ſicut vox ipſa ſignificare videtur; dubitare enim vox eſt compoſita ex termino numerali, duo, & verbo frequentativo, ito, quod idem ſonat, ac, duo itare, & idem eſt, ac frequenter, & viciſſim ire in duas partes contradictionis, quaſi de una in aliam, & de hac in illam, in neutra autem firmari, quod eſt de neutra parte judicium ferre, ſed ſuſpendere omne determinatum judicium. Cæterum ſi dubium non ita ſtrictè ſumatur, ſtat ſimul cum judicio alterius partis determinatæ, non tamen firmo, ſed fluctuante, & permixto cum dubietate partis oppoſitæ; & tunc confunditur cum dubio in opinione intrinſecè, & eſſentialiter imbibito, ſeu cum eius formidine, quam claudit de oppoſita parte. Id quod conſultò adnotare volui contra eos, qui acriter defendunt cum dubio non eſſe compoſſibilem aſſenſum ſeu judicium alterius partis, ſubindeque, nec cum opinione dubium. Credunt

enim

enim iſti dubium excludere omne judicium, & aſſenſum: & judicium ſeu aſſenſum omnem dubitationem. Ex quo conſequenter aſſerunt, quod in aſſenſu opinionis probabilis, cum quo eſſentialiter connectitur formido partis oppoſitæ, formido illa non reſolvitur in dubitationem, ſtante tali aſſenſu in unam partem, ſed iſto ceſſante. Ita Pater Cardenas *tractatu 1. de probabil. diſp. 6. cap. 5. n. 71. & alii.*

72 At iſtorum doctrina mihi multùm diſplicet, quia rationi, ac veritati adverſatur, & D. Thomæ. Rationi quidem, & veritati, nam in ipſo motu intellectus eſt graduum latitudo in acceſſu vel receſſu ab una, vel altera parte, ſive ab utraque: Atque ideò ſi æquè ab utraque diſtet, quatenùs deficientia rationum utriuſque partis, aut pondus æquè libratum earum ſiſtit intellectum in medio, ita ut non ſinat illum uni magis, quam alteri parti accedere, tunc erit abſolutè, & ſimpliciter dubius, & ab omni judicio ſive aſſenſu ſuſpenſus. at ſi pondus rationum unius partis magis illum trahat ad ſe, ita ut hanc partem potiùs teneat, quàm oppoſitam; non tamen ita firmè, quod non ſentiat à contrapoſito pondere alterius partis trahi in aſſenſum ejus, tunc erit ſimul, & aſſentiens uni, & dubitans de parte oppoſita, imò etiam de eadem parte, cui aſſentitur; quia aſſenſus ille incertus, & non firmus eſt, hæſitans, atque vacillans, ac proindè dubius. Et ita contingit in opinante; habet enim opinans aſſenſum unius partis cum formidine ſimul partis oppoſitæ; formido autem oppoſitæ partis dubietatem quamdam importat. Neque enim aliter explicari poteſt, quid ſit intellectum formidare de oppoſita parte, niſi timere ne fortè hæc potiùs vera ſit, & non illa cui præbet aſſenſum: ſic autem timere quid eſt niſi dubitare de veritate utriuſque partis? Ergo aſſenſus formidoloſus, cujuſmodi eſt opinativus, aliqualiter dubius eſt, ac proindè ejuſmodi aſſenſus compoſſibilis eſt cum dubietate, imò neceſſariò cum ea connexus. Nam licet tunc non ſuſpendat ſimpliciter judicium, ſuſpendit tamen illud aliqualiter, & ſecundum quid, hoc eſt ſub ratione judicii certi, & indubitabilis, ita enim judicat de parte illa, ut non judicet de illa certò, & indubitanter, & hæc aliqualis ſuſpenſio judicii eſt cum ipſo judicio compoſſibilis, & ad aliqualem dubitationem ſufficiens; licet hæc dubitatio minor ſit eâ, quæ eſt abſolutè, & ſimpliciter talis, & quæ omnem aſſenſum, & judicium totaliter ſuſpendit: Et in hoc differt dubium abſolutè, & ſimpliciter dictum à dubio, quod reperitur in aſſenſu opinativo. quare de dubio diſtinguendum eſt, quod nempè duplex ſit: Aliud quidem æquale ex utraque parte contradictionis; & hoc importat ſuſpenſionem totalem cujuslibet aſſenſus ſeu judicii. Aliud verò inæquale, & cum præponderatione in alteram partem; & hoc importat ſuſpenſionem quamdam ſecundum quid, ut explicavimus, & ſtat cum aſſenſu, & judicio unius partis. Et oppoſitum dicere, manifeſtè conſtat, rationi, & veritati penitùs adverſari.

73 Adverſatur item, ut dicebam, D. Thomæ *q. 14. de verit. a. 1.* Ubi ſic habet: *Intellectus noſter reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimodè: quandoque enim non inclinatur magis ad unum quàm ad aliud; vel propter defectum moventium, ſicut in problematibus, de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem; Et iſta eſt diſpoſitio dubitantis. Quandoque verò intellectus inclinatur magis ad unum, quàm ad alterum; ſed tamen illud inclinans non ſufficienter movet intellectum ad hoc, quod determinet ipſum in unam partem totaliter: undè accipit quidem unam partem* (ecce aſſenſum) *tamen ſemper dubitat de oppoſita* (ecce ſimul dubitationem) *& hæc eſt diſpoſitio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Hæc D. Thomas. *Et idem docet 2. 2. q. 1. a. 4.* Ubi opinionem dicit tunc eſſe, *quando intellectus non ſufficienter movetur ab objecto in unam partem, & nihilominus in illam magis declinat, quàm in aliam, cum dubitatione, & formidine alterius partis.*

74 Conſtat igitur quod ſi præcitati Authores prætendunt abſolutè non eſſe compoſſibilem dubitationem cum aſſenſu probabili, ſicut videntur in ſuis propriis terminis prætendere, non benè dicunt. Si verò ſolùm prætendunt ab aſſenſu probabili excludere dubitationem illam ſimpliciter dictam, quæ ſcilicet æqualis eſt ex utraque parte contradictionis, & cum totali ſuſpenſione judicii ſeu aſſenſus; ſic nulla eſt controverſia, nec poteſt ab aliquo negari: ubi enim eſt aſſenſus aliquis ſeu judicium de aliquo, non poteſt ſimul de eodem eſſe totalis ſuſpenſio aſſenſus vel judicii. Sed per hoc non excluditur quod cum aſſenſu unius partis ſit compoſſibilis aliqua vera dubitatio, quæ ſcilicet inæqualis eſt inter utramque partem, ſicut evenit in opinante. Verum tamen eſt quod nos in præſenti dubium ſumimus ſtrictè, prout dicit ſuſpenſionem totalem aſſenſus ſeu judicii, quia agimus de conſcientia dubia, prout contradiſtinguitur à conſcientia probabili, de qua erit infra ſpecialis tractatus. Placuit autem ſuperiorem doctrinam tradere ad perfectam notitiam veritatis, quæ multùm proderit, cum de probabilitate agendum erit: Et hic valet ad intelligendum de qua conſcientia dubia in præſenti loquamur, ne videamur ab aliis diſcrepare, qui ſtrictè & rigoroſè dubietatem accipiunt, dum de conſcientia dubia inquirunt.

75 Dubium itaque iſtud ſtrictè ſumptum dividitur ulteriùs in practicum, & ſpeculativum. Quæ diviſio expreſsè, & ſub eiſdem terminis ferè ab omnibus recentioribus acceptatur. Nomine autem dubii ſpeculativi non venit hic dubium, quod ſit de objecto purè ſpecu-

culabili, & non agibili, nam tale dubium omninò impertinens eſt ad præſens noſtrum inſtitutum, ubi de moralitate agimus, quæ ſemper eſt practicè agendorum; ſed venit illud, quod licèt ex parte obiecti ſemper ſit practicum, quatenus de aliquo morali agibili eſt; tamen dicitur ſpeculativum, quatenùs eſt de honeſtate alicuius praxis utique, ſeu operationis; ſed non ut hìc, & nunc eligendæ, aut exequendæ ab ipſo dubitante; quo pacto ad rationem ſpeculativam pertinet. Practicum verò dicitur, quod eſt de operatione hìc & nunc ab ipſo dubitante agenda; itaut componat cum ſua dubitatione actum ipſum, ſeu opus quod agit; & ſic pertinet ad rationem practicam.

76 Scio aliquos dubium ſpeculativum, & practicum aliter explicare, & dicunt quod ſpeculativum eſt de operatione præciſa ab hìc & nunc, & à circumſtantiis individualibus; ut ſi quis dubitet ſi liceat die feſto iter agere præciſè. Practicum verò, dicunt, eſt de operatione conſiderata hìc & nunc cum circumſtantiis individualibus, ut ſi quis dubitet, ſi ſibi hìc, & nunc liceat hoc die feſto iter agere urgente ſibi hac neceſſitate. Et ideò ſubdunt quod poteſt quis de ſpecie alicuius actus dubitare ſpeculativè, & non dubitare de eodem actu in individuo ratione alicuius circumſtantiæ individualis tollentis dubitationem, cuiuſmodi eſt in exemplo adducto circumſtantia urgentis neceſſitatis hìc, & nunc ſuperadditæ.

77 Sed hæc explicatio non placet, nam non explicat dubium penès rationem practici, & ſpeculativi de eodem obiecto, ſed de obiecto diverſo, & nimis diſparato; aliud enim obiectum eſt iter in die feſto ſine neceſſitate, & iter in die feſto neceſſitate aliqua urgente; ſunt enim duo obiecta moraliter diverſa, & de unoquoque eorum, poteſt eſſe dubium tùm practicè, tùm ſpeculativè; & non de uno tantùm ſpeculativè, & de altero tantum practicè. Et ſimiliter unumquodque eorum poteſt conſiderari ut ſic, & præciſum ab hìc, & nunc & in ſua ſpecie; & ſecundùm hìc & nunc & in individuo. Et præterea neque poſſibile eſt quod quis dubitet de actu aliquo ut ſic, & in ſua ſpecie conſiderato; & non dubitet de eodem ſecundùm hìc, & nunc & in individuo, ſi verè ſit individuum ſub ea ſpecie contentum. Nam individuum non addit ſupra ſpeciem aliud quàm gradum individuationis, & hæcceitatem, quæ impertinenter ſe habet ad lineam moris; nec poteſt diverſimodè movere intellectum ad moraliter dubitandum, vel non dubitandum, quàm moveat actus in ſpecie conſideratus. Nec valet dicere quod in individuo interdùm ſit aliqua circumſtantia pertinens ad genus moris, ſicut in exemplo adducto de itinere in die feſto hìc, & nunc urgente neceſſitate: Nam hoc non eſt individuum verè contentum ſub ſpecie itineris in die feſto ut ſic; ſed ſub alia ſpecie, nempè itineris in die feſto urgente neceſſitate conſiderati ut ſic, & præciſi ab hìc & nunc; quo pacto non contingit dubitare de ſpecie, & non de individuo.

78 Et ideò diviſionem hanc de dubio practico, & ſpeculativo aliqui in moralibus non admittunt, ſed abſolutè eam reiiciunt, quia vident illam ſic ab iſtis Doctoribus explicatam, quam proindè inutilem cenſent ob prædicta motiva. At profectò ſi ea benè explicetur, nedùm utilis, ſed neceſſaria eſt.

79 Itaque diviſionem admitto. Eam tamen aliter explicandam cenſeo, & dico quod dubium ſpeculativum, & practicum ſunt de eodem omninò agibili cum eiſdem omninò circumſtantiis etiam individualibus: & differunt ſolùm per hoc, quod ſpeculativum non eſt cum applicatione ad opus exequendum, & agendum in re: Practicum verò eſt cum tali applicatione. Et hæc explicatio eſt conformis ad ea quæ diximus ſupra de ſcientia ſeu opinione morali, & de conſcientia, qualiter diſtinguantur. dubium enim practicum, & ſpeculativum explicari debent proportionaliter, ſicut & iudicium practicum, & ſpeculativum; quia dubium importat ſuſpenſionem iudicii; ac propterea ſi ſit ſuſpenſio iudicii ſpeculativi, erit ſpeculativum; ſi verò iudicii practici, erit practicum. Iudicium autem ſpeculativum eſt ipſummet iudicium ſcientiæ, vel opinionis, aut alterius habitus ſimiliter ſpeculativi, quod non eſt cum applicatione ad opus exequendum: Iudicium verò practicum eſt ipſummet iudicium conſcientiæ, vel prudentiæ, aut ſimile, quod eſt cum applicatione actuali ad opus exequendum, vel factum cum tali utique applicatione cognitionis. Ergo ſicut iudicium non ex quo eſt de obiecto ſub his, & non his circumſtantiis individualibus conſiderato dicitur practicum, vel ſpeculativum; ſed ex quo eſt, vel non eſt cum applicatione ad opus; ita, & dubium.

80 Ut autem diſtinctiùs totum hoc explicetur recolenda ſunt, quæ de conſcientia diximus, & placet hìc iterùm repetere, & magis explicare, ut clariùs intelligatur. Diximus itaque ſupra quod conſcientia idem ſonat, quod cum alio ſcientia, hoc eſt ſcientia ſeu cognitio cum applicatione ad opus. Sed hoc poteſt æquivocè ſumi, quaſi quod conſcientia ſit ipſum iudicium ſcientiæ ſeu alterius cognitionis moralis ſpeculativæ applicatum à voluntate agentis ad opus aliquod agendum hìc & nunc, ut tali judicio immediatè dirigatur, & ſub tali judicio immediatè agat; quod tamen falſum eſt; quia voluntas in agendo non utitur nec regitur immediatè judicio ſpeculativo, ſed practico. Non eſt igitur conſcientia tale judicium, ſcientiæ ſcilicet, vel ſimilis cognitionis ſpeculativæ cum applicatione ad opus, ſi formaliter loquamur; licet tale judicium poſſit conſcientia dici cauſaliter, & præſuppoſitivè, quate-

nus

nus ad illam præſupponitur, & eſt ſuo modo cauſa illius: intellectus enim eo utitur, & applicat, ut ex eo procedat ad aliud judicium formandum, nempè practicum, quod ſit dictamen immediatum operis hîc & nunc agendi, vel non agendi. Et hoc ſecundum judicium eſt verè, & propriè, ac formaliter conſcientia; hoc enim eſt formaliter cum applicatione ad opus hîc & nunc agendum immediatè, quia ſub hoc agens procedit ad agendum, & non ſub illo primo. Illud autem primum eſt purè ſpeculativum licet ſit de agibili etiam ſingulari, conſiderato ſcilicet cum omnibus circumſtantiis individualibus; quia judicat de illo ut ſic, & quaſi de individuo vagè, & ut ſic ſpeculando ſimpliciter de illo, quale ei ſecundùm ſe prædicatum competat ex duobus, liciti, vel illiciti; præſcindendo tamen ab applicatione actuali ad opus illud agendum, vel ſub tali applicatione factum: Undè nec dictat agenti quod hîc, & nunc illud agat, vel non agat; aut quod benè, vel malè egerit: Ad hoc enim aliud judicium requiritur, nempè ſecundum, quod utique practicū eſt, & hoc dicitur, & eſt formaliter conſcientia. Et ratio huius eſt, quia voluntas in agendo utitur, & regitur ratione ſeu intellectu practico: intellectus autem, ut communiter dicunt Philoſophi, de ſe ſpeculativus eſt, fit verò extenſione practicus, hoc eſt extenſione ad opus: hæc autem eius extenſio non poteſt alio modo fieri, niſi per quandam ſucceſſionem actuum; ita ut primò ſpeculetur opus in ſe, & de illo ſpeculativè judicet; poſtmodùm verò judicet cum applicatione; ſeù quod idem eſt dictet dirigendo ad opus: Neque enim hoc fieri poteſt per unum & eundem actum; alioquin idem actus eſſet ſimul ſpeculativus, & practicus, quod non facilè à Philoſophis admittitur. Ex quibus conſtat in quo judicio conſiſtat formaliter conſcientia, in illo ſcilicet quod eſt formaliter, & immediatè cum applicatione ad opus, & operis agendi immediatè dictativum, importans illud dictamen practicum factum agenti, ſub quo agens de facto agit, vel egit opus illud.

81 Et ex hoc etiam conſtat quid ſit dubium practicum, idem enim eſt in propoſito, quod conſcientia dubia, de qua diximus, quod propriè loquendo eſt defectus conſcientiæ, ſeu dictaminis, & judicii illius practici; ac per conſequens dubium practicum eſt defectus, & ſuſpenſio talis dictaminis; quod idem eſt ac dicere, eſt ſuſpenſio illius judicii cum applicatione ad opus, ita quod agens ſub tali ſuſpenſione, ſeu defectu talis judicii agat, vel egerit, ac proindè non ex conſcientia, ſed cum ſuſpenſione eius, & defectu, quod eſt cum conſcientia dubia agere, vel egiſſe; & hoc eſt propriè cum dubio practico agere. Si verò agens agat cum ſola ſuſpenſione judicii ſpeculativi, hoc eſt ſine eius applicatione ad opus modo explicato, tunc dicitur agere cum dubio ſpeculativo. Neque hoc videri debet impoſsibile, quia poteſt aliquis ſtante tali dubio ſpeculativo, & ad eius mentem pulſante, illud non audire; ſed aliundè, & ex oppoſita alia notitia, ſeu credulitate, formare ſibi judicium practicum oppoſitum, & conſcientiam, ſub eaq; immediatè agere, & ſic dicetur agere cum dubio ſpeculativo, non practico. Nunc autem difficultas eſt, an operans cum conſcientia dubia, ſeu cum dubio practico de honeſtate ſuæ actionis peccet, pro quo ponitur ſequens paragraphus.

§. II.

An operans cum conſcientia dubitante peccet?

82 De dubio ſpeculativo nulla eſt difficultas; nam communiter docent omnes, quod qui eſt tantùm ſpeculativè dubius, non peccat. Et ratio eſt, quia tunc in praxi dubium illud agens deponit, & ſecundum conſcientiam agit; niſi enim illud practicè deponeret, eſſet etiam dubius practicè, & cum conſcientia dubia operaretur; & ſic non eſſet tantum ſpeculativè dubius, ut ſupponitur. Si ergo ſecundùm conſcientiam agit, non peccat ex vi conſcientiæ: nunc autem de peccato ex vi conſcientiæ inquirimus; & non ex vi legis, ſi quæ fortè ſit in contrarium, & ignoretur; nam de hoc agemus intra ſuo loco, cum erit ſermo de ignorantia.

83 Quod ſi nonnulli de dubio ſpeculativo aliter ſentiant, id provenit eo quod, vel putant non poſſe aliquem ſpeculativè dubitare, quin ſit etiam practicè dubius: vel quia credunt dubium ſpeculativum applicari ad opus, & manere ſpeculativum: Conſtat autem utrumque falſum eſſe: Primum quidem, quia nihil obſtat quod, quis reflectendo ſupra fluctuationem ſui intellectus cum ſuo motivo, eam vanam credat, & ex ſua puſillanimitate procedere, ac proindè in praxi illam adhùc pulſantem reiiciat, & non acceptet, ſicut diximus ſupra de conſcientia erronea cum Caietano. Addo quod ſi gratis hoc eis concedatur, nihil indè ſequeretur contra nos, quia ſemper ex vi dubii practici iſte talis peccaret, quod tunc conſequeretur infallibiliter ad dubium ſpeculativum in eorum ſententia. Secundum etiam patet, quia hoc ipſo, quod dubium ipſum ſpeculativum jam ad opus applicatur, nos judicium illud practicum appellamus, & ſic ſit quæſtio de nomine cum illis, quatenùs illi adhùc illud ſpeculativum appellant; In re autem non diſſident. Difficultas igitur manet ſolùm de dubio practico, ſeu de conſcientia dubia.

84 Ad quam cum aliis communiter reſpondeo, quod qui cum conſcientia dubia aliquid operatur procul dubio ex vi eiuſmodi conſcientiæ ſeu dubii practici peccat, & eo genere peccati de quo ipſe dubitat, puta mortalis, vel venialis, etiam ſi in ſe ſit tantùm veniale,

ſe, vel nullum. Ratio huius eadem aſt proportionaliter, quam ſupra adduximus pro conſcientia erronea dictante aliquod eſse peccatum, quamuis in ſe tale non ſit. Nam voluntas non fertur in obiectum, niſi ſecundum; quod ſibi hic, & nunc à ratione proponitur: Si ergo ratio aliquod ſub dubio proponat ſit ne illud hic, & nunc ſibi peccatum mortale, vel veniale, eſto in ſe neutrum ſit jam voluntas in illud fertur, volendo illud qualecumque ſit, hoc eſt, etiam ſi in ſe tale ſit, quale dubitatur, & ſic vult illud formaliter non obſtante quod in ſe contingat eſse peccatum mortale, vel veniale, prout unum, vel alterum dubitatur, ac proindè formaliter rea convincitur unius, vel alterius generis peccati, de quo dubitatur.

85 Dixi autem (ex vi eiuſmodi conſcientiæ ſeu dubii practici) quia ex vi alterius capitis contingere poteſt, quod dubitans tantùm de veniali, adhuc mortaliter peccet, ut benè advertit Sayrus in ſua *Clavi Regia lib. 1. cap. 4. n. 15.* ut ſi agens ex ignorantia ſibi vincibili ab, quid faciat, quod in ſe ſit mortale, ipſe verò dubitet tantùm ne fortè ſit veniale, vel nullum, & ſub hac dubietate tantùm operetur: tunc enim mortaliter peccat, ſed non ex vi conſcientiæ dubiæ, ſed ex vi conſcientiæ erroneæ, qua illud putat non eſſe mortale; Eſt enim in eiuſmodi agente ſimul duplex conſcientia de eodem actu; una erronea qua credit pro certo non eſſe peccatum mortale; Altera verò dubia, qua dubitat ſit ne veniale vel nullum, atque ideò licet ex vi conſcientiæ dubiæ non ſit ampliùs, quàm de veniali condemnandus; ex vi tamen conſcientiæ erroneæ alias vincibilis, & ſibi imputabilis, de mortali eſt judicandus.

86 Inquires quid ſi aliquis dubitet de actu ſuo ſit ne peccatum, confuſè, nihil cogitando de mortali vel veniali, an mortaliter vel venialiter peccet? Reſpondent aliqui hunc talem peccare venialiter, fundati in hoc, quod a mortali excuſatur ex imperfectione actus. Exiſtimant enim, quod tunc actus voluntatis eius ſit imperfectus, & veluti indeliberatus, ſicut contingit in operationibus interdùm repentinis, & quæ fiunt ex impetu, & ex motibus primò primis, qui non fiunt ex plena deliberatione. Ita Valentia, Salas, Navarrus, & aliqui apud ipſum citati: Quod aliqui confirmant, quia peccatum ut ſic præciſum à mortali, & veniali, licet malitiam dicat, non tamen videtur claudere in ſe differentias illas malitiæ mortalis, aut venialis, à quibus præſcindit, ſed importat malitiam quamdam quaſi genericè, ac proindè minus malitiæ dicit, quam differentiæ illæ in ſeipſis; Si ergo ut ſic proponitur voluntati ab intellectu dubitante, convincitur voluntas de minori malitia, quam ſint in ſeipſis illæ differentiæ: minor autem illa malitia hoc ipſo, quod minor eſt nequit ad mortalem pertingere, ergo erit venialis.

87 At rationes iſtæ facilè reiiciuntur. Et prima quidem reiicitur negando, quod ibi ex parte voluntatis contingat imperfectio illa actus quaſi indeliberati; hæc enim tunc ſolum accidit, quando actus voluntatis directionem intellectus anteverrit, nec eius deliberationem expectat ſaltem perfectam, itaut non ſit homo plenè Dominus ſui actus, nec poſſit plenè, & abſolutè illum velle, & non velle ac cohibere, ſed quaſi raptus ex quodam impetu ſimplicis imaginationis, ratione dormiente, aut non plenè vigilante, naturaliter in actum illum erumpit, quod non evenit in caſu noſtro; Nam voluntas eiuſmodi dubitantis nihil habet ex obiecto illo ſic ſibi indiſtinctè propoſito, per quod actui ſuo aliquid perfectæ deliberationis deperreat; quandoquidem ad illum volendum ab intellectu pleniſſimè vigilante dirigitur. Nec refert, quod de mortali, vel veniali non cogitet diſtinctè, & explicitè, dummodò de peccato cogitet, dubitando ne fortè hic, & nunc in ſua operatione individuali committatur; Nam peccatum, quod hic, & nunc dubitativè proponitur in individuo, non eſt peccatum metaphiſicè abſtractum, & univerſale, & quaſi totum potentiale præſcindens à differentiis ſpecificis moralitatis mortalis, & venialis, & eas actu non includens; ſed eſt peccatum ſingulare, & individuum determinatum determinatione actuali diſiunctiva, hoc eſt, vel determinatè mortale, vel determinatè veniale, & ſub hac confuſione proponitur, hoc ipſo, quod in individuo proponitur, licet non explicet quale eorum determinatè dubitetur: ergo dum ſic deliberatè amplectitur, convincitur voluntas ſe velle deliberatè peccatum actu determinatum ad mortale, vel veniale ſub diſiunctione confuſum, hoc eſt ſive unum, ſive aliud ſit; quod eſt dicere, velle deliberatè illud qualecumque ſit in ſe, & determinatè; unde non excludit mortale, ſed includit, licet non explicet, nec cogitet, quia negligit cogitare, cum poſſit, & de facto teneatur; & hoc oritur ex affectu ad opus illud, quod omninò deliberatè vult, qualecumque ſit, ergo nequit excuſari à mortali, quaſi agens ex imperfectione actus, & quaſi indeliberatè. Et per hanc eamdem doctrinam manet reiecta ſecunda ratio, quæ adducebatur in confirmatione.

88 Reſpondeo itaque cum aliis ad quæſitum, eiuſmodi dubitantem peccare mortaliter. Ita tenet *Vaſquez in 1. 2. diſp. 59. cap. 3. n. 10. Azorius tom. 1. lib. 2. cap. 8. q. 6. Clavis Regia lib. 1. cap. 4. n. 17. Reginaldus lib. 11. tom. 1. n. 32. Caſtropalaus, & alii apud Antoninum Dianæ p. 1. tr. 7. reſ. 24. & alibi.* Probatur autem ratione ſuperiùs adducta, quia qui ita operatur convincitur opus velle, qualecumque in ſe ſit vel mortale, vel veniale, ac proinde formaliter velle illud, etiam ſi ſit mortale, ergo mortaliter peccat; non minùs quàm qui habet conſcientiam dictantem de mortali; qui enim ſic dubitat, habet implicitè conſcientiam di-

ſtantem dubitativè, & de mortali, & de veniali, non copulativè, ſed diſiunctivè, ut dictum eſt.

89 Verùm pro maiori intelligentia veritatis, ſcire oportet, quod dupliciter contingere poteſt aliquem dubitare de actione ſua ne ſit peccatum, nihil cogitando de mortali vel veniali: primò ſupponendo implicitè non eſſe mortale; & tunc eius dubium, licet non cogitet explicitè de veniali, de ſolo veniali implicitè procedit; ac proindè in tali caſu ſolùm venialiter peccat, operando. Secundò, non præſupponendo illud non eſſe mortale, ſicut nec præſupponit non eſſe veniale; & tunc eius dubium implicitè eſt de utroque diſiūctivè; atque ideò, operando, mortaliter peccat.

90 Poſſe autem aliquem utroque modo ſe habere in dubitando nihil prohibet. Et manifeſtatur exemplo; cum enim ſit quæſtio inter Doctores an detur actus indifferens in individuo, poteſt aliquis, qui partem affirmativam ſuſtinet, dubitare de parte oppoſita, quæ eſt D. Thomæ, nihil explicitè cogitando de mortali vel veniali; ſed iſte ſupponitur ſcire, quod actus indifferens poſitus in re etiam per D. Thomam non eſt mortalis, ſed tantum venialis, utpotè actus otioſus carens ſua debita ordinatione, licet ſuper hoc, actu, & explicitè non cogitet, ac proinde licet eius dubium formaliter, & explicitè non ſit nec de mortali, nec de veniali; virtualiter, & implicitè eſt de ſolo veniali. Econtrà verò qui controverſiam ignorat, audiendo quod actus indifferens in individuo, ſi non ſit bonus, eſt peccatum in ſententia D. Thomæ, neſciens diſtinguere de quo peccato actus iſte judicetur, poteſt operando dubitare ſub hac ignorantia de malitia ſui actus, nihil cogitando de mortali vel veniali, & tunc implicitè, & virtualiter dubitat diſiunctivè de utroque, ita ut eius dubium ſi ad explicitum deveniret, ita explicaretur à tali dubitante eiuſmodi ignorantia malè affecto, & non aliter. Sicut ergo ſi ita explicitè dubitaret, mortaliter peccaret, ut concedunt ipſimet Authores citati pro oppoſita ſententia; ita etiam dicendus eſt peccare mortaliter dubitando implicitè, & virtualiter eodem modo. Et in hoc ſecundo ſenſu procedit reſolutio noſtra.

§. III.

Ad quam ſpeciem peccati ſit reducendum quod agitur cum conſcientia dubia?

91 Dictum eſt ſupra operari cum conſcientia dubia peccatum eſſe mortale, vel veniale, prout agens de mortali, vel veniali dubitat ſive explicitè, & formaliter, ſive virtualiter, & implicitè. Nunc videndum eſt de eius ſpecie, & quidem reſolutio facilè ex dictis conſtat.

92 Ex quibus reſpondeo cum D. Thoma *1.2. q. 19. a. 5. ad* 3. reduci ad ſpeciem illius peccati, quod opponitur præcepto aut virtuti, contra quod, aut contra quam dubitat ſe agere; quod totum optimè dignoſcitur ex ipſo motivo dubitandi. ſemper enim, ut ait D. Thomas *loc. cit.* qui dubitat, rationem aliquam habet, ſeu motivum, quod ſibi obiicitur, undè inducitur ad dubitandum, & indè deſumenda eſt ſpecies peccati; ut ſi quis ſputum jaciat in Ecclelia, & indè dubitet de peccato, quia videtur contra reverentiam loci ſacri; ſi ſic dubitans expuat, peccabit peccato irreverentiæ contra honorem Deo debitum. Et ſi quis ad uxorem accedens dubitet, ne ſit aliena, peccabit peccato adulterii, & ſic de aliis.

93 Sed inquires quid ſi quis dubitet de peccato abſque ullo prorsùs motivo, aut reſpectu ad aliquod præceptum, aut virtutem, aut rationem aliquam moventem, puta ſcandali, vel alterius inſpectionis? Ut ſi quis v. g. dubitet ne fortè peccatum ſit ambulare, levare feſtucam de terra, & ſimilia, præciſo quocumque reſpectu etiam otioſitatis, ita ut dubitet ſimpliciter de ipſa ambulatione in ſe ipſa tantum conſiderata, & de levatione feſtucæ.

94 Reſpondeo id mihi quidem videri omninò impoſſibile, fieri enim non poteſt quod quis in actu ſuo dubitet de peccato, quin ei aliqua facies peccati in illo appareat. Cæterùm caſu gratis admiſſo, dicunt aliqui talem peccare ſolùm contra ſynderesim dictantem bonum eſſe proſequendum, malum autem fugiendum, quæ ſunt duo prima principia communia, ſeu prima præcepta ſynderesis unicuique a natura indita, quibus videtur eiuſmodi agens adverſari. Ita *Clavis Regia lib. 1. cap. 4. n. 20. ex Greg. de Valentia tom. 2. diſp 2. q. 14. punct. 4. dub. 2.* Neque alius, quem viderim, ſuper hac re aliud judicium profert.

95 Verùm reſponſio hæc mihi non placet, nam prima illa principia ſeù prima præcepta ſynderesis propriè loquendo non tàm præcepta ſunt, quàm principia præceptorum omnium, ex quibus ſcilicet præcepta quæcumque ſpecialia circa ſua ſpecialia obiecta ſuo modo componuntur, & derivantur; ſicut ſolet ex ratione generica derivari ſpecies, ſuperaddita ad illam ratione differentiali; ita ut quodlibet obiectum cuiuſcumque præcepti, aut legis ſit quoddam ſpecificum bonum, vel malum, conſtans ex ratione generica boni, vel mali, & eius ratione differentiali, circa quod verſatur præceptum, aut lex; præcipiendo, aut prohibendo hanc, vel illam ſpecificam bonitatem actus, vel malitiam: Et in hoc veluti completur ratio præcepti aut legis. In illis autem primis principiis communibus non poteſt completè haberi præceptum, aut lex; quia verſantur circa bonum, & malum ut ſic, & in abſtracto, quod prout ſic in abſtracto, non poteſt præcipi, aut prohiberi; quia non poteſt ut ſic executioni mandari; quia nihil exiſtit in genere, quin ſit in

in aliqua ſpecie, & individuo; atque ideò impoſſibile eſt, quod in exercitio fiat aliquod malum, vel bonum, quod non ſit talis ſpeciei; ſed ſolùm quod ſit bonum, vel malum ut ſic. Et ex eadem cauſa impoſſibile eſt quod præcipiatur, aut prohibeatur bonum, aut malum ut ſic, niſi in ſuis ſpeciebus. Et ideò dixi, quod illa duo, non tàm præcepta ſunt, quam principia omnium præceptorum; quatenùs ſcilicet quodlibet præceptum in illis, ſeu ex illis initiatur; ſed non in illis completur; ſed in ſuis ſpeciebus, quæ pertinent ad præcepta ſpecialia. Ex quo deduco contra ſolam ſynderesim, dictantem illa prima principia, peccari non poſſe, niſi ſimul delinquatur contra aliquod ſpeciale præceptum, quo bonitas aliqua, aut malitia in ſpecie ſit præcepta, vel prohibita. Oportet igitur aſſignare ad quam ſpeciem malitiæ reducatur peccatum iſtius ſic ſimpliciter dubitantis de peccato, præciſo prorsùs omni reſpectu ad aliquod ſpeciale motivum, ſive rationem dubitandi.

96 Res planè difficilis eſt. Nihilominus videtur mihi dicendum quod ſicut modus iſte dubitandi abſque ullo prorſus motivo, nonniſi depravatæ imaginationis eſſet: ita actus ſub tali imaginaria dubitatione exercitus, nonniſi ad ſpeciem imaginariam malitiæ revocari poſſet; hoc eſt ad ſpeciem ipſam phiſicam deambulationis, vel elevationis feſtucæ de terra, imaginariè ut moraliter dubitatam, quaſi ſpecies ipſa phiſica actus importaret ex propria ſua ratione ſpecifica quamdam ſpecialem deordinationem in ipſa intrinſecè fundatam; quemadmodum acceſſus phiſicus ad alienam fundat re vera in ſeipſo ſpecialem deordinationem, in qua conſiſtit ſpecies adulterii. Sicut igitur acceſſus iſte, qui phiſicè adulterium eſt, quia re vera ſpecialem deordinationem in ſe intrinſecè habet, conſtituit ſpeciem moralem adulterii: Ita reſpectu eiuſmodi dubitantis ex depravata imaginatione abſque ullo prorſus motivo ſuperveniente ſuæ phiſicæ deambulationi, aut elevationi feſtucæ de terra, ſed ex ipſa intrinſeca ratione eiuſmodi actus ſimpliciter dubitati, oritur imaginariè quædam ficta deordinatio ſpecifica ſibi intrinſeca conſtituens ſpeciem moralem imaginariam deambulationis, & elevationis feſtucæ de terra, quæ erit peccatum mortale, vel veniale juſta eius dubitationem ſive implicitam, ſive explicitam, ut diximus paragrapho præcedenti, in ſpecie puræ deambulationis, aut elevationis feſtucæ.

97 Prævideo quidem reſolutionem hanc, utpotè ſingularem, non ſine nota alicuius cenſuræ fore ab aliquibus prætereundam: ſed certè ſi caſus ſemel ut poſſibilis admittatur, adeò ſingularis eſt, ut nonniſi ſingulari judicio reſolvi poſſit; vix enim unus aut alter inter multos reperitur, qui illum ſic proponat, ut omninò ab omni, & quocumque reſpectu abſolutum; & alias ſua reſolutio videtur deficiens, dùm ad prima ſynderesis principia recurrit, contra quæ procul dubio omnia genera, & ſpecies peccatorum adverſantur, ſed per hæc nulla ſpecies determinata deſignatur, & nos de ſpecie inquirimus in præſenti. Sed quia re vera deambulatio, & elevatio feſtucæ, ſic præciſè ſimpliciter conſiderata non eſt in aliqua ſpecie peccati, ideò iſti ad genus generaliſſimum peccati ut ſic recurrunt, quaſi ſit peccatum in genere, & nullius ſpeciei; quod, ut oſtendi, in actu exercito repugnat, nam omne peccatum in re, & de facto commiſſum oportet quod ſit in ſpecie, & etiam in individuo tale. Cum igitur eiuſmodi actus, qui aliàs in ſe neque in genere, neque in ſpecie alicuius peccati eſt, ex conſcientia evadat verum peccatum, oportet quod ex eadem conſcientia conſtituatur in ſpecie aliqua peccati, quæ nequit eſſe niſi imaginaria, ſicut etiam imaginariè eſt in genere peccati. Et hæc eſt ratio motiva noſtræ reſolutionis. Cæterum ſi aliquibus non placebit, perquirant ipſi veriorem, dummodo ſpeciem aſſignent, & non ſiſtant in puro genere, ut enim dixi, & iterùm repeto, peccatum in genere, quod nullius ſit ſpeciei, impoſſibile eſt exercitè fieri.

§. IV.

Quid ſit agendum ab habente conſcientiam dubiam de opere in ſe aliàs licito.

98 INquires hìc quid ei ſit agendum, qui practicè dubitat de aliquo ſuo opere agendo, quod aliàs in ſe licitum eſt? Reſpondeo: deponat dubium, ſive conſulendo, ſive proprio diſcurſu, ſive quocumque alio modo, ſicut dictum eſt ſupra de depoſitione conſcientiæ erroneæ, & agat opus ſuum, & non peccabit. Dixi (quod aliàs in ſe licitum eſt) nam hìc de peccato ex vi conſcientiæ agimus, non ex vi legis præſuppoſitæ, cui fortè opus in ſe adverſatur, ac proindè in ſe eſt illicitum; tunc enim aliundè determinandum eſt ſi peccet, vel non; nempè ex vi ignorantiæ ipſius legis, ſi enim fuerit in eo invincibilis, excuſabitur; ſi verò vincibilis, peccabit. Sicut ſupra dictum eſt de conſcientia erronea, & meliùs infra cum de ignorantia ex profeſſo agemus.

99 Sed quid in caſu quo dubitans de actu alias licito, non poſſit dubium deponere? Reſpondeo teneri in eo caſu eligere tutiorem partem, in qua ſcilicet non ſit peccati periculum, ex regula illa juris: In dubiis tutior pars eſt eligenda, qua regula ferè ſemper uſi ſunt Summi Pontifices in multis caſibus decidendis, ut conſtat *in cap. ad audientiam de homicid. & in cap. ſignificaſti. Et in cap. ſi quis diſt. 7. de pænitent.* Ubi ex Auguſtino dicitur, quod in dubiis tenendum eſt certum, & dimittendum incertum. *Et in cap. juvenis de ſponſalibus. Et in cap. Illud de Clericorum excommunicatione.*

Et

Et in *Clementina*, ex vi, & alibi. Id quod etiam ratio ipſa ſuadet, alioquin agens ſe committeret periculo peccandi, ut docet D. Thomas *quodlib*. 8. *a*. 13. *& qui amat periculum peribit in illo*, *Proverb*. 6. Et ita in propoſito ſuſtinent innumeri Doctores *Azorius p*. 1. *lib*. 2. *cap*. 16. quem citat & ſequitur *Tambur*. *lib*. 1. *cap*. 3. §. 6. *de conſcien*. *dub*. *n*. 3. *in fine*. *Vaſquez p*. 2. *diſp*. 65. *cap*. 3. *& diſp*. 66. *cap*. 1. *Piſanella V*. *dubium*. *Angelus ibid*. *n*. 1. *Sylveſter ibid*. *q*. 2. *Tabien*. *ibid*. *n*. 2. *verſ*. *Primò*. *Adrianus quodlib*. 2. *pun*. 3. *Caietanus V*. *Opinio*, *Covarruvias de Sponſal*. *p*. 1. *c*. 4. §. 1. *n*. 9. *Rodriquez in Sum*. *par*. 2. *cap*. 51. *concl*. 4. *Navarrus in cap*. *Si quis de pœnitent*. *diſt*. 7. *n*. 34. *Medina* 1. 2. *q*. 19. *a*. 6. *dub*. 4. *concluſ*. 4. quos citat, & ſequitur *Clavis Regia lib*. 1. *cap*. 13. *de conſcien*. *dub*. *n*. 9. *Turrianus opuſc*. 10. *de conſc*. *dub*. & alii.

100 Maior autem difficultas eſt, quid ſi quis non poſſit tutum eligere, eo quod pro utraque parte dubitat de peccato, ſive faciendo, ſive omittendo opus; vel ſive unum, ſive alterum faciendo, & alias tempus urgeat reſolvendi?

101 Aliqui dicunt in caſu tantæ anguſtiæ poſſe dubitantem quamlibet partem eligere, quæ ſibi placuerit. Ita Thomas Tambur. *loc*. *cit*. *n*. 4. & ſubdit: etiam ſi id, quod eligit, adhuc dum eligit, putet eſſe ſibi peccatum, ex Caſtropalao, & Thoma Sanchez. Et rationem primi adducit, quia cum non ſit maior ratio de uno, quàm de alio; quodcumque elegerit, ratum coram Deo erit. Rationem autem ſecundi reddiderat *præced*. §. 20. *n*. 7. *&* 8. quia in tali caſu non eſt ſufficiens libertas ad peccandum, & peccatum non ſequitur ad judicium intellectus, ſed ad actum liberæ voluntatis. Sicut ex ipſomet retulimus ſupra *cap*. 3. *n*. 35. agendo de conſcientia erronea Dictante. Ita etiam tenet *Bujemb*. & apud ipſum *Layman lib*. 1. *t*. 2. *cap*. 4. *&* 5. *Filliucius t*. 21. *c*. 4. *& Bonac*. *tom*. 2. *diſp*. 2. *q*. 4. *p*. 6. *n*. 27.

102 Alii vero dicunt ex S. Bonaventura in 2. *diſt*. 39. *a*. 1. *q*. 3. in fine, quod in tali caſu omni affectu humano ſecluſo, diligenti ſtudio, ac oratione ad Deum, qui omnis veritatis, & lucis fons, & Author eſt, recurrendum eſt: quibus mediis adhibitis unam partem, quæ ſibi melior apparet, eligendo, tutus in conſcientia erit, etiam ſi fortè a parte rei non ita vera, ac bona ſit. Ita *Clavis Regia lib*. 1. *cap*. 13. *n*. 7. *& Salonius apud ipſum* 2. 2. *q*. 63. *a*. 4. *controv*. 2.

103 Sed primum dictum omninò diſplicet; nam perſiſtante dubio practico pro utraque parte, ſemper ſe periculo committit agens, quamcumque partem eligat; & convincitur velle opus formaliter ut peccatum, dum ſub dubio quod tale ſit, illud eligit; ac proindè ſemper peccat. Sicut ſupra diximus agendo de conſcientia erronea dictante, eſſe ex utraque parte peccatum, dicto *cap*. 3. peccat, inquam, ſemper; eo quod ſi fortè non peccat ex vi legis, quatenùs per hanc non ſit actus ille prohibitus; peccat tamen ex vi conſcientiæ ſuæ tunc de peccato dubitantis; eo quod jam non ex bona fide eius procedit ad opus, quod autem ex fide non eſt, peccatum eſt, ut ait *Apoſtolus ad Rom*. 14. Neque ratio illa P. Tamburini ſuffragatur, quia ſcilicet, cum non ſit maior ratio de uno, quàm de altero, quodcumque agens elegerit, ratum erit coram Deo: imò potiùs ex hoc ipſo neutrum ratum habebit Deus; cum in utroque par ſit periculum peccandi, & neutrum ex fide, hoc eſt ex conſcientia, ſit, niſi dubium deponatur. Similiter, nec valet ſecunda alia ratio de inſufficientia libertatis ad peccandum, & de perplexitate, in qua tunc reperitur agens, quia rationem hanc ſatis ſupra præoccupavimus *dicto cap*. 3. *citato*. Perplexitas enim illa, & peccandi neceſſitas non eſt abſoluta, & ſimpliciter; ſed ſecundum quid, & ex ſuppoſitione, quæ à peccato non excuſat, ut communiter cum D. Thoma docent Theologi, & admittit idem P. Tamburinus *dicto* §. 2. *n*. 3. in caſu conſcientiæ erroneæ dictantis utramque partem eſſe peccatum, *ſi tamen* (inquit) *ſit ibi ignorantia vincibilis*.

104 Nec refert, quod dicit ibi P. Tamburinus, nempe quod tunc cum perplexitas illa, & peccandi neceſſitas, procedat ex vincibili ignorantia, poteſt ab agente deponi alios conſulendo, ut ſupponit ibi. At hic in caſu noſtro ſupponimus, quod agens non poſſit alios conſulere, & perplexitatem deponere; & ſic non eſt in eius poteſtate peccare, & non peccare. Non (inquam) refert, nam, ut oſtendimus ſupra dicto *cap*. 3. etiam ſi non ſit tempus conſulendi, poteſt agens perplexitatem illam, & dubium deponere à ſeipſo, & tenetur eo modo, quo ibi diximus, videatur ibi, ne idem repetamus.

105 Et nunc modum alium afferam, non quem conſulam, quia non tutum exiſtimo: Sed quem poſſibilem oſtendam, & ex quo ruat peccandi neceſſitas. Et dico, quod poteſt tunc agens in ſimili anguſtia judicare licere ſibi quamcumque partem eligere, non libertate concedente, ſed cogente neceſſitate, & ſic formare ſibi conſcientiam de licito cuiuſcumque partis eligendæ, & ſub hoc dictamine eligere quodcumque voluerit depoſito dubio de eo, quod eligit, ex vi urgentis neceſſitatis; eadem enim neceſſitas, quæ urget ad unam, vel alteram partem eligendam, & per adverſarios excuſat à peccato quamcumque partem agens elegerit; eadem poteſt eſſe in promptu ratio, & motivum judicandi non eſſe ibi peccatum, ac per conſequens deponendi dubium practicum de eo, quod eligitur ex duobus ex tali neceſſitate, etiam ſi eligat quodcumque voluerit.

106 Et ſi quis dicat: Ex hoc id ipſum concluditur, quod prætendit P. Tamburinus, nempè tunc liberum eſſe agenti quamcumque partem eligere. Reſpondeo utique tunc liberum

fieri

fieri agenti quamcumque partem eligere, ſed libertate conſequente ad depoſitionem dubii practici ſuper utraque parte ex vi neceſsitatis; & non libertate antecedente, ſeu concomitante ipſum dubium practicum, ut prætendit P. Tamburinus. quæ duo ſunt inter ſe valdè diverſa. Nam juxta hunc ſecundum modum dicendi P.Tamburini agens operatur cum dubio practico, ac proindè peccat ex vi conſcientiæ dubiæ, cum qua operatur. At juxta primum modum à nobis adductum, agens per priùs deponit dubium practicum ſuper utraque parte, & per poſteriùs liberè agit quodcumque voluerit, & tunc procul dubio non peccat ex vi conſcientiæ dubitantis, quia hanc depoſuit; ſed ſi peccat, peccabit ex vi legis, cui fortè operatio vincibiliter adverſatur; cæterùm ſi neque hoc contingat, nullo modo peccabit. At quia poteſt hoc ei tunc contingere, ideò dixi quòd hunc modum nō conſulo, quia non tutum exiſtimo; ſed placuit illum afferre ad oſtendendum facilè tunc deponi poſſe dubium illud practicum, & excuti perplexitatem illam, & peccandi neceſsitatem, licet non excutiatur contingentia peccati ex vi legis, ſi fortè vincibiliter ignoretur. Quæ contingentia fuerat à P. Tamburino etiam admiſſa ſupra *loc. cit. §. 2. n. 3.*

107 Ad aliud dictum ſeu reſolutionem quæſiti principalis deſumptam ex D.Bonaventura, quam ſequuntur *Clavis Regia, & Salonius citati ſup. n. 11.* dico conſilium ſanctum eſſe, & Seraſico Theologo dignum: fieri enim non poteſt, quod humano affectu ſecluſo, diligenti ſtudio adhibito, pro quanto tunc poſsibile eſt, & habito per orationem recurſu ad Deum; ſi ſincerè, & ut oportet, agens oraverit; Deus illum non audiat, ac dirigat, ut depoſito dubio practico, quod verè tutum eſt, eligat, & operetur. Et hoc ibi intendit Seraphicus Doctor. Sed non ſubdit ibi, quod tutus in conſcientia erit, etiam ſi fortè à parte rei non ita vera, ac bona ſit pars, quæ eligitur. Hæc enim additio Clavis Regiæ eſt, vel eius interpretatio, aut propria ipſius ſententia, & Salonii, quem citat. Re vera tamen non ita eſt, nam licet agens tunc eligendo partem illam, quæ ſibi melior apparet, non peccet contra conſcientiam, eo quod per talem meliorem apparentiam ſupponitur pro ea parte depoſuiſſe dubium illud practicum; contingere tamen poteſt, quod erret contra legem vincibiliter, & ſic peccet. & tunc pars electa nec vera, nec bona eſt. ſi autem erret contra legem invincibiliter, tunc pars electa bona eſt, licet non vera; quia benè eligitur, & ex intentione ordinata in Deum, pro quo melius agere credit.

108 Reſolutio igitur quæſiti principalis in caſu tantæ anguſtiæ meo videri ea eſt, quam tradidi ſupra cap. 3. in caſu conſcientiæ erroneæ dictantis de peccato pro utraque parte. Neque ea differt à reſolutione Seraphici Doctoris, niſi penès implicitum, & explicitum. Ibi enim dixi, quod agens in tali anguſtia conſtitutus tenetur ſecum conſilium adhibere, & quod pro ſuo poſſe tutius judicaverit, illud eligere; rationabile enim eſt, quod in anguſtiis conſtitutus cum anguſtiis operetur, & non laxatis habenis propriæ voluntatis: quod ſi contingat errare, nec præceſſerit voluntaria negligentia ſciendi, ſaltem pro ſua conditione, quod tenebatur ſcire, tunc poterit excuſari; quia Deum pro Deo relinquit ex putato ſaltem meliori conſilio, prout ſit ſibi tunc præſentaneè poſſibile. Ita ibi num. 45. Ubi conſtat eodem ferè modo Doctorem Seraphicum loqui, deponendam ſcilicet eſſe conſcientiam dubitantem proprio judicio ſincerè judicante, quod ſibi melius apparebit, quod idem eſt, ac quod tutius, & legi propinquius apparebit; id enim ſonant verba illa Sancti Doctoris (*omni affectu humano ſecluſo, & diligenti ſtudio partem, quæ ſibi melior apparet, eligendo*) videtur autem ſuperaddere recurſum ad Deum, per orationem. At hoc implicitum eſt in illomet conſilio de tutiori parte ſincerè adhibito; nam qui ſincerè id pro Deo quærit, de veritate ſincerè illuminari deſiderat, ut Dei legem cuſtodiat; & deſiderium hoc affectus quidam implicitè Orantis Deum eſt; neque enim aliud eſt oratio ad Deum aſcendens, quàm petitio quædam ex corde facta Deo, & qui veritatem pro Deo deſiderat, cor ad Deum utique dirigit, & affectu vult, ac petit illam ſibi affulgere, prout deſiderat; ſubindèque hoc faciendo implicitè ſuo modo orat; nec minùs eiuſmodi affectum Deus reſpicit, ut ei ſubveniat, quàm ſi explicitè id peteret. Satis ergo petit, & orat, qui in ea anguſtia mentem ſuam ad Dei legem pro ſuo poſſe ſincerè indagandam elevat, & invenire deſiderat, ſi non formaliter, virtualiter ſaltem; & hoc ſufficit. Undè reſolutio noſtra eadem eſt cum ea Seraphici Doctoris, & ſolùm differt penès implicitum & explicitum, ut dixi. Et hic eſt modus, quem homo in ea anguſtia poſitus tenere debet, quo dubium practicum, & omnem perplexitatem deponere optimè poteſt; eâque depoſita, certum eſt quod non peccabit contra conſcientiam dubitantem, hic enim de peccato ex vi eiuſmodi conſcientiæ inquirimus; & ad hoc evitandum remedium adhibemus. Cæterùm de peccato, quod contingere poteſt ex vi legis, cui fortè pars electa vincibiliter opponitur dicemus alibi, cum erit ſermo de ignorantia juris.

109 Jam verò inter ſcribendum video calamum limites pertranſiſſe, etenim plus reſolvimus, quàm quærebamus. Quæſitum enim erat de dubitante ſuper opere alias in ſe licito; & indè ad caſum anguſtiæ deventum fuit, in quo quis dubius eſſet pro utraque parte, ſemper tamen facta ſuppoſitione, quod utraque in ſe licita ſit; in qua ſuppoſitione numquam contingere poteſt peccatum contra legem; ſed, ſo-

Digitized by Google

ſolùm contra conſcientiam; & tamen inter plura quæ ad reſolutionem quæſiti in ea ſuppoſitione ſpectabant, nonnihil promiſcuè reſolvimus de dubitante pro utraque parte, ſi & quatenùs pars altera in ſe foret illicita, & contra legem. Id quod fuit ex occaſione accepta, vel potiùs à Doctoribus data, quorum dicendi modos referebamus. Illi enim non in ea ſuppoſitione tantùm inquirebant, atque ideò in reſolutionibus ſuis ulteriùs ſe extendebant, & extra caſum hypotheſis noſtræ, quod & nos pariformiter fecimus, quaſi occaſionaliter ad id tracti. Cæterùm ſatis fuiſſet nobis pro ſuppoſitione noſtra quæſito ſimpliciter reſpondere; ſemper deponendam eſſe conſcientiam illam dubiam, & modum deponendi eam cuique in promptu eſſe oſtendere in quacumque perplexitate, ne contra conſcientiam peccet; quod fusè oſtendimus. Quod autem de peccati contingentia adiecimus contra legem ex vincibili ignorantia alterius quæſiti reſolutio eſt, & extra id, quod ſupponebamus, de quo ex profeſſo iterùm ſuo loco dicemus, cum de ignorantia juris redibit ſermo.

CAPUT SEPTIMUM

De Intellectu illius Regulæ juris: In dubiis tutior via eſt eligenda.

§. I.

Quid importet, & ad quæ ſe extendat dicta Regula juris.

110 QUia capite præcedenti hanc regulam dedimus pro dubitante ſuper alterutra tantùm parte, licèt aliàs in ſe licita, ut ibi ſupponebamus; meritò hìc de ea inquirimus quid importet, & ad quæ ſe extendat? Nam non deſunt Authores, qui illam cavillis impetant, & ferè inutilem reddant; cum tamen ea neceſſaria ſit, & ſervanda quandocumque pars tuta haberi poteſt, quod tunc accidit, quando dubium ſuper altera tantùm parte cadit, & non ſuper utraque. Si enim utraque ex parte dubitetur, non videtur pars tuta, tali dubio perſiſtente, poſſe locum habere.

111 Itaque hæc regula, ut ex propriis terminis conſtat, in dubiis locum habet, ubi pars tuta poſſibilis eſt haberi. Sed an in omnibus ejuſmodi dubiis, & qualem in eis locum habeat, non facilè recentiores conveniunt. Aliqui enim dicunt locum utique habere; ſed conſilii, non præcepti. Ita quamplures ex recentioribus, inter quos noviſſimè quidam D. Franciſcus de Perea Granatenſis *in ſuo Lydio lapide ſect.* 10. ex D. Antonino 1. *p. cap.* 10. §. 10. Alii verò dicunt non habere locum in dubio probabili, cui nempè accedit probabilis ratio de licito; quia tunc vigore probabilitatis non peccat agens eligendo partem alteram à tutiore, & deponendo dubium vigore ejuſdem probabilitatis. Alii eam regulam corrigendam eſſe dicunt per aliam regulam juris, nempè *in dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, quam ad omnem materiam extendunt, ac proindè dicunt, quod ubi in dubiis poſſeſſio ſtat pro libertate, ibi locum non habet regula illa de via tutiore eligenda, ita P. Tamburinus *c.* 3. *cit. de conſcien.* §. 6. *n.* 10. ex Thoma Sanchez, & ferè omnibus Probabiliſtis, quibus aſſociatur Modernus Doctor ſupra allegatus Franciſcus de Perea *loc. cit.*

112 In oppoſitum autem videntur primò Sacri Canones proclamare, quorum eſt regula illa pluribus in locis decantata, atque ad praxim pro variis caſibus decidendis deducta. Secundò jus ipſum naturale intùs unicuique teſtimonium perhibens de veritate. Tertiò Theologi graves, & Canoniſtæ ut *Vaſquez p.* 2. *q.* 65. & 66. & apud ipſum *Adrianus, Angelus, Armilla, Sylveſter, Covarruvias, Corduba*; Item *Becanus* 1. 2. *tr.* 1. *cap.* 4. *q.* 9. *n.* 4. apud Antoninum Diana *p.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 31. *Bellarminus in admonitione ad Epiſcopum Theanum*, cui ita ſcribit: *Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is omninò debet certam veritatem inquirere, & non reſpicere quod multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem ſequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali propoſita ad minùs tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma rei, cum de ſalute æterna tractatur; & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere; & eo modo conſcientia non remordente ad eum locum deſcendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Hæc ſapientiſſimus Cardinalis apud Natalem de Alexandro *in ſua Theologia Dogmatica morali lib.* 3. *de peccat. cap.* 4. *regul.* 17. Ubi etiam refert, propoſitionem hanc: (Regula juris in dubiis tutius eligendum, perfectionis eſt, non obligationis; ſeu conſilii, non præcepti.) fuiſſe à pleriſque Galliarum Epiſcopis, & celeberrimis Academiis reprobatam.

113 Verumtamen quantumvis circa hoc grave ſit inter Doctores diſſidium ex utraque parte, facilè eos ad concordiam revocari poſſe exiſtimo, manente adhuc ea regula juris in ſuo robore, ac firmitate Præcepti in tota ſua amplitudine, ita ut nemo poſſit ab ea ampliùs declinare. Ad hanc ergo concordiam componendam præmitto priùs eiuſmodi regulam ſive conſilium, ſive præceptum dicatur, eſſe pro conſcientia dubitante de malitia ſui actus perſiſtente tali dubio; quod profectò à nemine negari debet: Nam niſi quis ſit in ſua conſcientia dubius, dum actum illum vult agere, non poteſt dici conſtitutus in caſu, de quo regula loquitur; Regula enim de tutiore parte eligenda in caſu, quo agens verſatur in dubio, loquitur; ut ex propriis eius terminis patet. Et ſi ſit dubius non de malitia ſui actus, ſed de maiori, vel mi-

minori eius bonitate reſpectu actus oppoſiti, ſupponendo tamen utrumque bonum, & tutum, non habet locum regula illa de tutiore parte eligenda; quia cum hoc ipſum tunc vertatur in dubium in mente agentis, conſilium regulæ inutile erit, quia non poterit etiam volens tutiorem partem ſeu perfectiorem eligere, niſi priùs videat quæ pars ſit perfectior, & ſic non erit electio pro caſu dubii, ut regula loquitur, ſed magis pro caſu ſcientiæ ſeu judicii diſcernentis inter magis, & minùs perfectum. Ergo oportet, quod omnes concedant regulam illam eſſe pro conſcientia dubitante de malitia ſui actus, quem agens vellet eligere, ſtante ex altera parte certitudine de honeſtate omiſſionis eiuſdem, vel alterius actus oppoſiti. tunc enim ſolùm agens dicitur verſari in dubio, & conſtitui in caſu regulæ, ita ut ſi velit, poſſit ea uti, ſive ut præcepto, ſive ut conſilio. hoc igitur præmiſso.

114 Reſpondeo ad quæſitum regulam hanc in ſe præceptum importare, non quidem Canonicum, ſeu Eccleſiaſticum; nam Sacri Canones locis allegatis eam non præcipiunt, ſed ſupponunt in præcepto eſſe ex ſe, & de jure naturæ: ac proindè ampliſſimè extendi ad quodcumque dubium practicum, ſeu conſcientiam dubitantem quocumque dubio ſive juris, ſive facti; ſive ſtrictè ſumpto pro totali ſuſpenſione ab omni aſſenſu, ſive probabili, ſive etiam ſcrupuloſo; niſi priùs deponatur. Hæc reſolutio colligitur expreſsè ex D. Thoma, *quodlib. 8. a. 13.* ubi expreſsè habet, quod *quotieſcumque aliquis habet conſcientiam de contrario, quod agit, aut in quamdam dubitationem inducitur de eo quod agit, etiam ſi alias certitudinem habeat, ſi manente tali dubitatione agit, procul dubio peccat, quia periculo ſe committit, & convincitur magis amare temporalia quàm propriam ſalutem.* Si ergo ex D. Thoma etiam qui certus eſt de actu ſuo, quod non ſit peccatum, ſi tamen in quamdam dubitationem ab extrinſeco, puta, ut ibi dicit, ab oppoſita opinione inducitur, ſtante tali dubitatione peccat agendo. ergo in dubiis ſive probabilibus, ſive etiam levibus, & ſcrupoloſis (talia enim ſunt dubia, quæ habenti alias certitudinem occurrere poſsunt) intendit D. Thomas inſtare præceptum eligendi tutiorem partem; niſi enim hoc intenderet, non poſſet dicere, quod ſtante ea dubitatione agens procul dubio peccat; nam ubi non eſt lex aut præceptum, ibi non eſt prævaricatio. ergo ſi abſolutè, & univerſaliter dicit quod agens, etiam alias certus, tamen in quamdam dubitationem inductus, ſtante ea dubitatione dum agit, hoc ipſo peccat; jam ſupponit abſolutè, & univerſaliter in quocumque caſu dubii practici ſeu conſcientiæ dubiæ, & etiam leviter, & ſcrupuloſè dubitantis, eſſe obligationem eligendi partem tutam, de qua ſcilicet non eſt dubium alicuius peccati, & non purum conſilium. Et eiuſmodi obligationem probat non ex præcepto aliquo Canonico ſeu Eccleſiaſtici juris, ſed ratione, nempè quia hoc ipſo agens cōmittit ſe periculo peccandi, & convincitur appretiare magis tēporalia, quam ſpiritualem ſalutem, quod nativo jure, & divino prohibetur. ac proindè reſolutio noſtra videtur expreſsè ad mentem D. Thomæ.

115 Sed & D. Thomæ ſic loquenti ſubſcribunt concorditer Doctores omnes, nemo enim eorum eſt, quem viderim, qui dixerit opus ab agente factum ſub conſcientia actualiter dubitante de eius malitia, non eſse peccatum: Undè & noviſſimus Doctor D. Franciſcus de Perea ſupra contra nos allegatus, in ſuo Lydio lapide *ſect. 10. num. 87.* ubi acriter defendit cum aliis Probabiliſtis præfatam regulam Conſilii eſse, & non præcepti; hoc ipſum præmittit, & fatetur in ſuo notabili ſecundo, ſic dicens: *Secundò* (ſupple: notandum eſt) *omnes Theologos convenire in eo, quod qui in eiuſmodi dubio, & ſic ſuſpenſus circa licitum, vel illicitum contractū, nihilominus contraheret; hoc ipſo peccaret formaliter: Tum quia juxta Apoſtolum ad Rom. 14. omne quod non eſt ex fide, ideſt (ut explicant Interpretes) ex bona fide, ſeu credulitate de licito, peccatum eſt. Tum quia ſic operans, apud ſe hoc dicit, & ſtatuit: quidquid ſit an pecco, vel non, contrahendo, volo contrahere; Undè, & admittit ſaltem vagè, & indeterminatè peccatum, & ſe exponit periculo proximo peccandi, adeoque peccat, ſic operando. Hoc eſt certiſſimum.* Uſque hìc præfatus Doctor. Si ergo (ut Doctor iſte ingenuè fatetur) in hoc Theologi omnes conveniunt: ſi hoc eſt certiſſimum: ſi agens hoc ipſo, quod ſic dubius agit, peccat: quomodò coheret, quod in dubiis conſilium ſit tutiorem partem eligere, non præceptum? Numquid peccatum eſse poteſt ſine ulla tranſgreſſione, aut tranſgreſſio ſine ullo oppoſito jure, aut præcepto conſiſtere? Quis hoc dicat? Scriptum eſt enim: ubi lex non eſt, ibi nec prævaricatio.

116 Sed reſpondet præfatus Author cum cæteris omnibus ſecum ſentientibus, quod qui ita eſt ſuſpenſus, & dubius de illicito, poteſt habere motiva ad judicandum prudenter per principia extrinſeca, & prudenter credere ſe poſt legem ſincerè inquiſitam, & non inventam, non obligari tali lege, ſed potiùs poſse licitè judicare non peccaturum, & per hoc judicium depellere omne dubium, omnemque timorem de lege obligante. Ita diſcurrit hìc Author *loc. cit.* & infra *num. 91. 92. 93. & 94.* aliis reflexionibus, ſeu diſcurſibus reflexis conatur oſtendere, poſse ejuſmodi dubitantem formare ſibi judicium benignum de licito, & ſic dubium depellere, & tutò eligere ſub tali judicio partem minùs tutam. Ex quo infert non eſſe regulam illam juris de præcepto, ſed Conſilio. Sic Doctor iſte cum ſuis.

117 Verum undè hanc conſequentiam deducant non video: Si enim ad hoc judicium re-

flexum

flexum recurrunt, quo volunt depelli omnem timorem, & omne dubium deponi, jam non ampliùs in dubio verſatur agens, jam extra ſtatum conſcientiæ dubitantis conſtituitur: atque ideò à puncto controverſiæ totaliter recedimus, Id enim, quod mox controvertitur eſt: An in dubiis præceptum ſit, & obligatio tutioris partis eligendæ, an conſilium? Reſpondere autem, quod præceptum non ſit, depoſito dubio, non eſt quæſito ſatisfacere, ſed ab illo potiùs totaliter declinare. Neque enim nos dicimus, quod depoſito dubio inſtet obligatio illa, ſed dubio perſiſtente. Reſpondeant ergo cathegoricè ad quæſitum, quid dum quis actu in dubio verſatur, & perſiſtit? Et procul dubio dicent, ut dixerat præcitatus de Perea cum aliis, certiſſimum eſſe, & omnes Theologos convenire, quod eiuſmodi agens in eo dubio, operando, peccat, quia non ex fide operatur, & periculo ſe exponit. Ergo regula illa obligationem importat, & præceptum, non conſilium ex vi ſuæ propriæ confeſſionis: Ecce quomodo re vera ad concordiam nobiſcum revocantur. Id quod ſupra oſtendendum promiſi.

118 At fortè reſpondebit ad hoc citatus de Perea cum ſuis, ipſos multum à nobis diſsidere; quandoquidem ipſi in dubiis in promptu remedium præbent, ut quis tutus evadat eligendo minùs tutum virtute illius judicii reflexi, deducti ex aliqua earum reflexionum, quas affert locis ſupra citatis; puta vel reflectendo ſupra legem (de qua dubitat, ne fortè actum illum prohibeat) quod non ſit ſibi ſufficienter promulgata, dum poſt inquiſitionem ſibi pro tunc poſſibilem, eam clarè non invenit; atque ideò non teneri ab actu illo abſtinere: vel ſupra probabilitatem eiuſdem actus in ratione liciti, quatenùs ſecundùm illam unuſquiſque prudenter agit: vel ſupra libertatem in cuius poſſeſſione, urgente eo dubio, reperitur, quatenùs ea liberè uti poteſt, juxta aliam regulam juris, *quod in dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, nec debet ſua poſſeſſione ſpoliari: vel quocumq; alio modo, ita ut indè formet ſibi judicium de licito, & omnem formidinem ſeu dubium deponat; & ſic tutus in conſcientia procedit, etiam actum illum minùs tutum eligendo. Nos autem, qui reflexiones illas, & judicium reflexum averſamur, volumus irrefragabiliter, & abſque ullo remedio, quod in dubiis ſit ſemper, & neceſſariò pars tutior eligenda. Hoc enim eſt (inquit præfatus Author) quod inquiritur, an ſcilicet qui in quæſtione directa ita dubius eſt & ſuſpenſus, habeat motiva ad judicandum prudenter per principia extrinſeca, & non pertinentia ad materiam directam, puta de contractu, aut uſuris; ſed pertinentia ad materiam de conſcientia in genere, poſſit ex motivis iſtis extrinſecis (quæ reflexa ſunt) prudenter credere, ſe poſt legem ſincerè inquiſitam, & non inventam, non obligari tali lege; ſed potiùs poſſe licitè judicare non peccaturum, & per hoc judicium depellere omne dubium omnemque timorem de lege obligante ob contrarietatem opinionum, ſive ob motiva dubitandi in contrarium? Contrarii noſtri (ait) id negant: Nos autem id affirmamus. Ita ferè eiſdem verbis ſe explicat Author iſte *dicta ſect. 10. cit.* ac proindè videtur cum ſuis multùm a nobis diſſidere; & nullo pacto poſſe ad concordiam nobiſcum revocari.

119 Sed his nihil obſtantibus, oſtendo eos nullatenùs poſſe in puncto quæſtionis, ac reſolutionis noſtræ vel minimùm recedere, benè tamen ab eius intelligentia. Non enim benè intelligunt quid nos in eiuſmodi reflexionibus averſemur, quidve in judicio illo reflexo abhorreamus; atque ideò credunt nos eas ſtatim de medio tollere, & ad illam juris regulam immediatè recurrere: at hoc, ſi benè conſideretur doctrina noſtra, falſiſſimum eſt. Non enim nos reflexiones illas, in dubiis, aut probabilibus, impoſſibiles, aut omninò vanas exiſtimamus, ſicut nec judicium illud reflexum omninò inane, aut prorsùs inutile ad deponendum dubium, aut formidinem, credimus; imò hæc omnia ultrò concedimus, & cum ipſis adhùc fatemur, quod qui iis reflexionibus, eoque judicio regitur, atque indè ſuum dubium, omnemque formidinem deponit, non peccat ex vi ſuæ conſcientiæ dubitantis, aut opinantis, quia tunc non contra, ſed ſecundum conſcientiam operatur; & hæc eſt ipſiſſima ipſorum reſolutio ab ipſis data in puncto quæſtionis; & à nobis etiam tradita ſuprà, dum de coſcientia deponenda dicebamus; imò ibi aliquid ampliùs docuimus cum Caietano, videlicet poſſe conſcientiam erroneam, ſive dubiam, deponi, etiam abſque ulla ratione, ſed ex impetu, aut pura credulitate oppoſiti. Ergo in hoc nec ipſi a nobis, nec nos ab ipſis recedimus; ſed ſecundum hanc doctrinam, & ſuam, & noſtram, evidentiſſimè conſtat præfatam regulam juris de via tutiore eligenda præceptum importare, & non conſilium perſiſtente dubio, ut formaliter regula ipſa loquitur: depoſito autem dubio ſive per eiuſmodi reflexiones, ſive quoque modo, variari caſū, nec ampliùs in dubiis nos verſari; ac proindè nec poſſe nos indè peccare, etiam eligendo minùs tutum, ex vi conſcientiæ dubitantis: & oppoſitum aſſerere eſſet aſſertio ſeu propoſitio de ſubiecto non ſupponente. Vide, & pondera, lector, quàm concorditer in hoc puncto cum ipſis loquamur. Cur igitur præfatus Author adeò in nos invehitur? cur & doctiſſimum Munieſſam obloquitur? quem licet præ manibus non habuerim, idipſum nobiſcum ſentire cenſeo.

120 Id autem quod in ejuſmodi reflexionibus, judicioque reflexo deteſtamur aliud quippè, & longè diverſum eſt, atque ideò meritò eas evanidas appellat, & fallaces, Pater Munieſſa apud præfatum Authorem: quandoquidem evanidæ ſunt & fallaces, nam licet ſecuritatem

tatem

Digitized by Google

tatem promittant, imò & faciant ex parte, non tamen ex toto: & interdum dum iis innixus quis tutò agit ſecundùm conſcientiam ſuam, contingit ad legem, eum actum alias prohibentem, pedem ſuum offendere, & ex errore vincibili in peccatum labi neſcientem. Et hoc eſt quod in reflexionibus illis deteſtamur: atquè ideò docemus, quod ut quis non ex parte, ſed ex toto tutus ſit; vel clariùs: ut nedùm ab obligatione conſcientiæ evadat, ſed etiam ab obligatione legis, ſi fortè tunc in ſuo vigore perſiſtat, oportet quod pars tutior eligatur. Sed hæc reſolutio alterius valdè diverſæ quæſtionis eſt à præcedente. In præcedente enim quæſtio erat de conſcientia dubitante, cui concorditer, cum iſtis Adverſariis putatis, reſpondimus, quod niſi dubium deponatur, & pellatur quoquo modo omnis formido practica, peccabit Agens minùs tutum eligendo, quia tunc perſiſtente dubio, contra conſcientiam aget, & non ex fide: ſi verò dubium ſive per reflexiones illas, ſive alio modò deponatur, non peccabit contra conſcientiam, jam enim tunc juxta conſcientiam aget, & liber ab obligatione, quæ ex propria conſcientia deſcendebat. At in ſecunda quæſtione quæſtio eſt de ignorantia legis præſuppoſitæ, cui non proſunt, ſed vanæ ſunt reflexiones illæ, iis enim ſtantibus contingere poteſt quod lex vincibiliter ignoretur, ac proinde Agens quantumvis ſecundùm conſcientiam operetur, peccat; quod neque ab ipſis negari poteſt; quod verò ipſi prætendant virtute earum reflexionum ſemper legis ignorantiam fieri invincibilem, hoc falſum reputamus, & in hoc eis adverſamur, & reflexiones ideò evanidas dicimus, & fallaces; ut ſuo loco, cum de ignorantia dicemus, fusè demonſtrabimus. Pro nunc ergo dum de conſcientia tantùm inquirimus pro quanto quis venit obligatus ab illa, ſolida eſt doctrina noſtra; & cum ipſis communis.

121 Ex quibus firmum manet regulam illam juris præceptum eſſe pro conſcientia dubitante, perſiſtente dubio, non conſilium; ſi quæſito velimus formaliter reſpondere; quemadmodùm & regula ipſa formaliter in dubiis loquitur.

122 Si verò iterùm quæratur an ſic dubius & ſuſpenſus exiſtens, poſſit aliquo modo formare ſibi judicium de licito, & ſic dubium deponere; atque, eo depoſito, id ipſum agere, de quo antea dubitaverat? ſic alia quæſtio eſt; cui reſpondemus utique poſſe, nec peccare tunc contra conſcientiam, etiam ſi illud minùs tutum eligat, quia tunc regula illa locum non habet, cum non ſit agens ampliùs in dubio, ſubindèque nec præceptum tunc urget de tutiore parte eligenda; hoc enim in ſolis dubiis urget, ut ex terminis eiuſdem regulæ conſtat. Et in utraque reſolutione univocè loquimur, & ſentimus cum Probabiliſtis: atque ideò huc uſque concordes ſumus.

123 Si autem tertiò quæratur. An ſaltem ſit tunc conſilium tutiorem partem eligere? Reſpondeo utique conſilium eſſe, ſed extra regulam illam, non in illa contentum: nam regula illa ſolùm præceptum continet pro dubiis, & nihil aliud. continetur autem in alia regula longè ab illa diverſa, & eſt eiuſmodi: *ex duobus bonis melius eſt eligendum*. Extra caſum enim dubietatis de illicito, idem ſonat tutum & tutius, quod bonum & melius. Et hoc conſilium eſt, non præceptum, ut fatentur omnes. Nec dicitur regula juris, ſicut illa; quia de hac non meminit jus Canonicum ſicut de illa. Cæterum ambæ regulæ juris naturæ ſunt, ſeu duo nativi juris dictamina, quorum primum continens præceptum aſſumit jus Canonicum ad varios caſus decidendos, ut conſtat ex variis locis ſupra allegatis. Ubi ſuarum deciſionum quaſi rationem reddens, dicit, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda. Et ideo diximus ſupra quod non eſt hoc præceptum Canonici juris, quia a jure Canonico ſupponitur, benè tamen juris naturæ & divini, ut inſinuavimus. Ipſa enim recta ratio dictat quod in dubiis ſit via tutior eligenda, quia in eis ſemper eſt periculum, à quo procul dubio cavendum eſt. Et eiuſdem naturæ dictamen eſt aliud ſecundum continens conſilium. Utrumque tamen reperitur in ſcriptura variis in locis; & primum quidem ibi: qui amat periculum, peribit in illo, ſecundum vero ibi: eſtote perfecti, quia Pater veſter in cælis perfectus eſt. Et alibi: æmulamini Chariſmata meliora, &c.

124 Et ſi tandem quæratur an qui dubium per ſuum judicium reflexum deponit, vel alio modo, atque ideò ſecundum conſcientiam de novo ſibi formatam agit, eligendo minùs tutum, ſit undequaque tutus, ita ut nec peccet contra conſcientiam, nec contra legem, ſi contingat re vera actum illum lege prohiberi? Hæc alia diſtincta quæſtio eſt à præcedentibus, cui Probabiliſtæ reſpondent, & acriter ſuſtinent omninò tutum eſſe, & nullo modo peccare neq contra conſcientiam, nec contra legem, & contendant tunc ſemper intervenire ignorantiam invincibilem; & ad hoc tendit tandem eorum judicium reflexum, cui plurimùm confidunt. Nos autem eiuſmodi fiduciam non probamus, atque ideò cum Apoſtolo ad Hæbr. 6. propinquiora, & viciniora ſaluti perquirimus, nec poſſumus facilè in judicio illo reflexo quieſcere. & in hoc eſt tota diſcordia noſtra, de qua fuſiſſimè conſtabit infra cum de ignorantia, & de probabilitate agendum erit.

125 Placuit autem hic varias haſce quæſtiones ordine ſuo recolere, ut ſciant cuncti, & præ oculis habeant in quo cum Probabiliſtis concordes ſimus, aut diſcordes. Et inde in puncto præſentis difficultatis agnoſcant, quod regula illa juris de tutiore via eligenda in dubiis, præceptum ſit, & non conſilium: Cui velint nolint, oportet quod adverſarii nobiſcum ſe ſubſcribant.

H §. II.

§. II.

Examinatur intellectus D. Antonini de eadem regulæ iuris.

126 IN contrariũ opponũt nobis Probabiliſtæ D. Antoninum quaſi ſuum Anteſignanum in ſua 1. *p. ſumma tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. *Reg.* 6. *in medio*, ubi ait: *Solet autem impedire proportionem ſcrupulorum ſententia aliquarum authoritatum non benè intellectarum, & ideò declaranda ſunt, ut illa, quæ habetur extra de ſponſ. ſcilicet: In dubiis tutior via eſt eligenda. propter quod ſcrupuloſus eligit viam rigidiorem. Sed ad hoc reſpondetur, quod eligere viam tutiorem, conſilii eſt, non præcepti.* Ad quæ verba ſubdit Franciſcus de Perea *loc. ſup. cit. n.* 90. *Audi ſcrupuloſe, audi Antiprobabiliſta, qui iactas te Patronum habere Antoninum: hic dicit: Conſilii eſt, non præcepti: Tu econverſò dicis: Non Conſilii eſt, ſed præcepti: Da ergo gloriam Deo, & confitere Antoninum non eſſe pro te, ſed contrarium tibi in hoc puncto, imò in tota hac controverſia; nam tota reducitur ad hoc punctum: An in caſu duarum opinionum probabilium æqualium (& quod indè ſequitur, per vos inæqualium, intra terminos veræ probabilitatis) debeamus præſumere nos alligatos ad tutiora? Certè nos cum D. Antonino, & cum aliis innumeris, & cum veritate ipſa, aſſerimus non dari præceptum, ſed tantum conſilium de ſequenda parte rigidiori, & tutiori.*

127 Verumtamen oppoſitioni huic non ab alio opus eſt mutuare ſolutionem, quàm ab ipſo D. Antonino. Ipſe enim ibidem ſe ſatis explicat. Siſtat ergo mecum parumper Perea ante ſanctum Præſulem, & iterum audiat eum loquentem, atque ex eius ore ediſcat ſenſum verborum eius. Ibi S. Præſul regulas ſeptem tradit pro ſcrupulis removendis, & propè medium regulæ ſextæ præallegata verba adducit, quæ ferè ſingula ſpeciali intelligentia indigent; atque ideò paſſim expendenda. *Solet autem* (inquit) *impedire proportionem ſcrupulorum ſententia aliquarum auctoritatum non benè intellectarum.* Attendat nunc Perea, quid interdùm ſcrupuloſis ſolere accidere dicat D. Antoninus; nempè impediri eis proportionẽ ſcrupulorum. quod eſt dicere: eos aliquando neſcire comparationem duarum illarum partium facere: id enim ſonat, proportio, videlicet duarum rerum in quantitate, vel qualitate, comparationem. Si ergo eis accidit aliquando impediri proportionem ſcrupulorum, procul dubio contingit eis neſcire eas partes invicem in quantitate vel qualitate comparare: atque ideò evenit, aliquando eos deficere in comparatione dubii ad certum. & loco eorum comparare tutum, ſeu certò bonum, cum tutiore ſeu meliore: & tunc trepidant an virtute earum auctoritatum, puta dictæ regulæ juris, & Auguſtini, qui talem regulam affert, teneantur ſemper quod eſt perfectius ſeu melius eligere? Nec advertunt ſe tunc non eſſe in dubiis, de quibus loquuntur auctoritates illæ: hæ enim loquuntur de dubiis alicuius illiciti. Ipſi verò conſtituuntur in dubio de licito, aut perfecto eligendo: Et hoc oritur ex mala intelligentia earum auctoritatum. Et huic caſui reſpondet ibi D. Antoninus dicens: *Sed ad hoc reſpondetur, quod eligere viam tutiorem conſilii eſt, non præcepti.* (quod & nos ſupra docuimus) *alias* (ſubdit) *oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur, quàm in ſæculo. Non ergo de neceſſitate oportet tutiorem eligere; quando* (audiat Perea) *etiam alia via poteſt eligi tuta.* Hæc ibi Antoninus. Quid clarius expectat Perea ex D. Antonino ibidem? Expendat ſequelam ſancti Præſulis, dum ait: *alioquin oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur, quàm in ſæculo.* Undè habetur hæc conſequentia? Niſi quia præſupponit ſanctus Præſul ſcrupuloſos interdum dubitare per comparationem improportionatam, comparando ſcilicet certò licitum, & bonum cum perfecto, & meliore? Indè enim dumtaxat ſequi poteſt ſequela illa. At ſi ſupponatur dubium de illicito comparativè ad licitum, conſequentia illa peſſima eſt, & omninò neganda; ac proindè foret Antoninus inconſequentiæ redarguendus. Ponderet ulteriùs Perea deductam aliam conſequentiam a ſancto Præſule, ibi: *non ergo de neceſſitate oportet tutiorem eligere; quando etiam alia via poteſt eligi tuta.* Et videat reſtringi utique dictum D. Antonini ad caſum, quandò alia via poteſt eligi tuta. ergo in comparatione viæ tutæ, & licitæ ad tutiorem ſeu perfectam loquitur D. Antoninus, cum profert ſententias illas conſilii eſſe, & non præcepti.

128 Præterea S. Præſul ad aliam ſententiam deveniendo ex Eccleſ. deſumptam, nempe: qui amat periculum peribit in illo. Subdit ibid. *Hinc eſt quod B. Thomas, & alii dicunt, quod ille, qui agit id, de quo eſt dubium; utrum ſit mortale, vel non; peccat mortaliter; quia periculo ſe exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia morali ſunt variæ, & contrariæ opiniones. Ille qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur ſe exponere periculo mortalis; quia in dubio: cum poſſit illa opinio eſſe falſa, & contraria vera. Sed ad hoc* (ſubdit D. Antoninus) *reſpondetur* (audiat Perea) *quod utique iſte qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiam ſi illud in ſe non eſſet mortale, ſumendo propriè, & ſtrictè dubitationem; videlicet prout rationes ſunt æquè ponderantes ad utramq; partem, nec magis declinat quis ad unum, quàm ad aliam.* Uſque hùc jam conſtat, etiam in ipſis terminis, nobiſcum convenire D. Antoninum; nempè quod Agens cum conſcientia dubia, & dubio permanente de eo, quod agit, peccat. Si

ergo

ergo agendo peccat, jam ex neceſſitate præcepti debet ab actu illo abſtinere, & tutiorem viam eligere, ſi velit agere. Ergo per D. Antoninum, in dubiis non conſilium, ſed præceptum eſt eligendi tutiorem partem, permanente dubio de illicito; & loquitur etiam de dubio probabili, ut conſtat; nam loquitur de dubio, in quo pro utraque parte eſt æqualitas rationum. Ac proinde, ſiſtendo formaliter in puncto præſentis quæſtionis, pro nobis ſtat S. Antoninus, non pro Probabiliſtis. Ponderet ergo Perea, & ſecum recogitet, quod in ipſum recidit ſua illa apoſtrophe, qua in nos invehebatur; & debet dare gratias Deo, & fateri, quod contra ipſum ſentit S. Antoninus.

129 Sed videamus quid ulteriùs ſubiiciat S. Præſul ibid. *Sed ſi quis* (inquit) *dubitet leviter per modum ſcrupuli; ſicut dubitat ſeu formidat habens opinionem de aliquo; quia ita inhæret illi ſententia, quod tamen formidat de oppoſito. Sic agendo contra tale dubium, non peccatur, dum adhæret opinioni alicuius Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipſa magis, quàm pro oppoſita opinione; etiam ſi ipſa opinio, quam tenet, non eſſet vera ..... Talis enim non operatur in dubio mortalis; ſed ſecundum opinionem probabilem*. Hìc profectò reſpondet S. Præſul alteri quæſtioni, an ſcilicet depoſito dubio per judicium probabile oppoſitum; & formando ſibi conſcientiam, quod id, de quo dubitabat, ſibi liceat; tunc eligens id ipſum, agens peccet? & dicit, quod non peccat. & rationem reddit, dicens: Talis enim non operatur in dubio mortalis, ſed ſecundum opinionem probabilem, (ſubaudi: depoſito dubio practico, quod priùs habebat) quidquid ſit ſi levi aliqua fluctuatione ſentiat interiùs tentari ſpeculativè, dummodò non det ei locum, nec credat illi, ſed reiiciat in praxi, ſiſtendo in ſuo judicio practico, ſeu conſcientia de licito. & hoc intendit per ea verba: *ſed ſi dubitet leviter per modum ſcrupuli, ſicut dubitat ſeu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret illi ſententia, quod tamen formidat de oppoſito*. Intendit (inquam) non dubium practicum, qui ſcilicet applicetur ad opus agendum; ſed ſpeculativum, ortum ex motivis partis oppoſitæ, quibus tamen non confidit, nec credit, nec recipit in ordine ad opus, nec iis finit moveri; ſed firmiter adhæret judicio ſuo, quo proximè regitur ad agendum; ea verò motiva contraria ad ſummum ſentit, & patitur, quaſi hoſtiles ſuggeſtiones, ſicut alibi diximus; hoc modo enim ſe habet, qui opinionem habet de aliquo, & firmiter illi inhæret, ac tenaciter fovet; alioquin in veram dubitationem incideret; & pertineret ad quæſtionem præcedentem de dubitante, permanente dubio.

130 Hic ergo in caſu depoſiti dubii loquitur S. Præſul per judicium probabile oppoſitum, & reſolvit, quod non peccat agens, quia non operatur in dubio. Et in hoc non contradicit nobis; quia idipſum, & nos ſupra docuimus; diximus enim quod quoquo modo dubium deponatur, non verſamur ampliùs in dubiis, neque urget ampliùs præceptum illud de tutiore parte eligenda; hoc enim, dumtaxat in dubiis, volumus urgere. Immò ſubjunximus ſupra, quod agens ſic agendo non peccat, nec peccare poteſt contra conſcientiam; atque ideò in hoc convenimus cum S. Antonino.

131 At quia hìc videtur D. Antoninus aliquid plus dicere, nempè quod neque poſſit peccare contra legem, ſubdit enim: quod *agens huiuſmodi non peccat, etiamſi ipſa opinio, quam tenet, non eſſet vera*. Ideò apparet in hoc nobis contradicere. Nihilominùs dico, quod neque in hoc eſt nobis contrarius; nam D. Antoninus hìc ſupponit, quod interveniat ignorantia legis invincibilis: in qua ſuppoſitione, nec nos diſſentimus. Id enim quod nos dicimus eſt, quod in caſu quo opinio ſit in ſe falſa, tunc reſolutio pendet ex alia quæſtione de ignorantia juris, ita ſcilicet, quod ſi ea ſit invincibilis, agens nec contra legem peccet; ſi verò ſit vincibilis, peccet utique contra legem. Sed de hoc alibi.

132 Denique in hoc puncto præſentis quæſtionis mens D. Antonini non tàm ex loco allegato deſumenda eſt; ubi per accidens, & occaſionaliter, tangit regulam illam juris; occaſione videlicet ſcrupuloſorum hominum, qui ſæpè ſæpiùs ſuperſtitioſis quibuſdam dubiis cruciari ſolent, & importunis, in quibus interdùm regula illa non habet locum, ut ſatis oſtendimus: ſed potiùs ex titulo 20. eiuſdem p.1. cap. unico de regulis juris, ubi ex profeſſo ſingulas regulas exponit §. In dubiis. Ibi enim compendioſè, ſed ex profeſſo de illa agit, ſic dicens: *In dubiis tutior via eſt eligenda. Iſtud dictum, quod eſt quaſi regula, ſic conſuevit allegari communiter. Et eſt ſumptum ex C. Juvenis de ſponſal. & Ma. ubi dicitur. In his, quæ dubia ſunt, quod certius extimatur, tenere debemus. Glos. ibi. Sic ergo patet, quod in dubiis ſemper certius eſt tenendum de pænit. diſt. 7. cap. 2. ubi dicit Auguſt. tene certum, & dimitte incertum. Et loquitur de pænitente in extremis, de quo eſt dubium ſi verè pæniteat. quia autem certus eſt de vera pænitentia per coniecturas: tamen ſi ſanus agit pænitentiam. 14. diſtinct. ſicut de homic. ad audientiam. Nota tamen quod eſt dubium probabile, & eſt dubium ſcrupuloſum. De probabili hìc loquitur, cum ſcilicet rationes ſunt ad utramque partem quaſi æquales, & peccatum grave eſt ſe exponere tali dubio, ubi eſt mortale. Eſt aliud ſcrupuloſum, ubi ſcilicet ex levi ſuſpicione timet quis eſſe in aliquo actu peccatum, ubi non eſt; & iſtud ad conſilium boni Viri eſt deponendum. Gregor. bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt; ideſt timere, non tamen aſſerere diſtinct. 5. ad eius.* Hæc D. Antoninus.

133 Quærat nunc, & perquirat in his verbis,

bis, Perea, ſi poſſit invenire, quod ea regula conſilii a D. Antonino eſſe dicatur, non præcepti; aut quid ſimile. Jam potiùs oppoſitum manifeſtè legimus, ſcribit enim D. Antoninus in hoc ſuo notabili (ubi dubium diſtinguit in probabile, & ſcrupuloſum) quod regula de probabili loquitur, & ſubdit quod peccatum grave eſt ſe exponere tali dubio, ubi eſt mortale. quod certè præceptum, & obligationem ſupponit. Et de dubio ſcrupuloſo dicit eſſe deponendum conſilio boni Viri. Quod indicat, neque ſub eo, niſi deponatur, licere operari; non obſtante quod tale dubium purè ſcrupuloſum ſit, & de culpa, quæ ibi re vera non eſt, ut ipſemet Sanctus explicat. Undè ergo gloriatur Perea pro ſe Antoninum habere? Undè habet quod a nobis D. Antonini verba diſſimulentur? Jam quæ ipſe recitat, fideliter tranſcripſi, & plura: ſed indè oppoſitum habetur, ut oſtenſum eſt.

CAPUT OCTAVUM.

De intellectu alterius regulæ juris: In dubiis melior eſt conditio poſſidentis.

§. I.

Quid importet illa alia regula juris in 6.

In dubiis melior eſt conditio poſſidentis?

Et an per hanc mitigari poſſit rigor præcedentis regulæ?

134 MUlti ex recentioribus aliam regulam pro dubiis afferunt, quæ eſt etiam civilis, & Canonici juris in 6. nempè quod in dubiis melior eſt conditio poſſidentis. Exiſtimant enim non ſemper oportere in dubiis præcedente regula uti de tutiore parte eligenda. Imò contendunt ferè omnia dubia in quacumque materia optimè per hanc ſecundam regulam reſolvi, ac deponi poſſe. Ita ferè omnes Probabiliſtæ communiter contra alios, qui volunt hanc regulam locum habere tantum in materia juſtitiæ commutativæ, non autem aliarum virtutum; cujuſmodi ſunt Sotus *in 4. de Juſt. q. 5. a. ult. Aragon.* 2.2. q. 62. a. 1. & alii.

135 Quare Authores primæ opinionis videntur paſſim leges omnes & præcepta, in quacumque ſint materia, quodammodò ante Tribunal Doctorum cogere ex una parte, & Homines ex alia, ut ſuum jus dicant, & probent pro qua parte ſtet poſſeſſio, puta an libertatis pro hominibus? an verò vis obligativæ pro legibus aut præceptis? Et pro qua parte lata fuerit ſententia, illa vincet. Hinc in materia v. g. Religionis, ſi quis dubitet votum aliquod emiſiſſe, & facta debita diſcuſſione, adhuc dubius maneat, cum non probetur ex parte Religionis votum fuiſſe emiſſum, ſtatim pro dubitante ſententiam ferendo, pronunciant illum ad votum nullatenus teneri, debet enim manuteneri in poſſeſſione ſuæ libertatis. Atque indè ille ex vi huius ſententiæ ſibi favorabilis deponit omne dubium; & liberè contra votum, ſi fortè re vera fuerit ab ipſo emiſſum, tutus, & abſque ulla culpa operatur. Econtra verò ſi ei conſtet votum verè voviſſe, ſed dubitat ſi fortè impleverit, tunc dicunt pro voto poſſeſſionem ſtare, atque ideò dubitantem cogunt, ut promiſſum impleat, etiamſi alias ſatis impleverit. Et ſic pariformiter in quacumque materia cujuslibet virtutis, circa quam acciderit dubitare, alternis vicibus, nunc pro, nunc contra leges, dubia reſolvunt, & ſæpè ſæpius eas eludunt. An autem hæc vera ſint operoſiùs diſcutiendum eſt.

136 Pro cuius reſolutione præmitto primò certiſſimum eſſe eiuſmodi regulam locum ſuum habere in materia juſtitiæ, quæ circa exteriora fortunæ bona, & ſimilia jura verſatur. Ita communiter Doctores omnes fatentur: Et ipſius juſtitiæ ratio efficaciter id ſuadet. Juſtum enim eſt, ut qui eiuſmodi bona phiſicè, & bona fide poſſidet, & alias ſolido fundamento præſumitur ea moraliter ſecundum juſtitiam poſſidere; in ſua poſſeſſione manuteneatur. Conſtat autem quod, qui ſimilia bona phiſicè, & bona fide poſſidet; ſi ei dubium occurrat de ſua poſſeſſione, & debita diſcuſſione veritatis facta, non inveniat certitudinem, ſed adhuc in eodem dubio remaneat; ſolido fundamento præſumitur ea moraliter ſecundum juſtitiam, hoc eſt, legitimè poſſidere. ergo poteſt moraliter in ſua poſſeſſione manutenerı; hoc ipſo enim jam juſto titulo poſſidet formaliter loquendo, ac proindè formaliter proprium retinet, non alienum; quidquid ſit ſi materialiter alienum ſit. Et nota quod dubium illud non juris eſt, ſed facti, cuius ignorantia redditur invincibilis, ſi priùs debita diligentia præſumatur adhibita pro inquiſitione veritatis, ut nunc ſuppono. atque ideò non peccat.

137 Explicatur magis præcedens ratio ſub exemplo: qui Prædium, aut domum poſſidet phiſicè & bona fide, quatenus v. g. Ei obvenerunt jure hæreditario a Patre ſuo relicta; hoc ipſo quod ita poſſidet, iam jus habet poſſidendi eiuſmodi bona, poſſidet enim jure hæreditatis. quod ſi ei dubium ſuperveniat, an Pater ſuus jure poſſederit, & potuerit ſibi filio relinquere? & diligentiam adhibeat, & non poſſit invenire quod Pater ſuus non legitimè poſſederit, aut quod certò legitimè; ſed tantùm inveniat quod poſſederit phiſicè: tunc debet cum ſolido fundamento præſumere, quod jure & legitimè poſſederit; eo quod ipſa phiſica poſſeſſio per ſe, & ex natura ſua, exigit in jure aliquo poſſidendi fundari, puta vel in jure hæreditario, aut via emptionis, aut donationis &c. Nulla enim phiſica poſſeſſio, per ſe loquendo, fit abſque ſuo legitimo titulo; licet per accidens aliquando fiat violenter per rapinam, aut furtum.

Digitized by Google

tum. Ergo iſte talis per ſe debet præſumere, quod Pater ſuus legitimè poſſederit. Et ſi dubitet, ne fortè Pater ſuus violenter ea bona præoccupaverit, jam tale dubium nō juris eſt, ſed facti, quod utique per accidens contingere poterat. at quia ſuper hoc ſuam diligentiam adhibet, nec invenit ita accidiſſe; non poteſt, nec debet id præſumere, ſed oppoſitum per ſe potiùs ex natura ſua, & regulariter debitum. Et ſi in hoc contingat per accidens errare, error redditur ei invincibilis, ut potè per debitam diligentiam præſuppoſitam ab omni culpa purgatus. ac proindè proſequens poſſeſſionem ſuam, formaliter proprium retinet; eſto materialiter fortè retineat alienum. & ideò formaliter peccare non poteſt; & ſi materialiter deficiat, non imputatur ad culpam; ſicut non fuit ad culpam imputatus acceſſus Jacob ad Liam, quam bona fide, & juxta exigentiam rei per ſe, propriam exiſtimavit. Ea enim quæ per accidens interdùm eveniunt, & citra exigentiam rei, in conſideratione venire non debent; & ſi veniant, adhibita diligentia debita, omni culpa purgantur; quia jam hoc ipſo præter intentionem ſunt & præter voluntatem; involuntaria autem imputari non poſſunt. & ideo adhibita debita diligentia, debet omne dubium deponi, & res judicari ſecundum quod per ſe exigit eſſe. Cum ergo omnis phiſica poſſeſſio bonorum per ſe exigat aliquo juris titulo fieri, ita præſumi, & judicari debet poſt diligentem Inquiſitionem, & non aliter. Ex quo fit quod ſi contingat per accidens rem aliter ſe habere in ſe, agens excuſatur ex ignorantia facti invincibili. Tum etiam, & fortiùs, ex legitima juris adiudicatione, quia tunc ex vi prædictæ regulæ, quæ etiam juris civilis eſt in *l. Sive autem 9. §. ſi duobus 4. ff. de public. in rem act. & in leg. in pari* 128. *ff. de Reg. juris*, intelligitur res illa poſſidenti adjudicata, ſaltèm donec non conſtat de contrario.

138 Difficultas tamen eſt an prædicta regula locum habeat in aliis materiis a juſtitia. Et quidem ex antiquis certum eſt neminem hanc regulam aliis materiis applicuiſſe. Nunc verò inter Modernos controverſia eſt. Et pro parte affirmativa ſunt Tambur. *lib. 1. cap. 3. de Conſcientia dubia §. 6. n.* 10. P. Bardi *diſcept. 5. de Conſc. dubia cap. 4. n. 4.* & apud ipſum Sanchez *in ſum. lib. 1. cap. 10. n. 10. & de matrim. diſp. 41. à n.* 31. Filliucius *tom. 2. tr. 21. cap. 4. n.* 159. Bonacina *de reſt. diſp. 1. q. 2. p. 2. §. Incidens*, & alii apud iſtos, ut Laufraneus, Baldelli, Caramuel, ita etiam Buſemb. in ſua *Medulla Theol. Mor.* & noviſſimè citatus Perea &c.

139 Pro parte verò negativa ſunt Sayrus in ſua *Clavi Reg. lib. 1. cap. 13. n.* 36. Vaſquez 1. 2. *diſp. 65. cap. 3. & diſp. 66. cap.* 1. Antonius Perez *in laur. Salmant. certam. 10. ſcholaſt. n.* 132. Turrianus *in opuſc. Theol. de Conſc. dub. diſp. 1. dub.* 1. Azorius *tom. 1. lib. 2. cap. 18. q. 4. & lib. 11. cap. 15. q.* 2. Comitolus *in Reſpon. Moral. lib. 2. q.* 18. & alii quos refert Sanchez *in ſum. lib. 1. cap. 10. n.* 10. apud Bardi *de Conſc. dub. diſcept. 5. cap. 4. n.* 2. (quam ſententiam ſatis probabilem appellat) Antoninus Diana *par. 4. tr. 3. reſ.* 2. (quibus addo) Vincentium Baronium *p. 1. diſp. 2. ſect. 5. a. 3. §.* 2. ex Fagnano, Vincentium Conteuſon *tom. 3. diſſert. 6. cap. 2. ſpecul.* 2. & noviſſimè Reverendiſſimum Patrem Thyrſum Gonzalez Præpoſitum Generalem Societatis Jeſu *in ſuo tract. de recto uſu opin. probab. diſſert. 7. n. 63. & ſequent.*

140 Ego autem abſolutè exiſtimo iſtorum ſententiam eſſe veram. Undè dico reſolutoriè, quod prædicta regula nullum locum habere poteſt in materiis aliarum virtutum à juſtitia. Et probatur ratione efficaciſſima ducta ex diſcrimine, quod intercedit inter poſſeſſionem bonorum, & jurium pertinentium ad juſtitiam ex una; & poſſeſſionem libertatis ex alia; quam Moderni allegant in materiis aliarum virtutum. Illa enim poſſeſſio, nempe bonorum fortunæ, & ſimilium, per ſe, & ex natura ſua non eſt phiſicè, niſi ex aliquo juſto juris titulo (ut dixi) puta emptionis, donationis, hæreditatis, aut ſimili; ac propterea ſi interdum de eiuſmodi titulo non conſtet evidenter, nihilominus juris præſumptione ſupponitur ex ipſa actuali phiſica poſſeſſione, quæ per ſe in illo exigit fundari; ubi enim conſtat de re, quæ per ſe exigit in aliquo fundamento fundari, ibi etiam ſi non conſtet fundamentum, nihilominus præſumitur. Cum igitur conſtet de phiſica poſſeſſione eorum bonorum, præſumitur hoc ipſo, & etiam ipſa præſumptione juris, bona illa juſto aliquo juris titulo poſſideri; ac proindè poſſidens præſumitur legitimus Dominus, itaut nullus juſtus Judex poſſit illum expoliare, donec conſtat de contrario. At poſſeſſio libertatis in homine longè diſparis rationis eſt, quia numquam poteſt per ſe ſupponi legitima; ſed vel impertinens ad rem noſtram, vel violenter, & illegitimè uſurpata. ergo in nulla materia poteſt locum habere. conſequentia ſequitur, aſſumptum autem ſic oſtenditur; nam libertas iſta, cuius poſſeſſio à Probabiliſtis allegatur, vel eſt ipſa libertas potentiæ, quæ connaturaliter debetur homini, quatenùs ex natura ſua agens liberum eſt, & Dominus ſuorum actuum; itaut poſſit, quidquid velit, agere, ſive bonum, ſive malum: vel eſt libertas moralis; hoc eſt, ipſa libertas à lege, quæ præſupponit illam potentiæ, & facit, quod homo poſſit, quidquid velit, agere moraliter, & ſemper benè, abſque ulla culpa; hæc enim eſt libertas moralis, ſeu in genere moris; poſſe ſcilicet benè, & ſine culpa eligere quam partem quis voluerit, utpotè liber à lege prohibente. Si dicatur primum: ſic certiſſimum eſt hominem ſtare in poſſeſſione ſuæ libertatis ſibi connaturalis, ſeu potentiæ; nec poſſe ab eiuſmodi poſſeſſione umquàm deiici, etiam ſi evidenter con-

ſtet de lege alteram partem prohibente; ſemper enim homo eſt agens liberum libertate potentiæ, potens facere quam partem voluerit, etiam eam, quæ lege prohibetur; ac proindè poſseſſio eiuſmodi libertatis impertinens eſt ad rem noſtram; quandoquidem hic ſumus in moralibus, ubi non juvat libertas potentiæ ad excuſandum à peccato; alioquin cum homo ſemper poſsideat eiuſmodi libertatem, ſemper excuſaretur à peccato, quantumcumque lex illud prohibeat evidenter. Si verò dicatur ſecundum; ſic falſum ſupponitur, quod ſcilicet homo ſit in poſseſsione libertatis à lege, ſeu in genere moris; ac proindè ſtante dubietate de lege, debeat in ſua poſseſsione manuteneri, utpote melioris conditionis exiſtens tamquam poſseſsor in actu eiuſmodi libertatis, quod totum falſiſsimum eſt; nam dum quis dubitat reſpectu alicuius actus, ne forte ſit lege prohibitus; hoc ipſo formaliſsimè dubitat reſpectu eiuſmodi actus, ſi in agendo illum ſit liber, & ſolutus à lege, ſeu in genere moris; an potiùs impeditus, & ligatus ab illa. hæc enim ferè ſynonima ſunt: dubito, ſi poſsum hunc actum ſine peccato facere, ſeu in genere moris; & dubito ſi ſum liber, illum faciendo, à tranſgreſsione legis, ſeu à lege, quæ illum prohibeat: vel, dubito ne illum lex mihi prohibeat; aut ne lex me impediat in genere moris; aut me obliget ad abſtinendum, & ſimilia. ergo, ſtante dubietate legis prohibentis, habetur formaliſsimè dubietas libertatis à lege, ſeu in genere moris; & nullo modo ſupponitur poſseſsio eiuſmodi libertatis pro dubitante. Libertas enim à lege, ſeu in genere moris, non eſt libertas in ſeipſa abſolute conſiderata; ſed reſpectivè ad legem non prohibentem, ac per conſequens inintelligibilis eſt ſine tali reſpectu: ſicut ergo intelligi non poteſt, niſi ſimul intelligatur non eſſe legem, quæ ei aliquid prohibeat; & econtra: Ita nec dubitari poteſt, quod ſit lex prohibens, quin ſimul dubitetur de eiuſmodi libertate, & econtra. ac propterea dubietas legis prohibentis eſt ipſiſſima dubietas libertatis à lege correlativè. ergo ſtante dubio legis, manet æquè dubius homo de poſſeſſione eiuſmodi libertatis; nec poteſt dici melioris conditionis prætextu poſſeſſionis; quam lex, in eiuſmodi dubii æqualitate. Ex quo fit, quod ſi quis, ſtante tali dubietate, velit pro ſe ſtare libertatem à lege; hoc ipſo violenter videtur ſibi illam uſurpare; dum vult illam firmiter retinere, quaſi ſtantem ſub ſua poſſeſsione; cum tamen non videat ſe illam poſſidere; ſed æquali dubio dubitare; ſicut dubitat de lege prohibente.

141 Quod ſi quis replicet: quantumvis valdè diverſæ ſint hæ libertates, videlicet Potentiæ, & à lege, ſeu in genere moris; tamen ſtante dubio de lege prohibente; dum de hac non conſtat, quod libertatem potentiæ moraliter impediat, manet hoc ipſo eadem libertas potentiæ etiam expedita, & libera à lege, ſeu in genere moris. quemadmodùm in materia juſtitiæ, licet poſſeſſio, ſeu dominium phiſicum alicuius rei ſit valde diverſum a poſſeſſione, ſeu dominio juridico, & morali; tamen ſtante dubio, ne forte illa res ſit aliena, manet hoc ipſo idem dominium, ſeu poſſeſsio phiſica expedita, & libera in genere etiam moris.

142 Reſpondeo negando conſequentiam illam, quod ſcilicet, ex hoc quod ſit dubium de lege prohibente, dum de hac non conſtat, quod libertatem potentiæ moraliter impediat, ſequatur, quod maneat hoc ipſo libertas potentiæ etiam expedita, & libera a lege, ſeu in genere moris; non enim inde hoc benè infertur; ſed potiùs aliud; nempe quod maneat hoc ipſo dubium, ſi libertas illa potentiæ ſit expedita, & libera a lege, ſeu in genere moris, an potiùs impedita, & ligata à lege prohibente, ſeu moraliter. Sunt enim, ut dixi, hæc dubia ſimul, & correlativè intelligibilia; nec poſſunt formaliſſimè loquendo ab invicem ſeparari; quia ſunt formaliſsimè unum, & idem dubium ſaltem moraliter; ſi non logicè, aut metaphiſicè, ut conſtat ex dictis. Ad probationem autem illius conſequentiæ, nego paritatem; & diſparitas ſatis eſt ſuperiùs aſsignata. Nam in materia juſtitiæ poſſeſsio, ſeu dominium phiſicum, per ſe, & ex natura ſua fundatur in genere moris; nempe in aliquo juſto titulo, ſeu jure poſsidendi, quod ad genus moris pertinet; atque ideò ex ipſa præſumptione juris poſſeſsio phiſica præſumit, & ſupponit poſſeſsionem, ſeu dominium in genere moris; per prius enim eſt, quod quis habeat jus ad poſsidendum aliquid, quam illud phiſicè poſsideat, per ſe loquendo; quidquid ſit, ſi per accidens interdum aliter contingat; quæ enim per accidens ſunt, non veniunt in conſideratione legis, neque in conſideratione noſtra eſſe debent; cum poſt adhibitam inquiſitionem, non conſtant. At verò libertas potentiæ, ſeu in genere phiſico, non fundatur in genere moris, ſeu in libertate a lege; ſed in ipſa natura hominis agentis liberi, qui ſemper eiuſdem conditionis eſt, nempè ſemper phiſicè liber, ſive deſuper accedat lex prohibens, ſive non. ac proindè inferri non poteſt, ſtante dubio de lege prohibente, quod maneat liber in genere moris, ſeu à lege; ſed potiùs, quod hoc ipſum ſit æquè dubium; ſicut dubia eſt lex. Et ideò nulla eſt paritas de materia juſtitiæ ad alias materias.

143 Ulteriùs oſtenditur vanum eſſe hoc effugium poſseſſionis libertatis. Nam quæcumque poſseſſio quantumcumque, & ex quocumque capite alicui conveniens, non reddit poſseſſionem melioris conditionis reſpectu rei poſseſsæ, niſi quoad hunc tantùm effectum, ut ſcilicet non poſſit, nec debeat perturbari, aut deiici à poſseſſione ſua, quaſi malè poſſideat; donec evidenter conſtet re vera malè poſſidere. Cæterùm ſi in alio moleſtetur, non juvat ei exceptionem poſseſſionis opponere; quia eſſet ex-

exceptio impertinens. Exempli gratia, ſi poſſidens plura bona, cogatur a Rege ad taxam aliquam ſolvendam in ſubſidium Belli, aut alterius beneficii publici, procul dubio ad nihilum ei valeret, ſi exceptionem poſſeſſionis opponeret; quia non moleſtatur in eo, quod quaſi malè poſſideat; ſed in alio, ad quod poteſt Rex cogere, ſtante in ſuo robore ſua legitima poſſeſſione. Sed hoc eodem prorsùs modo ſe habet poſſeſſio phiſicæ libertatis in homine reſpectu legum in materia aliarum virtutum à juſtitia: nam leges non moleſtant hominem in eo, quod quaſi malè poſſideat libertatem ſibi ingenitam; ſed in alio, ad quod poſſunt leges cogere, ſtante adhùc in ſuo robore ſuæ libertatis phiſicæ poſſeſſione. Non enim hanc leges perturbant, aut ab ea prætendunt deiicere poſſeſſorem, quaſi malè poſſideat; ſed illum potiùs in ſua poſſeſſione relinquendo, jure ſuo directivo in genere moris regunt, ne ſua libertate abutatur, atque ideò in eiuſdem beneficium cogunt ab aliquo abſtinere, exercendo in illum ius, quod habent prohibendi unam, vel alteram actionem; à qua morali coactione non poteſt homo moraliter excipi, opponendo poſſeſſionem ſuæ phiſicæ libertatis; quia eſt exceptio impertinens, eodem modo, ſicut in ſupra adducto exemplo.

144 Nec refert ſi lex prohibens ſit certa, vel dubia quo ad hoc: nam ſicut lex certa non infringit poſſeſſionem phiſicæ libertatis, ſed ſolùm exercet certò, & evidenter jus, quod habet in illam dirigendi in genere moris; ac proindè eam moraliter reſtringendi: ita lex dubia non infringit poſſeſſionem phiſicæ libertatis, ſed ſolùm dubitatur de ea, ne fortè exerceat in illam jus ſuum directivum, eam moraliter reſtringendo per inhibitionem ejus actus, circa quem de lege dubitatur. ac proindè ſicut lege certò exiſtente, & per conſequens libertate certò reſtricta in genere moris, impertinens eſt poſſeſſio illa phyſicæ libertatis ad excipiendum hominem à ſubiectione legis: ita lege dubitativè exiſtente, & per conſequens libertate dubitativè reſtricta in genere moris, impertinens eſt poſſeſſio illa phiſicæ libertatis ad certò excipiendum hominem à ſubiectione legis; quia ſemper fieret tranſitus de uno genere in aliud, nempè de genere phiſico ad genus moris. fieret autem opportuna exceptio, ſi ſupponeretur libertas certò non reſtricta per legem in genere moris. At quia ſtante dubietate de lege, hoc ipſo dubitatur æqualiter de reſtrictione libertatis in genere moris; evadit æquè dubia libertas in genere moris, ac ipſa lex; ac per conſequens non redditur homo melioris conditionis via poſſeſſionis ſuæ libertatis phiſicæ, atque ideò vanum eſt effugium poſſeſſionis libertatis in caſu dubietatis legis prohibentis.

§. II.

Veritas hæc iterum, & fortiùs demonſtratur.

145 DEnique hoc ipſum iterùm, & clariùs demonſtratur ſic: poſſeſſio libertatis in homine non eſt ex natura ſua adeò abſoluta, ut non ſit ſimul de ſe divinis humaniſque legibus ſubordinanda, ac per conſequens ipſamet poſſeſſio libertatis eſt ex natura ſua cum quadam dependentia, ſeù ſubiectione ad leges. Ergo emergente dubio circa aliquod agibile, ne fortè ſit divinæ, vel humanæ legi contrarium, non poteſt contra has leges prævalere poſſeſſio libertatis; quia cum leges jure ſuo directivo habeant ſuperpoſſidere ipſam libertatem poſſeſſam ab homine; in caſu prædictæ dubietatis, non eſt lis inter hominem, & leges, an homo poſſideat libertatem, vel non; ſed lis pendens eſt, an leges ſuo jure directivo in caſu ſuperpoſſideant præſuppoſitam libertatem hominis per actum prohibentem, an verò per actum permittentem? certum autem eſt, quod ſuperpoſſideant, ſed eſt tantùm in dubio an prohibendo, vel permittendo actum illum, utrumq; enim ad leges pertinet; quia & prohibere, & permittere, ſicut & præcipere actus proprii legum ſunt, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma *1.2.q.92.art.2.* Cum igitur hoc tunc in dubio ſit, & lis pendeat, exceptio poſſeſſionis libertatis impertinens eſt, nec prodeſt ad litem, quæ actualiter pendet, dirimendam; quia contra poſſeſſionem iſtam opponitur legum ſuperpoſſeſſio adhuc in ſe certiſſima, licet dubitetur qualiter leges ſuperpoſſideant, ſcilicet an prohibendo? an potiùs permittendo? non enim poteſt homo libertate, quam poſſidet, pro ſuo libito uti moraliter, niſi leges permittant ſuo jure directivo.

146 Et doctrinæ huius fontalis ratio eſt, quia homo natura ſua non eſt agens liberum dumtaxat, ſed etiam agens morale. conſtituitur autem agens liberum per poſſeſſionem ſuæ libertatis, ſeù per dominium ſuorum actuum. Conſtituitur verò agens morale per ſubiectionem ad leges, quibus eſt in genere moris regulandus. ac proindè oportet quod ei ut agenti libero correſpondeat poſſeſſio libertatis. Eidem verò ut agenti morali correſpondeat ſubiectio ad leges, ac per conſequens, quod leges eum cum tota ſua libertate ſuperpoſſideant jure ſuo directivo in ſingulis actibus, ita ut ubi leges præcipiunt, teneatur actum præceptum facere; ubi prohibent, teneatur ab actu abſtinere; & ubi denique permittunt, poſſit quamcumque partem voluerit liberè eligere. Ubi autem hæc in dubio ſunt, non proindè poteſt à ſe excutere ſuperpoſſeſſionem certiſſimam legum, quæ ſemper certò & evidenter viget pro legibus; ſicut pro ipſo poſſeſſio libertatis. Quarè inſurgente dubio de aliquo agibili ne fortè

ſit

ſit lege prohibitum, æquè pro utraque parte certant & poſseſsio libertatis pro homine, & ſuperpoſseſsio juris directivi pro legibus, nec una poteſt alteram reiicere, cum utraque certiſsima ſit; & ſolum dubium ſit qualiter leges ſuperpoſsideant, an prohibendo, vel potiùs permittendo? undè oportet quod potiùs homo cũ tota ſua poſseſsione libertatis cedat ſuperpoſseſsioni legum, quæ eſt quid ſuperius, quàm econtra; & hoc etiam ex vi huius eiuſdem regulæ; Melioris enim conditionis eſt ſuperpoſsidens, quàm poſsidens.

147 Quamobrem ſi voluntas humana in judicio ante Tribunal Doctorum ſiſtens dicat pro ſe: libertatem poſsideo. leges ex adverſo reſpondent: & nos tuam libertatem ſuperpoſsidemus jure directivo: ſicut enim ſine tua libertate non eſt actus tuus humanus; ſic ſine directione noſtra non poteſt eſse moraliter bonus, vel non malus. Et ſi replicet voluntas non conſtare de earum diſpoſitione, an prohibeant, vel permittant? Reſpondebunt leges: conſtat de ſuperpoſſeſsione noſtra ſatis: ſi verò de noſtra diſpoſitione ignoras; aut diſcas, aut cuſtodias fines noſtros; permittere enim, ſicut & prohibere, ac præcipere intra fines noſtri juris directivi eſt; & non intra fines tuæ libertatis. Non ergo tuum eſt prætextu libertatis tibi licentiam facere, aut permittere actum in genere moris, ſed noſtrum: ne itaque infringas ſuperpoſſeſsionem noſtram, ſicut & nos tuam poſſeſsionem in genere phiſico tibi illæſam relinquimus. quid refert ſi ignoras diſpoſitionem noſtram? numquid ideò poteris te extendere ad fines alienos? numquid ideò ad te tranſibit jus permittendi? Præjudicium hoc eſt ſuperpoſseſſionis noſtræ. Niſi ergo oſtendas priùs & probes nos actum permittere, non poteris illum tibi permiſſum judicare, quantumcumque phiſicam libertatem poſsideas: tibi eſt onus probandi de diſpoſitione noſtra, nos enim certò ſuperpoſsidemus libertatem tuam, & certiſsimè diſpoſuimus, quod & tu ſupponere debes, licet ignores quæ fuerit diſpoſitio noſtra, deque ea dubites. Ponderent eiuſmodi allegationes & jura legum Doctores, & videant ſi juſtè poterunt contra eas proferre ſententiam.

148 Neque hæc ſuperpoſſeſsio legum imaginaria, aut ficta à nobis cenſeri debet. Conſtat enim quod omnes actus humani non ſolùm ſunt in genere phiſico, ſed etiam in genere moris. & ſimiliter conſtat quod genus moris non addit aliud ſupra actus liberos, & humanos in genere phiſico, niſi ſubiectionem ad regulas morum, quæ leges ipſæ ſunt; ergo leges ſunt in poſſeſſione juris ſeu dominii directivi ſupra actus liberos, & humanos, quæ eſt manifeſta quædam ſuperpoſſeſſio.

149 Jam verò audio quid ad eiuſmodi allegationes Doctores Probabiliſtæ è ſuo Tribunali reſpondeant. In dubio (inquiunt) legis prohibentis, poſt debitam inquiſitionem, non inventa prohibitione, præſumitur legem permittere potiùs actum illum, ſuper quo dubitatur; ac proinde ex præſumpta permiſſione legis, deponendum eſſe dubium dicunt, & tutò operandum. quod ſi errare contingat, error erit invincibilis, & excuſabit a lege alias diſponente. Et propterea ipſi pro libertate ſententiam ferunt, quia ſtante invincibili ignorantia, lex vigorem ſuum amittit: alioquin neque ignorantia invincibilis excuſaret a culpa, quod Janſenianum eſt, & falſiſſimum. Hoc profectò eſt ultimum, & unicum effugium recentium Doctorum.

150 Sed effugium iſtud an, & quando proſit, alibi examinandum eſt, cum ſcilicet quæſtio illa celeberrima diſcutienda erit de ignorantia juris. Pro modò tamen dico, quod hoc effugium non eſt univerſale, & omni caſui applicabile; quia falſiſsimum eſt, quod ſemper, & quandocumque non conſtat evidenter de lege, interveniat ignorantia invincibilis; alioquin numquam contingeret peccari contra legem ex ignorantia; vel meliùs, numquam contingeret ipſa ignorantia vincibilis, quod erroneum eſt; nam adhuc cum ignorantia eſt vincibilis, non conſtat eiuſmodi ignoranti evidenter de lege.

151 Itaque hi Doctores falſa veris permiſcent, & ideò eorum doctrina claudicat; ideoque & nos eam impugnamus. Ipſi univerſaliter dicunt, quod ſemper in dubiis melior ſit conditio poſsidentis. nos hoc impugnamus, & dicimus, quod numquam, niſi in materia juſtitiæ, ut hactenùs oſtendimus; quia exceptio poſſeſsionis libertatis, quam ipſi allegant in aliis materiis, omninò impertinens eſt ad rem noſtram. Et ſi recurrant ad præſumptionem permiſsionis ipſius legis, quaſi hoc ipſo, quod non conſtet de lege prohibente, poſt dubii diſcuſsionem, præſumatur legem ipſam permittere actum illum, de quo dubitabatur: conſiderare debent, quod jam nobiſcum ad ſuperpoſseſsionem legis recurrunt, & poſseſsionem, quam priùs allegaverant, derelinquunt; dum illam legi præſumptivè permittenti ſubiiciunt. hac autem præſumptione dicunt ipſi deponendum eſſe dubium, & tutò operandum; quia ſi contingat in hoc errare, error erit invincibilis. Nos verò hoc ita univerſaliter, ut ipſi affirmant, admittere non poſſumus, quia ſæpè ſæpiùs evenit errari vincibiliter.

152 Fatemur igitur quod ſi ea præſumptione, vel quocumque alio modo deponatur dubium, non peccabit agens contra conſcientiam, eo quod ſecundùm conſcientiam tunc agit. At contingere poteſt, quod peccet contra legem. Nec refert, quod præſumatur eam tunc actum illum permittere; quia ſi in hoc ſit error, præſumptio illa non ſemper excuſat, quia interdùm procedit ex errore vincibili, ſi ſcilicet lex talis ſit, quod eam quis poteſt, & ſcire tenetur; Cuiuſmodi cenſemus ſemper eſſe jus natu-

ræ,

Digitized by Google

ræ, ut ſuo loco demonſtrabimus. Et in hoc potiſsimùm eſt totum diſsidium noſtrum, nempè quia ipſi licet diſtinguant ſignatè ignorantiam in vincibilem, & invincibilem: exercitè tamen; & in facto omnen ignorantiam reſoluunt in invincibilem; quemadmodùm, & omnem inquiſitionem legis appellant diligentem, & ſufficientem, ut indè concludant invincibilem ignorantiam, Nos autem oppoſitum docemus, & circa jus naturæ, præcipuè, volumus non poſſe invincibiliter errari, ſed ſemper vincibiliter, & ex inſufficienti Inquiſitione; Id quod etiam frequenter evenit circa jura poſitiva. Sed de hoc alibi ex profeſſo dicemus.

§. III.

Eadem veritas iterum alia ratione oſtenditur.

153 Rursùs oſtenditur alio argumento præfatam regulam juris non habere locum in materiis aliis a juſtitia. Si enim poſseſſio libertatis in dubiis aliis prævaleret, jam in omni dubio liceret eligere partem minùs tutam, & faventem libertati contra legem, quia ſemper homo eiuſmodi libertatem poſsideret, & per conſequens melioris conditionis eſſet, quam lex ſibi dubitata; & ſic numquam locus eſſet alteri juris regulæ, nempe quod in dubiis tutior pars ſit eligenda. hoc autem falſum eſt, & contra ipſos Authores oppoſitæ ſententiæ, qui in multis dubiis tutiorem partem reſolvunt, ut neceſſario amplectendam.

154 Quod ſi reſpondeant non ſemper poſſeſsionem ſtare pro libertate, ſed ſæpiſsimè pro lege. atque ideò non ſemper poteſt eligi pars minus tuta favens libertati, ſed interdum oportet eligere tutiorem ſtantem pro lege. quod quidem quando contingat ſuis regulis, & exemplis explicant, ut videre eſt apud ipſos.

155 Contra ſic inſurgo; dum enim hoc dicunt, & explicant, ex ore proprio judicantur. Nam quid eſt hoc quod dicunt? Cur non ſemper poſſeſsio ſtat pro libertate, cum tamen voluntas ingenitam ſibi libertatem ſemper poſsideat? niſi quia lex ſaltem aliquando ſuperpoſsidet libertatem? Certè ſi numquam deeſt nativæ libertatis poſſeſsio, quomodò erit poſſeſsio interdum pro lege? Non poteſt dici hoc fieri per hoc, quod aliquando voluntas amittat poſſeſsionem ſuæ nativæ libertatis ex vi poſſeſsionis legis, hoc enim impoſsibile eſt, alioquin ex vi legis voluntas evaderet agens neceſſarium, quod nullus ſomniavit. Ergo oportet dicere hoc fieri perſiſtente adhuc voluntate in poſseſſione ſuæ nativæ libertatis. At una poſseſsio adhuc in ſuo vigore perſiſtens non poteſt ab alia poſseſsione ſuperari, niſi hæc ſit quodammodò ſuper illa, ac proindè dicatur, & ſit quædam ſuperpoſseſsio illius. Ergo ſi per adverſarios aliquando in dubiis poſſeſſio ſtat pro lege, & non pro libertate, perſiſtente adhuc eiuſdem libertatis poſſeſsione; neceſsè eſt dicere, quod lex ſaltem aliquando ſuperpoſsideat libertatem. Hoc autem quod ipſi coguntur aliquando admittere, contendo ego ſemper admittendum, eo quod ſemper libertas ſubiicienda eſt legibus in genere moris. ut dictum eſt.

156 Sed audiamus adverſarios ipſos quando dicant poſſeſsionem ſtare pro lege, & non pro libertate, ut ex ore ipſorum evidentius intentum noſtrum comprobemus. Dicunt ipſi quando lex transfert onus probandi poſseſsionem ſuam in libertatem; & hoc tunc evenire, quando conſtat jam de lege, & nihilominus ſuboritur dubium aliundè, an quis ad illam teneatur. Id quod ſic exemplificant: Aliquis certus eſt ſe votum emiſiſse, ac proindè extare contra ſe legem voti; dubitat tamen ſi illud impleverit. tunc dicunt hunc talem teneri ad votum implendum, quia poſseſsio ſtat pro voto, non autem pro libertate, donec hæc probaverit expleviſse. Ita illi.

157 At contra tripliciter inſurgo. Primò quia in dubiis, undècumque dubium ſuboriatur, redditur impoſsibilis certitudo legis; quod ſic oſtendo, ſiſtendo in exemplo ab ipſis adducto: nam qui certus eſt ſe votū emiſiſſe, & dubitat illud impleviſſe, non poteſt eſſe certus de lege voti hic & nunc; quia certitudo illa de voto emiſſo eſt certitudo de lege voti quæ fuit, non quæ eſt; idem enim eſt dubitare, ſi impleverit, ac dubitare ſi hic & nunc habeat legem voti; nam ſi implevit, non eſt ampliùs lex illa; eſt autem, ſi non implevit; ergo dubitando de implemento, non eſt certus hic & nunc de lege voti quod ſit; ac per conſequens ſi ex legis certitudine poſſeſſio ſtat pro lege, & hic & nunc nulla eſt legis certitudo, hic & nunc lex non poſſidet ſupra libertatem; & alias libertas hic & nunc poſsidet, quia libertas numquam extinguitur; ergò malè ipſi ſententiam proferunt pro lege contra libertatem, ex eo quod tunc lex poſsidet, quia certa eſt voventi. Non igitur ex certitudine quoad nos lex poſsidet; ſed ſi poſsidet, id habet ex certitudine in ſe, quãtũvis nobis incerta ſit: ſi autē in ſe hoc habet, ergo etiã nobis dubitantibus, ſemper poſsidet, vel veriùs ſuperpoſsidet libertatem noſtram, ſicut ſupra nos diximus. Certitudo autem illa, quam ipſi aſſerunt in vovēte non eſt de lege voti hic & nunc exiſtente, ſed abſtrahens ab hic & nunc, nedùm purè præciſivè, ſed etiàm excluſivè, excludit enim certitudinem voti hic & nunc exiſtentis, ac proindè impertinens ad dubium practicum quod ſuboritur hic & nunc. Cum igitur hic & nunc ſeù practicè ſemper reddatur dubia lex, ut benè conſideranti patet; dicendum eſt quod vel numquam lex poſsidet, ſi ſcilicet eius poſſeſsio ſumatur ex certitudine illa quoad nos: vel ſemper poſſidet, ſi ſcilicet eius poſseſsio ſumatur ex certitudine in ſe, ſicut nos dicimus, & hæc poſſeſ-

ſio ſuperpoſſeſſio eſt à nobis ſuperiùs explicata. At primum Adverſarii negant, quod ſcilicet lex numquàm poſſideat; ergo oportet quod concedant ſecundum, quod ſcilicet ſemper ſuperpoſſideat.

158 Secundò. quid refert, ſi certus ſim de lege, ſi alias ex aliquo capite dubito me ad illam non teneri? Jàm hoc ipſo dubia fit poſſeſſio legis contra libertatem; & poſſeſſio nativæ libertatis certiſſima eſt. Ut quid ergo poſſeſſionem pro lege ſtare, & non potiùs pro libertate reſolvunt? Profectò ubi contraria poſſeſſionum jura invicèm certant, jus certum vincit dubium; & pro illo potiùs, non pro iſto rectum judicium fit. quod ſi dicant: ex ſola certitudine legis (etiam ſuborto aliundè dubio) fundari pro lege poſſeſſionem certam, non dubiam. Falſum dicunt, alioquin poſſet lex poſſidere; etiamſi aliàs certus eſſem me ex aliquo capite ab ea excuſari: Et ſic ex eo quod certus ſum v.g. hodie de lege jejunii, etiamſi alias adhùc ſim certus, me ab illa excuſari, quia infirmus ſum, lex jejunii in ſua poſſeſſione perſiſteret contra me, & peccarem non jejunando, quod abſurdum eſt. Non ergo ex ſola certitudine legis quaſi abſtractivè conſideratæ eius poſſeſſio certa eſt; ſed potiùs ex ipſa lege ut hic & nunc cum omnibus circumſtantiis individualibus exiſtente. ac per conſequens ubi emergit dubium an hic & nunc obliget, ex quocumque capite dubitetur, ſemper dubia erit eius poſſeſſio juxta ipſa Adverſariorum principia, ſubindeque per ipſos potiùs pro libertate ſemper decidendum eſſet, quàm interdùm pro lege. Cum autem ipſi aliter aliquandò reſolvant, oportet quod, pro illo tunc ſaltèm, aliundè legis poſſeſſionem rimentur. Sed quærant & perquirant, non poterunt certè firmam regulam tradere, niſi ad ſuperpoſſeſſionem illam recurrant, quæ per ſe & ſemper legibus competit, utpote quæ ſunt veluti prima ratio moraliter agendi, ſub qua omnes actus humani ponuntur in genere moris, & dicuntur boni, vel mali, aut indifferentes; quatenùs vel præcipiuntur, vel prohibentur, aut permittuntur. Nec refert quod aliquandò de lege non conſtet, ſed dubitetur a nobis; non enim per hoc ſui dominii directivi in ſe poſſeſſionem amittit ſupra libertatem: nec deſinit actus eiuſmodi exercere circa quoſcumque & ſingulos actus humanos, ſed re vera eos omnes ſibi ſubiicit, licet interdùm nos lateat, qualiter eos ſibi determinatè ſubiiciat, an ſcilicet præcipiendo, prohibendo, vel permittendo. Atque ideò dixi, & iterùm dico legem ſemper ſuperpoſſidere ſuo jure directivo libertatem noſtram. Nec pro nobis valere exceptionem poſſeſſionis libertatis, ſi alias lex aliter diſponat in ſe, niſi fortè nos excuſet invincibilis ignorantia, de qua alibi dicendum eſt.

159 Tertiò: quantumvis ſæpè ſæpiùs contingat dubitare de lege in materia alicuius ſpecialis virtutis, & gratis pro tunc admittamus (quod tamen re vera non concedimus) tunc non ſtare pro ea lege poſſeſſionem: tamèn non proindè ſequitur in eo caſu poſſeſſionem ſtare pro libertate; nam licet lex illa in ſpecie, cum ſit dubia, non poſſideat; poſſidet tamen tunc contra libertatem alia lex certiſſima univerſalior generaliter prohibens peccati periculum contra quamcumque ſpeciem virtutis. quis enim neget extare hanc legem naturali divinoque jure ſancitam, declinandi ſcilicet à peccati periculo, ubicumque fuerit? ſcriptum eſt enim, qui amat periculum, peribit in illo. At lex iſta præſto eſt in quolibet caſu emergentis dubii de ſpeciali aliqua lege, quia imminente dubio de aliqua lege, ſtatim periculum peccandi in januis eſt. Ergo licet lex illa ſpecialis, de qua dubitatur, tunc non poſſideat contra libertatem: poſſidebit ſaltem lex iſta generalis, numquam verò libertas. ac proindè virtute huius legis generalis pro qua tunc ſtabit poſſeſſio etiam juxta Adverſariorum principia, tenebimur tutiorem partem eligere ad declinandum periculum peccandi; niſi fortè ſit locus præſumendi de lege ſpeciali quod actum illum permittat, & præſumptio ſit in ſe vera, aut falſa cum errore invincibili (quod quando contingere poſſit dicetur cum de ignorantia juris redibit ſermo) quia tunc jam ceſſat periculum. Numquam ergo iuvabit extra juſtitiam regula illa: in dubiis melior eſt conditio poſſidentis.

160 Conſtat igitur ex dictis corruere fundamentum Adverſariorum, dum prædictam regulam ad libertatem extendunt in materiis aliis a juſtitia, ducti a paritate rationis, quaſi ſic ſe habeat poſſeſſio bonorum reſpectu juſtitiæ, ſicut poſſeſſio libertatis reſpectu aliarum virtutum, & legum earum: cum tamen ſumma diſparitas interſit. quæ enim paritas eſſe poteſt inter poſſeſſionem jure ipſo, quo regulari debet, optimè atque ſufficientiſſimè regulatam, & poſſeſſionem, ipſis juribus, à quibus regulari deberet, ex diametro ſe opponentem? quis neget illam juſtiſſimam eſſe; hanc verò prorsùs iniquam? ſic autem in poſſeſſione bonorum reſpectu juſtitiæ ex una; & in poſſeſſione libertatis reſpectu aliarum virtutum, ſuarumque legum ex altera, in caſu alicuius dubietatis contingit: nam poſſeſſio bonorum lege juſtitiæ eſt regulanda: qui autem bona aliqua poſſidet, & ſupervenit ei dubium, ne fortè ſint aliena, ſi facta debita inquiſitione, adhuc dubius manet, hoc ipſo tamquam juridicus juſtuſque poſſeſſor eiuſdem juſtitiæ legis judicio præſumitur, & ſtabilitur; evaditque eius poſſeſſio indè ſufficientiſſimè regulata: lex enim ipſa juſtitiæ eſt, quæ & jus ad poſſidendum cuilibet poſſeſſioni capiendæ præcipit anteire, & quæ jam ſuſceptæ idipſum præceſſiſſe præſumit, poſſeſſoremque jubet juridicè manuteneri in poſſeſſione ſua. At non ſic

ſe

Digitized by Google

ſe habet poſſeſsio nativæ libertatis in materiis aliarum virtutum, ſed modo totaliter oppoſito, dum earum legibus, quibus dirigi & regulari debet, ex diametro ſe opponit, & prætendit contra illas ſe tueri. ac proindè ab earum ſubiectione ſe ſubtrahit, & quaſi rebellis caput adversùs eas erigit, deque importuna prælatione contendit, cum tamen oporteat in genere moris omninò illis eſse ſubiectam, ab earumque judicio potiùs regulari: quo quid abſurdius dici poteſt? aut quid violentius excogitari.

161 Hæc profectò eſt vera, & legitima diſparitas eiuſmodi poſseſsionum; & non aliæ, quæ à nonnullis aſsignari ſolent, & facilè poſſunt à Doctoribus oppoſitæ ſententiæ confutari. Cuiuſmodi illa eſt, quam aliqui aſsignant, nempè quod in aliis materiis non eſt vera, & ſtricta poſseſsio, ſicut in materia juſtitiæ. Ad hanc enim replicant adverſarii ſatis eſse, quod in aliis materiis ſit aliqualis poſseſsio, ſaltem æquivalenter, vel quaſi poſseſsio: ut reſpondet P. Bardi. Et ſimiliter illa alia, quod ſcilicet in materia juſtitiæ favere oportet poſsidenti, quia odioſa foret illi obligatio ad reſtituendum. Ad hoc enim replicat idem P. Bardi cum aliis, quod adhuc poſsidenti libertatem odioſa foret obligatio ad legem. Non hæ igitur ſunt diſparitates noſtræ, ſed ſuperiùs allegata, quæ benè conſiderantibus forſitan non diſplicebit.

162 Atque hinc patet ſolutio ad obiectionem, quam contra nos affert Dominus de Perea, & demonſtrationem appellat, qua funditus, (ait ipſe) evertitur antiprobabiliſmus, eamque multis, ac variis modis proponit, ut vim eius, ac robur ſemper idem, mutata arguendi forma, videatur efficaciùs, aut evidentiùs oſtentare, ut videre eſt apud ipſum in ſuo Lydio lapide *ſect.* 11. per totam. Summa autem obiectionis eius hæc eſt: qui in materia juſtitiæ dubitat, nec poteſt certificari de re poſseſsa, ne fortè ſit aliena; ſimul dubitat de lege prohibente illius retentionem (quod ibi conatur multiformiter demonſtrare) & nihilominus per nos poteſt ille virtute illius regulæ quod melior eſt conditio poſsidentis, dubium deponere, & quod poſsidet retinere, non obſtante dubio illo ſpeculativo, quod fortè perſeverat; nec proindè retinendo peccat; etiam ſi contingat re vera eſse activè, & ex parte Dei, legem de facto prohibētem retentionem illius rei utpotè in ſe verè alienæ, licet non paſsivè ipſi poſsidenti applicatam ob invincibilem ignorantiam imbibitam in illo dubio à ſe inſuperabili; neque per hoc contra reverentiā aut ſubiectionem legi debitam agit. Ergo ſimiliter in dubiis cuiuſcumque alterius legis. Hæc eſt ſumma totius obiectionis, ubi comprehenduntur ſingulæ propoſitiones per totum eius diſcurſum ſparſæ, quæ adverſus nos vim aliquam facere poſsent, brevitatis gratia ad hanc formam redactæ, vel potiùs ſine ulla forma ſtrictiùs conglobatæ.

163 Patet inquam ſolutio ex tradita diſparitate nam poſseſsor ille in deponendo dubio, & retinendo quod poſsidet, eadem lege Juſtitiæ regitur: non ſic autem poſseſsor libertatis in aliis dubiis extra juſtitiam. Itaque ad ſingulas obiectionis propoſitiones deveniendo dico: quod qui dubitat de re poſseſsa, ne fortè ſit aliena, utique ſimul dubitat de lege prohibente illius retentionem. Sed in hoc ipſo ipſius juſtitiæ legem conſulit, eique ſubiicitur, atque ab eadem, Judicium expectat, non propriam libertatem opponit. Virtus autem juſtitiæ lege ſua, quæ utique ad jus naturæ pertinet, ſic dictat: nempè rem ab aliquo bona fide poſſeſſam, dum non conſtat de contrario, cenſendam eſſe propriam in genere moris, etiam ſi re vera, & phiſicè fuerit aliena. Et tale juſtitiæ dictamen eodem etiam modo reperitur activè in mente divina: Imò ex hoc dictamine in Deo præexiſtente jus naturæ dictamen ſuum participat.

164 Neque ex hoc ſequitur, quod Deus erret aut fallatur dictando ſua lege cenſendam eſſe propriam, ac juſtè poſſe retineri rem poſſeſſam bona fide, quam ipſe divina ſua ſcientia cognoſcit verè eſſe alienam. Nam cum tota hæc ſcientia, quæ ſpeculativa eſt, & veriſſima, attingens rem ſicut eſt in ſe; ſtat ſimul in Deo ſcientia alia, quæ practica eſt, & etiam veriſſima, attingens tamen rem, non ſicut eſt in ſe, ſed ſicut eſt in genere moris, ac propterea duplicem cognitionem juxta noſtrum modum concipiendi Deus habet in hoc caſu, & utramque veriſſimam, unam ſcilicet, qua dicit rem illam eſſe alienam de ſe, & non poſſidentis eam. Alteram verò, qua dicit rem illam, in ſe alienam, eſſe moraliter propriam eius, qui nunc eam poſſidet, & non alienam. & utrumque veriſſimum eſt; ſunt namque duo obiecta diverſa, quæ non ſe invicem opponunt, ſed diſparatè ſe habent, & pertinent ad duplicem ſcientiam diverſam abſque ulla penitùs interpoſitione alicuius erroris.

165 Atque hinc patet falſitas alterius propoſitionis, quam ſupponit dictus Dominus de Perea, & pro à nobis conceſſa ſibi eam aſſumit; nempè contingere poſſe in caſu eiuſmodi poſſeſſoris, & univerſaliter in quocumque caſu invincibilis ignorantiæ, quod ſit activè in Deo exiſtens lex ſeu dictamen contrarium, puta quod non liceat rem illam poſſeſſam retinere, utpotè re vera alienam; quantumvis non ſit eiuſmodi poſseſsori applicata; vel, ut dicunt, non ſit paſſivè in eo, ac proindè non peccet ille retinendo contra legem illam activè ſumptam à ſe invincibiliter ignoratam. Patet inquam, nam omninò impoſſibile eſt, quod ſit in Deo lex ſeu dictamen de illicita illa retentione reſpectu eiuſmodi poſseſsoris, cui alias ſit retentio illa licita ob invincibilem ignorantiam rei poſseſsæ, quod ſit aliena. Et ſimiliter impoſsibile eſt univerſaliter, quod ſit activè in Deo dictamen vel lex de illicito, ubi alias ſit agenti idem actus licitus ex ignorantia invincibili:

Alio-

Alioquin dictamen illud foret falſum, eo quod dictaret de peccato ubi de facto in re non eſset. Et in die extrema, aut judicaret hominem ſecundum illud dictamen; & ſic homo veniret condemnatus: aut hominem a peccato judicaret immunem; & ſic non judicaret in ſpiritu ſuæ veritatis: quæ omnia abſurda ſunt.

166 Dicendum eſt igitur, quod in eiusmodi poſſeſſore bonæ fidei cum dubio à se insuperabili via inquiſitionis, ſi ſcilicet res ſit aliena, eſt ſimul utique, & inſeparabiliter dubium de lege divina, & naturali prohibente hîc, & nunc retentionem illius: quæ eſt prima propoſitio dicti de Perea, quam ipſe quaſi timens fore à nobis negandam, maximo cum labore nititur suadere; sed nos eam ipſi ultrò concedimus. Et ſubiungimus, quod tali dubio perſiſtente, peccabit ille retinendo, etiam ſi res poſſeſſa re vera ſit propria; & volumus ulteriùs quod tali dubio perſiſtente ſit etiam in intellectu Dei practico activè dictamen ſeu lex de illicita retentione hîc, & nunc utpotè contra conſcientiam, prout de facto reperitur paſſivè in ipſo Detentore cum tali actuali conſcientia dubia. At ſi dubium deponat, & credat ſe eſse legitimum poſſeſſorem ex hoc ipſo, quod poſſidet, quia poſſeſſio ipsa per se præsupponit jus poſsidendi, quæ eſt etiam præsumptio ipſius juris ſeu legis eiusdem virtutis juſtitiæ, qua in ea materia regulari debet; non peccabit, sed licitè retinebit. Et tunc volumus quod ſit etiam in Deo activè lex ſeu dictamen de licita eius retentione, quemadmodum etiam activè in mente noſtra eſt dictamen juris naturæ pertinens ad virtutem juſtitiæ de eadem licita retentione conformiter ad dictamen illud divinum, cuius eſt participatio; ac proindè poſseſsor ille redditur in retinendo conformis utrique legi divinæ ſcilicet, & naturali, atque ideò non peccat, etiam ſi res in ſe ſit aliena. Neque in hoc ratio Dei practica, aut noſtra falluntur ut oſtendimus ſupra, ſed veriſſimè judicant, & dictant veritate tamen morali, quidquid ſit de veritate metaphiſica, quæ non facit ad rem noſtram, in præſenti enim in moralibus ſumus. Veriſſimum autem eſt, quod alienum ſi ſemel appareat evidenter evidentia morali proprium, poteſt ut proprium moraliter retineri: Et veritas hæc moralis debet eſse, & eſt tùm in Deo, tùm in nobis.

167 Quare multum æquivocant Adverſarii noſtri, dum credunt quod cum in ratione practica Dei ſit lex ſeu dictamen de non retinendo alieno; & aliàs Deus ſciat rem poſſeſſam ab aliquo aliquando eſſe alienam; ſit etiam in eadem ratione practica activè lex seù dictamen de non retinenda tali re reſpectu eiuſmodi poſſeſſoris, ac proindè quod contra ipſum in rei veritate ſit lex formaliter activè in mente Dei exiſtens: ſed quia non eſt (inquiunt) paſsivè in ipſo Detentore rei, neque ipſi applicata ob ignorantiam eius invincibilem, ideò non peccat. Ita ſe explicat Dominus de Perea *ſect. cit.* & hoc ipſum putat nedùm à ſuis, ſed etiàm à nobis libenter admitti. At nos hoc negamus, & eſt altera eius propoſitio, quam ſupra falſam eſſe oſtendimus, quia impoſſibile eſt quod ſit lex iſta formaliter activè ex parte Dei de non retinenda tali re reſpectu eiuſmodi Poſseſſoris habentis eiuſmodi ignorãtiam invincibilem de re, quam poſſidet, quod ſit aliena: quia cum iſte re vera non peccet detinendo, non poteſt contra iſtum eſſe lex ſeu dictamen formaliter activè in Deo de peccato, alioquin dictamen Dei eſset falſum. Neque valet quod dicit Perea, quod iſte re vera peccat, ſed materialiter, non formaliter ob ignorantiam invincibilem illius legis. Non inquam valet, nam peccatum quod ipſe appellat materiale non eſt re vera peccatum, ſed potiùs materia, circa quam verſari poteſt peccatum, ſi variatur circumſtantia quæ peccatum tollit, puta ſi in caſu prædicto ceſſet ignorantia, & ſciatur rem eſſe alienam; lex autem illa ſeu dictamen ſi in Deo eſſet de eiuſmodi illicita retentione, eſſet procul dubio de peccato formali ex parte Dei, ſeu de formaliter illicito, ac proindè foret falſum, cum iſte de facto formaliter non peccet, nec ſit ei formaliter illicita detentio illa. ac proinde multum; ut dixi in hoc æquivocant.

168 Et eorum æquivocatio oritur, eo quod vident in Deo eſſe dictamen illud univerſale, quod ſcilicet alienum non ſit retinendum: ſub quo continetur certiſſimè quod neque hoc, neque illud, nec quodcumque aliud alienum in ſingulari ſit retinendum. quod totum veriſſimum eſt. ac proindè putant in exemplo noſtro, quod ſi res illa poſſeſſa in ſe ſit aliena, ac per conſequens apud Deum ſcita ut aliena, cadat eius retentio ſub eiuſmodi dictamine Dei ſeu lege prohibente. At non advertunt quod in Deo eſt etiam aliud dictamen univerſale etiam veriſſimum, nempe quod id quod moraliter ſeu invincibiliter apparet proprium licet in se ſit alienum, poteſt moraliter ſine culpa retineri; quod eſt dictamen longe diverſum à primo; nam primum eſt de alieno qua tale ſaltem moraliter, videlicet de alieno quod apparet alienum. At ſecundum eſt de alieno qua moraliter proprium, quatenus ſcilicet morali certitudine habetur ut proprium, licet alias contingat in ſe eſſe alienum: retentio autem rei poſſeſſæ in exemplo noſtro continetur ſub hoc ſecundo, non ſub primo dictamine. Nec refert quod Deo conſtet rem illam eſſe alienam, nam lex ſeu dictamen Dei non eſt pro ſe, ſed pro hominibus, quibus lex imponitur juxta eorum poſſibilitatem, & ſcientiam quam moraliter habere poſſunt. Ac proindè contra eiuſmodi poſſeſſorem non eſt lex illa activè exiſtens in Deo de illicita retentione, ſed potiùs lex alia nempè permiſſiva, cui iſte retinendo redditur conformis, & ſecundum quam à Deo in ſpiritu veritatis judicabitur, ut immunis à peccato. Adverſarii

autem

autem noſtri videntes ſimilitudinem quamdam inter hæc duo dictamina univerſalia, nec ea diſtinguentes, gravi ea æquivocatione decepti ſunt.

169 In poſseſſione autem libertatis reſpectu legum aliarum virtutum res aliter ſe habet: nam qui in materia aliarum virtutum dubitat de lege prohibente, & prætextu poſseſsæ libertatis dubium deponit, licet depoſito jam dubio non peccet contra conſcientiam; quia ut ſupra diximus, quoquo modo dubium deponatur, non peccatur ampliùs contra conſcientiam, neque contra legem ſeu dictamen Dei activum de illicito contra conſcientiam; hoc enim nequit dari in Deo, quando re vera quis non peccat contra illam; alioquin eſset falſum, ut dictum eſt; ſed potiùs tunc activè eſt in Deo dictamen permiſſivum ex vi conſcientiæ: Volumus enim univerſaliter, quod ſicut ex parte noſtra interdùm verum eſt, quod aliquid ſit nobis permiſſum, vel prohibitum: ita ex quo capite ſit nobis tale, ex eodem capite correſpondeat in Deo activè lex ſeu dictamen permiſſivum, vel prohibens: nam quæcumque veritas in nobis debet præexiſtere in intellectu divino, utpotè participatio primæ veritatis; implicat enim dari in nobis ex aliquo capite veritas, quæ non ſit talis ex eodem capite in mente divina. Nihilominùs quia adhuc depoſita conſcientia dubia, contingere poteſt, quod actus exercitus ab eiuſmodi poſseſsore libertatis prætextu ſuæ poſseſsionis, ſit contra legem vincibiliter ignoratam; non manet agens tutus à peccato, quia ut omnes fatentur, vincibilis ignorantia non excuſat. atque ideò tunc obſtat lex prohibens activè in Deo exiſtens, & etiam paſſivè in agente, utpotè ſufficienter ei applicata; alioquin non peccaret homo in caſu ignorantiæ vincibilis; quod nullus audet dicere.

170 Quod autem hoc poſſit contingere, imò & ſæpiſſimè contingat, conſtat quia tunc agens non quærit certitudinem, & evidentiam moralem ex ipſis legibus virtutum, ſicut quærit poſseſsor bonæ fidei in materia juſtitiæ; ſed potiùs ſe contra illas opponit prætextu poſseſsæ libertatis, quæ nullam moralem certitudinem facit de lege prohibente non exiſtente, quia ut ſupra oſtendimus, poſseſſio nativæ libertatis ſtat ſimul etiam cum lege prohibente per ſe, & ex natura ſua, imò præſupponitur ab illa, lex enim non imponitur niſi agenti libero, ac proindè ſupervenit ad libertatem, eam ſibi ſubiiciendo jure directivo, ut illam reguletin genere moris. debet igitur agens non inquirere de ſua libertate ſibi ingenita, ſed de lege, qua regulari debet in genere moris, videndo qualiter tunc lex illum regat, an ſcilicet permittendo, vel prohibendo actum illum de quo dubitat; & cum poſt inquiſitionem, veritatem non invenit; ſed adhuc in eodem dubio manet; jam nullam moralem certitudinem habet de non exiſtentia legis prohibentis. Ubi autem nulla eſt ſaltem moralis certitudo, fruſtrà deponitur dubium; nam poteſt contingere, & de facto ſæpiſſimè contingit, eam eſse; ac per conſequens erroneè, atque culpabiliter, judicat abſolutè legem prohibentem non eſse; quia abſque ſufficienti principio id infert; ex dubio enim utriuſque partis inſufficienter, & malè infertur pars altera determinata. atque ideò ſe tuendo contra legem inſufficienter prætextu poſseſsæ libertatis, illi manifeſtè iniuriam facit, & legem videtur, interpretativè ſaltem, contemnere, ſubindeque peccare.

171 Ex quo patet etiam quàm malè Adverſarii ex eo, quod poſt inquiſitionem manet idem dubium de lege, inferant ignorantiam eius invincibilem; cum potiùs ex dubio æqua lance inferatur utrumque, nimirùm eſse, ac non eſse legem prohibentem; quod idem eſt, ac apparere non minùs evidenter quod ſit, quàm quod non ſit: & re vera ita convincitur apparere dubitanti. Ergo ſi re vera lex ſit, ex ipſo dubio convincitur agens, quod eum non omninò lex latuit, ſed quadantenùs & ex parte apparuit; ipſe verò pro ſuo commodo, & libertate apparentiam illam ſprevit, amplectendo partem alteram in ſe falſam, & ideò errat, errore autem conſequente ad affectionem, quam habet ad proprium commodum, quod ſufficit ad tollendam ignorantiam invincibilem. Quod etiam ulteriùs oſtenditur ſic: ſi enim ex hoc quod lex quæſita non evidenter apparet, ignorantia eius eſſet invincibilis, numquam daretur vincibilis ignorantia; quæ tamen ab omnibus admittitur; probatur ſequela, nam qui laborat vincibili ignorantia, profectò ei non apparet evidenter lex, ſi enim ei evidenter appareret, nullam ignorantiam haberet, ſed potiùs ſcientiam; ergo ex eo quod lex non evidenter apparet, ſed ſolùm aliquantulum ſubobſcurè, ſeu ſub dubio, non infertur ignorantia invincibilis. Tunc ergo verè intervenit invincibilis ignorantia legis, quando ſic ſincerè quæritur lex, ut ſolo deſiderio inveniendi eam quæratur, poſtpoſito omni affectu, & paſſione ad proprium commodum, & cum debita diligentia, & tali ſtudio ſincerè adhibito apparet evidenter certum evidentia & certitudine morali non extare legem in oppoſitum, & tamen re vera illa extat. & hoc modo contingit in poſseſsore bonæ fidei poſt debitam inquiſitionem in materia juſtitiæ, non autem in poſseſsore libertatis. Et notanter dixi (& tali ſtudio ſincerè adhibito apparet evidenter certum evidentia, & certitudine morali non extare legem in oppoſitum) nam niſi ſit hæc moralis certitudo & evidentia, ſed maneat cum toto illo ſincero ſtudio res adhuc dubia, & lex re vera ſit, non erit eius ignorantia invincibilis, quia poteſt moraliter vinci, ſi non per ſcientiam, ſaltem per electionem tutioris partis ſtantis pro lege, alioquin fuit tota animi ſinceritas inquirentis. Sed de hoc iterùm redibit

ſermo cum dicemus de probabilitate.

172 Sed video aliquem poſſe ad hominem contra nos hîc opponere quod ſupra diximus, videlicet quod quando eſt moraliter certum, & evidens legem non extare de illicito, ac proindè dum nos illud agimus, non peccamus; tunc non eſt in Deo lex ſeu dictamen activè exiſtens de illicito, quia alioquin eſſet falſum. Quomodo igitur nunc dicimus quod ignorantia invincibilis tunc ſit, quando conſtat ut evidenter certum evidentia & certitudine morali non extare legem in oppoſitum, & tamen re vera illa extat? Jam enim ſtante ignorantia invincibili non peccamus, ergo ſtante illa, non poteſt re vera lex extare activè in Deo. ubi ergo re vera extat?

173 Ad hoc autem reſpondeo, quod intelligentia aſſertionis noſtræ hæc eſſe debet, videlicet non extare legem activè in Deo prohibentem actum illum in ea circumſtantia invincibilis ignorantiæ; extare autem legem prohibentem actum illum ſine ea circumſtantia; quia actus ille aliàs prohibitus per legem ſeu dictamen generale abſolutè, excipitur & ſubtrahitur ab illa lege generali ratione illius circumſtantiæ, & non continetur ampliùs ſub illa, ſed ſub alio dictamine etiam univerſali concernente generaliter eiuſmodi circumſtantiam, ut ſupra explicavimus: circumſtantia enim illa facit quod actus qui abſolutè continebatur ſub uno dictamine, tranſeat ad ſtandum ſub alio, quia variat obiectum primi dictaminis, ut diximus. Sed quia hæc circumſtantia contingenter & amovibiliter adiungitur actui; ideò contingenter & variabiliter dici poteſt ſtare, & non ſtare ſub uno, vel altero dictamine.

174 Dicimus ergo quod ſtante ignorantia invincibili ſit lex prohibens actum illum abſolutè, ſed non reduplicativè prout ſtat ſub circumſtantia ignorantiæ invincibilis. Et dicimus etiam quod ſtante ignorantia invincibili non ſit lex prohibens actum illum prout ſtat reduplicativè ſub circumſtantia ignorantiæ invincibilis; benè tamen abſolutè: & utrumque verum eſt. Et eâdem intelligentiâ intelligi debet aſſertio illa communis, quod ſcilicet ignorantia invincibilis excuſat à lege: quæ aſſertio videtur ſupponere extare legem prohibentem; ſed non ſupponit illam, ut prohibentem actum excuſatum, ſeu exceptum à lege ipſa prohibente, virtute ignorantiæ invincibilis; hoc enim impoſſibile eſt & repugnans; ſed ſupponit illam ut prohibentem actum abſolutè, præciſè à circumſtantia.

175 Jam verò ex huc uſque dictis toto hoc capite conſtat in dubiis extra materiam juſtitiæ non habere locum regulam illam juris: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, & ad nihilum valere prætextum illum poſſeſſæ libertatis contra leges virtutum, de quibus contingit dubitari; neque indè inferri poſſe ignorantiam invincibilem legum, ſi facta inquiſitione, adhuc res permaneat dubia; ac proindè tunc urget neceſſitas eligendi partem tutiorem juxta aliam regulam juris: *in dubiis via tutior eſt eligenda*: alioquin contingere poteſt, quod ſit re vera lex prohibens vincibiliter ignorata, à qua procul dubio non excuſatur vincibiliter ignorans. Et ideò nos parùm confidimus dubii depoſitioni ex vi poſſeſſionis libertatis, quia hæc liberat à peccato contra conſcientiam, non autem à peccato contra legem; nec infert ignorantiam invincibilem, quæ poſſet à peccato contra legem excuſare; ut hactenùs oſtenſum eſt.

176 Supereſt ergo tandèm reſpondere ad quæſitum principale in titulo huius capitis; nempè quid importet hæc regula juris; in dubiis melior eſt conditio poſſidentis? Ad quod breviter dico, importare judicibus præceptum, ut poſſeſſori in judiciis rem poſſeſſam adiudicent, dum non conſtat illegitimè poſſidere; poſſeſſio enim ipſa jus illius ad poſſidendum certò & evidenter moraliter arguit; & Judices tenentur ex lege juſtitiæ unicuique reddere jus ſuum. Aliis verò nempè ipſis poſſeſſoribus permiſſionem licitè retinendi quod poſſident; quia eâdem certitudine & evidentia morali ipſorum proprium apparet, quod poſſident. & nullatenùs alienum; quod ſufficiens eſt ad moraliter illud ſibi retinendum in materia juſtitiæ. Cæterùm in materiis aliis à juſtitia dixi, & iterum dico ad nihilum penitùs valere. ut ſatis conſtat ex rationibus allegatis.

CAPUT NONUM.

De Conſcientia probabili.

§. UNICUS.

Quid ea ſit? & an agens ſecundum illam, ſit à peccato immunis, etiam ſi contingat errare?

177 Conſcientia probabilis, ut conſtat ex dictis *cap.* 2. eſt dictamen ſeu judicium practicum intellectus noſtri de agibili hîc & nunc ex probabilibus principiis procedens: quatenùs ſcilicet ratio ſeu intellectus practicus, quo utimur tamquam lumine ſeu regula directiva noſtrorum actuum moralium, ubi ei deficit certa ſcientia, utitur aliqua opinione ſeu notitia probabili ad formandum judicium ſuum de eo, quod nobis hîc & nunc ſit, vel non ſit agendum. Atque ideo conſcientia probabilis differt ab ipſa notitia ſeu opinione probabili: quia hæc importat utique judicium de aliquo agibili, ſed ſpeculativum: conſcientia verò importat judicium practicum. Vel clariùs opinio probabilis importat judicium, ſed ſine applicatione ad praxim ſeu opus hîc & nunc agendum: conſcientia verò eſt ipſa applicatio eiuſmodi judicii ad opus hîc & nunc agendum, ac per conſequens dicit ipſum judi-

Digitized by Google

judicium cum applicatione ad opus hic & nunc agendum, & idcircò dicitur judicium practicum; ut conſtat ex ſuperiùs dictis *cap. 2.*

178 An autem agens ſecundùm hanc conſcientiam, ſi contingat eiuſmodi judicium in ſe eſſe falſum, & contra legem, peccet, vel potiùs excuſetur à peccato? Celebris quidem quæſtio his noſtris temporibus facta eſt inter Doctores. Poteſt autem quæſtio hæc eſſe bimembris; cum enim, ut docet D. Thomas *quodlib. 8. ar. 13.* duobus modis contingere poſſit aliquem ad peccatum obligari, uno modo ſcilicet per hoc quod agit contra legem: alio modo autem per hoc quod agit contra conſcientiam: poteſt conſequenter de eiuſmodi agente cum tali conſcientia probabili duplex quæſtio fieri; prima, ſcilicet, an iſte talis peccet contra conſcientiam? Altera verò, an etiamſi non peccet contra conſcientiam, peccet tamen contra legem, ſi contingat eius conſcientiam ſeu judicium ſuum practicum eſſe falſum? Hic autem pauca quædam breviter dicemus pro reſolutione primæ quæſtionis, quæ vix quid difficultatis habere poteſt. Altera verò, circa quam magna & celebris controverſia eſt inter Doctores, adeò præ mulitudine ſcribentium, rationumque formalitatibus pro utraque parte excogitatis, implexa, atque obſcura, & difficilis reddita eſt, ut digna ſit, quæ ſpecialiter & ex profeſſo operoſiùs agitetur, atque ideò propriam ſedem ſibi ſpecialiter vendicat, & nos ei tertiam partem huius tractatus propterea deſignamus. Illhùc ergo lectorem remittimus. pro nunc verò primam quæſtionem tantummodò reſolvemus.

179 Pro cuius reſolutione præmitto, quod cum conſcientia probabilis nihil aliud ſit niſi quoddam judicium practicum ex ſpeculativo opinionis probabilis deductum cum applicatione ad opus, quod hic, & nunc eſt agendum. quod proindè dicitur practicum quia videlicet eſt veluti extenſivum illius judicii ſpeculativi probabilis ſeu applicativum eius ad praxim: ſpeculativum enim extenſione ſeu applicatione fit practicum: & extenſio hæc fit per novum judicium quod practicum hoc ipſo dicitur ut alibi explicavimus. Conſequenter poteſt conſcientia probabilis dupliciter ſumi, videlicet primò pro applicatione adæquata judicii ſeu aſſenſus opinativi ad opus; ita ut ſicut aſſenſus opinativus eſt judicium ſeu aſſenſus in unam determinatam partem, puta quod aliquis actus ſit licitus, cum formidine tamen partis oppoſitæ: Ita etiam agens formet ſibi conſcientiam de licito cum eadem formidine partis oppoſitæ, applicando & extendendo ſimul ad opus nedùm judicium illud de licito, ſed etiam & formidinem tali judicio per ſe annexam oppoſitæ partis, quod eſt dicere: applicando judicium ut formidoloſum, cuiuſmodi per ſe, & ex natura ſua eſt judicium opinionis probabilis. Secundò pro applicatione inadæquata, ità ut agens dumtaxat applicet ad opus judicium illud determinatæ partis, puta de licito, repellendo à ſe formidinem partis oppoſitæ in ordine ad opus illud, quod agit; quatenùs in praxi ſic tenaciter accipit quod ſit actus ille ſibi licitus, ut non formidet de illicito dum agit actum illum; poteſt enim agens utroque modo ſe habere. hoc itaque præmiſſo.

180 Reſpondeo quod agens ſecundum conſcientiam probabilem primo modo ſumptam, hoc ipſo peccat contra conſcientiam; etiam ſi re vera non agat contra legem. Hæc reſponſio eſt expreſſa ſententia D. Thomæ *quodlib. 8. cit. a. 13.* ubi de habente plures præbendas dicit: quod ſi non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic proculdubio peccat. ex quibus verbis manifeſtè conſtat velle D. Thomam, procul dubio eum peccare qui de ſuo aſſenſu ſeu judicio opinativo etiam certitudinem habeat, ſubaudi; ſubiectivam, non obiectivam, & ſcientificam, quæ nullam dubitationem poteſt admittere, ſi tamen in quamdam dubitationem inducitur partis oppoſitæ, & ea perſiſtente agit. ergo qui cum eiuſmodi conſcientia probabili ſumpta pro applicatione adæquata judicii opinativi cum formidine ſimul partis oppoſitæ operatur, procul dubio peccat; qui enim formidat, jam in quamdam dubitationem inductus videtur.

181 Neque ab hac aſſertione exiſtimo aliquem poſſe recedere, nam Probabiliſtæ omnes, qui acriter defendunt, eum non peccare qui cum conſcientia probabili operatur, conantur ab ea omne dubium, & formidinem practicam removere, ut videre eſt apud ipſos. Ergo ſi ſupponatur cum ea coniungi ſimul aliquam dubitationem, ſeu formidinem practicam de peccato; non recedent ab aſſertione noſtra. Tum etiam quia ipſi expreſsè fatentur, quod qui operatur cum dubio practico de peccato, hoc ipſo peccat contra conſcientiã ſuã: Jam verò cõſtat, quod qui cum tali conſcientia probabili operatur admiſcet ſimul cum judicio de licito dubium practicum de illicito.

182 Si verò conſcientia probabilis ſumatur ſecundo modo, ita ut agens repellat à ſe omnem formidinem practicam partis oppoſitæ, ſic operando proculdubio non peccat contra conſcientiã; quia jam ſecundùm illam agit dictantem licitum ei eſſe opus illud. Manet autem tunc ſola difficultas ſi fortè peccet contra legem, ſi ab hac contingat re vera eiuſmodi actum prohiberi, quæ ad quæſtionem alteram pertinet inferiùs agitandam.

CA-

CAPUT DECIMUM.

De Conſcientia ſcrupuloſa eiuſque remediis.

§. I.

Quid ſit Conſcientia ſcrupuloſa, & qualiter ſit ei obviandum.

183 CONſcientia ſcrupuloſa, ut conſtat ex dictis *cap.* 2. eſt ſimplex apprehenſio, ſeu judicium intellectus practici ex levibus quibuſdam motivis, aut nullis, proponens aliquod eſſe illicitum, quod in ſe licitum eſt. ex quo conſtat, quod conſcientia ſcrupuloſa ſemper erronea eſt, ſicut & laxa. Sed ab hac differt, quia per extremum à veritate deficit. laxa enim deficit à veritate repellendo leges, quaſi non ſint, ubi tamen ipſæ perſiſtunt, & obligant. Scrupuloſa verò econtra leges timendo extare, ubi non ſunt. Atque hinc etiam conſtat, quod niſi deponatur, procul dubio ligat, & agendo contra ipſam à peccato excuſari non poſſumus, quia jam contra conſcientiam agimus, & non ex conſcientia: quod autem non eſt ex fide, ideſt ex conſcientia ut SS. Patres exponunt, peccatum eſt, inquit Apoſtolus ſæpè citatus.

184 Sed hic valdè notandum eſt, quod licet vulgò conſcientia ſcrupuloſa, & ſcrupulus ſæpiſſimè confundantur: re vera tamen iſte ab illa eſt longè diverſus, quemadmodum, & conſcientia probabilis diverſa eſt ab opinione. Nam neque opinio probabilis, neque ſcrupulus importat dictamen ſeu judicium intellectus practici, benè tamen ſpeculativi: Conſcientia verò importat judicium practicum, quod ad intellectum practicum pertinet; ut ab initio diximus. quare conſcientia ſcrupuloſa propriè eſt, quæ dictamen practicum importat; vel quod in idem redit, importat applicationem ſcrupuli ad opus: ſicut conſcientia probabilis importat applicationem opinionis. Cæterùm ſcrupulus, ſicut & opinio ad intellectum ſpeculativum pertinent. Sed opinio ſemper judicium dicit, quod pertinet ad ſecundam operationem intellectus: ſcrupulus verò non ſemper importat judicium; ſed aliquando in ſimplici apprehenſione conſiſtit abſque ullo judicio: ſcrupuloſus enim non ſemper procedit ad judicandum de illicito, ubi non eſt; ſed ſæpè ſæpius in ſuo timore judicium ſuſpendit, & quaſi anceps manet ſimpliciter apprehendendo aliquid illiciti, ubi non eſt. quare optimè dici poteſt dubius purè negativè; & ideò ab aliquibus optimè definitur ſcrupulus, quod ſit quidam animi motus ex levibus, aut nullis motivis procedens, per quem ad aliquid obligari apprehendimus, aut judicamus. ita P. Bardi *de conſc. ſcrupul. diſcept.* 7. *cap.* 1. *n.* 2. quam definitionem ex multis Authoribus apud ipſum citatis optimè deducit.

185 Ex hoc autem diſcrimine infero, quod conſcientia ſcrupuloſa, cum importet actum practicum intellectus, & applicationem ſcrupuli ad opus, procul dubio ad peccatum obligat, niſi deponatur: non ſic autem ſcrupulus, niſi in conſcientiam tranſeat. Tunc autem dicitur in conſcientiam tranſire, quando extenditur ſeu applicatur ab agente ad opus. Nam de reliquo ſi non applicatur, jam practicè ſine ſcrupulo operatur, ac per conſequens bona fide, & recta conſcientia; hoc ipſo enim quod in praxi ſeu in operando non eſt ſcrupulus, evadit conſcientia recta, & ſubintrat bona fides de actu licito, ſicut eſt in ſe. quidquid ſit ſi ſcrupulus in parte ſpeculativa perſeveret, & agentis mentem torqueat; dummodò ipſe in praxi non ſinat ab eo moveri, nec illi ullo modo ſuccumbat, ſed toto conatu deſpiciat, & repellat, ac quaſi hoſtili tentationi illi reſiſtat: ſic enim agendo numquam peccat, quia judicium eius practicum ſeu conſcientia eius tunc recta eſt, licet ſpeculativum ſentiat recalcitrare.

186 Neque requiritur quod ſcrupuloſus, ut rectam conſcientiam ſibi formet, & ſecundum illam agat ſine ullo peccato, ſic totaliter ſcrupulum deponat, ut nec ſpeculativè illius moleſtiam ſentiat; ſed ſatis ſuperque eſt ei ſi inſultantem illum deſpiciat; clamantem non audiat; mordentem ſentiat, ſed non conſentiat; eo ferè modo, quo de tentationibus loquuntur Sancti Patres. Sic enim ſcrupuloſus non utitur, nec applicat ſcrupulum ad agendum; ſed judicium oppoſitum, & rectum: Et hoc recta conſcientia eſt; & ſecundum illam tunc operatur; licet interim hoſtiles ſcrupuli inſultus, quaſi deforis ad oſtium mentis impetum facientes ſentiat, & patienter ſuſtineat; ſed ingreſſum conſtanter denegando, firmiter ſemper ei reſiſtat.

187 Atque hinc Theologi inter præcipua remedia pro ſcrupuloſis, potiſſimum illud conſulunt, nempè animoſam & conſtantem ſcrupulorum abiectionem, ſeu repulſam; de qua D. Antoninus 1. *p. tit.* 3. *cap.* 10. *reg.* 6. Debent itaque ſcrupuloſi ſcrupuloſam conſcientiam deponere, & ſcrupulos inſiſtentes reiicere, eiſque quaſi hoſtibus ſe opponere, nec fidem ullam eis adhibere, ſed in contrario ſenſu contra eos abundando, fiducialiter agere adverſus illos; & ita agendo procul dubio non peccant. Peccarent autem ſi ab illis ſinerent moveri ad judicandum, vel dubitandum practicè de peccato circa actum, quem agunt; tunc enim dicuntur agere cum conſcientia ſcrupuloſa adverſus illam: at cum non ſinunt ab inſurgente, & remordente ſcrupulo, moveri ad judicandum, vel dubitandum practicè; ſed oppoſitum judicando, illi contradicunt; & ſub hoc judicio contradicente actualiter agunt; jam recta conſcientia utuntur ad agendum; ſubindeque peccare non poſſunt, quantumcumque ex adverſo pulſare in ſe ſentiant ſcrupulos ſuos.

188 Nec debent de hoc ſuo judicio, quo ſcru-

ſcrupulis contradicunt, trepidare, ne fortè contingat eſſe falſum; ſed certò ſciant veriſſimum illud eſſe; quia ſcrupulus, cui contradicunt, ſi verè ſcrupulus eſt, falſitatem & errorem certiſſimè involvit; falſumque timorem ſemper ingerit; quia ex infirmitate mentis, & imaginatione læſa procedit ubique pericula delirante, quæ non ſunt; ac proindè in ſe ſemper erroneus, ſemper falſus, & judicium oppoſitum ſemper verum. Securi igitur huic judicio confidant, hoc ſit eis unicum & ſingulare præſidium, hæc ſaluberrima medicina.

189 Sed hoc opus, hic labor eſt, ſuadere ſcrupuloſis, ut ſine cordis nauſea hanc medicinam ſuſcipiant, & non reluctent. Cauſa autem reluctandi in eis eſt; quia de hoc ipſo incerti ſunt; nempè ſi ſint ipſorum dubia, vel dictamina veri ſcrupuli, ac per conſequens erronea; vel potiùs recta dictamina nativæ vel divinæ legis: ſi enim hoc certò diſcernerent, ſine ulla difficultate ſcrupulos deponerent, eiſque contradicerent: At timent, ne inter ſcrupulos reiiciant vera legis dictamina, ſicque animam occidant, dum eius infirmitati fatagunt pharmacum adhibere. Ut igitur eos in hoc adiuvare poſſimus, oportet quod eos ab hoc periculo, & timore pro noſtris viribus eruamus.

190 Et quidèm ad hoc in promptu eſt pro ipſis conſilium, idque veriſſimum: nempè quod omne erroris periculum effugient, ſi animo priùs benè purgato ac diſpoſito, ſcrupulos ſuos diiudicent. Si itaque velint in uſu præfati remedii non errare, & de hoc à nobis certiores fieri, ut omnem timorem deponant; illo utantur proportionaliter juxta methodum medicinæ corporalis. Sicut enim Medicus Phiſicus non applicat ſingulare aliquod medicamentum, niſi ſervatis quibuſdam regulis curæ generalis, puta purgando priùs corpus, ubi oportuerit, illudque benè diſponendo, & ſimilia faciendo, ut principale illud medicamentum non impediatur ab effectu ſuo, & evadat inutile, imò interdùm noxium ex præſuppoſita corporis indiſpoſitione: ita ſcrupuloſi, qui voluerint prælato doctrinali medicamento de deponenda conſcientia ſcrupuloſa, & de ſcrupulis repellendis, uti ſine ullo erroris periculo; debent, antequam illo utantur, & proprios ſcrupulos diiudicent, benè purgare animum ſuum, illumque debito modo diſponere: quod ſi ſincerè fecerint, certi ſint in fide mea quod non deficient, nec umquam errabunt.

191 Qualiter autem illum purgare, ac diſponere debeant, paucis explicabo: videlicet, purgent illum ab omni paſſione, & affectu concupiſcentiæ, cuiuſmodi eſt affectus ad propria commoda, & propriam libertatem; & multò magis ab omni affectu ad quodvis vel minimum peccatum, etiam veniale: & inſuper ſic interiùs diſponantur, ut leges & Dei mandata non ægro animo, & quaſi cum tædio ſuſcipiant; ſed corde hilari, & animo prompto; ac proptereà ea cum diligenti atque affectuoſa inquiſitione ſincerè perquirant ſecundum veritatem in ſe; ut promptè, & hilariter illis ſe ſubjiciant, ubicumque ea invenerint; & non graventur illa adinvenire: nec quærant animo potius non inveniendi; optantes magis ea non eſſe, ut propria libertate fruantur; vel quaſi timentes invenire, ne jugum illorum ſubeant: qui enim aliqua eiuſmodi paſſione detinentur, facilè in errorem incidunt; quia animi paſſiones ſolent ſecum intellectum trahere ad judicandum pro concupiſcentiis ſuis, & non pro veritate. Cæterùm qui ab his omnibus depuratum habet animum, & ſincerè perquirit veritatem præceptorum, optando illam invenire, ubi fuerit; nec timens jugum aſſumere quaſi ſibi grave, & moleſtum; ſed potiùs quaſi ad eius amplexum candido animo feſtinans, utpotè ſibi ex Dei dilectione, & ſincera charitate, redditum ſuave, & tali diſpoſitione præmunitus ad diiudicandum accedit de ſcrupulis, ſeu dubiis, & dictaminibus conſcientiæ ſuæ; numquàm poterit contra leges errare; ſed ubi ſuo videri cenſebit ea eſſe ſcrupulos potiùs, quàm vera dictamina, veriſſimum erit judicium eius. atque ideo poterit eiuſmodi ſuo judicio confidere; & indè ea tamquam ſcrupulos repellere abſque ullo erroris periculo.

192 Et ratio huius eſt, quia in ſcrupuloſo ſic benè purgato, & diſpoſito nullum eſſe poteſt principium defectivum, undè poſſit tale judicium falſum fieri ſaltem vincibiliter, & culpabiliter, quia omnis error, & ignorantia vincibilis, & culpabilis, non poteſt niſi ex aliquo voluntario defectu provenire, ut infra meliùs videbimus ex D. Thoma; & pro nunc ſupponimus; videlicet vel ex defectu debitæ diligentiæ in inquirendo veritatem; vel ex aliqua paſſione alicuius propriæ concupiſcentiæ; aut ex aliquo pravo habitu, vel mala conſuetudine; vel ſimili defectu. At ab his omnibus ſupponitur procul eſſe ſcrupuloſus benè diſpoſitus, & purgatus, de quo in præſenti loquimur; ita ut nulla in eo ſupponi poſſit negligentia debitæ inquiſitionis, aut pravus habitus, ſeu mala conſuetudo, vel aliqua paſſio; niſi ad ſummum una tantùm, & ſibi involuntaria, qua opprimitur, & infirmus redditur, atque ſcrupuloſus; nempè paſſio nimiæ puſillanimitatis, & timoris inordinati, qua ubique phantaſtica, & vana pericula fingit animæ ſuæ, quæ non ſunt; atque indè legem ibi eſſe credit potiùs, ubi non eſt; quàm non eſſe, ubi eſt: ergo numquàm poterit contra legem falli, & errare, errore ſaltèm vincibili, & culpabili contra legem. ac propterea ſi nolit credere, quod non errabit contra legem; credat ſaltèm quod ei non imputabitur error ad culpam; nec peccabit; ſi fortè rectum aliquod dictamen ſcrupulum, errando, judicabit; & qua talem deponendo, aliquid aget contra legem.

193 Dixi autem (ſi nolit credere, quod

non errabit contra legem, credat ſaltèm quod ei non imputabitur error ad culpam) quia hoc ſatis erit ſcrupuloſo pro quiete conſcientiæ ſuæ: ſed ego ulterius contendo quod nullo modo in tali judicio errabit contra legem, neque invincibiliter; ſed omninò verum erit eius tale judicium, ſi ab ipſo aliàs ſic benè diſpoſito, & ab omni paſſione purgato, ſincerè fiat; quia impoſſibile eſt quod ratio practica hominis ab omni paſſione purgati, aliàs oculatiſſima in diſcutiendis quibuſcumque etiam leviſſimis & phantaſticis ratiunculis pro lege, & aſſueta præſertim eas rationes, quæ pro lege aſſiſtunt plùs juſto magnificare, ſicut in omnibus ſcrupuloſis, ſaltem in ea materia, in qua ſunt ſcrupuloſi, experimur; non videat ſolida, aut ſaltem probabilia fundamenta, ſi quæ fuerint veræ legi aſſiſtentia; ſed illa potiùs vana, aut nulla eſſe ſincerè judicet, ita ut reputet ſcrupulos vera legum dictamina. Ergo ſi ſemel ſcrupuloſus ſincerè judicando ſua dictamina, poſtpoſita priùs omni eius animi paſſione, & corde benè diſpoſitio ac purgato, reputabit ea eſſe ſuos ſcrupulos ex infirmitate ſua ſibi in mente emergentes, quia ſic ei poſt maturam diſcuſſionem apparebunt, non poterit in hoc judicio errare. Talis enim naturæ ſunt ſcrupuloſi ob ipſorum infirmitatem, ut leviſſima, & frivola motiva in favorem legis eis appareant ſolidiſſima fundamenta; & econtrà vix evidentiſſimæ rationes eis ſufficiant ad ſuadendum, quod lex ſibi non obſtet: quomodo ergo fieri poteſt quod ſincerè ſibi ſuadeant ſua dictamina ſcrupulos eſſe potiùs, quàm legum vera dictamina; præſertim ſi fuerint ab omni paſſione purgati; ſi non vident re vera ſine ullo fundamento ſe legem ſibi obſtantem apprehendere? vident ergo ſufficienter legem re vera non obſtare; licet de hoc ipſo, quod vident, trepident ob infirmitatem ſuam; atque ideò ſi hunc timorem deponunt, & tali ſuo videri reguntur, non errãt; ſed verum eſt tale eorum judicium.

194 Non poſſunt ergo ſcrupuloſi contra legem errare in judicandis ſcrupulis ſuis, ſi priùs fuerint benè purgati, ut dixi; quia nulla eſt in eis ratio ſeu cauſa errandi præter paſſionem illam vehementis, & deordinati timoris, in qua earum infirmitas conſiſtit, & qua eorum ratio adeò perturbatur, ut ubique pericula judicet, nec poſſit aliquid ſine periculis expeditè judicare; ſed omnia formidoloſè, & dubitanter; & interdum cogatur omninò judicium ſuſpendere; eo quod inter tot pericula veluti ante ſe formicantia, quaſi fracta mens ab omni operatione tandem deficere cogitur. quæ quidem paſſio omninò involuntaria eſt, undecumque illa proveniat, ſed ſemper dici debet ex infirmitate eſſe, ſivè procedat ex naturali complexione nimis frigida, & melancholica; ſive ex ſpeciali indiſpoſitione capitis ex mania, aut etiam melancholia proveniente; quia ut refert D. Antoninus 1. *p. tit.* 3. *cap.* 10. ex Galeno, & Avicenna, Mania eſt infectio anterioris cellulæ capitis cum diminutione imaginationis: melancholia verò eſt infectio mediæ cellulæ cum diminutione rationis; ſive ex miniſterio Dæmonis humores melancholicos in homine commoventis, per quos imaginatio turbari poteſt, & moveri ad timorem inordinatum; ſive ex quacumque alia cauſa; omnes enim imaginationem, & rationem vitiant, ita ut non poſſit homo inter verum, & ordinatum timorem, atque ſalſum, & inordinatum diſcernere; ac proindè infirmus evadit intellectus ad judicandum; & ideò errare poteſt in judicio ſuo, ſed non contra legem; quia hæc infirmitas ſi in errorem trahit intellectum, efficit ut falsò judicet utique, ſed pro lege, ita ut potiùs reputet eſſe dictamen legis, quod non eſt, quàm econtra. Cum igitur ſcrupuloſus ſincerè judicat de ſuo dictamine eſſe ſcrupulum, & non ex lege; verum erit judicium ſuum, ſi ad tale judicium priùs benè purgatus ab omni paſſione, & prævio examine ſincerè procedat; quantumvis de hoc ipſo ſuo tali judicio ſemper trepidet ob infirmitatem ſuam: undè ſi hanc formidinem deponat, & tale ſuum judicium ſequatur, non errabit.

195 Dixi autem (& prævio examine) quia non probo, quod aliqui dicunt, repellendum eſſe à ſcrupuloſo omne eius dubium ſeu dictamen tamquam ſcrupulum cæco modo, & abſque debito examine prætextu propriæ infirmitatis. Sicut enim infirmitas corporis non omnes actus impedit, neque omnes ſemper, & eodem modo, eos vitiat; ſed ſolùm interdùm, & aliquos facit ægrè, & debiliter fieri; quia natura adhùc in infirmitate manet ſuarum operationum radix, & ſufficiens principium earum, licet non ſemper cum tanto vigore, ſicut in ſalute: Ita & præfata infirmitas mentis non omnes mentis actus impedit, neque ſemper eos vitiat, aut eodem modo, ſed ſolùm aliquando facit, quod ægrè, & imperfectè fiant; fiunt tamen; & quandoque regulatè, quemadmodùm & actus corporis. ac propterea contingere poteſt, quod intellectus ſcrupuloſi, non obſtante eius infirmitate regulet interdùm actus ſuos, & rectè judicet de lege, eam ſcilicet eſſe; vel prudenter, & ſolidè dubitet de illa; & eiuſmodi judicium aut dubium, non ſunt tunc ſcrupuli; ac propterea non debent cum ſcrupulis generali quodam exilio, & promiſcua ſententia amandari; alioquin multoties veræ leges contemnerentur.

196 Debet igitur ſcrupuloſus ſincero quodam prævio examine de ſcrupulis ſuis in ſpeciali diſcernere, & ſincerè judicare prout ſibi videtur judicandum; & ſi deponendos ut ſcrupulos judicaverit, deponat illos, nec refert ſi tale judicium in ipſo ſemper formidoloſum, & turbatum reſultet, dummodo ſincerè ſibi appareat potiùs hoc, quàm oppoſitum; puta quod eius dubium, ſeu dictamen ſit potiùs ſcrupulus,

Digitized by Google

ſus, quàm veræ legis dictamen : tunc enim tale ſuum judicium pro veriſſimo haberi poteſt : & certus ſit non poſſe in eo errare ob rationes ſupra adductas. Nec timeat quod ſit ſibi formidoloſum, & turbatum; hoc enim provenit ei, quia eius infirmitas non permittit, quod eius intellectus expeditè veritatem aliquam contra legem judicet; ſed ſemper turbatè, & cum formidine, juxta paſſionem puſillanimitatis, qua infectus ſupponitur, & infirmus. quare in tali caſu judicium illud intellectui ſincerè ex parte ſua veritatem diſcernenti tribuendum eſt: formido verò infirmitati. Et ideò judicium pro vero habendum eſt, utpotè ſine ullo principio defectivo ab intellectu procedens : formido autem contemnenda ut fallax, & vana, utpotè ab infirmitate ortum habens. Et ideò tunc ſcrupuloſus ex vi talis judicii debet conſcientiam ſuã ut certò ſcrupuloſam deponere, & quieſcere; quia, ut dixi, certiſſimè non errabit.

197 Cæterùm pro maiori eius quiete ſciat, quod eſto in tali judicio poſſit errare, & contingat interdùm errare de facto; non proindè peccabit, ut dixi, operando juxta tale judicium ſuum; quia in tali caſu error eius erit ex ignorantia invincibili : nam talis ignorantia nullo modo in eo poteſt eſſe voluntaria; ac per conſequens nullo modo culpabilis, & vincibilis. Ignorantia enim, ut ſuo loco dicemus ex D. Thoma, tunc ſolùm voluntaria dici, & eſſe poteſt; quando eſt conſequens ad aliquem defectum voluntatis, puta quia voluntas ipſam ignorantiam affectavit, aut neglexit ſcire quod poterat, & tenebatur; aut quia malè affecta fuit aliqua paſſione ſeu affectione, vel prava conſuetudine corrupta, & inde contingit aliquid ignorare: qui quidem defectus non ſupponuntur in ſcrupuloſo animi benè purgati, & diſpoſiti, de quo in præſenti loquimur. Ergo niſi velit credere quod non errabit, ut ſupra oſtendimus, credat ſaltem, quod etiam errando, non peccabit; quia non erit error ex ignorantia conſequente, & voluntaria.

198 Neque dicas quod poteſt eiuſmodi ignorantia in caſu erroris reddi ei vincibilis, & culpabilis per hoc, quod dum de tali ſuo judicio timet, poteſt & debet eam vincere, ſi non per ſcientiam, ſaltem practicè per electionem tutioris partis; ſicut alibi dicimus de dubitante non ſcrupuloſo; quod ſi negligat facere, jam fiet indè ei error ille voluntarius per voluntariam tutioris partis omiſſionem in dubiis eligendæ.

199 Ne, inquam, ſic dicas; quia doctrina illa de tutiore parte in dubiis eligenda veriſſima utique eſt; ſed in dubiis fundatis, & prudentialibus; ubi ſcilicet eſt ſufficiens ratio prudenter dubitandi; non autem ubi dubium non eſt ſufficienter fundatum, ac per conſequens imprudens: dubia enim imprudentia ſunt ab omnibus contemnenda; alioquin ferè ab omnibus actibus impediremur; quia ferè ſemper, & de omnibus poſſemus imprudenter dubitare quandoquidem rationes dubitandi non fundatè, ſunt infinitæ, & præcipuè reſpectu eorum, qui ſcrupuloſi ſunt, & mente ſupponuntur infirmi, & tali genere infirmitatis, de qua in præſenti loquimur. Jam verò in caſu noſtro ſupponimus ſcrupuloſum de ſuo tali judicio reflexo dubitantem, & timentem, præcipuè ſi prævia diſcuſſione, & ſincero examine de ſuis ſcrupulis judicaverit, ex propria infirmitate dubitare, & timere; & ſine fundamento rationabili; ac per conſequens debet eiuſmodi ſuum dubium, & timorem contemnere; eſt enim extra caſum illius regulæ de eligenda tutiore parte; & ideò nec tenetur in caſu ignorantiam ſuam ea via vincere : alioquin numquam formidini ſuæ finem imponeret; neque obligationi ſuæ de tutiore parte eligenda umquam finem daret; & ſic ſemper & ferè ab omnibus ſuis actibus impediretur. Si enim eſſet Sacerdos celebrare non poſſet, quia poſſet ſine fundamento dubitare de validitate ordinationis ſuæ. Si eſſet coniugatus non poſſet debitum petere, quia poſſet ſine fundamento de aliquo impedimento timere. Si Judex; non poſſet ſententiam ferre; quia formidare poſſet de errore ſui judicii. & ſic de mille aliis exemplis. non ergo eſt ſimilis ignorantia in eiuſmodi dubiis, etiam ſi de facto error aliquis contingat, ab hominibus vincenda per electionem tutioris partis; ſed potiùs dubia eiuſmodi contemnenda, & liberè operandum, & ſi error contingat, erit ille ex ignorantia prorſùs invincibili, & inculpabili.

200 Denique interrogabis hic : quid ſi ſcrupuloſus nequeat de ſuo ſcrupulo judicare; nec ſuaderi, quod ſit potiùs ſcrupulus dictamen, vel dubium conſcientiæ ſuæ, quàm verum dictamen legis, vel dubium prudens, & fundatum? Reſpondeo tunc non eſſe ei remedium : quia niſi ſibi hoc judicium formet, non poterit conſcientiam ſuam deponere : ſed illa in eo perſeverabit contra ipſum : ea enim perſiſtente, certum eſt non licere ei in oppoſitum agere, quia ſemper contra conſcientiam ageret; & ideò peccaret; jam enim non ex fide ageret, & quod non eſt ex fide, ideſt ex conſcientia, peccatum eſt, ut dicit Apoſtolus. Acquieſcant ergo mihi ſcrupuloſi, videant quid pro ſuo videri appareat ſibi de conſcientia ſua; & ubi ſincerè judicaverint potiùs ex infirmitate ſua eam procedere, quàm ex veritate legis; quantumvis de hoc ipſo ſuo judicio timeant, nihilominùs conſtanter, & animosè illud pro veriſſimo teneant; & conſcientiam deponant. Et credant mihi quod in hoc numquam errabunt: & ſi per impoſſibile errabunt; certè non peccabunt (ſi tamen (ut dixi) benè prius animum ſuum purgaverint, & diſpoſuerint) & ſic curabuntur ab infirmitate ſua. Quæ quidem doctrina ex Sanctis Patribus collecta eſt, ut conſtabit ex eorum regulis mox adducendis, quas affert D. Antoninus *loc. cit.* 1. *p. tit.* 3. *cap.* 10.

§. II.

§. II.

De Regulis SS. Patrum pro ſcrupuloſis.

REGULA I.

201 PRima itaque regula, quam ſcrupoloſi tenere debent, eſt quod ſe præparent ad auxilium divinæ gratiæ, ex corde crimina deteſtando, & in ſincero Dei amore vivere proponendo, atque in dilectione omnium mandatorum eius. dilectio enim divinæ legis onus non ſentit, quinimò reddit illud ſuave, dulce, & amabile. quod quidèm neceſſarium eſt ſincerè volenti Dei legem invenire; alioquin onus ipſum retrahet à ſincera inquiſitione illius; qui enim pondus portare non amat, quantumvis videat ſuis humeris illud impoſitum, modum perquirit, quo poſſit exonerari potiùs, quam ſuſtinere. atque ideò qui Dei mandata non diligit uſque ad hoc, quod fiat ei ſuavis, aut ſaltem non moleſta executio; ſed potiùs adeò remiſsè ſe habet, ut nimis ei gravitet eorū pondus, affectetq; ea magis non eſſe, quàm eſſe; ne iis exiſtentibus oporteat cum gravi ſua moleſtia jugo eorum ſe ægrè ſubmittere; procul dubio hic obicem ponit, ne ſincerè videat ubi ſint; & facilè in errorem labitur, credendo non eſſe, ubi re vera ſunt. quia cor noſtrum ſic malè affectum ad divina mandata prævenit uſum rationis practicæ, eamque cum tali paſſione applicat ad judicandum de lege, de qua ſuboritur dubium; optans, ut potiùs judicet eam non eſſe, ac proindè dubium deponendum; atque ea paſſione ratio practica infecta facilè pro voto judicium flectit, & errat, errore utique voluntario in cauſa. niſi enim ea paſſione præventa foret, fortè aliter judicaret, & veritatem inveniret. Econtrà verò ſi nulla eiuſmodi indiſpoſitio voluntaria præveniat, ſed potiùs ſincera dilectio veritatis, cum hilari promptitudine exequendi quidquid fuerit re vera præceptum; tunc ſi error accidat, nullatenùs poterit voluntati imputari; ſed erit omninò ex naturali impotentia ſeu hebetudine intellectus: ſed exiſtimo quod neque errabit, quia ſublato omni obice ex parte voluntatis, Deus præſto ei erit cum auxilio gratiæ ſuæ, ut verum judicet, & non aliter: Deus enim ſic benè paratis facilè gratiam infundit, & dona ſapientiæ, ſcientiæ. conſilii, & intellectus, quibus errare non poſſint. ſicut econtra aliis, qui non ita ſe præparant, ſicut deberent, in pænam omiſſionis huiuſmodi debiti, ſubtrahit illa.

REGULA II.

202 SEcunda regula eſt: verſari in divinis ſcripturis, atque in iis ſanctiſſimam Dei legem meditari; quandoquidèm in illis tamquàm in puriſſimo fonte Dei mandata, eiuſque ſancta conſilia reperiuntur, indeque abſque ullo prorſus errore, atque in ſua puritate feliciùs exhaurire eſt. Profectò omnes Sancti Patres non aliundè ſanam ſuam doctrinam excipiebant, ſibique illibatam comparabant; atque alios inſtruebant; erant enim in ſcriptura ſacra evolvenda aſſidui, atque in ea jugiter meditabantur die ac nocte; ideoque datus eſt eis ſpiritus ſapientiæ, & intelligentiæ, quemadmodùm in eodem ſacro eloquio promittitur *proverb. 1. ibi: audiens, ſapiens, ſapientior erit; & intelligens gubernacula poſſidebit.* Sed hoc eſt potiſſimum, quod noſtra hac tempeſtate deplorandum eſt, quod vix pauciſſimi ſunt qui in aſſidua lectione ſcripturæ, aut Sanctorum Patrum velint verſari; ſed turmatim ad recentiores, qualiſcumque ii ſint doctrinæ, confugiunt, eorumque compendia, quaſi in anguſto pugillo, & interdùm malè concinnatæ doctrinæ, poſſint brevi tempore ſatis conſcientiæ ſuæ conſulere, & dilatare cor ſuum ad currendam viam omnium mandatorum Dei; atque ideò multotiès decepti, ubi credunt ſibi ſcrupulos evacuare, diminuūt leges; & pro ſecuritate conſcientiæ in jacturam incidunt animarum, utpotè qui ſæpè ſæpius per extremum oppoſitum à ſcrupulis recedentes videntur in laxiora dogmata declinare. Caveant ergo ſcrupuloſi aliundè, quàm à ſcriptura ſacra, & Sanctis Patribus edoceri; ſi ſincerè velint legem Domini adinvenire. Nec timeant, ut falsò aliqui credunt, indè potiùs ſuos ſcrupulos augeri; nam verus ſcrupulus ſine errore non eſt, & nonniſi novi erroris additione augeri poteſt: In ſcriptura autem nullus error eſt, neque in Sanctis Patribus, qui nonniſi ex ſcriptura loquuntur: quomodò ergo poterunt indè ſcrupuli augeri? Profectò evaneſcit error, ubi veritas affulget, & ſcriptura tota, & omnis, veritas eſt mandatorum Dei, quæ procul dubio iis, qui in ipſa meditantur, affulget; ergo indè evaneſcunt potiùs ſcrupuli, non augentur; & idem ſequitur ex doctrina Sanctorum Patrum, ſi res benè conſideretur.

REGULA III.

203 TErtia regula, ſeu remedium optimum pro ſcrupuloſis eſt humilis, & continuus recurſus ad Deum per ferventem, & devotam orationem; licet ea, ut conqueritur Sylveſter, ſcrupuloſi parùm utantur, & malè. Nam quid apud Deum efficacius humili & aſſidua oratione ad ſapientiam, & ſcientiam Sanctorum obtinendam? qua procul dubio omnis error vitatur, & ignorantia, omniſque ambiguitas, ac perplexitas diſſolvitur. Nec dubitare debemus, quin Deus illam deneget inſtanter petentibus; dicitur enim in Epiſtola Canonica Jacobi *cap. 1. ſi quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Et Chriſtus Dominus ait: *quærite, & invenietis: petite, & accipietis: pulſate, & aperietur vobis.* Certè ſi quod quærimus,

non

non invenimus; ſi quod petimus, non accipimus; ſi nobis pulſantibus, non aperitur: culpa noſtra eſt, quia non quærimus ſincerè, ut debemus, non petimus confidenter, non pulſamus inſtanter.

REGULA IV.

204 Quarta regula ſeu remedium eſt, quod non parvipendantur culpæ leves, ſeu peccata venialia. In hoc enim multi ſcrupuloſi, vel veriùs, ſemiſcrupuloſi deficiunt, qui in ſolis vitandis mortalibus totam ſuam ſollicitudinem ponunt: Cæterum de Venialibus aut nihil, aut parùm curant. Et iſtis aſſimilantur alii, qui in aliquo genere actionum tantùm ſunt delicati; In reliquis verò non timent vel maniſeſtè deficere, & peccare. Sed iſti facilè falluntur, & in errores incidunt, quia non ſunt benè in corde purgati, & diſpoſiti, ſicut oportet. qui enim minima negligunt, vel quod eſt peius, maiora alicuius determinati generis; in promptu cauſam habent intra ſe, & obicem voluntarium, ut nec pericula, à quibus cavere vellent, ſciant interdùm diſcernere. Et ratio huius eſt, nedùm quia ſic auxilio divinæ gratiæ, eiuſque lumini intùs illuſtranti, & dirigenti obicem ponunt; & quia proindè nec ab Angelo ſuo cuſtode ab errore præſervantur; ut rectè diſcurrit Caietanus, dicens: *qui parùm curat committere venialia, ita quod cum ſcit aliquid non eſſe mortale, parviſaciat incurrere, ſollicitus non eſt ad curam animæ ſuæ, ut fructum reddat in tempore ſuo: & propterea mirum non eſt, ſi angelica deeſt cuſtodia ad præſervandum illum, qui ſibi ipſi deeſſe parvipendit.* Ita *in ſummula ſua v. ſcrupuloſi*. Sed etiam & connaturalis ratio eſt, quia qui non curant de venialibus, non cohibent affectum ſuum erga illa, imò ea ſaltem virtualiter affectant; ex hoc autem connaturaliter ſequitur in eis, quod mala quædam, præcipuè ſi genialia fuerint, & ipſi dubitent ne fortè ſint mortalia, vellent ſaltem implicitè, & virtualiter, eſſe in ſe venialia, ut proprio genio ſatisfacerent; tùnc autem ratio practica à voluntate ſic malè affecta applicata, facilè in judicium declinat pro paſſione eiuſmodi pravi affectus, ut ſuperiùs dixi, nam inter intellectum, & voluntatem eſt quædam connexio ſympathica, ſeu connaturalis quidam conſenſus, ita ut ſi qua paſſione infecta voluntas imperet intellectum, ut quid ei ſit agendum conſulat, iſte quaſi illius paſſionem induens infatuetur, nec ſciat judicium aliud, aut conſilium dare, quàm quod ad illius inclinationem conducit; diffunditur enim ab illa per eius imperium in intellectum vapor quidam affectionis eius, quo protinùs obnubilatur, & res videt quaſi per vaporem illum aliter quàm in ſe ſint, non minùs quàm oculus corporeus per humorem ictericum videt obiecta pallida, quæ non ſunt; & ſic ei errare contingit, ſed errore qui non excuſat, quia in cauſa voluntarius eſt. Et idem eſt de illis aliis, qui in uno genere actionum ſcrupuloſi ſunt, in reliquis verò peccata parvipendunt; facilè enim vapor iſtorum ad ea, quæ ſunt illius generis, tranſire poteſt, ut etiam in illis intellectus ex eadem cauſa erroneè judicet.

REGULA V.

205 Quinta regula ſeu remedium eſt humilis obedientia, & perfecta ſubiectio erga ſuum Patrem Spiritualem, dummodò iſte ex multis, qui haberi poſſunt maturo conſilio præeligatur; qui ſit doctus, prudens, & timens Deum. Suppoſita enim ſincera hac Confeſſarii electione, ſi fuerit poſſibilis, debet ſcrupuloſus illius judicio humiliter ſubiici, & permittere ab eo regi quaſi Puer in ſua ſimplicitate puerili; deque eius conſilio, ubi dubitat, dubium deponere, & tutò operari; ipſamque eiuſmodi ſui humilem obedientiam, & ſubiectionem Deo offerre, quem ſincero corde nullatenùs vult vel in minimo offendere. Sic ſimpliciter agat, & ſciat quod non peccabit, etiamſi contingat per accidens Confeſſarium errare. quia ut ſuperiùs dixi, cum ipſe alias infirmus mente ſupponatur, nec ſit cum expedito uſu ſuæ rationis practicæ, ut poſſit meliùs à ſeipſo regi, non poterit ei error ut voluntarius imputari. Econtrà verò qui eiuſmodi humilem ſubiectionem viro eiuſmodi conditionis electo habere recuſant, ad vertere debent, & nimis timere, ne in eis ramuſculus quidam ſuperbiæ lateat, quo multùm prudentiæ ſuæ innixi, nulli aliorum quantumvis recto judicio ſubſcribi volunt, niſi priùs fuerit proprio judicio ſtabilitum, quod quærunt. Atque ideò interdùm accidit, ut volentes ſingula ex propriis ſophiſticari, facilè errent, Deo id permittente, in pœnam ſuperbiæ ſuæ. Id autem quod mihi magis certum eſt, quod latet ſemper in iſtis quidam inordinatus ſui amor, quo quaſi ſupra vires ſuas conantur induſtriam propriam ponere, quaſi indè affectantes poſſe ipſorum ſalutem unicè haberi; & in hoc ipſo infeliciter decipiuntur: licet enim ſalus animæ ſit nobis amanda, & omni conatu pro noſtris viribus perquirenda, à Deo tamen oportet credere unicè operandam, qui & proprias vires nobis elargitur, & adiuvat auxiliis gratiæ ſuæ, regitque etiam per Miniſtros ſuos, & præſertim ubi iſti ſincerè eliguntur tales, quales coram Deo eligi debent. qui enim ſic ſe diſponunt, & aliundè humiliter agnoſcunt, & fatentur infirmitatem ſuam, in hoc ipſo quieſcere debent, & animæ ſuæ curam tùnc in hac bona prævia diſpoſitione, unicè, & humiliter Deo committere. Diſcant ergo ſcrupuloſi Deo penitùs humiliari, à quo & per quem unicè ſperanda eſt ſalus, & ſic tutò quieſcant.

REGULA VI.

206 SExta regula ſeu remedium eſt conſtans & animoſa ſcrupulorum abiectio, de qua hactenùs primo loco diximus. Placet hìc autem adiungere, quod niſi conſtanter ſcrupuloſi reſolvant ſcrupulos ſuos reiicere; eoſque, poſtquam fuerint ſic benè diſpoſiti, ut hactenùs dictum eſt, ſemper contemnere; & contra illos, formato ſibi judicio oppoſito, tutò operari: ſed potiùs volubiliter ſe habeant nunc illos repellendo, nunc illis ſuccumbendo; nunc deponendo illos, nunc iterùm reſumendo; ſemper erunt infirmi; eòque magis infirmi, quò volubiliores; Nam infirmitas hæc levitatis eſt; ſcrupulus enim, ut diximus, motus quidam animi eſt ex levibus motivis procedens, ita ut animus leviter feratur nunc hùc, nùnc illhùc, & quaſi omni tenuiſſimo vento hinc inde agitatus; atque ideò ubi homines reperit animo leviores, ac volubiliores, ibi magis convaleſcit.

REGULA VII.

207 SEptima & ultima regula, ſeu remedium eſt, bona in rebus agendis opinionum electio, quam quidem eam appello, qua ea pars eligitur, quæ ipſimet ſcrupuloſo ſincerè, & omni paſſione poſtpoſita, atque benè, ut ſupradictum eſt, diſpoſito, magis vera videtur. Et advertant ſcrupuloſi, quod non dico eos, ſi oportuerit à ſeipſis, & ex proprio conſilio eligere, debere ſemper accipere partem rigidiorem, & quæ favet legi; quia ſic gravaretur magis ipſorum infirmitas; & oporteret ſibi pro legibus ſtabilire quæcumque rigidiſſima placita unius, vel alterius quantumcumque ſingularis Doctoris, etiam communiter reiecta, ut falſa; & fortè ſibi evidenter quoque cognita, ut falſa; quia cum ipſi ſint mente notabiliter infirmi, & de proprio judicio quantumvis ſibi rectiſſimo ſemper trepident, non poſſent facilè illa penitùs reiicere ut falſa, ſicut faciunt alii, qui mente ſunt ſani, & omninò expeditum habent uſum rationis practicæ; quod eſſet onus importabile, imò penitùs impoſſibile; ſic enim ferè in infinitum ſibi leges augerent; maximè cum nulla ferè pars etiam quantumcumque rigida, & falſa, ſit omni Doctore penitùs deſtituta. Neque dico eos debere eligere partem, quam Moderni benigniorem vocant, & ſtantem ſemper pro commodo, & libertate; hoc enim eſſet eis laxare nimis habenas, & de ſcrupuloſis laxones paulatim efficere, quod eſt alterum vitioſum extremum. Sed dico eos eam partem eligere debere, quæ ſibi ſincerè videtur vera, ſive ſtet pro commodo, & libertate; ſive pro lege. Sic enim procedendo eis ſufficit; & ſi tunc contingat contra legem errare, poterunt excuſari ratione propriæ infirmitatis, quæ non patitur, ut per ſemitam tutiorem incedant; & error (quem tamen in ipſis moraliter impoſſibilem cenſeo contra legem, ſi fuerint interiùs mente, & animo purgati, ac bene diſpoſiti, ut ſupra dixi) erit eis involuntarius, & invincibilis omninò, hoc eſt tùm ſpeculativè, & per ſcientiam; tùm etiam practicè, ſeu per cautionem, & electionem tutioris partis. Speculativè quidem; quia ſupponitur eis ſcientia impoſſibilis. practicè verò; quia alioquin oporteret eos eligere, nedùm tutum, ſed & perfectius ſemper; cum ratione propriæ infirmitatis in debita comparatione ferè ſemper decipiantur, ut ſupra advertimus ex D. Antonino *num. 127. præced. cap. 7. §. 2.* nam ferè ſemper in eo, quod tutum eſt, dubitant, quia illud ſumunt comparativè ad perfectius, ac proindè videtur eis aliqualiter malum, ex hoc quod non eſt adeò bonum, ſicut illud, quod eſt perfectius; & maximè ſi pro hoc aliquem inveniant docentem, quod ſit de neceſſitate ſalutis; quia ipſi ab omni vel leviſſimo dicto moventur ergà legem, & ſtatim conſtituuntur in dubio, & mente totaliter turbantur, adeò ut quò ſe vertant penitùs ignorent. Ut igitur ab hujuſmodi infirmitate curentur, optimum hoc remedium eis exhibetur, ut ſcilicet tutò eligant, quod ſibi ſincerè verius videbitur; & in illo quieſcant; quia ſemper tutum, ſic faciendo, eligent; & eò quietiùs, quò ipſis verius apparebit.

208 Profectò hoc totum exiſtimo intendiſſe D. Antoninum *in ſumm. p. 1. tit. 3. cap. 10.* cum hanc regulam tradidit, quam ibi inter alias quarto loco in ordine adduxit. quare non bene ex hac regula Probabiliſtæ illum pro ſe referunt, & tamquam ſui Probabiliſmi Anteſignanum magnifaciunt. ibi enim Sanctus Præſul, ut evidenter omnibus eius textum legentibus conſtare poteſt, non intendit Probabiliſmum ſtabilire, quem Probabiliſtæ prætendunt; ſed tantùm pro ſcrupuloſis in ipſorum remedium ſpeciem quamdam illius valdè diminutam, & ſecundùm quid, proponit, & conſulit; & inſuper cum magna cautela etiam ipſis applicandam. Undè nec illis licentiam facit utendi quacumque opinione probabili, & benigniore, quæ ſcilicet ſit pro commodo, & libertate, ut Probabiliſtæ explicant; ſed cum multa reſtrictione, nempè eâ utendi, quæ notabiles habeat Doctores, & ſibi appareat magis vera; quemadmodùm & nos in præſenti docemus. Accipiant ergo, & ponderent fideliter eius verba. *Revertendo* (inquit) *ad quartam* (regulam) *omiſſam; dico quod ipſa eſt opinionis alicuius tuta electio. ſunt enim de aliquibus materiis moralibus Doctores opinionum contrariarum, & tunc ſcrupuloſi dubitant quam partem poſſint cum bona conſcientia eligere. Pro cuius enodatione difficultatis notandum, quod cum bona conſcientia poteſt quis tenere unam partem alicuius opinionis, & ſecundum eam operari, excluſo ſaltèm ſcandalo, quæ ſcilicet pars* (nota lector) *habeat notabiles Doctores.* Ecce primam limitationem,

quæ

quæ ſi benè conſideretur multùm reſtringit; quia infra exemplificando de Doctoribus, quos notabiles appellat, adducit D.Thomam, & D. Bonaventuram, & conſimiles magni nominis in aliquo diſſidentes; & tunc dicit, quod poteſt quis tenere unam partem alicuius, eamque ſequi, ſaltèm ſecluſo ſcandalo: quod exiſtimo adiunxiſſe ad inſinuandum, quod conſilium hoc non eſt aliis participandum præter ipſos ſcrupuloſos; quia aliis periculoſum evadit ob variam diſpoſitionem ſubiectorum, ut dicam infra. Poſt hæc ultra proſequitur alias limitationes, dicens; *dummodo talis opinio* (nempè notabilium Doctorum) *non ſit contra authoritatem expreſſam ſacræ ſcripturæ; nec contra determinationem Eccleſiæ Catholicæ.* Quod S. Præſul adiunxit ad denotandum, quod huiuſmodi Doctores notabiles, & Sancti Patres licet interdùm in aliquo diſcordent inter ſe, quatenùs unus magis rigidè opinatur, quàm alter; atque ideò quod eſt perfectius judicat eſſe de neceſſitate ſalutis, quod alter negat; non tamen diſcordant à lege regulariter loquendo; quia & licitum ſeu tutum, & perfectius ſeu tutius legi non opponuntur; & ipſi regulariter in opinionibus ſuis penès tutum, & tutius; ſeu penès licitum, & perfectius inter ſe ſolent oppoui ex parte rei judicatæ, ut conſtat ex exemplo diſcordiæ, quod ſolet afferri inter D. Thomam, & D.Bonaventuram; licet ex parte judicantium unus accipiat ut neceſſarium ad ſalutem, quod eſt perfectius; alter verò dicat eſſe quidèm perfectius, non autem neceſſarium, nec aliter præſumi debet inter Sanctos Patres, & ſimiles Doctores notabiles, de quibus D. Antoninus loquitur, opinionum diſcordia; niſi in caſu quo contra aliquam opinionem ipſorum ſit authoritas expreſſa ſacræ ſcripturæ, aut ſuperveniat determinatio Eccleſiæ. Et ideo D. Antoninus, hac præsumptione ſuppoſita, & ab omnibus regulariter ſupponenda, (niſi obſtet expreſſa authoritas ſcripturæ, vel determinatio Eccleſiæ) quod ſcilicet eorum diſcordia ex parte rei judicatæ ſit penès tutum, & tutius; ſeu penès licitum, & perfectius, quæ in ſe nullatenùs contra legem ſunt; conſulit ſcrupuloſis, ut unam partem, quæ ſibi verior apparet, tutò eligere poſſint, & quieſcere à dubiis ſuis, quæ ex diſcordia ſimilium Doctorum ſibi proveniunt. Et meritò quidem, quia ea præſumptione ſuppoſita, quācumque partem eligant, ſemper tutum eligent. Et ipſorum dubium verus ſcrupulus ſupponitur, qui eſt deponendus, pro quo proindè D. Antoninus hanc regulam, & conſilium tradit.

209 Quod autem ita ſit regulariter præſumendum de Doctoribus huius generis, quando contrariè opinantur; nec licitum ſit de illis aliter præſumere, niſi ad hoc nos cogat expreſſa authoritas ſcripturæ, vel determinatio Eccleſiæ in oppoſitum, probatur & ratione, & exemplo. Ratione quidem; quia Sancti Patres, & ſimiles notabiles Doctores non præcipitant judicium contra leges; nec proferunt facilè aliquid licere, niſi priùs evidenter eis conſtiterit de veritate, quod illud verè liceat: licet quia fortè eadem veritas alteri etiam notabili Doctori non evidenter conſtat, ab iſto impugnetur, & ſtatuatur oppoſita opinio magis rigida, & ſic fiat inter ipſos diſcordia opinionum; & nihilominùs neutra pars in ſe ſit contraria legi; ſed una verè licita, & tuta; & altera perfectior ſeu tutior. Exemplo; quia ſic experimur in diſcordia, quæ ſolet adduci inter D. Thomam, & D. Bonaventuram circa dilationem confeſſionis. D. Thomas enim docet non teneri homines, poſtquam peccaverint, ſtatim confiteri. Oppoſitum verò dicit Seraphicus Doctor. Sed hoc quod Doctor Seraphicus tenet, perfectius utique eſt, & tutius, at non verum. quod autem docet D. Thomas Doctor Angelicus, & verum, & tutum eſt; minus autem perfectum; id quod ſibi evidens fuit; Doctori autem Seraphico minùs cognitum. Niſi enim Angelico Doctori fuiſſet evidens, non ſic illud determinaſſet; cum ipſemet doceat *quodlib. 9. a. 15. quod omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur.* cum ergo non ſit præſumendum, quod hoc periculosè determinaverit; oportet dicere, quod expreſsè ei veritas conſtiterit. Nec mirum eſſe debet quod hoc ipſum non conſtiterit D. Bonaventuræ, atque ideò tutiorem partem elegerit; nam aliquando vehemens amor charitatis Sanctorum mentes inflectit, & cogit potiùs pro Deo, & divina eius lege judicare, quam pro veritate phiſica rei.

210 Quamobrem meritò S. Antoninus hanc regulam, & conſilium tradit ſcrupuloſis eligendi unam partem opinionis ſimilium Doctorum tutâ conſcientiâ, ſtante huiuſmodi præſumptione ab omnibus regulariter præſupponendâ, ut verâ; niſi ceſſet præſumptio hæc ex oppoſita determinatione Eccleſiæ superveniente; aut ſi noviter inveniatur in contrarium aliqua expreſſa authoritas ſacræ ſcripturæ. Non enim alia exceptio fieri debet circa opiniones Sanctorum Patrum, & ſimilium Doctorum; quia hac unicâ exceptione ſublatâ, ſemper de eis præſumendum eſt, quod nihil determinent de licito, & in favorem libertatis, niſi eis priùs expreſsè conſtiterit de veritate; alioquin periculosè, & præcipitanter determinarent, quod non eſt de tantis viris credendum. Ex quo conſtat quod regula hæc non ſuffragatur Probabiſmo Recentiorum, qui non ad opiniones huiuſmodi Doctorum reſtringitur, ſicut intendit D. Antoninus, ut ex eius textu hactenùs ponderato oſtenſum eſt. Et ex hoc quoque conſtat, quod regula hæc pro ſcrupuloſis tradita à D. Antonino, non eſt aliis, qui ſcrupuloſi non ſunt, applicanda; quia iſti eâ facilè abuterentur in diſcordia quorumlibet

Docto-

Doctorum alterius claſſis multò inferioris, quod non intendit D.Antoninus. & ideò adiunxit S.Præſul ea verba, quod *poteſt quis* (ſubandi, ſcrupuloſus) *tenere unam partem alicuius opinionis* (dictorum notabilium Doctorum) *& ſecundùm eam operari, excluſo ſaltem ſcandalo.* hoc eſt excluſo pravo exemplo, quod non ſcrupuloſi indè acciperent, & extenderent ad praxim probabiliſmi ſui.

211 Præterea proſequitur ulteriùs S. Præſul ad alias limitationes, dicens: *Et quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam, & credulitatem formet de eo quod credit tamquàm de probabiliori parte; & præcipuè quando quis adhibet diligentiam inquirendo an liceat; nec invenit aliquid, quod eum ſufficienter moveat, ad hoc quod ſit illicitum.* Ecce ultimas limitationes, eaſque ſemper cadentes ſuper opinione dictorum notabilium Doctorum. Et ſunt quod ſcrupuloſus eam amplectens, non inducatur in aliquam dubitationem ex opinione contraria; alioquin procul dubio peccaret contra conſcientiam: ſed formet ſibi conſcientiam, & credulitatem de eo, quod credit tamquam de probabiliori parte. Vide, lector, quam credulitatem & conſcientiam exigit S. Præſul de eo, quod credit juxta unam partem dictorum notabilium Doctorum, quam ſequitur; *tamquam*, inquit, *de probabiliori parte*. ergo exigit quod ea, quam eligit, ſibi ſincerè videatur magis vera. idque ſaltem ex vi maioris probabilitatis extrinſecæ eiuſdem notabilis Doctoris, cui fortaſſis maiorem fidem adhibet, quàm alteri; quia interdùm quis ſincerè credit unum magnum Doctorem eſſe alteri etiam magno in doctrina præferendum; & quod ille docet, ſincerè credit ut verum, magis quàm quod docet alter, & multò magis ſi ex propriis poteſt quis de opinione illa judicare, & adhibito ſtudio illam ſincerè judicat eſſe veram; quia ſic ſcrupuloſus magis quieſcit in illa, & regula tradita erit ei utilior, & remedium opportunius; quod inſinuat D. Antoninus per ea ultima verba, dicens: *Et præcipuè quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat; nec invenit aliquid, quod eum ſufficienter moveat ad hoc, quod ſit illicitum.* Quid clarius pro nobis D. Antoninus loqui poterat? Regulam, & remedium ſcrupuloſis parat; ſed tantâ induſtria, ut ſic ſit pro ſcrupuloſis medicina ſalutaris, quod pro aliis in venenum nullatenùs convertatur. Non eſt igitur D. Antoninus in hoc loco Probabiliſmi promotor, & recentiorum Probabiliſtarum anteſignanus, ut ipſi credunt; ſed prudens Medicus ſcrupuloſorum: iſtis pharmacum propinat, ut ab infirmitate ſua curentur: illis verò ſatis viam obſtruit, ne greſſum faciant ad confictum probabiliſmum ſuum. Et hoc ipſum eſt quod nos docemus, & intendimus in tradita regula. quare ſemper pro nobis eſt D. Antoninus, & expreſſe quidem, ſi benè ponderetur in præcitatis verbis, ubi ex proprio ſenſu loquitur. Nam quæ poſtea congerit ex multis aliis Doctoribus, potiùs referendo dicit, & ad maiorem ſuæ aſſertionis corroborationem, quaſi à fortiori.

212 Et notandum eſt hic quod cum hæc noſtra doctrina pro ſcrupuloſis de eligenda opinione, quæ ſibi ſincerè magis videtur vera, ſtat ſimul quod communiter dici ſolet, quod eis ſit pars benignior conſulenda: nam benignior eſt de facto hæc noſtra opinio de eligenda ea parte quæ ſincerè magis videtur vera, ſive ſtet pro commodo, ſive pro lege; quàm aliorum opinio de eligenda ſemper parte, quæ ſtat pro lege. Et quidem hæc verè benignior dici debet, quæ media eſt inter duas extremas, temperans per ſinceritatem judicii rigorem cum indulgentia, timoremq; nimium, & inordinatum cohibens, ſed non laxans libertatem; alioquin ſi non hæc media pro eis eſſet benignior appellanda, ſed potiùs alia extrema, ſcilicet de eligenda ſemper illa, quæ favet commodo, & libertati, non curando ſi fortè eis magis videatur falſa in ſe, quàm vera, empiricè tantùm eis applicaretur remedium nulla ſcientiæ debita inſpectione regularum, quod ferè ſemper periculoſum eſt, & violentum, tranſitque ſæpè ſæpiùs in venenum, ut in medicina corporali experimur; & in propoſito noſtro eiuſmodi foret, quia ſic anima evacuatis omninò ſcrupulis præceps rueret in infinitas laxitates. atque ideò pars eis conſulta maligna potiùs ipſis evaderet, quàm benigna.

213 Noſtro itaque remedio, & regula ſcrupuloſi utantur, cum in occurſu contrariarum opinionum ſcrupulis agitantur, dummodò in ſeipſis ſint juxta ſuperiores regulas benè diſpoſiti, & frequentiùs ſtudeant eam practicare, nedùm quando eis urget tempus agendi, & non poſſunt alios conſulere; ſed etiam quando facilè poſſunt Conſultorem adire; quia expedit ut aſſueſcant à ſeipſis reſolvere ſcrupulos ſuos, ut ſic paulatim ab infirmitate propria convaleſcant. ſemper tamen in eiuſmodi reſolutionibus regulas etiam ſibi generaliter traditas à diſcreto ſuo Patre Spirituali, maturè, ut ſuppono, à ſeipſis prælecto, ſatagant obſervare; ita ut etiam cum ex propriis agunt, humilem illi debitam ſubiectionem non frangant. hoc ipſum enim Deo gratiſſimum eſt, & ipſis valdè proficuum ad ſcrupulorum medelam.

214 Minutiora alia conſilia, quæ in individuo diſcretus Confeſſarius præſtare poterit, omitto. Sunt enim hæc reſpectivè adhibenda pro qualitate pœnitentium. Omitto etiam corporalia remedia, quæ poſſunt à Medicis phiſicis exhiberi, hæc enim non ad Theologum ſpectant. Atque hic imponitur finis primæ parti.

IDEÆ

Digitized by Google

I D E Æ
JURIUM INTERIORIS FORI
PARS SECUNDA.
DE IGNORANTIA JURIS, ET FACTI.

HActenùs in ſuperiori parte de Conſcientia egimus, quæ, ut diximus, proxima quædam, & immediata regula eſt humanorum actuum, quam unuſquiſque interiùs ſibi format de actibus ſuis, prout eos judicat eſſe in genere moris; vel quod in idem redit, ſecundùm quod eos judicat ſe habere ad leges, undè regulari debent; & per ordinem, & ſubiectionem ad quas conſtituuntur in genere moris. Cum ergo ad hoc judicium rectè formandum opus ſit, quod intellectus de humanis actibus judicet per habitudinem eorum ad leges, quibus in ſingulis ſuis actibus tenentur homines eſſe ſubiecti; conſequenter fit eis quoque neceſſarium, & quidem de neceſſitate ſalutis, ut antequam judicent, diligenter de legibus inquirant, ne his neglectis, & culpabiliter ignoratis, falsò judicent; & ipſis error ipſe, & legum ignorantia ad culpam in ipſiſmet ſuis actibus imputetur. Et hoc profectò unicuique per ſe notiſsimum eſt. Nihilominùs tamen veritatis huius evidentiâ non obſtante, familiare factum eſt hominibus contra leges, quantùcumque culpabiliter neglectas, ignorantia ſe tueri. Hæc eſt in promptu, & commune eorum effugium. Hanc opportunè, importunè, in omni ferè & quocumque eventu allegare ſolent, & protervè ſuſtinere. Indè obliquè adhùc agentes juſtificari contendunt; & jus ſuum adversùs leges dicere, ex Reis quaſi Actores facti pro ſe juſtitiam proclamantes. Et quò benigniùs audiri poſſint, à legum judicio declinant, & quaſi ab eo appellantes ad aliud Tribunal ſe transferunt, quod noviſſimè recentiores conati ſunt erigere, ad Tribunal, inquam, Probabiliſmi; ubi jura ſua conſiſtere, & prævalere poſſe plus nimio confidunt; quaſi indè fiat ipſis plenaria facultas contra leges definiendi, prout ipſis placitum fuerit: qua tamen legitima authoritate hoc prætendant, neſcio; cum maximè omnis facultas contra leges, hoc ipſo illegitima ſit, & uſurpata. Hinc nos, qui pro legibus unicè adſtamus, eiſque omnes, quâ par eſt obedientiâ, ſubiici concupiſcimus; ampliſſimam illam ignorantiæ cuiuslibet exceptionem reiicere volentes, unâ cum declinatione illa fori ad Probabiliſmum; meritò reſolvimus ad ſupremum aliud Tribunal recurſum habere; & indè veram, & definitivam ſententiam expectare, ad Tribunal nimirùm Rationis, cui & leges ipſæ, & ignorantia quoque legum, ac etiam Probabiliſmus his noſtris temporibus adeò ſublimatus, velint nolint, oportet ſe ſubiiciant. Hùc itaque primo loco cauſam ignorantiæ introducimus, ut eâ benè diſcuſsâ, quid illi veri juris aſsiſtat, Ratione rectè judicante, cunctis appareat. quod totum explebitur in hac ſecunda parte. Poſtmodùm verò alteram introducemus Probabiliſmi in ſubſequenti tertia parte diſcutiendam; pro quanto præcipuè & illa, & iſte adversùs leges ſe opponere prætendunt. Unde ſit.

CAPUT PRIMUM

De Ignorantia in genere.

§. I.
Quid, & quotuplex ſit ignorantia.

215

IGnorantia ſi in tota ſua latitudine accipiatur, & pro quanto ex vi vocabuli ſignificare poteſt, dicitur quæcumque carentia, ſeu negatio ſcientiæ, aut cognitionis. & hoc modo comprehendit etiam negationem ſcientiæ, & cognitionis, quæ verificatur de lapide, & rebus omnibus intellectualem naturam non habentibus, quæ dici ſolet neſcientia. Unde ſub ignorantiæ nomine ſic latè ſumptæ cadere poteſt, & neſcientia, & ignorantia propriè dicta, & inconſideratio, atque inadvertentia, & etiam oblivio. Omnes enim ſpecies iſtæ carentiæ quædam ſunt, & negationes alicuius cognitionis. At ſi accipiatur ignorantia pro quanto aſſumitur communiter ad ſignificandum, ſic importat privationem ſcientiæ in ſubiecto apto nato habere illam; dum ſcilicet alicui deeſt ſcientia eorum, quæ aptus natus eſt ſcire. ut explicat D. Thomas 1. 2. *q.* 76. *a.* 2. *in corp. & alibi.* Et hoc modo ab aliquibus appellatur ignorantia privationis, ad differentiam neſcientiæ, quam appellant ignorantiam negationis. quibus ſolent adiungere aliam ſpeciem ignorantiæ, quam dicunt pravæ diſpoſitionis, eamque alio nomine errorem vocant. Sed error propriè loquendo potiùs eſt effectus ignorantiæ, quam ignorantia ipſa; importat enim judicium quoddam poſitivum intellectus de re aliqua, aliter quam ſit in ſe, ac proindè in ſe falſum, quod procedit ex

ignorantia illius rei, de qua falsò judicat: ignorantia verò ſolam privationem ſcientiæ importat; & non judicium aliquod poſitivum.

216 Præterea ignorantia privationis poteſt adhuc dividi in ignorantiam largè ſumptam; & ſtrictè ſeu propriè dictam. & ſi primo modo accipiatur, comprehendit inconſiderationem, inadvertentiam, & oblivionem. At ſi ſumatur ſecundo modo pro ignorantia propriè dicta; ſic tres iſtæ ſpecies non veniunt ſub nomine ignorantiæ. Ex hoc enim quod quis actu rem aliquam non conſiderat, vel non advertit, aut illius obliviſcitur; licet ſit pro tunc illius rei cognitione privatus, non proindè dici ſolet ignorans. Undè ignorantia propriè dicta, inconſideratio, inadvertentia, & oblivio ſunt veluti quatuor ſpecies diverſæ. Ignorantia enim propriè dicta ſumitur pro privatione ſcientiæ, ſeu cognitionis habitualis per ſe primò, & ex conſequenti cognitionis actualis: Ignorans enim propriè dicitur, qui neque habitualem notitiam habet alicuius rei; & non ille, qui habitualem notitiam habet; ſed non eſt hìc, & nunc in actu ſecundo cognitionis illius, quia fortè mentem ad alia divertit. Inconſideratio verò dicitur privatio cognitionis actualis hìc, & nunc ex defectu applicationis proveniens; ſive fiat id voluntariè, ſive non. Inadvertentia autem dici ſolet privatio cognitionis actualis præter intentionem agentis contingens: Undè in plus ſe habet inconſideratio, quàm inadvertentia; hæc enim ſolùm dicitur, cum accidit præter intentionem ſubiecti; illa verò poteſt utroque modo dici. Oblivio denique dicitur privatio cognitionis ſive actualis, ſive etiam habitualis ex defectu tamen memoriæ proveniens.

217 Eſt autem hìc advertendum, quod oblivio cum importat privationem cognitionis actualis, æquivalet inadvertentiæ in genere moris, quia utraque ſupponitur involuntaria; idem enim eſt per æquivalentiam quod quis v. g. non advertat hodie eſſe diem feſtum, ac proindè teneri ad audiendum ſacrum; ac quod obliviſcatur eſſe diem feſtum. licet ſemper oblivio differat ab inadvertentia per hoc, quod hæc ex diſtractione involuntaria ſaltem formaliter procedit; illa verò ex defectu memoriæ, utique etiam formaliter involuntario, ut ſupponitur. Dixi (formaliter) quia utraque poteſt aliquando reddi voluntaria in cauſa ex culpabili aliqua negligentia. quando autem dicit privationem ſcientiæ, ſeu cognitionis etiam habitualis, tunc æquivalet ignorantiæ propriè dictæ; imò omninò trãſit in illam; quia ſcientiâ etiam habitualiter, ac per conſequens omninò, deperditâ, æquè manet intellectus illâ privatus; ac ſi numquam illã habuiſſet; ac propterea videtur eodẽ modo ignorans, ſicut qui numquam cognovit; & ſolùm differt ab iſto, quia ſupponitur aliquando ſcientiam habuiſſe; ſed hæc ſuppoſitio non tollit, quin hìc, & nunc eodem modo ſe habeat quoad privationem ſcientiæ: quare notitia, quæ præceſſiſſe ſupponitur, poteſt utique efficere, quod ignorantia hæc poſt ipſam conſequens ex defectu memoriæ, dicatur oblivio per connotationem ſuæ præcedentiæ; ſed non poteſt efficere, quod abſolutè & in ſe non ſit vera ignorantia, qualis fuiſſet, ſi nulla antecedenter præceſſiſſet ſcientia. Non ſic autem eſt oblivio ſolius cognitionis actualis, perſiſtente ſcientia habituali. Ex quo fit quod oblivio propriè ſumpta, ut contradiſtincta ab ignorantia propriè dicta, dici debet per defectum ſolius ſcientiæ actualis ex lapſu tamen memoriæ procedentem.

218 In præſenti autem nos de ſola ignorantia propriè dicta ſpecialiter tractabimus, prout ſcilicet importat defectum ſcientiæ etiam habitualis. Et de hac pro quanto ſolùm ad propoſitum ſcientiæ moralis facit; & non aliter; licet ea, quæ de ipſa reſolventur, poſſint quoque, & debeant proportionaliter applicari ad inconſiderationem, inadvertentiam, & oblivionem, de quibus etiam inter loquendum, dum de ignorantia ex profeſſo ſermonem habebimus, nonnihil ſpecialiter dicemus. Adverte tamen hìc (lector) quod cum de ignorantia diximus eam importare privationem ſcientiæ etiam habitualis; nomine ſcientiæ, ſeu cognitionis habitualis, non intelligimus aliquem habitum, puta ſcientiæ, vel ſimilem, rigorosè ſumptum; ſed quamlibet cognitionem ſeu notitiam permanentem in intellectu in ipſis ſpeciebus impreſſis, per quas in promptu habet homo poſſe in actu ſecundo rem cognoſcere, ſi voluerit illis uti; licet non ſit de facto actualiter cognoſcens. Undè ignorantia propriè dicta ea eſt, quæ importat defectum huiuſmodi ſcientiæ ſeu cognitionis in actu primo permanentis in dictis ſpeciebus impreſſis, ita ut homo nec actualiter rem cognoſcat, nec poſſit in promptu, ex defectu talium ſpecierum, ad actum ſecundum cognitionis huiuſmodi pervenire. Cæterùm ſi ſcientiam ſeu notitiam in actu primo permanentem in ſe habeat; licet, quia fortè ad alia divertitur, actualiter rem non cognoſcat, non dicitur ignorans, ſed actu non conſiderans, vel non advertens; ſive id proveniat, quia tunc liberè non vult de re illa cogitare; ſive quia negligit cogitare ſe ad alia applicando; ſive denique quia ſpeciei, quam habet, pro tunc non reminiſcitur; & tunc dicitur obliviſcens. ut ſuperiùs dictum eſt.

219 Ignorantia autem ſic accepta, ſicut etiam & aliæ ſpecies, puta inconſideratio, inadvertentia, & oblivio, pro quanto ad propoſitũ noſtrum ſpectant, poſſunt ſubdividi ex parte obiecti, ita ut vel ſint eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis ſpiritualis; vel aliorum, quæ ad hanc nullatenùs pertinent; ut ſunt v.g. Theoremata Geometriæ, & contingentia particularia, quæ nemo tenetur ſcire, niſi in caſu; ut docet D. Thomas 1. 2. q. 76. a. 2. *in corp.* In præſenti autem nos ſolùm de ignorantia eorum,

Digitized by Google

rum loquimur, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. hæc enim ignorantia tantùm ad Theologum moralem pertinet, de qua magna controverſia eſt apud Doctores, an, & quando à peccato excuſet. Et occaſione eius aliqua proportionaliter dicemus de inconſideratione, inadvertentia, & oblivione reſpectu eiuſdem materiæ, ut plenè de omnibus conſtet, quando eiuſmodi defectus cognitionis à peccato excuſent, vel non. Ad hoc enim diſtinctè reſolvendum tendit tota hæc ſecunda pars.

220 Denique ignorantia hæc reſpectu eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ſubdividitur in ignorantiam juris & facti; utrumque enim ad ſalutem requiritur, jus quidèm ut facti directivum; factum verò ut dirigibile per jus. Dicitur autem ignorantia juris, quado lex ipſa ignoratur, ut cùm quis ignorat fornicationum eſſe peccatum, & lege prohiberi. Dicitur verò ignorantia facti, quando actus, qui ab aliquo exercetur, ignoratur quod ſit ille actus, qui jure prohibetur, ut cum quis putans accedere ad ſuam, re vera ad aliam ex errore accedit, ſicut fecit Jacob accedens ad Liam, ignoravit enim actum ſuum eſſe acceſſum ad non ſuam; licet benè ſciverit acceſſum ad non ſuam per legem prohiberi. De utraque igitur ſpecie ignorantiæ erit à nobis infra diſcutiendum. Pro quibus plura dubia oportet reſolvere, quæ paragrapho ſequenti, ad inſinuandam utilitatem huius Secundæ Partis, ordine ſuo recenſentur.

§. II.

Proponūtur dubia, quæ de ignorantia ſunt diſcutienda. Et ſimul exponitur cauſa, & connexio diſcuſſionis eorum.

221 CUm in hac Secunda Parte tota noſtra intentio ſit reſolvere de ignorantia quando à peccato excuſet, vel non excuſet; ſi & quatenùs quis ob ignorantiam aliqiid agat contra legem: & tota ratio dubitandi ſit, quia quod ignorãter fit, non videtur voluntariè fieri; & peccatum nequit eſſe, niſi ſit voluntarium: conſequenter id quod potiſſimùm, & operoſiùs hic venit diſcutiendum eſt: an ignorantia cauſet involuntarium? In qua difficultate ſupponitur, quod ignorantia, ſaltem aliquando, ſit cauſa, quare agens aliquid agat; & quod illud non ageret, ſi ſciret non poſſe licitè fieri; ſed quia hoc ignorat, ideò illud agit; ac per conſequens ignorantia tunc eſt in cauſa, quare illud velit agere, & agat, quod aliàs nollet, ſi ſciret. Ex hoc autem oritur ſtatim difficultas: an indè id, quod ſic agitur, evadat agenti involuntarium ſub ratione, quà illicitum eſt? Ex deciſione huius enim pendet, quod excuſetur agens, vel non excuſetur à peccato; nam peccatum non eſt, niſi voluntarium.

222 Et quia prædicta difficultas procedit ex ſuppoſitione, quod ignorantia ſaltem aliquando ſit cauſa, quare agens aliquid, in ſe non agendum, agat: ideò ad veritatem huiuſmodi ſuppoſitionis ſtabiliendam oportet examinare: an hoc quod ſaltem ſupponitur aliquando, ſit ſemper verum, & quando verificetur? Nam ſi quandoque non ita eſt; puta quia agens adhùc illud ageret, etiam ſi ſciret prohiberi, ac per conſequens ignorantia eius non eſt cauſa, quare illud agat; quia licet cum illâ concomitanter agat, non tamen agit ex illâ; tunc non poteſt ignorantia reddere ei opus illud involuntarium ſub ratione illiciti; quia jam ſupponit voluntatem agentis diſpoſitam ad illud agendum, etiam ſi ſciret: Et ſic impertinenter ſe haberet conſideratio ignorantiæ ad rationem voluntarii, vel involuntarii, & ad excuſandum, vel non excuſandum à peccato; quia opus illud in ſe illicitum eſſet jam aliundè juxta eius voluntatem, & per conſequens voluntarium; licet non actu, & exercitè tunc volitum, quia actu non agnoſcit eſſe tale, quale vellet, ſi ſciret. ac propterea ad videndum de veritate huius ſuppoſitionis, examinabimus ſecundo loco: an ignorantia ſit cauſa peccati, hoc eſt actus materialis, qui aliàs eſt peccatum, & quando hoc verificetur?

223 Tertiò videndum eſt: an ignorantia ipſa in ſe ſit peccatum, & quando? quia ſuppoſito quod ignorantia ſit cauſa peccati materialis, ſi ipſa in ſe ſit etiam peccatum, & ipſi agenti imputabile; faciliùs, & certiùs apparebit non excuſare à peccato, cuius eſt cauſa, quia jam eſſet cauſa in ſe ipſa formaliter culpabilis, & conſequenter voluntaria, in qua fieret procul dubio virtualiter voluntarius effectus illius, nempè peccatum illud materiale, cuius eſt cauſa, ex quo evaderet agenti peccatum formale, & ipſi formaliter imputabile, utpotè ſuo modo voluntarium in cauſa.

224 Et hinc quartò ad maiorem, & totalem reſolutionis huius evidentiam diſcutiendum eſt in propriis terminis: an ignorantia cauſans actum peccati; ſive ipſa in ſe ſit peccatum, ſive non; reddat actum illum imputabilem agenti ad peccatum; vel potiùs à peccato formali illum excuſet? Ad hoc enim ultimatè, & finaliter tendunt præcedentes diſcuſſiones.

225 Poſt hæc verò, ſuppoſito jam, & ſtabilito, quod ignorantia aliquando reddat actum illum, cuius eſt cauſa, voluntarium, & formaliter imputabilem ad peccatum, & non excuſet ab illo totaliter; videndum eſt: an ſaltem illud diminuat, & excuſet à quanto?

226 Sextò deſcendendo ad ſingula ſpecialia obiecta, de quibus poteſt contingere ignorantia, videndum eſt ſpecialiter, & reſpectivè ad illa per applicationem præcedentium diſcuſſionum, qualiter reſpectu uniuſcuiuſque ſe habeat, puta reſpectu juris naturæ, & juris poſitivi divini, & humani; ſicut etiam tandem quid

quid ſit dicendum de ignorantia facti. Undè incipiendo priùs à jure naturæ diſcutiendum eſt: An ignorantia juris naturæ poſſit interdùm à peccato excuſare? quod eſt quærere an poſſit dari ignorantia invincibilis juris naturæ? quæ eſt difficultas maxima, & celebris inter Doctores.

227 Septimò idipſum videndum eſt de ignorantia juris poſitivi divini ſupra jus naturale, hoc eſt concernentis ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, cuiuſmodi ſunt, quæ pertinent ad fidem, eiuſque præcepta, ad ſacramenta, & ſimilia; An ſcilicet poſſit interdum eſſe invincibilis, & inculpabilis.

228 Octavo ſimiliter videndum eſt de ignorantia juris humani, an a peccato excuſet, & quando.

229 Nono denique videndum eſt de ignorantia facti reſpectu cuiuſcumque juris, an ſcilicet ſemper excuſet; & quando non. his enim plenè diſcuſſis apparebit vera, & adæquata reſolutio de ignorantia quacumque ſolita allegari contra leges, ubi ſcilicet, & quando poſſit contra eas prævalere, vel potiùs econtra? Unde his propoſitis, & explicatis, ſit

CAPUT SECUNDUM.

De Ignorantia prout cauſare poteſt involuntarium.

§. I.

An ignorantia ſemper cauſet involuntarium, etiam in eo, in quo nulla præcedit cogitatio, aut ſuſpicio malitiæ.

230 PRæſens difficultas procedit de omni ignorantia, quæ eſt cauſa actus peccati, non autem de illa, quæ non eſt cauſa eiuſmodi actus, ſed ſolùm cum illo per accidens reperitur coniuncta, ut ſupra adnotavi. Undè ſenſus quæſiti eſt: An cum quis agit aliquid in ſe illicitum, ignorans illud eſſe tale, ita quod ſi ſciret, illud non ageret, ſed ideò agit illud, quia ignorat eſſe tale, ac propterea ignorantia eſt cauſa quare illud agat: An inquam tunc tale illicitum evadat agenti involuntarium ob eius ignorantiam?

231 Huic quæſito, quod eſt baſis omnium dicendorum, nonnulli Recentiores reſpondent, quod ſi nulla in eiuſmodi agente præcedat cogitatio, aut ſuſpicio malitiæ eius actus, quem agit: aut ſi præcedit aliqua ſuſpicio, de veritate inquirat, & eam non inveniat certò, & evidenter; tunc eius ignorantia cauſabit, & efficiet ei actum illum in ratione malitiæ omninò involuntarium. & fundantur in illo primo principio Philoſophico; quod nil volitum quin præcognitum. Quæ doctrina ſi vera eſſet abſolutè, actum eſſet jam de peccatis omnibus ignorantiæ. quia nulla ignorantia eſt quantumcumque craſſa, vel ſupina, quæ non contingat, vel agente, nihil cogitante ſeu ſuſpicante ſpecialiter de malitia ſui actus; vel quæ, ſi agens ſuſpicetur, & inquirat, permittat (ipſa adhùc perſiſtente) veritatem inveniri. Nam ſi veritas de eiuſmodi actu appareret, protinùs eius ignorantia evaneſceret. Ergo ignorantia perſiſtente, quantumcumque ea craſſa eſſet vel ſupina, agens maneret immunis à culpa; quia ſemper ſupponeretur vel eam non cogitaſſe, vel minimè inveniſſe, quod tamen eſt abſurdum maximum.

232 Neque dicas manere adhuc ſemper peccata ignorantiæ affectatæ, & craſſæ, vel ſupinæ, quando ſcilicet agens ſuſpicando de malitia, nihilominùs non inquireret. Non, inquam, dicas; Primò, nam ſaltem tollerentur omnia peccata ignorantiæ etiam affectatæ, & craſſæ, vel ſupinæ, in caſu, quo agens nihil ſuſpicaretur de malitia ſui actus: quod etiam eſſet abſurdum, & contra communem ſenſum Doctorum. Secundò quia adhuc in caſu quo agens de malitia ſuſpicatur; & quærendo, veritatem non invenit, manebit eius ignorantia affectata, & craſſa, vel ſupina, ſicut antea: (non enim deſinit eſſe talis per ſimplicem veritatis inquiſitionem, ea non inventa; niſi perquiratur, & modus evitandi periculum peccandi, quod tunc imminet; ut inferius alibi oſtendam:) ac per conſequens agendo ſub tali ignorantia, deberet ſemper excuſari, ſive veritatem inquirat, ſive non, cum ſemper eiuſdem conditionis perſiſteret eius ignorantia. & ſic ſemper idem abſurdum ſequeretur.

233 Operoſiùs igitur perquirendum eſt, ſi cum ignorantia quæ eſt cauſa actus alias in ſe illiciti, poſſit adhuc rima aliqua reperiri in agente, per quam ratio voluntarii ſubintrare poſſit reſpectu eiuſdem actus etiam ut illiciti, non obſtante quod nulla præcedat cogitatio, aut ſuſpicio eius malitiæ; vel quod poſt inquiſitionem, veritas inveniri non poſſit: non enim tam facile ex hoc præcisè concludi debet, quod illicitum illud evadat agenti omninò involuntarium, atque indè ex tali ignorantia excuſatum iri. Stat enim aliquando quod agens nihil cogitet, aut ſuſpicetur de ſui actus malitia; vel quod ſuſpicando, & perquirendo, ſub eadem ignorantia maneat, & nihilominùs ipſi ad culpam imputetur. Alioquin oporteret Mahometanos, & ſimiles gentes à ſuis fornicationibus, & ſimilibus peccatis excuſare, quia nihil in eiuſmodi actibus malitiæ cogitant aut ſuſpicantur; quandoquidem eos communiter in ſua ſecta licitos putant, & credunt. Et idem eſſet de Tyrannis Chriſtianorum perſecutoribus, & ſimilibus exiſtimantibus in hoc ipſo ſe obſequium præſtare Deo; inter quos Paulus ſeipſum computat, dicens ſe fuiſſe in hoc Paternarum traditionum æmulatorem, idque quaſi ex zelo in ignorantia feciſſe; & nihilominus fatetur peccaſſe, ut alibi fuſiùs dicemus. Non ergo

go

go indè ſtatim involuntaria redditur proprii actus malitia, quia non apparet agenti,aut quia de illa nulla præcedit in eo cogitatio vel ſuſpicio: ſed ulteriùs inſpiciendum eſt, ſi hoc ipſum, quod non cogitet, nec ſuſpicetur; aut quod ſuſpicando,& inquirendo non inveniat;vel etiam, quod non inveniendo,periculum, non vitet,ſit ei voluntarium : atque indè , vel etiam aliundè fiat ei quodammodo voluntaria talis eiuſmodi malitia in ſeipſa non præcogitata, vel etiam perquiſita, & non inventa.

234 Quare ſciendum eſt quod licet veriſſimum utique ſit principium illud Philoſophi: nihil volitum quin præcognitum: tamen veriſſimum quoque eſſe debet, quod quemadmodum non uno ſemper eodemque modo aliquid voluntarium dicitur; ita nec ſemper uno eodemque modo oportet illud eſſe præcognitum. Fateor itaque ſemper oportere quod aliqualis malitiæ præcognitio præcedat; ſed talis, qualis pro variis ipſius voluntarii modis exigitur: ita ut ſi malitia eſt formaliter in ſeipſa,& diſtinctè, atq;explicitè,&ſignatè volita;oporteat quod ſit ſimiliter eodem modo præcognita, nempè formaliter in ſeipſa, & diſtinctè atque explicitè,& ſignatè. Si verò non eſt in ſeipſa , & directè volita; ſed potiùs indirectè, & virtualiter in ſua cauſa; vel alio modo in confuſo, ſeu in genere, ut melius infra dicetur; tunc non oportet quod ſit in ſeipſa cognita & directè, atque explicitè, & diſtinctè; ſed ſatis eſt quod præcognoſcatur virtualiter, & indirectè in alio,ſeu confusè, & in genere, ut comprehenſa ſub aliqua præcognitione magis communi, vel quocumque alio modo, proportionaliter ſemper ad modum ipſius voluntarii.

235 Dicendum eſt igitur quod non omnis ignorantia, quæ eſt cauſa actus peccati, (de hac enim ignorantia, ut dixi,procedit quæſtio; hoc eſt, quæ eſt cauſa quare agens actum illum agat, & quem non ageret, ſi ſciret) reddit illum in ratione malitiæ omninò involuntarium; etiamſi interdùm de malitia talis actus nulla præcedat in agente cogitatio, vel ſuſpicio. Et ratio huius eſt quia non omnis eiuſmodi ignorantia privat penitùs, & omninò cognitione quæ ad rationem voluntarii neceſſariò præexigitur; ſed ſæpè ſæpiùs relinquit in illo lumen aliquod alicuius ſaltem implicitæ, & virtualis notitiæ, ad rationem voluntarii indirecti, & virtualis, ſatis ſufficiens;quantumcumque formaliter, & directè, nihil ſpecialiter cogitetur aut ſuſpicetur ab agente de tali malitia in ipſo actu, quem agit, involuta.

236 Reſolutio hæc cum ſua ratione ſatis perſpicua fiet diſcurrendo per ſingulos modos,quibus poteſt quis ex ignorantia peccare; & in unoquoque eorum oſtendendo qualiter cum eiuſmodi ignorantia componatur aliqualis cognitio malitiæ, ad voluntarium ſaltem indirectum, & virtuale, ſufficiens; etiam ſi nulla ſit in agente cogitatio ſpecialis, aut ſuſpicio de ſui actus malitia. Sunt autem tres eiuſmodi modi procedendi aſſignabiles, ſecundùm quos contingit, quod quis aliquid agat in ſe illicitum ex ignorantia; & quod aliàs non ageret, ſi illud ſciret; & nihilominus ipſi ut voluntarium imputatur juxta triplicem modum ignorantiæ quem adducit D. Thomas 1. 2. *q*. 6. *a*. 8. & quos idem D. Thomas omnes reducit ad ignorantiam, quam conſequentem appellat. Atque ideò , ut reſolutio noſtra fiat evidens, & manifeſta , oportet tres huiuſmodi modos expendere; indè enim pendet veritas aſſertionis noſtræ. Id quod efficiam §. ſequenti.

§. II.

Aſſignantur præfati tres modi ignorantiæ conſequentis ex Divo Thoma. Et in iis oſtenditur non cauſari involuntarium ſimpliciter , quia ſemper in eis eſt , undè haberi poſſit aliqualis prævia cognitio malitiæ , ſaltem virtualis , & in confuſo ; quantumcumque nihil agens in actu , quem actualiter agit , de ſpeciali eius malitia cogitet, aut ſuſpicetur.

237 AD evidentiam aſſertionis noſtræ , quam paragrapho præcedenti reſolvimus; oportet,ut dixi, tres illos modos procedendi ſecundùm . ignorantiam conſequentem, quos tradit D. Thomas *l. c. ſuprà cit.* quorum primus eſt eorum, qui ipſam ignorantiam affectant , & ſcientiam ſibi debitam de moralitate ſuorum actuum habere recuſant , ut liberiùs agant , & conſcientiæ remorſum non ſentiant, nec retrahantur per ſcientiam ab operibus propriæ concupiſcentiæ; vel ut excuſationem habeant à peccatis ,ſi quæ eis contingant.Hi enim ſunt de eorum numero , qui *Job.* 21. aiebant: *Recede à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Manifeſtum eſt autem quod iſti cum primò talem ignorantiam affectant , & deliberatè, atque explicitè eam volunt , hoc ipſo explicitè agnoſcunt ex indè futuros ſibi actus ſuos promiſcui generis; ideſt & bonos , & malos , & ab ipſis ob eamdem ignorantiam minimè diſcernendos: hæc autem cognitio ſufficientiſsima eſt, ut malitia cuiuslibet determinati actus, qui poſtea ab ipſis ex tali ignorantia fiet, ſit virtualiter , & indirectè cognita , utpotè implicitè præcontenta in malitia illa genericè , ac promiſcuè præconcepta in illo primo actu , quo deliberaverunt ignorantiam velle ; quantumvis nulla ſpecialis ſuſpicio de talis actus malitia poſtea eis occurrat, cum actualiter agunt: & à fortiori idem eveniet , ſi ſpecialiter de tali actu determinato ignorantiam affectent . Ergo in eiuſmodi ſic operantibus habetur ſufficiens cognitio ad rationem voluntarii ſaltem virtualiter, & indirectè , etiam circa malitiam in ſeipſa nulla-

nullatenùs cogitatam, neque ſuſpectam.

238 Secundus modus eſt eorum, qui licet formaliter ignorantiam non affectent, nihilominùs eam virtualiter volunt, dùm voluntariè negligunt ſcientiam ſibi debitam pro munere ſui ſtatus, aut officii, congruo tempore acquirere. Et ſic idem redit, quod ſupra; nempè quod iſti in ipſa negligentia ſibi utique cognita, ſimul agnoſcunt ſaltem promiſcuè, ac confusè, aliqualem indè malitiam in ſuis actibus contingere poſſe ſibi facilè occultandam; & ex defectu ſcientiæ, quam negligunt, facilè prætereundam; quod ſatis eſt ut malitia ſpecialis, & determinata cuiuslibet poſtea actus emergentis, etiam in ſe ipſa nullatenùs cogitata, aut ſuſpecta, intelligatur virtualiter præcognita, ac prævolita in prævia illa negligentia, tamquam in ſua cauſa hactenùs præcognita, & voluntariè poſita; neminem enim latere poteſt negligentia propria, & incuria, quam habet de morali ſcientia ſibi debita pro munere ſui ſtatus, vel officii; dum illam ſciens, & volens, non curat acquirere; & deſidiam ſuam manifeſtè videt, ſaltem exercitè, dum eiuſmodi ſtudio ſibi debito de facto non vacat; etiam ſi fortè ſignatè id non conſideret. A fortiori autem id evenit, ſi ſignatè ſuam negligentiam cogitet: Vel etiam in ſpeciali, ut cum quis fortè ſpecialiter actum, quem eſt acturus, conſiderat, & videt illum moraliter ignorare ſit ne licitus, vel illicitus, & negligit illum priùs ſcire: vel ſi inquirit, non inventa veritate, negligit periculum præcavere. quocumque enim modo ex dictis quis procedat, convincitur aliqualiter, ſaltem promiſcuè, ac confusè malitiam prævidere; quod ſatis eſt, ut latens deindè malitia ſive in ſeipſa cogitata, ſive non; ſive quæſita, & non inventa; ſit, & dicatur ſaltem virtualiter volita ex vi præviæ illius cognitionis promiſcuæ atque confuſæ, ut benè conſideranti patet.

239 Tertius modus eſt eorum, qui propriis paſſionibus obcæcati, ſeu pravis ac vitioſis habitibus, aut mala vivendi conſuetudine corrupti; quidquid agunt, non cogitant; ſed impetu quodam propriæ concupiſcentiæ adacti in præceps ruunt; ex quo contingit quod malitiam in propriis actibus quantumlibet pleniſſimè deliberatis, nullatenùs agnoſcant; ſed ut penitùs incognitam, atque ignoratam pertranſeant. quam ignorantiam D. Thomas malæ electionis appellat *loc. ſupra cit.* & meritò, quia iſtis non deeſt re vera ſcientia, & cognitio malitiæ propriorum actuum; ſed illam interiùs habent naturaliter inditam, ac propriis cordibus impreſſam, ſeu ut naturaliter emergentem ex ſpeciebus impreſſis virtute naturalis luminis acquiſitis, ubi quis ſemel perfectum rationis uſum attigerit: quandoquidem eiuſmodi ignorantia malæ electionis circa jus naturæ verſatur. Undè iſti re vera non ignorant malitiam ſuorum actuum; ſed ſcientiam illius habent habitualem, hoc eſt permanentem in dictis ſpeciebus impreſſis, quibus tamen non utuntur, nec eas applicant ad ſignatè cognoſcendum de actibus ſuis, quos ſub tali habituali ſcientia exercent, quia præcipitanter, atque incogitanter eos exercere eligunt; non minùs quam qui ſcientiam acquiſitam habens de aliquo obiecto, de illo ſignatè, & actualiter, non cogitat: ac propterea iſti tales inter ſcientes propriè numerandi ſunt, quantumvis ſignatè ut neſcientes, & quaſi ignorantes ſe habeant, dum ex impetu propriarum paſſionum quod agunt, ſignatè non conſiderant, nec cogitant, ſed incogitanter illud eligunt, quod aliàs intimè agnoſcunt; & ideò eorum ignorantia malæ electionis dicitur; quia malè eligitur quod incogitanter eligitur; & ideò ignoratur, cum alias etiam ſignatè in ſe ipſo ſciretur.

240 Quod autem iſti re vera in ſe ſcientiam habeant, & cognitionem quamdam evidentem habitualem, & veluti in actu primo, permanentem, ſcilicet (ut dixi) in ſpeciebus impreſſis ex vi naturalis luminis acquiſitis; atque ideò non eos lateat malitia ſuorum actuum; ſed ſit ipſis patens, & manifeſta, virtute earumdem ſpecierum; evidentiſſimè demonſtratur ex hoc, quod ipſæmet ſpecies, quæ actum repreſentant in eſſe phiſico, ſimul eumdem repræſentant in eſſe moris, ut mox oſtendam; atque ideò non minùs ipſis ſit in actu primo cognitus, & manifeſtus, virtute talium ſpecierum in eſſe moris, quàm in eſſe phiſico: Conſtat autem quod cognitio in actu primo, ſeu habitualis, ex vi ſcilicet talium ſpecierum impreſſarum interiùs in ipſis permanens (hoc enim intelligo nomine cognitionis habitualis, ſeu in actu primo in præſenti; & non habitum aliquem ſcientificum rigorosè ſumptum) eſt virtualiter quædam cognitio actualis, ſeu in actu ſecundo; nam hæc in illa virtualiter præcontinetur, & ex illa quandocumque quis voluerit, emergit: Eiuſmodi enim ſpeciebus impreſſis utimur quandocumque volumus ad cognoſcendum in actu ſecundo, quemadmodum & habitibus, ut communiter dicunt Philoſophi; & per nos ſtat, quod illis interdùm non utamur: ergo manet in prædictis cognitio quædam virtualis proprii actus in eſſe moris, ſeu malitiæ ipſius, ſufficiens utique ad virtualiter voluntarium, ut conſtat ex dictis.

241 Nec refert ſi ſignatè, & in actu ſecundo illam non agnoſcant, nec cogitent, aut ſuſpicentur; quia hoc ex defectu ipſorum provenit; quatenùs ex æſtu propriæ concupiſcentiæ adacti, ſpecies ipſas clauſis oculis prætereunt, & non utuntur illis; voluntas enim eorum iis paſſionibus propriæ concupiſcentiæ poſſeſſa impeditur, ne intellectui imperet, ut ſpeciebus illis utatur, quas in promptu habet illius malitiæ repræſentativas. Ergo conſtat non deficere in eiuſmodi ignorantia malæ electionis notitiam malitiæ ſufficientem ad rationem voluntarii, ſaltèm indirecti, & virtualis.

Sed

242 Sed oſtendamus modò, quod promiſimus, quod ſcilicet ipſæmet ſpecies, quæ actum talem repræſentant in eſſe phiſico, ſimul eumdem repræſentant in eſſe moris, & quoad eius malitiam. Manifeſtatur autem hoc exemplo Mahometani, & ſimilium, qui opus aliquod jure naturæ malum, ut v. g. fornicationem, malum eſſe non cogitant, nec ſuſpicantur. Iſti enim, quicumque fuerint, manifeſtè vident ex vi ſpecierum, quibus actus ipſe fornicationis repræſentatur in eſſe phiſico, ipſam fornicationis eſſentiam ſeu ſpeciem; & agnoſcunt in eſſe phiſico eam eſſe acceſſum ad non ſuam; & eſſe quemdam vagum, & arbitrarium concubitum; atque ideò inſtabilem, & non firmum, nec determinatum firmiter ad unam; ſed pro ſuo placito variabilem. & inſuper indè vident ſubſequi incertitudinem prolis; ex quo agnoſcunt conſequenter futuram eiuſdem prolis malæ, atque infelicis educationis ſortem, per ſe & regulariter loquendo; quidquid ſit ſi aliàs per accidens benè educari contingat. Atqui in his formaliter conſiſtit malitia ipſa fornicationis: ergo eædem ſpecies quibus repræſentatur eiuſmodi actus in eſſe phiſico; ſimul repræſentant eumdem in eſſe moris, & quoad eius malitiam. conſequentia ſequitur. Et minor conſtat ex D. Thoma 2. 2. *q.* 154. *a.* 2. qui in his conſtituit malitiam fornicationis; & inſuper probatur ratione quadam expoſitiva totius deordinationis, quam eiuſmodi actus importat ex hoc ipſo, quod eſt vagus concubitus, ex quo proles nata, utpotè incerta Patri, per ſe & ex natura ſua iniuriam patitur; & damna malæ educationis incurrit; quæ nemo ſibi vellet inferri à Parentibus ſuis.

243 Nec poteſt eiuſmodi deordinatio aliquem latere. Quis enim ignorare poteſt quod uti non ſua, ſeu non ſibi priùs legitimè appropriata, hoc ipſo deordinationem dicit à regula rectæ rationis? Recta enim ratio univerſaliter dictat, quemlibet uſum, aut poſſeſſionem rei, tunc ſolum rationabilem eſſe, cum in jure utendi, aut poſſidendi, legitimè fundatur; undè quicumque non legitimè poſſidet, vel non legitimè utitur aliqua re; hoc ipſo irrationabiliter procedit; & a regula rectæ rationis diſcedit. Neque uſus eiuſmodi Viri, & Mulieris jus utendi fundatum habere poteſt in mutuo utriuſque conſenſu ad tempus; hoc ipſum enim ipſa naturalis ratio damnat; quia uſus rei etiam liberæ, quando eſt ex natura ſua ad unum aliquem determinatum finem ordinatus, non poteſt rationabiliter fundari in qualicumque conſenſu libero, ſed in eo tantum conſenſu, quo ſervatur ordo, & modus determinati finis à natura: conſtat autem etiam ipſo naturali lumine dictante, quod uſus mulieris ſit à natura inſtitutus ad propagationem ſpeciei, ut ſucceſſivè ſemper permanens conſervetur; qui quidem finis perfectè haberi non poteſt in natura humana per ſimplicem generationem prolis; ſed requiritur ulteriùs, quod habeatur de illa cura ſpecialis, ut educetur, defendatur, inſtruatur, atque in bonis tàm interioribus, quàm exterioribus promoveatur, ut exponit *loc. cit.* D. Thomas: ad hoc autẽ requiritur per ſe & ex natura tanti operis, coniunctio firma, ſtabilis, determinata, & indiſſolubilis: alioquin natura humana, quæ plùs omnibus aliis indiget in individuis, ut conſervetur, vix poſſet in illis ſola ſucceſſione generationum conſervari: natura enim humana per ſe varios ſtatus exigit, quibus in ea ordo quidam hyerarchicus etiam juxta ipſius naturalem exigentiam neceſſarius ſervari debet; ac propterea oportet quod Parentes pro modulo ſuo filiis ſuis theſaurizent; ac cogitent, & diſponant etiam pro tota eorum futura vita pro variis cuiuſque conditionis ſtatibus: alioquin jam non modo ſibi connaturaliter debito humana ſpecies ſucceſſivâ quadam permanentiâ in ſuis individuis conſervaretur: & tamen hoc totum per ſe importat finis ordinati coniungii, qui profectò nonniſi ab indiſſolubiliter, hoc eſt, vero matrimonio, coniunctis attingi poteſt per ſe, & propriè loquendo. Et totum hoc unicuique eſt naturaliter cognitum, & naturale lumen id dictat, & per eaſdem ſpecies actus coniugalis agnoſcit.

244 Et hinc unicuique naturalis etiam propenſio innaſcitur tàm accurata induſtria educandi filios ſuos, eiſque providendi pro toto ipſorum vitæ tempore; & indè ineſt unicuique viro anxietas illa, ac ſollicitudo de certitudine prolis, quia ſcilicet ei imminet tàm induſtrioſa educatio, tamque provida cura naturali debito ſuſcipienda; quæ ferè penitùs, regulariter loquendo, evaneſcit pro filiis ex concubitu vago, & fornicario, ob eiuſdem prolis incertitudinem. Sicut igitur non eſt qui bona educandæ prolis à parentibus debita ignoret, & qui ea in ipſo actu coniugali naturali lumine non videat; ſi benè conſideret ad quem finem actum illum natura ordinaverit, & ſi benè expendat modum talis finis habendi juxta ſpecialem exigentiam ipſius humanæ naturæ in futuris individuis ſucceſſivè conſervandæ: ita non eſt, qui damna futuræ prolis non videat in ipſo actu fornicario; ſi benè conſideret per ſe & ex natura ſua, indè non fore tam accuratè de tot bonis juxta talem exigentiam providendum; quia deeſt tunc ſtimulus ille naturæ, & naturalis affectus ad eam curam ſic accuratè habendam impellens.

245 Et ratio huius eſt quia propenſio, & affectus naturæ rationalis ſequitur ad formam per intellectum apprehenſam; proles autem ex fornicario concubitu formaliter apprehenditur ut incerta; Mulier enim quæ propriè non eſt coniux poteſt ſicut cum uno, ſic & cum aliis vagè coire. Et experientia docet quod proles ſpuria per ſe & regulariter loquendo minùs benè tractatur à Patre, quàm legitima. Ergo

nemi-

nemini tem latere poſſunt injuria & damna, quæ proli inferuntur ex actu fornicario ſuſcipiendæ: ex quo fit ex ejuſmodi actu carnali, quantumvis aliàs naturali, & à natura inſtituto ad debitum finem, nempè prolis ſuſcipiendæ, ad conſervationem ſpeciei; non haberi finem debito modo, & ſine gravi injuria, ac damno tùm prolis, tùm & ipſius ſpeciei conſervandæ in ſucceſſione generationum juxta exigentiam, & intentionem ipſius naturæ, quod eſt deordinatio maxima, quam ipſa naturalis ratio damnat, ut conſtat ex dictis. Ergo non deficit Mahometano, & ſimilibus cognitio ſufficiens, ad hoc ut eis reddatur voluntaria malitia fornicationis; quantumvis ipſi de ea non cogitent, nec ſuſpicentur; habent enim hæc omnia in ipſis ſpeciebus impreſſis actus fornicarii ſufficienter repræſentata, & veluti in actu primo cognita; & per ipſos ſtat, quod ea non videant in actu ſecundo, & ſignato; quia iis ſpeciebus non utuntur adæquatè, & ſecundùm totum id, quod repræſentant; ſed ex parte, & pro quanto repræſentant actum ſibi ſenſibiliter delectabilem; omne reliquum prætereuntes incogitanter, & inconſideratè; idque eis evenit, quia propriâ concupiſcentiâ rapiuntur ad proprium finem, neglecto fine operis à natura ipſa inſtituto, ac per ſe intento.

246 Hoc autem quod dixi de actu fornicario, cujus deordinationem ſummariè deſcriptam in actu primo cognitam oſtendi ex ejuſdem ſpeciebus, quibus ille in eſſe phiſico repræſentatur; intelligendum eſt proportionaliter de quocumque alio actu malæ electionis contra jus naturæ emergente; in omnibus enim, ſi benè conſiderentur, ſimul cum ipſo eſſe phiſico repræſentatur manifeſtè, & ipſorum deordinatio, & malitia: quia in iſtis omninò eadem eſt ipſa phiſica deordinatio, & moralis: ideò enim ſunt per ſe & intrinſecè mala, quia eorum natura phiſica a debito ordine deficiens eſt, atque ideò formaliter mala: undè ſi benè, & adæquatè conſiderentur ſecundum propriam ſpeciem in eſſe phiſico, non poterit eorum deordinatio latere, quæ eadem eſt, ac ipſorum malitia: ut conſtat in adulterio, furto, mendacio, & ſimilibus; ſed quia non adæquatè conſiderantur, ſicut ipſa in ſuis propriis ſpeciebus ſe demonſtrant; ideò interdùm fit, quod mala non cogitentur. Sed de his meliùs infra cum de ignorantia juris naturæ dicemus.

§. III.

Stabilitur quænam ignorantia cauſet abſolutè, & ſimpliciter involuntariam malitiam actus, cujus eſt cauſa.

247 Cum jam in præcedentibus reſolutum ſit, non omnem ignorantiam poſſe cauſare abſolutè, & ſimpliciter involuntarium; etiam ſi nihil agens ſuſpicetur, aut cogitet de malitia ſui actus; imò ſimpliciter putet illum ſibi licere: idque ſit ratione, & authoritate D. Thomæ hactenùs demonſtratum, oportet nunc poſitivè determinare, quænam ignorantia poſſit involuntarium ſimpliciter reddere, ac per conſequens a peccato totaliter excuſare. Pro cujus reſolutione.

248 Dicendum eſt ſecundò, quod ſola illa ignorantia reddit actum omninò, & ſimpliciter involuntarium in ratione malitiæ, quæ abſolutè, & ſimpliciter omni prorsùs cognitione privat agentem, tàm formali, quàm etiam virtuali; quæ ſolùm reſpectu eorum contingit, quæ homo vel nullo modo poteſt, vel non tenetur aliquo modo ſcire. quam ignorantiam D. Thomas *loc. cit.* Antecedentem, & involuntariam appellat; quatenùs antevertit omnem actum voluntatis, ita ut ex nullo voluntario, & culpabili defectu procedat, puta neque ex defectu debitæ diligentiæ in inquirendo, neque ex aliqua prava diſpoſitione malæ affectionis, vel ſimili cauſa voluntaria; atque ideò nullo modo, nec formaliter, nec virtualiter voluntaria eſſe poteſt; ad differentiam ignorantiæ conſequentis, de qua ſuprà dictum eſt, quæ ad voluntarium defectum ſequitur, ut vidimus. Et ratio hujus eſt, quia, ut ſupra dictum eſt, ad rationem voluntarii neceſſariò requiritur aliqualis prævia cognitio, ſaltem indirecta, & virtualis: quæcumque enim quantumvis minima ſive formalis, ſive virtualis, & confuſa cognitio, ſufficit ad hoc, ut aliquod ſit quodammodò, ſaltem virtualiter, voluntarium; ut ſupra expoſuimus. ergo ſola illa ignorantia, quæ abſolutè, & ſimpliciter omni prorsùs cognitione malitiæ, tam formali, quàm etiam virtuali privat agentem, reddit actum ex malitiæ ignorantia factum, omninò & ſimpliciter involuntarium in ratione malitiæ. & in hujus generis ignorantia tantùm habet abſolutè, & ſimpliciter veritatem dictum illud philoſophicum: *Nihil volitum, quin præcognitum.*

249 Dixi autem, quod hæc ignorantia ſolùm contingit reſpectu eorum, quæ homo vel nullo modo poteſt; vel non tenetur ſcire. quia ita videtur manifeſtè concludi à D. Thoma pluribus in locis. Sed nihilominùs videbitur fortè aliquibus hoc dictum aliquid difficultatis habere; nam licet veriſſimum ſit, quod reſpectu eorum, quæ homo nullo modo ſcire poteſt, contingat, talis ignorantia reddens abſolutè, & ſimpliciter involuntariam malitiam ignoratam, utpotè quæ eum omni prorsùs ſictæ malitiæ cognitione privat; non videtur tamen verum reſpectu eorum, quæ homo ſupponitur ſcire poſſe, licet non teneatur. hoc ipſo enim, quod ea ſcire poteſt, ſi velit; videtur talis ejus ignorantia non tollere abſolutè, & ſimpliciter omnem cognitionem etiam virtualem; quia per hoc, quod ſcire poteſt, videtur in eo eſſe virtus, & principium ſufficiens ad ſciendum, quod

ignorat;

Digitized by Google

ignorat; ac proindè per ipſum ſtare, quod ignoret illud, & actu non cognoſcat; atque ideò videtur ignorantia conſequens ad eius voluntatem; juxta ea, quæ ſuperiùs à nobis dicta ſunt de ignorantia conſequente. Verumtamen ad hanc inſtantiam reſpondeo; quod, ea nihil obſtante, dictum noſtrum veriſſimum eſt.

250 Ad cuius evidentiam, & doctrinæ D. Thomæ firmitatem, ſciendum eſt, quod nullum eſt agibile reſpectu ſui agentis, quod ſub debito, & obligatione illud ſciendi non cadat, ſi tamen ab eo ſciri poteſt. quilibet enim tenetur ſcire de ſuis agibilibus quid moralitatis in ſe præ ſe ferant, antequam agat, juxta illud *Eccleſ. 37. Ante omnia opera verbum verax præcedat te; omnem actum conſilium ſtabile.* quod etiam expreſsè docet D. Thomas 1. 2. *q.* 76. *a.* 2. Sed quia nonnulla agibilia per ſe non ad omnes pertinent, ſed ad aliquos tantùm, & ratione alicuius ſpecialis eorum ſtatus, vel officii; ac propterea reſpectu aliorum non computantur ut agibilia; ideò abſolutè, & ſimpliciter dicitur, quod ea homo ſcire non tenetur, licet poſſit ea omnia ſcire ſaltem diviſivè; nam collectivè videtur etiam moraliter impoſſibile; non enim poteſt omnis homo ſcire omnia, & ſingula agibilia, quæ pertinent ad quemlibet ſtatum, & officium cuiuſcumque profeſſoris; nec poteſt hoc cadere ſub obligatione; alioquin unuſquiſque teneretur addiſcere omnes ſcientias, & artes, quas tamen nec debebit, nec poterit ſingulas exercere. quare veriſſimum eſt eſſe multa, & multa agibilia, quæ non tenetur homo addiſcere, & ſcire. ac per conſequens ignorantia iſtorum non eſt culpabilis, cum non ſit de ab ipſo agibilibus. Sed quia interdùm contingit per accidens, quod quis neceſſitetur aliquid iſtorum agere in aliquo caſu, nec poſſit prudenter ab actu illo abſtinere, ideò per accidens id, quod non erat reſpectu huius agibile, evadit in caſu jam agibile, & ab ipſo neceſſariò agendum; ex quo etiam per accidens, & in eo caſu protinùs ſuboritur in ipſo obligatio, & debitum ſciendi; ita ut teneatur de facto ſcire, antequam agat actum illum, vel ab illo abſtinere, ſi poſſit alterum ex his facere: At ſi non poſſit, ut ſupponimus, neceſſitate aliquâ illum ad agendum cogente, jam evadit huic utrumque impoſſibile, cum nec ſcire poſſit, nec ab agendo abſtinere. ergo ſi agendo errat, & malum eligit, nec error, nec malum quod tunc ex errore facit, erit ei voluntarium; quia ignorantia illa, quæ abſolutè & ſimpliciter erat, & dicebatur tantùm de eo, quod non tenebatur ſcire, evadit in tali caſu etiam de eo, quod ſcire non poteſt, & quod ſi poſſet, teneretur ſcire; quamvis ſemper dicatur eſſe de genere eorum, quæ homo iſte non tenebatur ſcire juxta priorem eius denominationem, ſecundùm quam dicebatur abſolutè, & ſimpliciter tale. Undè non manet tale, quod poſſit ab agente ſciri pro quando ad ipſum pertinet illud agere, ſicut poterat antea, cum ad ipſum non ſpectabat; & propterea non cauſat aliquo modo voluntarium malum, quod indè ſubſequitur ignoratum; quia jam totaliter ad impotentiam reducitur. falſum igitur eſt, quod in caſu ſciri poſſit ab agente, ſi velit, ut ſupponit inſtantia. Nec refert, quod antea poterat opportunè ſciri, cum ad ipſum tale agibile nullo modo pertinebat; quia non tenebatur, nec poterat caſum per accidens ſibi futurum prævidere; ſicut poteſt, & tenetur homo prævidere in alia materia, quam per ſe tenetur ſcire, & nihilominùs negligit ſcientiam habere, ut ſupra oſtendimus loquendo de ignorantia conſequente.

251 Hæc igitur eſt differentia inter ea, quæ quis tenetur ſcire, & quæ ſcire non tenetur, quod ignorantia iſtorum per ſe non nocet in genere moris ſuo neſcienti, quia ad ipſum non pertinet praxis eorum, niſi in caſu aliquo per accidens, qui prævideri non poteſt; & quando occurrit, fit ei impoſſibilis ſcientia; ac propterea ſi malum aliquod ſubſequitur, quod eſſet moraliter vitandum, non poteſt illi fieri voluntarium, nec formaliter & in ſe, cum actu non cognoſcatur; nec virtualiter, & in cauſa, videlicet in ipſa etiam voluntaria prævia omiſſione ſcientiæ, quam antea poterat ſibi acquirere; quia in iſta prævideri non poterat caſus ille per accidens futurus de huiuſmodi praxi ſibi neceſſariò agenda, cum per ſe ſupponatur ad ipſum omninò impertinens. Ignorantia verò eorum, quæ quis tenetur ſcire, cum ſit ſemper de agibilibus per ſe ſpectantibus ad ipſum, per ſe quoque eſt ei nociva in genere moris, quia in ipſa voluntaria prævia omiſſione ſcientiæ, quam, ut ſupponitur, negligit opportuno tempore ſibi acquirere, prævidetur per ſe, ſaltem in confuſo, futuritio plurium actuum ab ipſo per ſe agendorum cum errore contra legem, ac propterea in ſe malorum, quæ tenetur per ſcientiam per ſe ſibi debitam vitare; ac per conſequens mala, quæ indè ex defectu ſcientiæ conſequuntur, redduntur ei, etiam in ratione malitiæ ſibi incognitæ, ſaltem virtualiter voluntaria in ſua cauſa, nempè in illa negligentia ſeu omiſſione voluntaria ſcientiæ per ſe ad ipſum pertinentis, in qua ut virtualiter cognoſcibilia etiam per ſe præcontinentur, ſicut ſupra explicavimus de ignorantia conſequente.

252 Itaque qui malitiam alicuius actus ignorat, triplici modo poteſt illam ignorare. Primò ex defectu ſibi culpabili, quia negligit ſcire, quod ſcire tenetur; ſive hoc ei proveniat ex accidia, ſeu tædio debitæ inquiſitionis; ſive ex obice pravæ affectionis ſeu concupiſcentiæ ſuæ, undè impeditur à debita cognitione veritatis; ſive quia poſitivè recuſat ſcientiam habere. & ſic ſemper fit ei ſaltem virtualiter voluntaria malitia, quam de actibus ſuis ignorat, quia in huiſmodi ignorantia eſt per ſe, ſaltem in confuſo, manifeſtè cognoſcibilis, ut dictum eſt. Secundò ex defe-

Digitized by Google

ctu ſcientiæ ſibi tamen inculpabili, quatenus ad ipſum per ſe non pertinet ſcire de tali agibili, quia numquam eſt tale quid acturus; atque idcò non tenetur de illo ſcire: & nihilominùs contingit ei in aliqua circumſtantia per accidens aliquid huiuſmodi agere ex neceſſitate cum tota ignorantia ſua. tunc enim ſi contingat errare, & indè malum aliquod agere, non poteſt ei hoc fieri aliquo modo voluntarium; neque in ſe, ut ſupponitur; neque virtualiter & in cauſa, quatenùs videlicet cum potuiſſet tempore opportuno de tali agibili ſcientiam ſibi acquirere, non acquiſivit; nam nihil ad ipſum pertinebat de tali agibili ſcire, ſicut nec agere; neque debebat, imò nec poterat prævidere fore aliquando, quod ad ipſum pertineret tale quid agere; quia quod per accidens contingit prævideri non poteſt, cum nullam habeat cauſam per ſe in qua virtualiter præcognoſci poſſit; ac per conſequens in illa prævia omiſſione ſcientiæ ad ipſum minimè pertinentis non poteſt prævideri circumſtantia illa futura caſualis; ſicut diximus prævideri ſaltem in confuſo in omiſſione ſcientiæ de agibilibus, quæ per ſe ad aliquem pertinent; quia hæc cum illa per ſe connectuntur; per ſe enim connectitur cum imperitia Medici periculum infirmorum, quia cura iſtorum per ſe ſpectat ad Medicum tamquam proprium eius agibile, de quo ſcire debet, alioquin tenetur de damno, quod illis ob imperitiam infert. Econtra verò qui Medicus non eſt, & ex neceſſitate, nullo Medico exiſtente, per accidens curam ſuſcipit alicuius infirmi eo meliori modo, quo poteſt, ſecundum quaſdam communes regulas circa victum, & ſimilia, diſcretè, & non præcipitanter, etiamſi erret v. g. circa horam cibi, aut aliquid ſimile, & indè infirmus moriatur, non imputatur ei ex quo antea non quæſierat illud ſcire tempore opportuno, cum potuiſſet; quia non pertinebat ad ipſum de tali agibili diſcere, ſicut nec agere, & quando in illa caſuali circumſtantia ad ipſum per accidens contingit pertinere, fit ei impoſſibilis ſcientia; alioquin ſi ſtatim poſſet, utique teneretur; nec poteſt à cura illa prudenter deſiſtere, & omninò abſtinere in illo caſu, quando nemo ſupponitur ſciens pro cura illa ſuſcipienda, alioquin infirmus in maiori periculo relinqueretur, ut ſuppono, ac propterea nullo modo redditur ei voluntarium malum illud, quod ex eius errore ſequitur, & agendi neceſſitate cogente. Tertiò ex eo quod ſcientia redditur omninò impoſſibilis, ex eo quod malitia actus provenit ex aliqua circumſtantia, vel cauſa penitùs occulta; & tunc procul dubio evadit omninò involuntaria. Meritò igitur dictum eſt, quod ignorantia cauſans omninò, & ſimpliciter involuntarium contingit circa ea quæ quis vel non tenetur ſcire, vel nullo modo poteſt; quia in utriſque agens omni prorsùs prævia cognitione tam formali, quàm virtuali privatur, ita ut nullo modo poſſit malitiam ſibi contingenter futuram prævidere neque in ſe & formaliter, neque virtualiter & in ſua cauſa; nec diſtinctè, neque in confuſo. Et in ſecundis quidem, quæ ſcilicet quis ſcire non poteſt, de ſe conſtat. In primis verò, quæ nimirum quis ſcire non tenetur patet ex dictis, quia cum hæc non pertineant, ut ſupponimus, ad eum, qui ea ſcire non tenetur, utpotè qui per ſe numquam illa erit acturus; nullo modo poteſt per ſe, neque in confuſo, prævideri fore aliquando in praxi malum aliquod huiuſmodi ſibi futurum; agibile enim quod ab aliquo cognoſcitur ut numquam ab ipſo faciendum, ſicut re vera per ſe ab ipſo faciendum non eſt, non permittit aliquo modo prævideri ut practicè ſibi timendum, nec ex ignorantia malum aliquod morale indè contingat; hoc enim eſſet de ſubiecto non ſupponente.

253 Et ſi quæratur hìc, quænam ſint hæc quæ homo tenetur ſcire, vel non tenetur? Et quæ ea quæ ſcire poteſt, vel non? Reſpondeo de his infra ſpecialiter dicendum eſſe. Pro modò autem dico cum D. Thoma 1. 2. *q.* 76. *a.* 2. teneri homines ea omnia ſcire, ſine quorum ſcientia non poteſt ſuos debitos actus rectè exercere; quod eſt dicere: omnia, quæ per ſe ſunt ab ipſis agibilia. Undè omnes tenentur communiter ſcire ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta; ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant. Alia verò & ſi quis ſcire poſſit, non tamen ea ſcire tenetur, ſicut ſunt theoremata geometriæ, & contingentia particularia, niſi in caſu; puta cum ad ipſum aliquo modo pertinebunt, ut per ſe ab ipſo exercenda. Ea verò quæ ſcire non poteſt, etiam ſi ad ipſum pertinerent, ſunt, quæ agenti penitùs occultantur, citra tamen eius culpam; quod contingit vel circa ea, quæ non ſunt intrinſecè mala, ſed mala quia poſitivâ aliquâ lege prohibentur, & lex prohibens ad ipſum citra omnem eius culpam non pertingit, ac propterea nullo modo poteſt eam legem ſcire, vel circa ea, quæ licet intrinſecè mala ſint ex proprio obiecto, ipſum tamen eorum obiectum etiam in ſuo eſſe phiſico omninò velatur, ita ut etiam ipſemet actus phiſicè ſumptus alter appareat, quàm in ſe ſit; & hoc provenit ex eo quod actus prout ſit ab agente aliud obiectum habet ab eo, quod in ſe reſpicit, quatenùs ex aliqua circumſtantia deforis ſuperveniente, & agenti penitùs occultâ obiectum, & conſequenter ipſemet actus intrinſecè mutatur: ſicut acceſſus Jacob ad Liam, prout à Jacob fuit, actus coniugii apparuit cum ſuâ; intrinſecè autem ex fraude clandeſtinæ ſuppoſitionis Liæ fuit actus adulterii Jacob tamen penitùs incogniti, quæ dicitur ignorantia facti, ſed de his omnibus infra redibit ſermo.

254 Adverte tamen hìc obiter (lector) id, quod inter hæc exponenda dixi, quod ſcilicet homo non poteſt legem ſcire, quando lex pro-

prohibens ad ipſum citrà omnem eius culpam non pertingit. hoc enim intelligo in caſu tantùm, quo lex illa poſitiva aliquid prohibens citra omnem negligentiam ipſius agentis omninò latens eſt, & occulta, ita ut nullam ſui ſpeciem ingerat intellectui illius, qua illam poſſit aliquo modo prævidere. Et hoc ex induſtria dixi, ad inſinuandum quod ſi lex non ſit adeò occulta, ſed ex parte videatur, & ex parte lateat, ut contingit in caſu, quo de illa ſunt variæ opiniones, tunc non dicitur agens habere ignorantiam antecedentem, & involuntariam de malitia ſui actus ea lege prohibiti, quia habet ſufficienter ſpeciem legis prohibentis, ſaltem illam repræſentatem ſubobſcurè & ex parte, hoc eſt ſub dubio, quod fortè ſit, & talem actum prohibeat; & hoc eſt procul dubio malitiam illam quodammodo prævidere; ita ut niſi diligentiam adhibeat, ut certificetur de veritate in ſe, ſi poteſt; vel ut periculum peccandi alio modo effugiat, ſi certificari non poteſt de veritate legis, ſatis erit ad hoc ut fiat ſibi eiuſmodi malitia ſaltem virtualiter voluntaria; quia jam indè convincitur velle actum illum qualiſcumque in ſe ſit, ſive bonus, ſive malus, quod eſt virtualiter velle illum, etiamſi in ſe ſit malus, & prohibitus. Neque hoc tollitur per hoc quod confidit opinioni oppoſitæ probabili, quia tunc poteſt & tenetur ſcire de actu ſuo, quem agit, ex vi illius ſpeciei dubiæ, quod licitus non ſit, dum licere ſibi certò non conſtat; atque ideò tenetur eam ignorantiam vincere, ſive per ſcientiam, ſive per factum tutioris electionis. Sed de hoc alibi fuſiùs dicemus, cum erit ſermo de opinione probabili.

255 Conſtat igitur ex dictis quot rimæ ſint in ignorantia unde poſſit ratio voluntarii ſubintrare reſpectu malitiæ alicuius actus, etiamſi de illa interdùm nulla præcedat cogitatio, aut ſuſpicio; & quod nulla ignorantia reddat actum ignoratum in ratione malitiæ omninò & ſimpliciter involuntarium; niſi illa ſola, quæ omni prorſùs eiuſdem malitiæ cognitione privat, etiam confuſa, ſubobſcura, & virtuali; & quæ eſt ipſi agenti omninò involuntaria, & ſolùm naturaliter ei accidit, & citra omnem eius culpam; alioquin ſemper erit rima aliqua per quam, & ipſa ignorantia, & malitia actus ignorata rationem aliquam voluntarii, ſaltèm virtualis, & indirectè, in ſe ſuſcipiat.

§. IV.

Confirmatur tota præcedens doctrina ex D. Thoma juxta diviſionem, quam ipſe tradit de ignorantia antecedente, conſequente, & concomitante.

256 DOctrina uſque huc à nobis explicata, tota quanta eſt, eſt expreſſiſſima mens D. Thomæ loco ſupra citato, ubi ſic habet: *Sciendum* (inquit) *quod ignorantia ſimpliciter ſe habet ad actum voluntatis. Uno modo concomitanter: alio modo conſequenter: Tertio modo antecedenter. Concomitanter quidem, quando ignorantia eſt de eo, quod agitur, quod tamen etiam ſi ſciretur, nihilominùs ageretur; tunc enim ignorantia non induceit ad volendum ut hoc fiat, ſed accidit ſimul eſſe aliquid factum, & ignoratum; ſicut in exemplo poſito, ſcilicet cum aliquis vellet quidèm occidere Hoſtem, ſed ignorans occidit eum, putans occidere cervum; & talis ignorantia non facit involuntarium, ut Philoſophus dicit, quia non cauſat aliquod, quod ſit repugnans voluntati; ſed facit non voluntarium, quia non poteſt eſſe actu volitum, quod ignoratum eſt.* In quibus verbis conſtat quod D. Thomas loquitur de ignorantia, quæ non eſt cauſa actus peccati, quia etiam ſi ſciretur ab agente, nihilominùs ageretur; atque ideò dicit D. Thomas quod talis ignorantia non inducit ad volendum, ut fiat. De qua ignorantia nos diximus in principio, quod non procedit præſens quæſtio, quia certum eſt quod non facit involuntarium, cum non inducat ad volendum, quod alias nollet, ſi ſciret; ſed purè comitatur, & coniungitur cum volitione eius, quod ſi agens ſciret, adhuc vellet: & ideò ſolum facit non voluntarium negativè, quatenùs non poteſt eſſe actu volitum, quod eſt ignoratum; non autem involuntarium poſitivè, ideſt quaſi poſitivè contrariū eius voluntati, de quo in præſenti capite agitata eſt quæſtio.

257 *Conſequenter autem* (proſequitur ibidem D. Thomas) *ſe habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipſa ignorantia eſt voluntaria; & hoc contingit dupliciter ſecundum duos modos voluntarii ſupra poſitos. Uno modo quia actus voluntatis fertur in ignorantiam, ſicut cum aliquis ignorare vult; vel ut excuſationem peccati habeat, vel ut non retrahatur à peccato, ſecundum illud Job. 21. ſcientiam viarum tuarum nolumus; & hæc dicitur ignorantia affectata. Alio modo dicitur ignorantia voluntaria eius, quod quis poteſt ſcire, & debet; ſic enim non agere, & non velle voluntarium dicitur, ut ſupra dictum eſt. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, ſive cum aliquis actu non conſiderat, quod conſiderare poteſt & debet, quæ eſt ignorantia malæ electionis vel ex paſſione, vel ex habitu provenieus; ſive cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere: & ſecundum hunc modum ignorantia univerſalium juris, quæ quis ſcire tenetur voluntaria dicitur, quaſi per negligentiam proveniens. Cum autem ipſa ignorantia ſit voluntaria aliquo iſtorum modorum, non poteſt cauſare ſimpliciter involuntarium; cauſat tamen ſecundùm quid involuntarium, in quantum præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non eſſet ſcientiâ præſente.* Huc uſque D. Thomas. Ubi manifeſtè apparet quod D. Thomas ad hanc ignoran-

rantiam conſequentem, de qua docet, quod non cauſat ſimpliciter involuntarium, reducit tres illos modos ignorantiæ a nobis ſuperiùs aſſignatos, in quibus oſtendimus aliquid cognitionis malitiæ prælucere ſaltem in confuſo, & ſubobſcurè, atque ideò involuntarium ſimpliciter non cauſare. Nam primo loco ponit expreſſè modum ignorantiæ affectatæ: ſecundo loco ponit modum ignorantiæ eius, quod quis poteſt ſcire, & debet; & hunc ſecundum modum ſubdividit in duos alios, quaſi eos ſub uno modo confundendo; re vera tamen illos diſtinguit; dum ait hunc ſecundum modum contingere; *Sive cum aliquis actu non conſiderat quod conſiderare poteſt & debet quæ eſt ignorantia malæ electionis, vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens.* Et hic eſt unus modus ſubdiviſus. *ſive cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere.* Et hic eſt alter modus ſubdiviſus. Unde ſub hoc ſecundo modo claudit duos illos alios modos, nempè ſecundum, & tertium à nobis ſuperiùs aſſignatos, quorum unum nos appellavimus ignorantiam negligentiæ, cumque expoſuimus ſecundo loco; D. Thomas autem illum poſuit ultimo loco, ut videre eſt in ipſo textu mox allegato: Alterum verò appellavimus ignorantiam quaſi negligentiæ, & malæ electionis juxta modum loquendi eiuſdem D. Thomæ, qui eum malæ electionis appellat, & quaſi ex negligentia dicit provenire, dum explicat ignorantiam univerſalium juris, quam ad hunc modum reducit. Nos autem hunc modum expoſuimus tertio loco: Sed D. Thomas poſuit ſub primo membro ſubdiviſionis huius ſecundi modi.

258 Et notanter hic ordinem noſtrum, & D. Thomæ varium eſſe advertimus: nedùm ut ſignanter appareant omnes tres modi à nobis aſſignati, quod ſint verè, & ſincerè ex D. Thoma deprompti, licet à D. Thoma ſub duobus modis reſtringantur, ponendo unum per ſe, & ſolitariè; & duos ſimul claudendo ſub ſecundo modo; ſed etiam, ut non fiat æquivocatio in ſenſu Textus D. Thomæ, dum ait: *Et ſecundùm hunc modum ignorantia univerſalium juris, quæ quis ſcire tenetur voluntaria dicitur, quaſi per negligentiam proveniens.* poſſet enim fieri æquivocatio quaſi quod D. Thomas ignorantiam univerſalium juris reducat ad ſecundum membrum ſubdiviſionis huius ſecundi modi, de quo immediatè antea loquutus fuerat, & quem nos appellavimus ignorantiam negligentiæ; quod tamen falſum eſt; nam re vera reducit illam ad primum membrum dictæ ſubdiviſionis; & ideò dixit, eam quaſi per negligentiam provenire; & non abſolutè per negligentiam. Sed quia utrumque membrum D. Thomas ſub uno modo ſimul comprehendit, ideò ait: *& ſecundùm hunc modum ignorantia univerſalium juris &c.* debet tamen intelligi ſecundùm diſtributionem accommodam, ideſt ſecundum hunc modum prout importat primum membrum ſubdiviſionis; & non prout importat ſecundum. quod benè & diligenter eſt adnotandum; quia ignorantia univerſalium juris non eſt ex negligentia ſcientiæ, quaſi quod proveniat ex eo, quod quis neglexerit ſibi acquirere ſcientiam debitam; quia ut oſtendimus, eiuſmodi ſcientia ſupponitur unicuique indita, & non aliquâ diligentiâ, ſive ſtudio acquirenda; ſed eſt quaſi ex negligentia, ut idem D. Thomas ait, & nos expoſuimus, quatenùs quis quod aliàs ſcit, non conſiderat actu, cum poſsit, & debeat.

259 Ex quo conſtat quod totum hoc, quod hic docet D. Thomas de ignorantia hac conſequente juxta hos duos modos voluntarii ſummatim, eſt idipſum, quod ſupra à nobis per tres illos modos expoſitum eſt: de quibus omnibus D. Thomas concludit, quod non cauſatur involuntarium ſimpliciter; ſed ſolùm ſecundùm quid. Et ratio D. Thomæ hic eadem eſt implicitè, quam nos ſupra adduximus. D. Thomas enim hic pro ratione aſſignat, quia in his modis ipſamet ignorantia voluntaria eſt, ut patet ex textu ipſius: quæ ratio implicitè importat, quod in eiuſmodi ignorantia intervenit aliqualis malitiæ præcognitio ſaltem virtualis, in confuſo, & ſubobſcura, quæ ſatis eſt ad rationem voluntarii, ut diximus: non enim poteſt intelligi ipſa ignorantia malitiæ voluntaria, niſi ipſamet ignorantia malitiæ, qua formaliter talis, ſit aliqualiter præcognita; nam ut idem D. Thomas docet, & Doctores alii communiter, ad rationem voluntarii præexigitur aliqualis cognitio. Si ergo ipſa ignorantia malitiæ in modis ſupra aſſignatis eſt voluntaria ſecundùm D. Thomam, oportet quod qui habet eiuſmodi ignorantiam malitiæ voluntariam, aliqualiter agnoſcat ſaltem in confuſo, & ſubobſcurè ſe eiuſmodi ignorantiam habere, ac permittere illam in ſe habendam, & velle; quod eſt virtualiter velle malitiam ipſam, cuius ſaltem in confuſo videt ſe ignorantiam habere: Videt autem hanc aliqualiter in ſe habere, dum vel ipſam ignorantiam malitiæ affectat; vel negligit ſcientiam ſibi debitam acquirere tempore opportuno; vel dum ex impetu propriæ paſſionis, aut pravi habitus, præcipitanter agit, & inconſideratè, non conſiderando quæ alias optimè per proprias ſpecies ſuorum actuum ſciret, ſi conſideraret; ut ſupra hactenùs dictum eſt. Ergo tota noſtra doctrina in eiuſmodi modis ignorantiæ ad mentem D. Thomæ eſt.

260 Denique D. Thomas eodem loco volens oſtendere qualis ignorantia cauſet ſimpliciter involuntarium, docet ſolùm illam, quæ omninò antecedenter ſe habet ad voluntatem: quod eſt dicere quæ non provenit ex affectu voluntatis ad ipſam ignorantiam; neque ex voluntaria negligentia addiſcendi ſcientiam ſibi debitam; neque ex voluntaria aliqua paſsione, vel pravo habitu, ſeu mala conſuetudine vivendi;

dis;

di; ſed naturaliter ei accidit citra omnem defe-ctum eius voluntatis; ac propterea omni prorſùs malitiæ cognitione eum privat, ita ut nullum illi relinquat principium, undè ſui actus malitiam aliquo modo ſubodorare poſſit, ſubindèque neque ad illam aliquo modo ſciendam tenetur. ut videre eſt apud ipſum D. Thomam ibidem, ubi ſic proſequitur: *Antecedenter autem ſe habet ad voluntatem ignorantia, quando non eſt voluntaria, & tamen eſt cauſa volendi, quod aliàs non vellet; ſicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam non tenebatur ſcire; & ex hoc aliquid ageret, quod non faceret, ſi ſciret; puta cum aliquis diligentia adhibita neſciens aliquem tranſire per viam, proiicit ſagittam, qua interficit tranſeuntem; & talis ignorantia cauſat involuntarium ſimpliciter*. huc uſque D. Thomas.

261 Ubi conſtat quod D. Thomas vult eam ſolam ignorantiam reddere actum omninò, & ſimpliciter involuntarium agenti in ratione malitiæ, quæ eſt omninò involuntaria; & hanc tunc dicit contingere, quando quis ignorat, quod non tenetur ſcire; & exemplificat de circumſtantia actus, quam homo ſcire non tenetur. Conſtat autem ex ſuperiùs dictis tunc hominem aliquid non teneri ſcire, quando illud ſic eum latet, ut nullum principium ſeu ſpeciem ſui ingerat, undè moveri poſſit ad inquirendum, & ſciendum de re ignorata, ac proindè ſupponitur radicitùs omni eius cognitione privatus. Et ideò idem D. Thomas dicto *loc. cit.* 1. 2. *q.* 6. *a.* 8. in principio articuli radicitùs hanc rationem tangens ait: *quod ignorantia habet cauſare involuntarium ea ratione, qua privat cognitione, quæ præexigitur ad voluntarium, ut ſupradictum eſt; non tamen qualibet ignorantia huiuſmodi cognitione privat*. Et poſt hanc rationem adductam affert modos ignorantiæ concomitantis, & conſequentis, de quibus concludit quod non cauſant ſimpliciter involuntarium, quia eiuſmodi cognitione ſimpliciter non privant. Et denique affert modum huius ignorantiæ antecedentis, quam ſimpliciter involuntariam appellat, & docet cauſare ſimpliciter involuntarium; ergo oportet quod hæc ſimpliciter omni prorsùs cognitione hominem privet, & radicitùs omne principium ſciendi ab eo auferat, ut ſupra à nobis dictum fuit. Ecce quomodo doctrina ſuperiùs explicata, cum ſua ratione fundamentali, tota quanta eſt, ex ipſo D. Thoma deprompta eſt.

262 Stando igitur in D. Thomæ doctrina ſemper vera, & inconcuſſa, dicendum eſt quod ignorantia malitiæ numquàm reddit illam ſimpliciter involuntariam agenti, niſi & ipſamet ignorantia ſit ei omninò involuntaria: numquam autem hæc eſt ei omninò involuntaria, niſi eum privet prorſus, & omninò quacumque præcognitione malitiæ, ita ut neque illam actu videat in propria ſpecie ipſius actus, quem agit; neque in alia ſpecie remotiore, in qua ſaltem confusè virtualiter præcontinetur, puta in ſpecie aliqua repræſentante malitiam; ſi nō distinctè, & in propria ratione ſpecifica, ſaltē confusè, & in ratione quadam generica malitiæ ut ſic, cuiuſmodi eſt ſpecies repræſentans periculum malitiæ vagè, & indeterminatè. Et ita contingit in ignorantia affectata, hoc ipſo enim quod quis vult, & affectat ignorare moralitatem ſuorum actuum, videt jam vagè & in confuſo ſibi periculum imminere malitiæ in ſuis actibus ob talem ignorantiam aliquando prætereundæ ſine ſpeciali cognitione illius; ac propterea dùm ſub tali ignorantia vult exercere actus ſuos, ex vi talis præcognitionis vult virtualiter eorum malitiam. Ita etiam contingit in ignorantia negligentiæ, dum enim ſaltem exercitè videt ſuam negligentiam in indaganda moralitate ſuorum actuum pro munere ſui ſtatus & officiū, videt ſimiliter periculum tale ſibi imminere, & ſic redit idem quod priùs, ſi ſub tali negligentia operetur actus ſuos. Idipſum evenit in ignorantia malæ electionis, dum enim vult ire poſt concupiſcentias ſuas, non priùs conſideratis actibus, quos exercet, quoad deordinationem, quam in ſe præſeferunt à recta regula rationis ſibi naturaliter indita, videt ſaltem exercitè ſe potiùs brutali modo agere, quam humano, atque indè ſibi periculum imminere.

263 Nec prodeſt ei, quod hoc non cogitet, quia hoc ipſum eſt ei voluntarium, dum ſecum lumen habet à natura ſibi traditum, ut videat, cui tamen ipſe oculos claudit voluntariè inhians concupiſcentiis ſuis, quas procul dubio & videt, & vult; & eas immoderatas videt, ſicut immoderatè vult, in quarum cognitione dicitur virtualiter videre eorum malitiam in eiuſmodi immoderatione formaliſſimè conſiſtentem, ut ſupra expoſitum eſt.

264 Sunt ergo omnes eiuſmodi ignorantiæ voluntariæ, quæ proindè non poſſunt malitiam actuum ignoratam reddere ſimpliciter involuntariam. Et ideò D. Thomas ex hoc quod ipſa ignorantia ſit, vel non ſit voluntaria, concludit eam facere, vel non facere ſimpliciter involuntarium. Et propterea triplicem ignorantiam diſtinguit penès triplicem eius habitudinem ad voluntatem; nempè antecedentem, conſequentem, & concomitantem; ex eo nimirùm quod vel antevertit omnem actum voluntatis; & ſic evadit involuntaria: vel conſequitur ad aliquem actum illius; & ſic evadit voluntaria, ut monſtravimus in tribus ſuperioribus ignorantiis: vel purè per accidens contingit eſſe in concomitantia cum illo; & ſic propriè, & per ſe loquendo nec voluntaria, nec involuntaria dicenda eſt, ut mox oſtendam; ſed poteſt utroque modo accidere, numquam tamen facit ſimpliciter involuntarium, quia ſemper voluntarium ſupponit; atque ideò eius ratio voluntarii vel involuntarii non venit in conſideratione præſentis quæſtionis; quia quod ipſa ſit

voluntaria, vel involuntaria non conducit ad voluntarium, vel involuntarium malitiæ eius, quod agens operatur cum ipſa, ſed non ex ipſa; quia non eſt cauſa, quare agens illud agat, nam ſi etiam ſciret, adhuc illud voluntariè ageret, ut dictum eſt ſupra.

265 Quare ignorantia concomitans cum merè per accidens comitetur malitiam actus ignoratam, nec ſit cauſa agenti quare actum ſuum agat, quia non privat cognitione, quam ſi agens haberet, non ageret; ſed potiùs qua, ſi agens eam haberet, efficaciùs ageret; non poteſt malitiam ignoratam reddere involuntariam, quia illam expreſsè, & formaliter voluntariam ſupponit; ſed ad ſummum reddit illam actu non volitam, quod enim actu ignoratum eſt, non poteſt eſſe actu volitum; & hoc commune eſt rebus omnibus quomodolibet ignoratis; nihil enim quod eſt actu ignoratum, quacumque ignorantia ignoratum fuerit, actu volitum eſt: ſed non proindè ſimpliciter involuntarium evadit, quia poteſt adhùc voluntarium eſſe virtualiter in ſua cauſa, puta in ipſa ignorantia voluntaria, ſi fuerit cauſa actus: vel etiam formaliter per aliquem actum directum voluntatis prævium, ſi ignorantia non fuerit cauſa actus, ſed purè concomitans, etiam ſi fuerit involuntaria; poteſt enim ignorantia concomitans, ut dixi, utroque modo ſe habere. Ut ſi v. g. quis velit inimicum occidere, & videns inter vepres aliquid moveri, debitam diligentiam adhibeat inquirendo ſit ne id, quod vidit moveri, fera, vel homo; & prudenter judicet eſſe feram, quia exteriùs pellem feræ videt, ſub qua fortè inimicus ſe occultaverat, undè ſagittam proiicit putans feram configere, ignorans eſſe ſuum inimicum, quem ſi ſciret, adhuc configeret. Tunc enim talis ignorantia ſibi involuntaria eſt, quia debitam diligentiam adhibuit, ut ſciret, & non potuit; & inſuper concomitans fuit, quia ſi ſciviſſet adhùc actum proſecutus fuiſſet; non proinde tamen occiſio inimici evadit ei involuntaria, nam licet non ſit tunc ei actu volita, utpotè ignorata etiam ignorantia invincibili, & involuntaria, eſt tamen ipſi voluntaria formaliter ex prævio actu ſuæ voluntatis, quo voluiſſet inimicum occidere, ſi ſciviſſet. Si verò in eadem voluntate exiſtens, nulla adhibita diligentia, putet eſſe feram, & hoſtem feriat; tunc ignorantia ei erit concomitans, & voluntaria. Non nego tamen, quod poſſet dici conſequens, eo quod ſequeretur ad voluntariam omiſſionem diligentiæ debitæ; ſed quia non eſt cauſa quare agens actum ſuum agat, quia adhuc, ſi ſciviſſet, illum egiſſet, ideò reſpectu effectus ſeu actus quem agens agit purè concomitans dici debet, & merè per accidens ſimul cum actu illo coniuncta, cum in illum agendum non influat; æquè enim actus ille fieret cum ipſa, & ſine ipſa ab agente ſic diſpoſito; ac per conſequens ignorantia concomitans poteſt, & voluntaria eſſe, & involuntaria, numquam tamen facit involuntarium; ſed voluntarium potiùs tale factum ſupponit ex pravo illo prævio affectu agentis ad malum illum agendum.

266 Ignorantia verò conſequens ſemper voluntaria eſt, ideò enim dicitur conſequens quia ad actum aliquem ſeu defectum voluntarium ſubſequitur, undè & voluntaria evadit ſaltem virtualiter, ac propterea numquam cauſat ſimpliciter involuntarium. Et contingit tribus illis modis à D. Thoma adductis, & à nobis ſuperiùs explicatis; puta per hoc quod quis ipſam ignorantiam affectat, & vult formaliter, & per ſe ignorare moralitatem ſuorum actuum, repellitque ſcire id, quod aliàs pro ſuo munere tenetur ſcire: cuius generis homines multotiès vidi, & ex eorum ore audivi ſcientiam ſibi debitam recuſantes dicere: ne nobis hoc vel illud dicatis: ne ingratis conſcientiæ noſtræ ſcrupuloſæ ne bonam fidem noſtram conturbetis: & ſimilia; quaſi maneat in eis bona fides, dùm id ſcire recuſant, quod aliàs eis neceſſe eſt ſcire. vel ſecundò per hoc quod quis negligit ſcientiam ſibi debitam opportuno tempore acquirere, cum poſſit: vel ſi non poſſit aliquandò in dubio prudenter conſtitutus negligit peccandi periculum præcavere; atque inde contingit ex ignorantia malè agere; tunc enim ex tali voluntaria negligentia, quæ procul dubio neminem latere poteſt, ut ſupra expoſitum eſt, evadit ei virtualiter volita ac voluntaria ipſa ignorantia, & malitia ignorata, dum ſuo modo ſciens ac volens ſub tali ignorantia admittit actus ſuos, qualeſcumque ſibi contingant ſivè liciti, ſivè illiciti, & contra legem. Vel tertiò per hoc quod quis a propriis paſſionibus, ſuiſque concupiſcentiis, aut pravis habitibus & conſuetudinibus malè vivendi præoccupatus, & veluti poſſeſſus, detinetur à conſideratione eorum, quæ debet conſiderare, & aliàs poteſt; quia ea re vera ipſum non latent, ſed ſunt ſibi ex natura ſua manifeſta; & tamen illa non conſiderat, quia ab einſmodi paſſionibus ſic impeditur, ut videatur quaſi facultatem videndi & conſiderandi amittere, etiam dùm illa in ſeipſis manifeſtè videt; & fiat indè ſic videns, ut non videat; ſicque intelligens ut non intelligat; atque ideò inconſideratè, & malè eligit actus ſuos: ſed non effugit ex hoc rationem voluntarii, quia eiuſmodi ignorantia vel potiùs inconſideratio deordinationis manifeſtæ ſuorum actuum fit ei ſaltem virtualiter voluntaria in pravis illis concupiſcentiis ſuis, quibus utique voluntariè poſſideri ſinit, & detineri. ut ſupra dictum eſt. ſed hic placuit iterùm repetere, quia in hoc plerique facilè decipiuntur, & non advertunt, quia paſſiones proprias à ſe excutere nolunt.

267 Ignorantia denique antecedens, quæ omnem actum, omnemque defectum voluntatis antevertit, atque ideò omnino involuntaria accidit agenti, privatque illum omni

pror-

Google

prorſùs maliſtiæ cognitione, ita ut omne ei principium auferat, undè poſſit prudenter de malitia ſaltèm dubitare; hæc quidem ſola eſt, quæ facit omninò, & ſimpliciter involuntarium. Ponderent hæc Probabiliſtæ, & non ſint tàm faciles ad excuſandas hominum ignorantias ex defectu voluntarii. Sed de hoc ſuo loco dicemus; hìc enim ſolùm de voluntario, quod accidit in ignorantia egimus; non autem de excuſatione a peccato, quæ ex ignorantia provenire poteſt.

268 Eſt tamen hìc advertendum cum Caietano, quod cum ignorantia conſequens ſit triplex, ut expoſitum eſt, nempè affectata, malæ electionis, & negligentiæ. Et prima, hoc eſt, affectata differat ab aliis duabus, per hoc, quod ipſa ſit per ſe obiectum voluntatis, eſt namque in ſe per ſe, directè, ac formaliter volita: aliæ duæ verò non ſic, ſed potiùs ſint quaſi obiectum potentis, & debentis, vel actualiter conſiderare, quod exercitè agit, quatenùs ei ſupponitur de ſe, & ex propria ſpecie manifeſtum, atque ideò ex propriis facilè conſiderabile, ut ſic vitet ignorantiam malæ electionis: vel opportuno tempore ſcientiam ſibi debitam per ſtudium acquirere, aut periculum peccandi debita cautione præcavere; ut ſic vitet ignorantiam negligentiæ. Conſequenter fit, quod ſi contingat aliquando, quod agens non poſſit actualiter conſiderare in actu ſuo, id quod aliàs optimè ſcit; ac proindè ſolùm materialiter malè eligit actum illum; non proindè incurrit formaliter ignorantiam malæ electionis; quia tunc non eſt quaſi obiectum potentis & debentis; ſed potiùs impotentis, ac per conſequens non debentis, quia nemo ad impoſſibile tenetur. quod totum ipſemet Caietanus ſic exemplificat: ut ſi quis v. g. optimè ſciat Excommunicatum denunciatum vitandum eſſe; & inſuper ſciat Socratem eſſe excommunicatum denunciatum: & nihilominùs hoc non advertens, cum illo etiam in divinis communicet, quia non occurrit tunc eius menti, quod ille ſit excommunicatus; tunc in tali caſu non incurrit ignorantiam malæ electionis, & conſequentem, aut negligentiæ; quia non eſt potens, & debens illud conſiderare; eo quod conſtat non eſſe in poteſtate noſtra reminiſci, & advertere omnia, quæ ſcimus. quare ignorantia illa tunc evadit antecedens; quia ex purè naturali, & omninò involuntaria inadvertentia procedit; quatenùs memoriam eius præterit circumſtantia illa perſonæ; neque in poteſtate eius eſt, quod eius memoriam non prætereat; ac proindè non eſt de eo, quod quis poteſt, & bebet conſiderare in actu ſuo; ſicut requiritur ad ignorantiam conſequentem malæ electionis vel negligentiæ. Ita benè advertit Caietanus 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. Et idem eſt de quacumque alia actuali naturali inadvertentia, ſive oblivione conſimili, quæ non ex aliqua voluntaria paſſione, aut prava conſuetudine, vel habitu; aut negligentia procedit; ſed eſt re vera purè naturalis inadvertentia, ſive oblivio, quæ in poteſtate noſtra non eſt. quod eſt valde notandum, ne hoc genus ignorantiæ confundatur cum ea malæ electionis, vel negligentiæ, de qua diximus ſupra, & trepidetur timore, ubi timor non eſt. Sed tam ex Caietano allegato, quam ex D. Thoma apparet exceptionem hanc non habere locum in ignorantia juris; ſed ſolùm in ignorantia facti: uterque enim cum de ignorantia antecedente, & involuntaria loquuntur, ſemper exemplificant de ignorantia circumſtantiarum, quæ eſt ignorantia facti, & non juris. cæterùm cum loquuntur de ignorantia juris præcipuè naturæ, eam ad ignorantiam conſequentem, & voluntariam regulariter revocant; ut conſtat, & videre eſt apud ipſos. Sed de hoc iterùm redibit ſermo cum de ignorantia juris ex profeſſo dicemus.

CAPUT SECUNDUM.

De Ignorantia prout poteſt eſſe cauſa actus peccati.

§. UNICUS.

An, & qua ignorantia poſſit eſſe cauſa peccati, & qualiter?

269 MOvet hoc dubium D. Thomas 1. 2. *q.* 76. *art.* 1. Et ſenſus quæſiti eſt, an ignorantia poſſit eſſe cauſa actus, qui aliàs peccatum eſt; & legi contrarius? & non eſt ſenſus an poſſit eſſe cauſa illius in quantum peccatum eſt, ſeu ut ad culpam imputabilis? De hoc enim videbitur infra. Eſt autem in præſenti neceſſarium quærere & reſolvere, ſi poſſit eſſe cauſa ipſius actus, & qualiter illum cauſare poſſit; ut poſtea reſolvi poſſit, an eiuſmodi actus ex cauſa ignorantiæ factus, qui aliàs non fuiſſet, ſit agenti imputabilis ad peccatum, an potiùs ex ipſa ignorantia excuſetur. Niſi enim ſupponatur illum actum cauſare, impertinenter ſe haberet ad excuſandum, vel non excuſandum ab illius malitia. Videtur autem ex parte non poſſe cauſare actum illum; quia cum ignorantia in ſe ſit pura privatio ſcientiæ debitæ, non poteſt in actum illum influere, & cauſare; privatio enim eſt non ens; non ens verò nequit cauſalitatem aliquam habere in aliquod ens.

270 Sed hæc ratio ſolùm convincit non poſſe per ſe eſſe cauſam illius; non autem prohibet, quod poſſit eſſe cauſa per accidens. Quarè ad quæſitum reſpondeo cum eodem D. Thoma ibidem; quod ignorantia poteſt eſſe cauſa actus peccati, non per ſe; ſed per accidens, hoc eſt tamquam removens prohibens, quatenùs ſcilicet removet ſcientiam, quæ ſi eſſet, actum illum impediret, & prohiberet fieri ab agente. Si enim agens ſciret talem eſſe ſuum

actum,

actum, videlicet peccaminoſum & legi contrarium, procul dubio illum non ageret, niſi vellet formaliter peccare. Ergo in caſu, quo non ſupponitur velle formaliter, & ex certa ſcientia peccare, ideò actum illum agit, quia eius ignorantia removet ab eo ſcientiam, quæ ipſum ab actu tali impediret; ac per conſequens ignorantia poteſt eſſe cauſa talis actus tamquam removens prohibens: cauſa autem removens prohibens eſt cauſa per accidens, & non per ſe, ut docet Philoſophus 8. *Phiſicor.* Nam cauſa per ſe actus humani eſt voluntas ut directa per rationem: ratio autem perficitur per ſcientiam, ſecundùm quam dirigit voluntatem, movendo eam ad bonum, & retrahendo à malo: atque ideò ignorantia removendo ſcientiam, quæ voluntatem ab actu malo retraheret; eſt per accidens cauſa, quod voluntas tendat in actum illum eo ferè modo, quo removens columnam, ſuper qua ædificium ſuſtinetur, eſt per accidens cauſa, quod ædificium naturali ſua gravitate tendat deorſum, & ruat; quod antea a columna ruere prohibebatur.

271 Ex quo colligitur quænam ignorantia poſſit eſſe cauſa peccati quoad eius actum; illa ſcilicet tantùm, quæ tollit ſcientiam prohibentem eiuſmodi actum fieri; & non alia. Undè ſi voluntas alicuius eſſet diſpoſita ad talem actum agendum, etiam ſi ſciret illum eſſe legi contrarium & peccaminoſum; tunc eius ignorantia non eſſet cauſa actus eiuſmodi, quia tunc non removeret ſcientiam quatenùs prohibentem talem actum fieri; ſed purè concomitanter ſe haberet ad actum illum ignoratum; atque ideò talis non peccaret propter ignorantiam, ſi peccaret; ſed peccaret purè concomitanter ignorans, ut dicit Philoſophus 3. *Ethic.* & notat D. Thomas *loc. cit.* Ex quo infertur quod ſola ignorantia antecedens, & ignorantia conſequens, de quibus diximus ſupra, poſſunt eſſe cauſa actus peccati, non autem concomitans.

272 Quod ſi inquiras: & quænam eſt ſcientia hæc, quæ prohiberet actum fieri; & quam ignorantia removendo, eſſet in cauſa, quare agens actum illum ageret, quem aliàs non ageret, ſi ſciret? Reſpondeo eiuſmodi ſcientiam eſſe duplicem cognitionem ad quemlibet humanum actum neceſſariam: alteram ſcilicet qua oportet hominem jura, quibus, dum agit, ſe conformare debet, agnoſcere; & hæc dicitur ſcientia univerſalium: alteram verò, qua oportet & ipſum factum in ſingulari, quod agit, in ſeipſo diſcernere, illudque individualiter agnoſcere ſecundùm individuales ipſius circũſtantias: & hæc dicitur ſcientia facti, ſeu cognitio circumſtantiarum. Et ratio huius eſt, quia ut advertit D. Thomas: qui confert de ſuis agendis, neceſſe eſt quod utatur quodam ſyllogiſmo practico concludente judicium electionis, ſeu operationis eligendæ in ſingulari, quia actiones humanæ in ſingularibus ſunt: Unde concluſio ſyllogiſmi practici ſeu operativi eſt ſingularis. Singularis autem propoſitio non concluditur ex univerſali, niſi mediante aliqua propoſitione ſingulari. ac proindè neceſſe eſt, quod qui confert de ſuis agendis, habeat duplicem ſcientiam, ſeu cognitionem: Alteram ſcilicet propoſitionis ſeu præmiſſæ univerſalis: Alteram verò præmiſſæ ſingularis; ut indè concludat in ſingulari, hoc hîc, & nunc eſſe, vel non eſſe agendum. ut v. g. ad concludendum hîc, & nunc actum aliquem, puta parricidium, non eſſe agendum; oportet quod quis ſciat univerſaliter patrem non eſſe occidendum: & inſuper quod ſciat hunc hominem hîc, & nunc ſibi præſentem eſſe patrem: indè enim per utriuſque ſcientiam concludit eius ratio practica non eſſe ſibi hîc, & nunc eiuſmodi actum agendum; & per utramque ſcientiam dirigitur eius voluntas, & prohibetur ſeu impeditur ab actu illo faciendo. Sicut igitur ratio practica ſecundùm eiuſmodi duplicem ſcientiam eſt in nobis directiva noſtrorum actuum: Ita & ignorantia unius, vel alterius, per hoc quod removet unam, vel alteram eiuſmodi ſcientiam dirigentem, & prohibentem eiuſmodi actum, poteſt eſſe ſufficiens cauſa dicti actus parricidii.

273 Quod autem eiuſmodi duplex ſcientia, altera dicatur univerſalium ſeu juris: Altera verò circumſtantiarum ſeu facti, colligitur ex eodem D. Thoma ibidem, dum ait: *Utriuſque ergo ignorantia poteſt cauſare parricidii actum, ſcilicet & univerſalis principii, quod eſt quadam regula rationis; & ſingularis circumſtantiæ.* In quibus verbis ponderandum eſt, quod D. Thomas ſcientiam illam propoſitionis ſeu principii univerſalis, puta quod pater non ſit occidendus, appellat regulam rationis: Alteram vero ſcientiam ſcilicet propoſitionis ſeu principii ſingularis, puta quod hîc homo ſit ipſius pater, appellat ſcientiam ſingularis circumſtantiæ. Per quod videtur apertiſſimè inſinuare, quod ignorantia primæ ſcientiæ nempè univerſalis ſit ignorantia juris; nam regula rationis idipſum ſonat, quod dictamen quoddam rationis rectum, quod lex ipſa ſeu jus naturale eſt; vel aliud jus in mente participatum: Ignorantia verò ſecundæ ſcientiæ ſit alicuius ſingularis circumſtantiæ, quæ eadem eſt ac facti.

274 Quod hîc obiter, ſed ex induſtria adnotare volui, ut indè, & ex combinatione alterius textus eiuſdem D. Thomæ ſupra adducti *q.* 6. *a.* 8. ubi exponendo ignorantiam conſequentem, dixerat ad hanc reduci ignorantiam univerſalium juris: manifeſtè appareat quod juxta mentem D. Thomæ ignorantia alicuius principii ſeu propoſitionis univerſalis in ſyllogiſmo practico determinato; & generatim ignorantia omnium principiorum univerſalium in omnibus ſyllogiſmis practicis, & determinatis, ſemper eſt ignorantia juris; & hanc ipſemet D. Thomas univerſaliter ad ignorantiam conſe-

quentem

quentem revocat,quæ eſt voluntaria, & culpabilis. Sed hoc alibi iterùm exponendum eſt. Ignorantia verò alterius principii ſingularis, quæ dicitur ſingularis circumſtantiæ, eſt ignorantia facti, quæ facilè poteſt eſſe antecedens, ac propterea involuntaria, & inculpabilis. de utraque autem alibi, & ſuo loco redibit ſermo.

275 Pro nunc autem ſatis eſt concludere, quod ignorantia poteſt eſſe cauſa actus peccati, non per ſe, ſed per accidens & tanquam removens prohibens: non tamen omnis ignorantia poteſt eſſe huiuſmodi; ſed ſolùm illa, quæ tollit aliquam ex duabus prædictis ſcientiis, quæ ſi eſſet, actus peccati impediretur, & non fieret abagente. Et huiuſmodi eſt ignorantia antecedens, vel conſequens; non autem concomitans, ut conſtat ex dictis. Et ulteriùs quod cum eiuſmodi ſcientia, quæ tollitur per dictas ignorantias ſit duplex, nempè vel principiorum univerſalium, vel ſingularium circumſtantiarum, ut explicavimus, adhuc duplex eſt ignorantia cauſans actum peccati per oppoſitionem ad utramque ſcientiam, puta vel alicuius principii univerſalis, vel alicuius ſingularis circumſtantiæ: et illam dicimus eſſe ignorantiam juris; iſtam verò ignorantiam facti: utramque tamen volumus eſſe cauſam actus peccati, non per ſe, ſed per accidens, & per modum cauſæ removentis prohibens; ut dictum eſt.

CAPUT TERTIUM.

De Ignorantia in ſeipſa formaliter conſiderata.

§. I.

An Ignorantia ſit peccatum in ſeipſa.

276 DAri peccata ignorantiæ, quæ videlicet contingat ex ignorantia fieri certiſſimum eſt. Et eiuſmodi peccata poſſe optimè nomine ſuæ cauſæ ignorantias appellari non eſt dubium: quo ſenſu illud *Pſal.* 24. intelligendum exiſtimo: Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Sed hic non de peccato ignorantiæ, quod ſcilicet ex ignorantia fit, inquirimus; ſed de peccato ignorantiæ, quod in ipſamet ignorantia conſiſtat. Et ſenſus quæſiti eſt: An ignorantia formaliter, & in ſeipſa conſiderata ſit peccatum? multum enim refert videre hic an ignorantia, de qua ſupra diximus eſſe ſæpè ſæpiùs cauſam peccati, ſit in ſeipſa, & formaliter peccatum? nam ſi ipſa peccatum eſt in ſe aliquando, & qua tale actum peccati interdum cauſat, procul dubio non poterit actum peccati, cuius ipſa eſt cauſa, à ratione peccati excuſare, cum & ipſa in ſeipſa peccatum ſit; non enim peccatum poteſt a peccato excuſare.

277 Pro reſolutione igitur quæſiti advertendum eſt, quod ignorantia poteſt ſumi dupliciter: primò prout formaliſſimè importat privationem ipſam, ſen carentiam ſcientiæ in ſubiecto apto nato habere illam. & ſic, ut benè advertit Caietanus 1. 2. *q.* 76. *a.* 2. nulli virtuti morali opponitur, ſed ſoli ſcientiæ, qua privat, quæ eſt virtus intellectualis; ac propterea non poteſt ſic conſiderata eſſe in ſe peccatum; omne enim vitium ſeu peccatum morale alicui virtuti morali opponi per ſe debet. Præterea ſi ignorantia ſecundùm ſe prout eſt pura privatio ſcientiæ, & oppoſita privativè alicui virtuti purè intellectuali eſſet peccatum; cum jam omnis ignorantia ſit per ſe alicuius ſcientiæ privatio; jam omnis ignorantia quantumcumque etiam involuntaria, & homini non neceſſaria, peccatum eſſet; quod falſiſſimum eſt: Conſtat enim non eſſe peccatum ignorantiam Geometriæ, & ſimilium ſcientiarum, niſi in caſu; ut docet D. Thomas ſuprà citatus. Secundò ſumi poteſt ignorantia prout importat privationem ſcientiæ non formaliter ſumptam, ſed activè vel quaſi activè ſumptam, quo pacto formaliſſimè dicit omiſſionem debitæ ſtudioſitatis pro alicuius ſcientiæ acquiſitione, ſeu negligentiam in acquirendo ſcientiam aliquam, quæ ſe habet ut quidam quaſi actus ignorantis, quo quaſi activè ſe privat ſcientia illa, & ad quem ſubſequitur quaſi eius effectus privatio illa formalis ſcientiæ in eius intellectu ſubiectata. Et de ignorantia in hoc ſenſu ſumpta debet hic procedere difficultas, non de ipſa formali privatione ſcientiæ, quæ eſt eius effectus, & quaſi eius obiectum undè ſpecificatur. Et hac diſtinctione præmiſſa facilis evadit reſolutio quæſiti.

278 Dico igitur: Ignorantia prout eſt privatio ſcientiæ debitæ activè ſumpta eſt in ſeipſa formaliſſimè conſiderata peccatum; ſic enim opponitur per ſe virtuti morali ſtudioſitatis: & per eam homo voluntariè privatur ſcientia eorum, quæ poteſt & tenetur ſtudioſa ſollicitudine ſcire, & quæ de facto ſciret, ſi diligentiam ſibi debitam non prætermitteret, quam tenetur adhibere.

279 Hæc aſſertio eſt expreſſa mens D. Thomæ 1. 2. *q.* 76. *a.* 2. ubi ſic habet: *Ignorantia verò importat ſcientiæ privationem, dum ſcilicet alicui deeſt ſcientia eorum, quæ aptus natus eſt ſcire. Horum autem quædam aliquis ſcire tenetur, illa ſcilicet, ſine quarum ſcientia non poteſt debitum actum rectè exercere. Undè omnes tenentur ſcire communiter ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta: ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant. quædam verò ſunt, quæ & ſi aliquis natus eſt ſcire, non tamen ſcire tenetur, ſicut Theoremata Geometriæ, & contingentia particularia, niſi in caſu. manifeſtum eſt autem quod quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis. Undè propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum. non autem imputatur homini ad negligen-*

tiam, ſi neſciat ea, quæ ſcire non poteſt. Undè horum ignorantia invincibilis dicitur, quia ſtudio ſuperari non poteſt: & propter hoc talis ignorantia, cum non ſit voluntaria, eo quod non eſt in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum. Ex quo patet quod nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum. Ignorantia autem vincibilis eſt peccatum, ſi ſit eorum, quæ aliquis ſcire tenetur; non autem ſi ſit eorum, quæ quis ſcire non tenetur. Hæc D. Thomas.

280 Ex quo textu, ſi benè conſideretur, conſtat quod D. Thomas non dicit ignorantiam, quæ eſt formalis privatio ſcientiæ eſſe peccatum, niſi propter negligentiam, & quatenùs quis negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere vel facere, hoc ipſo enim (inquit) manifeſtum eſt quod peccat peccato omiſſionis. Ergo per D. Thomam peccatum ignorantiæ formaliſſimè conſiſtit in tali negligentia ſive omiſſione ſtudioſitatis, per quam homo poteſt, & tenetur ſcientiam ſibi debitam habere. Huiuſmodi autem negligentia, ſive omiſſio, non eſt ipſa formalis privatio ſcientiæ ſibi debitæ, ſed potiùs privatio quædam activè, vel quaſi activè ſumpta, ex qua ſubſequitur privatio illa formalis quaſi eius effectus, & quæ per ordinem ad talem effectum, quem cauſat, utique deordinatum, quaſi ex proprio obiecto ſpeciem ſuæ malitiæ deſumit. Ergo peccatum ignorantiæ per D. Thomam formaliſſimè conſiſtit in privatione ſcientiæ activè ſumpta, vel quaſi activè; ut diximus in aſſertione noſtra, dummodò ſit in ordine ad ea, quæ quis poteſt, & tenetur ſcire. alioquin nulla ſupponitur negligentia ſeu omiſſio aut privatio activa moraliter culpabilis, & imputabilis. ut ibidem expreſsè aſſerit D. Thomas

281 Et hinc eſt quod non omnis ignorantia eſt peccatum, ſed ea ſolùm quæ eſt eorum, quæ homo poteſt, & tenetur ſcire, Tenentur autem omnes communiter ſcire, ut dicit D. Thomas in ſuperiori textu, ea quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta: & generatim unuſquiſque ea, quæ ad ipſius ſtatum, vel officium ſpectant. Ex quo apparet, quod D. Thomas ſupponit regulariter hæc poſſe ab unoquoque ſciri; undè ſi aliquando contingat quod aliqua iſtorum ſciri non poſſint, non erit tunc eorum ignorantia peccatum, ut ſi quis natus in ſylvis nihil audiat de Chriſti Evangelio: vel aliquis citra eius negligentiam non perveniat in notitiam alicuius conſtitutionis Pontificiæ. Econtra verò non tenetur homo, regulariter loquendo, ſcire Theoremata Geometriæ, & ſimilia, neque contingentia particularia, niſi in caſu; ut idem D. Thomas dicit, puta ſi & aliquando alicui opus fuerit ſimilia ſcire ad actus ſuos rectè exercendos; undè non tenetur quis ſcire, quod quis per viam tranſeat; niſi in caſu, quo velit illhùc jacere lapidem vel ſagittam; tunc enim tenetur diligentiam debitam adhibere; alioquin eius ignorantia peccatum erit; quia non poteſt actum illum rectè exercere, niſi periculum, quod tunc imminet aliquem occidendi, diligenter caveat per debitam inquiſitionem. quod ſi poſt debitam inquiſitionem factam, ita ut non maneat ampliùs ratio prudenter dubitandi de tali periculo, lapidem jaciat, & nihilominùs contingit caſualiter aliquem ſupervenire, citra omnem eius negligentiam, tunc non erit eius ignorantia peccatum ſi illum occidat.

§. II.

Satisfit obiectionibus in oppoſitum.

282 POſſet autem contra aſſertionem noſtram inſtari, quod peccatum ſemper in aliquo actu debet conſiſtere, dicitur enim ex Auguſtino, quod ſit dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam. Ignorantia verò neque prout eſt formalis privatio ſcientiæ, neque prout dicit negligentiam, & omiſſionem debiti ſtudii actum aliquem dicit, ſed potiùs eiuſmodi actus privationem. ergo non videtur poſſe dici formaliter peccatum; ſed potiùs quid conſequens ad peccatum, puta ad actum voluntatis, undè talis omiſſio ſuo modo quaſi procedit, & voluntaria dicitur. Sed ad hoc reſpondetur quod ipſa negligentia ſeu omiſſio debiti actus, ideſt ſtudii, quod voluntariè omittitur, formaliter & in ſeipſa quaſi pro actu reputatur, quia negationes ipſæ actuum ad idem genus cum ipſis actibus reducuntur; quemadmodum negationes, & privationes omnes quarumcumque formarum dicuntur generatim ad ipſarum formarum genus, quibus privant, reductivè pertinere. Undè nomine dicti, facti, vel concupiti in definitione peccati tradita ab Auguſtino, veniunt nedùm actus ipſi, ſed etiam & negationes & privationes eorum ipſis oppoſitæ. Et conſtat hoc univerſaliter in omiſſionibus omnibus peccaminoſis, de quibus non eſt dubium eſſe in ſeipſis formaliter peccata, ut eſt omiſſio Miſſæ in die feſtivo, omiſſio Communionis in Paſchate, & ſimiles quæ pro quaſi actibus reputantur, & in ſeipſis prohibitæ intelliguntur eiſdem præceptis, quibus & ſui actus oppoſiti poſitivè mandantur. Sicut ergo iſtæ non in ſolo actu voluntatis, undè voluntariæ dicuntur, culpam ſupponunt, ſed etiam in ſeipſis formaliter ſunt peccata; ita etiam in propoſito & hæc omiſſio ſeu privatio quaſi activa ſcientiæ dicitur in ſeipſa formaliſſimè ipſum peccatum ignorantiæ.

283 Et ſi replices omiſſio iſta debitæ ſtudioſitatis ad idem genus reductivè pertinet, ad quod, & actus ipſe virtutis ſtudioſitatis omiſſus, ut dicitur in prædicta reſponſione: ſed virtus ſtudioſitatis cum ſit virtus moralis ad voluntatem pertinet, & in ipſa reſidet, non in intellectu; econtra verò ignorantia tota quan-

ta eſt videtur in ſolo intellectu eſſe; ergo nullo modo debet dici in ſe, & formaliter peccatum, ſed potiùs quid conſequens ad peccatum negligentiæ exiſtentis formaliter in voluntate. Ad hoc reſpondetur quod negligentia, ut advertit Caietanus, & infra magis explicabimus, eſt nomen æquivocum, vel quaſi æquivocum, importans in ſe, & peccatum oppoſitum prudentiæ, & peccatum oppoſitum ſtudioſitati. Negligentia autem primo modo ſumpta, de qua loquitur D. Thomas 2.2.*q.* 54. *a.* 2. Opponitur ſolicitudini, quæ pertinet ad intellectum, & rectitudo talis ſolicitudinis ad prudētiam in eodem intellectu reſidentem; ac proindè per oppoſitum, negligentia hæc importat omiſſionem quamdam ex parte intellectus, & in hac omiſſione, de qua infra dicemus, volumus conſiſtere formaliſſimè peccatum ignorantiæ, quia hæc propriè per ſe, & immediatè quaſi activè privat morali ſcientia ſeu cognitione agenti debita, ut prudenter agat. Negligentia autem ſecundo modo ſumpta opponitur virtuti morali ſtudioſitatis reſidētis utique in voluntate; & hæc importat omiſſionem quamdam ex parte voluntatis, quatenùs hæc omittit uti, ſicut debet, intellectu, illiuſque ſolicitudine ad prudentiam ſpectante; ex quo fit quod per hanc omiſſionem voluntatis, reddatur & illa omiſſio intellectus voluntaria, ſicque fiat dependenter ab iſta formaliter in ſeipſa peccaminoſa, utpotè ab iſta quaſi imperata, formaliter autem ab ipſo intellectu quaſi elicita. quemadmodum contingit in quibuſcumque aliis omiſſionibus peccaminoſis, quæ formaliter ſunt quaſi elicitæ ab aliis potentiis, à voluntate verò quaſi imperatæ; cum generalis conditio omnium peccatorum ſit, quod peccata non ſint, niſi ut voluntaria. atque ideò ignorantia non eſt quid purè conſequens ad peccatum voluntatis, quaſi eius formale peccatum in voluntatis peccato conſiſtat, ipſa autem in ſeipſa peccatum non ſit; ſed eſt quid conſequens ad peccatum voluntatis ſecundùm conditionem generalem omnium peccatorum, quæ talia eſſe non poſſunt, niſi ut voluntaria; cum quo tamen ſtat, quod ipſa in ſeipſa ſit formaliſſimè peccatum, ſicut & alia peccata, prout eſt ab intellectu quaſi elicita, & in ipſo tota quanta eſt formaliſſimè reſidens.

284 Obiicies ulteriùs: omne peccatum per pœnitentiam tollitur, & nullum actu permanet, remoto per pœnitentiam eius reatu. Sed ignorantia non tollitur per pœnitentiam, ſed adhùc poſt illam actu permanet. Ergo ipſa non eſt in ſeipſa peccatum, ſed potiùs quid conſequens ad peccatum. Reſpondeo ad hoc ex dictis, quod licet ignorantia, tranſeunte eius reatu per pœnitentiam, adhùc remaneat ſecundū quod eſt formalis privatio ſcientiæ; non tamen remanet ſecundùm quod eſt privatio activa illius, ſeù prout eſt negligentia & omiſſio debiti ſtudii ad illam acquirendam neceſſarii; ſic enim, ut diximus, eſt quaſi quidam actus intellectus, ab ipſo elicitus, vel quaſi elicitus, & a voluntate quaſi imperatus, qui numquàm eſt de ſe permanens, ſed tranſiens, quēadmodùm fuiſſet actus ipſe ſtudioſitatis oppoſitus, ſi intellectus, & voluntas non defeciſſent; dicitur autem ſolùm poſt ſe manere quoad reatum, ſicut & omnes alii actus peccatorum; qui quidèm reatus per pœnitentiam tollitur, ſicut & aliorum reatus. Undè poſt pœnitentiam non manet actus, vel quaſi actus peccati ignorantiæ, imò neque ante pœnitentiam; ſed ſupponitur, immediatè ac quaſi actus fuerit, tranſiiſſe; ſed ſolùm manere dicitur ante pœnitentiam quoad reatum, qui poſt pœnitentiam tollitur, ſicut dicitur de quolibet actu peccati: privatio autem formalis ſcientiæ, quæ eſt ipſa formalis ignorantia manet, ſed hæc eſt effectus actus, vel quaſi actus peccati ignorantiæ, & non peccatum ipſum, ut dictum eſt ſupra.

285 Obiicies 3. Si ignorantia eſſet peccatum in ſeipſa quocumque modo ſumpta, ſequeretur, quod quandiù homo in ignorantia maneret, continuè peccaret. Sed hoc eſt falſum. Ergo ipſa in ſe non eſt peccatum. Ad hoc reſpondeo quod cum ignorantia, ut dictum eſt, ſit peccatum omiſſionis debiti ſtudii, per oppoſitionem quam dicit ad virtutem ſtudioſitatis, ac propterea ſit contra eius præceptum affirmativum de debito ſtudio adhibendo; conſequenter fit, quod ſicut in quibuſcumque aliis peccatis omiſſionis ſolo illo tempore dicitur homo actualiter peccare, pro quando præceptum affirmativum obligat: ita & in peccato ignorantiæ. quare actualiter ignorans id, quod ſcire tenetur, non ſemper & continuè peccat; ſed ſolùm quando urget eiuſmodi præceptum affirmativum acquirendi ſcientiam, quam habere tenetur: Præcepta enim affirmativa licet ſemper obligent, non tamen obligant ad ſemper, ut communiter dicitur.

286 Sed ex hac reſponſione ſtatim inſurgit difficultas, quandonam ſit quod hoc præceptum affirmativum virtutis ſtudioſitatis de ſcientia acquirenda, homini aliàs neceſſaria, de facto urgeat; ita ut homo tunc omittendo debitum ſtudium actualiter peccet. Pro qua ſit.

§. III.

Quando incipiat peccatum ignorantiæ, ſeu peccatum omiſſionis debitæ ſtudioſitatis in qua peccatum ignorantiæ conſiſtit.

287 PRo huius dubii ſolutione ſciendum eſt, quod ſcientia debita moralium, de qua hîc loquimur, & quà privat ignorantia, non eſt per ſe neceſſaria, & propter ſeipſam, ſed ad finem dirigendi morales actus. quare nec ſtudium, quod ad illam acquirendam prærequi-

requiritur, per ſe præcipitur; quaſi quod ſit aliquod præceptum ſeu lex per ſe primò, præcipiens ſtudium ad ſcientiam acquirendam propter ſeipſam: Sed præcipitur per accidens, & de ſecundario ab eadem lege, cui talis ſcientia deſervit. Una enim & eadem lex, quæ per ſe primò aliquid præcipit, aut prohibet; intelligitur de ſecundario præcipere quæcumque ad eius præcepti primarii, & per ſe intenti obſervantiam neceſſaria ſunt; & ſimiliter prohibere quæcumque dictam eius obſervantiam impedire poſſunt; & in hoc ſubintrant ex vi eiuſdem legis præcepta virtutum, quæ cum obſervantia eiuſdem legis primariæ connexionem neceſſariam habent; inter quas præcipua, & univerſalior eſt ſtudioſitas, & ſolicitudo rationis, quæ ad prudentiam pertinet, undè ultimatè dependet directio ſingularis agibilis hìc & nunc faciendi, prout à lege illâ primariâ præcipitur. Niſi enim ſciatur hìc & nunc eiuſmodi legis præceptum urgere, non poterit agens hìc & nunc ſecundum prudentiam dirigi ut illud exequatur, ad hoc autem ut hoc ſciat, & ſecundùm talem ſcientiam dirigatur, neceſſariò prærequiritur ſolicitudo rationis, & voluntatis; & ideò ex vi eiuſdem legis intelliguntur de ſecundario præcepti actus virtutum ſtudioſitatis & prudentiæ, ad quos procul dubio tunc agens non teneretur, ſi lex illa de actu illo primario tunc præcepto non urgeret. Quarè lex v.g. de audiendo ſacro in die feſtivo intelligitur de ſecundario præcipere unicuique fideli quod notitiam habeat dicti juris Eccleſiaſtici, & dierum feſtorum, & prohibere ſimul pro eodem tempore cæteras alias occupationes etiam in ſe licitas, quæ poſſunt tale præceptum impedire: ſed quia hæc omnia pro tanto præcipiuntur, aut prohibentur, pro quanto eiuſdem legis præcepto primario deſerviunt; ideò non ponuntur in numero cum illo, ſed ad illud reducuntur, & ad eamdem illius ſpeciem pertinent, & veluti quædam circumſtantiæ illius; nec aliam vim obligandi habent, quàm illius: unde niſi illud urgeat, non obligant: & niſi quis ad illius primarii præcepti transgreſſionem pertingat, non poterit transgreſſio iſtorum illi ad culpam imputari: neque illud primarium transgrediendo erit plurium peccatorum Reus, ſed illius unius, quod eſt contra præceptum primarium, quia ad hoc unum quæcumque alia tranſgreſſio pertinet reductivè. Unde ſi quis aliquo die feſto v. g. ex propria negligentia ignoret eſſe diem feſtum, & in tali ignorantia uſque ad meridiem perſiſtat, vel voluntariè toto eo tempore in aliis occupationibus ſe impediat, non tamen animo omittendi ſacrum; & poſtremâ horâ ſciat eſſe feſtum, vel ſe expediat à voluntariis illis occupationibus, & ſatisfaciat præcepto, non dicitur toto eo tempore præcedente peccaſſe peccato negligentiæ ſeu ignorantiæ, eo quod neglexerit antea ſcire; aut peccato indebitæ occupationis, eo quod indè extiterit antea voluntariè impeditus ab auditione ſacri; quia non pervenit uſque ad tranſgreſſionem ipſius præcepti primarii completivè. Si verò uſque ad hanc perveniat, tunc procul dubio peccatum ignorantiæ, vel indebitæ occupationis incurrit; ſed non proindè plura peccata dicitur committere, niſi unum tantùm omiſſionis videlicet ſacri, licet hoc ex ignorantiæ, vel indebitæ occupationis culpâ procedat, quæ tunc ſe habet, ut quaſi quædam circumſtantia illius.

288 Ex quo infertur quod præceptum iſtud affirmativum acquirendi ſcientiam eorum, quæ quis ſcire tenetur, quod ad virtutem ſtudioſitatis pertinet, tunc & eo tempore aliquem obligat, quando peremptoriè urget præceptum legis primariæ, cui talis ſcientia neceſſaria ſupponitur: hoc eſt, ſic toto tempore præcedente obligat, ut infra totum illud uſque ad præfatum terminum ſemper homo ſit in tempore ſervandi illud; nec peccet antea, dummodò non ſinat totum illud tranſire, & indè contra præceptum legis primariæ ex ignorantia agat. quare ſi hodie v. g. urget peremptoriè præceptum annuæ confeſſionis, & aliquis nunc primò acquirit ſibi notitiam illius, ac proindè poteſt opportunè illud ſervare, & fatetur de facto peccata ſua; licet toto anni tempore præcedente neſciverit, non proindè dicitur peccaſſe peccato ignorantiæ, quia adhùc infra tempus erat ſciendi illud: neque enim ad aliud id ſcire tenebatur, niſi ut eâ ſcientiâ dirigeretur ad faciendam hodie confeſſionem annuam jure eccleſiaſtico præceptam. At ſi nec hodie noviſſet, atque ideò confeſſionem non feciſſet, peccaſſet jam peccato ignorantiæ ſeu negligentiæ, & omiſſionis contra virtutem ſtudioſitatis, quod tamen non eſſet diſtinctum peccatum ab omiſſione ipſa annuæ confeſſionis, quia ad illud reducitur quaſi circumſtantia illius; ſe habet enim ad illud ut cauſa, ſeu ut ratio cur annua confeſſio omittatur, quæ inter circumſtantias numeratur, & ut talis de ſecundario præcipitur eodem præcepto annuæ confeſſionis media virtute ſtudioſitatis legibus omnibus univerſaliter miniſtrante.

289 Hæc reſolutio expreſſè docetur à Caietano ex D. Thoma 2. 2. *q*. 54. *a*. 3. ubi ſic ait: *In peccatis mortalibus ſi diſtinguendus eſt defectus rationis à defectu appetitus, aut alterius executivæ potentiæ plura genera peccatorum in uno actu inveniuntur v. g. ſi quis negligendo iura partium, iniuſtam fert ſententiam: ſuis in ratione imprudentiæ reus eſt ſecundùm negligentiæ ſpeciem: foris autem in actu judicii iniuſtitiæ reus eſt, & ſimile eſt in aliis. Et ideò litera dicit, quod negligentia trahitur ad aliud genus peccati. Et par eſt ratio de præcipitatione, inconſideratione, & inconſtantia, quæ circa actus rationis communes omnibus moralibus ſunt, ſicut & negligentia.* Hæc Caietanus ex D. Thoma.

Ex

290 Ex quibus verbis juxta literam D. Thomæ apparet, quod negligentia, ſecundum quam eſt peccatum ignorantiæ, & ſimiles alii defectus rationis, non ſunt à Theologo Morali conſiderandi in ſeipſis, & ſecundum ſe; alioquin in uno actu multiplicarentur peccata: ſed potiùs conſiderandi ſunt per ordinem ad defectus, ſeu peccata contra leges, ſeu virtutes morales principales per ſe primò aliquid præcipientes, aut prohibentes; quatenùs reſpectu iſtorum ſunt veluti circumſtantiæ quædam, quæ ad eorum ſpeciem reducuntur moraliter loquendò; ſe habent enim ut cauſa, & ratio, cur illa committantur, ut dictum eſt: licet methaphyſicè loquendo ſint in ſeipſis defectus, & peccata ſpecie diverſa. quare ſententia Judicis v. g. iniuſta ex ignorantia Judicis prolata, eo quod neglexerit ſcire jura partium, ſicut debebat, unum idemque peccatum eſt iniuſtitiæ, circumſtantiatæ tamen circumſtantia ignorantiæ culpabilis; quod proindè dicitur iniuſtitia cum addito, ideſt facta ex ignorantia; ita ut ignorantia non ſit diſtinctum peccatum ab iniuſtitia illa; ſed potiùs circumſtantia illius, diminuens illud, & reddens in ſua ſpecie minùs grave, quam ſi fuiſſet ex certa malitia; quia ignorantia quantumvis in ſe culpabilis ſit, reddit aliqualiter minùs voluntarium peccatum principale, cui coniungitur.

§. IV.

Satisfit obiectionibus contra præcedentem Doctrinam.

291 SEd contra allatam Doctrinam, qua ſupra diximus, præceptum iſtud affirmativum ſtudioſitatis, cui opponitur ignorantia, non frangi toto tempore præcedente ad terminum peremptorium præcepti legis primariæ, dummodò antequam præfatus terminus pereat, ſcientia habeatur; ac propterea toto eo tempore præcedente ignorantiam non eſſe peccatum. Contra hanc doctrinam (inquam) poteſt ſic validè inſtari. Nam peccatum omiſſionis ex communi doctrina incipit ab aliquo actu voluntario, qui ſit cauſa, vel occaſio omittendi, ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 71. *a.* 5. & patet ratione; quia niſi quis velit omittere, vel ponere actum aliquem incompoſſibilem cum actu præcepto, qui proindè ſit occaſio vel cauſa omittendi illud, omiſſio actus præcepti non poterit eſſe voluntaria, ac per conſequens nec peccatum. Unde quia infirmus v. g. non vult die feſto ſacrum omittere, neque ponit aliquid voluntariè incompoſſibile cum illo, puta manſionem in lecto, quia hæc contra eius voluntatem eſt, & ex neceſſitate; ideò non dicitur ei voluntaria omiſſio ſacri, nec peccatum. At ſi vellet ſacrum voluntariè omittere, aut poneret quis voluntariè manſionem in lecto, nulla eum cogente neceſſitate; eſſet ei omiſſio illa voluntaria, & peccatum; quæ inciperet procul dubio eſſe ipſi voluntaria à volitione illa formali omittendi, vel ab actu illo manſionis voluntariæ in lecto, quæ eſſet virtualiter voluntas omittendi. Sed peccatum ignorantiæ, ut dictum eſt, eſt peccatum omiſſionis; ergo incipit ab aliquo actu voluntario, qui ſit cauſa vel occaſio ipſius. ergo falſum eſt, quod diximus, quod ſcilicet toto tempore præcedente ad terminum peremptorium præcepti legis primariæ, cui ſcientia deſervit, ignorantia non ſit peccatum, niſi de facto totus præfatus terminus peremptorius elabatur; debet enim tale peccatum antea incipere, ab actu illo ſcilicet voluntario, qui ab initio ponitur, & poteſt eſſe cauſa vel occaſio omittendi.

292 Ad hanc inſtantiam reſpondeo doctrinam illam communem veriſſimam eſſe de peccato quolibet omiſſionis, ac per conſequens etiam de peccato ignorantiæ. At ignorantia legis, ſeu omiſſio ſcientiæ illius, toto tempore præcedente ad terminum peremptorium ipſius legis, ſi non pertingat ad actualem, & effectivam omiſſionem ipſius legis principalis, eo quia hæc tandem congruo ſuo tempore impletur, non eſt peccatum, nec omiſſio peccaminoſa, ut dictum eſt; ac proindè non potuit in ratione peccati incipere neque antecedenter ad impletionem legis, neque poſt legem impletam; quod enim numquam peccatum eſt, non habet quando poſſit incipere eſſe peccatum, quantumcunque ſupponatur voluntarium. Undè ſi quis v. g. die feſtivo nolit audire miſſam uſque ad horam tertiam, vel ponat pro eodem tempore voluntariè actum incompoſſibilem cum auditione miſſæ; poſt horam autem tertiam, miſſam audiat, & præcepto ſatisfaciat; iſte talis licet toto illo tempore præcedente omittat voluntariè miſſam, non proindè peccat, neque dici poteſt incœpiſſe peccare peccato omiſſionis; quia illa prima nolitio nec formaliter, nec virtualiter eſt voluntas omittendi præceptum; ac proindè neque eſt cauſa neque occaſio omiſſionis illius; neque de facto ad illam ſuccedit aliqua omiſſio præcepti: & ita de facto ſe habet ignorantia legis toto tempore præcedente ad terminum peremptorium eiuſdem legis implendæ, ſi non pertingatur ad actualem, & effectivam omiſſionem illius. Non ſic autem ſi ad hanc de facto deveniatur; quia tunc, & ipſa omiſſio legis, & ipſa legis ignorantia ab illo primo actu ſimul incipiunt eſſe peccatum, ſicut & omnes aliæ omiſſiones juxta communem doctrinam.

293 Verùm pro maiori doctrinæ huius intelligentia notandum eſt quod negligentia (ratione cuius ignorantia eſt peccatum) ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 54. *a.* 3. ſub his ſequentibus verbis: *Provenit ex quadam remiſſione voluntatis, per quam contingit, quod ratio non ſolicitatur, ut præcipiat ea, quæ debet; vel eo modo, quo debet. Poteſt ergo dupliciter contin-*

gere, quod negligentia ſit peccatum mortale: uno modo ex parte eius, quod prætermittitur per negligentiam, quod quidem ſi ſit de neceſſitate ſalutis, ſive ſit actus, ſive circumſtantia, erit peccatum mortale. Alio modo ex parte cauſæ; ſi enim voluntas in tantum ſit remiſſa circa ea, quæ ſunt Dei, ut totaliter à Dei charitate deficiat, talis negligentia eſt peccatum mortale: & hoc præcipuè contingit, quando negligentia ſequitur ex contemptu. Alioquin ſi negligentia conſiſtat in prætermiſſione alicuius actus, vel circumſtantiæ quæ non ſit de neceſſitate ſalutis, nec hoc fiat ex contemptu, ſed ex aliquo defectu fervoris, qui impeditur interdùm per aliquod veniale peccatum; tunc negligentia non eſt mortale peccatum, ſed veniale. hæc D. Thomas.

294 Ex qua doctrina, ſi benè ad propoſitum applicetur, conſtat quod negligentia, ſeu omiſſio acquirendi ſcientiam alicui neceſſariam (ratione cuius ignorantia eſt peccatum) ſicut & quæcumque alia negligentia, ſeu omiſſio, poteſt dupliciter conſiderari, videlicet: primò ex parte eius, quod prætermittitur per ipſam negligentiam, quod nunc in noſtro propoſito eſt ipſa ſcientia acquirenda; hæc enim eſt, quæ per negligentiam, unde provenit peccatum ignorantiæ, prætermittitur. quare ſi hæc ſcientia prætermiſſa ſit de neceſſitate ſalutis, erit talis negligentia peccatum mortale juxta literam D. Thomæ ſupra allegatam. Sed quare? Attende rationem ab ipſo D. Thoma adductam, quia ſcilicet eſt cauſa omiſſionis alicuius neceſſarii ad ſalutem; ſive ut actus, ſive ut circumſtantiæ: ſeu quia habet pro effectu prætermiſſionem alicuius, quod eſt de neceſſitate ſalutis; hoc enim ſonat (ly ex parte eius, quod prætermittitur per negligentiam) videlicet, ex parte effectus: quod enim prætermittitur, in quantum prætermiſſum, eſt effectus ipſius prætermiſſionis ſeu negligentiæ, & hæc ſe habet ut cauſa illius prætermiſſi, in quantum prætermiſſi. Ergo quandocumque non habetur huiuſmodi effectus; hoc eſt, quandocumque nihil habetur per negligentiam prætermiſſum de neceſſitate ſalutis; ſicut in propoſito contingit, quando antecedenter ad terminum peremptorium legis habetur ſcientia alias neceſſariò requiſita ad legem implendam; ita ut de facto per illam congruo ſuo tempore adimpleatur; jam tunc ex hac parte, hoc eſt, ex parte effectus, ſeù alicuius prætermiſſi de neceſſariis ad ſalutem, non poterit ignorantia eſſe peccatum mortale, imò neque veniale; quia ubi nihil de facto prætermittitur de eo, quod alias eſt neceſſarium, ibi nulla culpa eſſe poteſt ex parte rei prætermiſſæ, ſeu ex parte effectus. Et hoc eſt, quod nos ſupra docuimus. Conſtat enim quod ſi ante terminum peremptorium legis neceſſariæ ad ſalutem habeatur ſcientia debita, & neceſſaria, pro illius obſervantia, & de facto per illam ſervetur; licet toto tempore præcedente præceſſerit ignorantia illius, nihil prætermittitur de neceſſariis ad ſalutem, nulluſque inde pravus effectus habetur. Ergo ex parte effectus nullum tunc emergit peccatum ignorantiæ, aut negligentiæ ſcientiæ illius. Et in hoc ſenſu proceſſit doctrina a nobis ſupra tradita. An autem tunc ex alio capite; videlicet, an ex parte cauſæ (qui eſt alius modus aſſignatus a D. Thoma) talis præcedens ignorantia ſit peccatum, paulò inferiùs explicabo.

295 Pro nunc autem eadem reſolutio magis illuſtratur exemplo, hoc modo: figuretur caſus quod aliquis ſciat in confuſo eſſe aliqua præcepta Eccleſiæ omnibus fidelibus communia; ſed quæ ea ſint diſtinctè, ignoret; ſciat autem quod infra ſex dies nullum eorum præceptorum urgeat adimplendum: atque ideò ſecum reſolvat explicitè nolle ea ſcire ante ſextum diem; quia videt infra id tempus ea non urgere, atque indè nihil ſibi deperire de neceſſariis ad ſalutem, animo tamen ea addiſcendi ſexto die, cum fuerint ad praxim deducenda; & illa tunc de facto diſcat, atque ſervet. quis tunc dicat de negligentià voluntarià, & explicitâ iſtius in addiſcendo talia præcepta, deque eius ignorantià pro eo tempore volità, quod ſit peccatum ex parte effectus, ſeu ex parte alicuius prætermiſſi de neceſſariis ad ſalutem; cum indè nullus pravus effectus habeatur, nihil quod ſit de facto prætermiſſum ad ſalutem neceſſarium? non enim indè aliquod Eccleſiæ præceptum prætermitteretur, neque ſcientia illa pro eo tempore videtur neceſſaria; cum tota eius neceſſitas ad id ſit, ut nullum ſcilicet eorum præceptorum prætermittatur ex ignorantia. Et tamen hoc exigeretur ex D. Thoma, ut eſſet negligentia illa peccatum ex parte eius, quod prætermittitur. Hoc autem quod eſſet in tali caſu ſignato, proportionaliter evenit in illo, qui multo tempore præcedente ad terminum peremptorium obſervandæ legis illam ex aliquâ negligentiâ, ſine tali explicitâ voluntate ignoravit; ſed tempore congruo ante terminum peremptum nihilominùs ſcivit, & implevit. Ergo præcedens ignorantia in iſto non poteſt eſſe peccatum ex parte effectus, ſeu ex parte alicuius prætermiſſi de neceſſariis ad ſalutem juxta doctrinam D. Thomæ, niſi de facto pertingat uſque ad effectivam tranſgreſſionem legis principalis ex defectu talis ſcientiæ ad illam prærequiſitæ. Et hoc eſt quod nos ſupra dicebamus.

296 Sed nunc videndum eſt id, quod ſupra promiſi, an ſcilicet eiuſmodi negligentia ſcientiæ, ſeu ignorantia, toto eo tempore præcedens, etiam quando indè non pertingitur ad actualem, & effectivam omiſſionem legis principalis cui talis ſcientia deſervit, poſſit fortaſſis ex alio capite eſſe peccatum, quantumvis non ſit peccatum ex parte alicuius prætermiſſi de neceſſariis ad ſalutem, ſeu ex parte effectus? Atque ideò examinandus eſt alius modus, ſecundùm

quem

quem negligentia ex D. Thoma dicitur poſſe eſſe peccatum. D. Thomas autem in verbis ſupra allegatis ſic habet: *Alio modo* (inquit) *ex parte cauſæ*. & nomine cauſæ hîc intelligit voluntatem. proſequitur enim ſic: *Si enim voluntas in tantum ſit remiſſa circa ea, quæ ſunt Dei, ut totaliter à Dei charitate deficiat, talis negligentia eſt peccatum mortale, & hoc præcipuè contingit, quando negligentia ſequitur ex contemptu*. Ergo ex D. Thoma poteſt negligentia eſſe aliundè peccatum. ergo ſimiliter negligentia acquirendi ſcientiam legis, ſeu ignorantia legis poteſt aliundè eſſe peccatum pro illo tempore præcedente ante terminum peremptorium principalis legis; etiam ſi non contingat poſtea effectiva omiſſio iſtius: quando ſcilicet procedit ex remiſſione fervoris voluntatis circa ea, quæ ſunt Dei: quæ ſi fuerit tanta remiſſio voluntatis, quod totaliter à Dei charitate deficiat, erit peccatum mortale: ſi verò ab illa non ita deficiat, erit veniale. ita colligitur ex præfato textu D. Thomæ.

297 Verumtamen doctrina hæc maiori dilucidatione indiget. Undè dico quod ignorantia legis poteſt dupliciter conſiderari: uno modo ſecundùm id, quod dicit & importat ſecundum ſe, & ex natura ſua, quo pacto nos eam ſupra conſideravimus; & ſic importat negligentiam debitæ ſtudioſitatis, quæ eſt quædam quaſi activa privatio debitæ ſcientiæ, ut diximus, & hoc modo peccatum eſt ex parte effectus, ſeu ex parte alicuius prætermiſſi de neceſſariis ad ſalutem, quod ſe habet ut effectus eius, & ſimul ut obiectum, undè ſuam ſpeciem ſumit, & formaliter conſtituitur in ratione actus vel quaſi actus peccaminoſi; & ſic veriſſimum eſt quod ſupra docuimus, quod numquam eſt peccatum, niſi effectivè ſit prætermiſſa lex ipſa principalis, cuius obſervantiæ debebat ſcientia prætermiſſa congruo ſuo tempore deſervire, videlicet antequam peremptus fuiſſet terminus illius legis; quia infra totum id tempus agens adhuc in tempore erat addiſcendi, ac per conſequens erat in mora purgabili ab omni peccato, ita ut ſi in termino dicti temporis notitiam ſibi neceſſariam acquirit, eius præcedens negligentia non poſsit dici verè incœpiſſe in ratione negligentiæ ſeu ignorantiæ peccaminoſæ ex parte effectus, ſeu alicuius prætermiſſi de neceſſariis ad ſalutem; quia licet toto eo tempore præcedente prætermittatur ſcientia, non tamen pro tunc ſupponitur neceſſaria; incipit enim eius neceſsitas, cum primò jam urget obſervantia legis principalis, cui deſervit; ac proindè ſi tunc acquiritur ſcientia, & præcedens negligentia interrumpitur, non poteſt verificari quod antecedenter incœperit in ratione actus, vel quaſi actus prætermiſsivi alicuius neceſſarii ad ſalutem. Econtra verò ſi neque tunc ſcientia habeatur, ac propterea lex non ſervetur, poterit verificari quod antecedenter incœperit, quia tunc eadem negligentia præcedens continuatur, ut una uſque ad prætermiſsionem legis incluſivè ex defectu ſcientiæ neceſſariæ, ut nos ſupra dicebamus. Alio modo autem poteſt ignorantia legis conſiderari non ſecundùm ſe, ſed ex parte cauſæ, hoc eſt ex parte agentis, qui pro varia ſuæ voluntatis diſpoſitione variè poteſt ad ſuam ignorantiam ſe habere: ut enim ait D. Thomas in textu ſuperiùs adducto, negligentia provenit ex quadam remiſsione voluntatis, ac per conſequens etiam negligentia ſcientiæ, in qua peccatum ignorantiæ conſiſtit, poteſt procedere, & de facto procedit ex tali remiſsione voluntatis; poteſt autem agens variè remiſsus eſse in ſua voluntate à fervore divinæ dilectionis; Interdùm enim eſt adeò remiſſus, ut totaliter à Dei charitate deficiat, ut ibidem dicit D. Thomas; & tunc procul dubio defectum habet in radice, deficit enim à Deo ultimo fine, qui eſt radix omnium agendorum, & propter quem omnia ſunt agenda; ac propterea qui in ſe eſt ſic malè diſpoſitus, totaliter remiſſus eſt, & frigidus circa ea, quæ ſunt Dei, atque ideò totaliter negligens, & veluti contemnens neceſſaria ſuæ ſalutis, & ideò dicit D. Thomas loco citato, quod talis negligentia eſt peccatum mortale ex parte cauſæ; *& hoc* (inquit) *præcipuè contingit, quando negligentia ſequitur ex contemptu*. quod ego in propoſito noſtro ignorantiæ, dico contingere, quando aliquis vult directè & formaliter leges ignorare, ut liberiùs agat, & non retrahatur a ſua effrenatâ libertate, conſcientiâ per ſcientiam remordente, ac retrahente: hoc enim eſt manifeſtè contemnere ſcientiam legum, & leges ipſas ad ſalutem neceſsarias: vel quando aliquis adeò propriis concupiſcentiis, & vitiis deditus vivit, ac Dei præceptorum negligens, quod videat ſaltem exercitè ſibi multum chriſtianæ diſciplinæ deeſse & de illa non curat. videtur enim talis homo ſcientiam viarum Domini contemnere, & earum ignorantiam ei ex contemptu contingere: convincitur enim, hoc ipſo quod ſic pravè diſpoſitus in ſua voluntate vivit, ſe nolle ſubiici legi, ſeu regulæ agendorum omnium moderatrici, qualis eſt ſcientia moralium agendorum; in quo propriè conſiſtit ratio contemptus, ut exponit D. Thomas 2. 2. *q.* 186. *ar.* 9. *ad* 3. Et tunc procul dubio eiuſmodi ignorantia peccatum mortale eſt ex parte cauſæ, juxta præfatum textum D. Thomæ; etiam ſi non contingat interdùm ex tali ignorantiâ effectiva omiſſio alicuius præcepti legis principalis; & eiuſmodi peccatum ignorantiæ ſeu omiſsio ſcientiæ dicitur incipere ab illo primo actu voluntatis agentis, quo cœpit ſe ita diſponere; nec deſinit umquam peccatum talis ignorantiæ eſse tale, donec retractetur talis prava voluntas, & deſinat contemptus debitæ ſcientiæ. & ratio huius eſt quia in tali caſu ipſa ignorantia eſt per ſe obiectum eiuſmodi agentis, & per ſe ab ipſo volitum, ut liberiùs & enrænatiùs agat, atque ſine debita diſciplina procedat ad actus ſuos. quaſcum-

leſcumque ſibi contingant ſive boni ſive mali; ita ut potiùs ex hoc quod ſic effrænatè vult agere, ignoret; quàm quod, ex hoc quod ignorat, ita agat. & ideò ignorantia evadit peccaminoſa ex prava voluntate agentis tamquam ex cauſa, quia indè eſt quod ſcientiam formaliter contemnit; quod non contingit in aliis ignorantiis ſolùm virtualiter voluntariis, & quæ in pura negligentia ſcientiæ conſiſtunt. & propterea talis ignorantia, quæ ex contemptu procedit; & quæ ideò eſt, quia agens illam formaliter vult, ut liberiùs malè agat juxta concupiſcentias ſuas ignorando, non pendet ex effectu pravo ſubſecuto, ut ſit peccatum; quia agens quaſi ipſam ignorantiam, ſimul cum ſuo effectu, præveniendo, prava ſua eiuſmodi voluntate, ſaltem obiectivè amplectitur, & antecedenter diligit. ex quo fit, quod talis ignorantia ab illa voluntate incipit eſſe peccatum, etiam effectu tranſgreſſionis legis principalis non ſecuto, ut benè conſideranti patet.

298 Et poteſt hoc magis exemplis illuſtrari: ut ſi quis v.g. jaceret ſagittam advertendo formaliter indè poſſe aliquem occidere; & tamen, ne à jactu ſagittæ ſe abſtineat, contemnit diligentiam facere; nec vult ſcire ſi indè aliquis tranſeat, imò vult formaliter id ignorare: quis neget hunc talem mortaliter peccare in tali negligentia ſciendi; & homicidam eſſe ex actu ſuo interiori voluntatis, etiam ſi neminem contigat occidere? pravo enim illo actu ſuo interiori voluntatis ignorantiam illam cum ſuo effectu poſſibili homicidii quaſi prævenit per formalem apprehenſionem illius, & in totum id ſibi obiectivè præſens ex contemptu conſentit, non minùs quam ſi re vera contingeret. Econtra verò ſi id non adverteret, ſed purè inconſideratè, & negligenter, ſagittam jaceret; tunc non peccaret mortaliter, nec homicida eſſet, ſi neminem effectivè offenderet. At ſi aliquem occideret, peccaret procul dubio ex negligentia, & homicidium incurreret ex omiſſione diligentiæ, quam tenebatur adhibere, & conſiderare. Vide lector differentiam inter negligentiam, quæ eſt peccatum ex parte effectus, ſeu alicuius prætermiſſi de neceſſariis ad ſalutem; & negligentiam, quæ eſt peccatum ex parte cauſæ, nempe ex ipſo voluntatis contemptu. Similiter ſi quis ludo, aut alteri negotio vehementer occupatus die feſto, formaliter adverteret inde fore impediendum totaliter ab auditione ſacri, & nihilominus hoc ipſum contemneret; quis neget ex parte cauſæ hunc talem velle omiſſionem Miſſæ, & contra præceptum Eccleſiæ formaliter agere, ac peccare ſua illa prava diſpoſitione voluntatis; etiam ſi antequam tempus Miſſarum elabatur, contingat ab illo negotio ſe expedire, & Miſſam de facto audiat. Econtra verò ſi non fuerit ſic pravè diſpoſitus: ſed tali negotio ſimpliciter occupatus uſque ad ultimam Miſſam, quam fortè audiendam eſſe non adverterat nec conſideraverat, tandem verò advertens, illam audiat; non peccat. peccaret autem etiamſi inconſideratè totum tempus tranſiret, & miſſam non audiret, quia negligens eſſet uſque ad transgreſſionem incluſivè, non conſiderando, quod tenebatur conſiderare. Et ſic ſexcenta alia exempla adduci poſſent. In quibus evidenter apparet quod ignorantia ſeu negligentia ſcientiæ, ſicut & quæcumque alia negligentia peccaminoſa ex parte effectus ſeu ex parte alicuius prætermiſſi de neceſſariis ad ſalutem, nō incipit in ratione peccati omiſſionis ab illo primo actu, qui eſt cauſa vel occaſio omittendi, niſi pertingatur ad effectivam prætermiſſionem legis principalis, ſicut nos ſupra docuimus: ignorantia verò, ſicut & quælibet alia negligentia peccaminoſa ex parte cauſæ, quæ, ut dicit D. Thomas, præcipuè contingit, quando eſt ex contemptu, ſemper eſt peccatum, & incipit eſſe talis ab illo primo actu, etiam ſi non contingat inde effectiva prætermiſſio legis principalis. Sed tunc ignorantia non habet hoc, quia purè ignorantia eſt, & ſecundùm ſe conſiderata; ſed quaſi per accidens, & ex parte ſuæ cauſæ, puta ex parte voluntatis, quæ ſic ignorantiam vult, & cum tali ſui prava indiſpoſitione, ut veluti illius malitiam præveniat, & amplectatur, antequam effectivè contingat; & ideò incipit ab actu illo eiuſmodi voluntatis, ſive poſtea effectus eveniat, ſive non. Econtra verò in ignorantia puræ negligentiæ evenit, in qua malitia non intelligitur volita præventivè, ſed purè conſecutivè ad ignorantiam ipſam, & ut purus effectus illius in ipſa præcontentus, qui tamen non poteſt in ipſa verè præcontineri, niſi re vera inde effectivè ſuccedat, ut conſtat ex dictis.

299 Sed dices: ignoratia quælibet peccaminoſa ſemper in aliqua negligentia ſcientiæ debitæ conſiſtit, utique aliquo modo voluntaria, alioquin numquam poſſet eſſe peccaminoſa, ſive contingat aliquis effectus contra legem principalem, ſive non: ſed omnis negligentia aliquo modo voluntaria, cuiuſmodi ſupponitur eſſe etiam illa, quæ non eſt ex contemptu, provenit ex aliqua remiſſione voluntatis à fervore divinæ dilectionis, ut conſtat ex textu D. Thomæ ſuperiùs allegato. Ergo omnis negligentia ſcientiæ, omniſque ignorantia, etiam ſi non ſit ex contemptu, habet quod ſit peccatum etiam ex parte cauſæ, nempè ex parte voluntatis, quæ ſupponitur remiſſè ſe habere circa ea, quæ ſunt Dei, ut loquitur idem D. Thomas. Ergo omnis ignorantia quæ ex negligentia quacumque provenit, incipit ab illo primo actu voluntatis, quo homo ſic diſponitur, ſive poſtea eveniat, ſive non, prætermiſſio effectiva legis principalis. Ergo vana eſt diſtinctio illa ſuperioris doctrinæ de inceptione peccati ignorantiæ; quaſi quod ignorantia, quæ eſt peccatum ex parte ſcientiæ prætermiſſæ ad legem principalem ſervandam neceſſa-

riæ,

tiæ, non incipiat eſſe peccatum à primo illo actu voluntatis; imò numquam ſit peccatum, niſi contingat effectiva prætermiſſio principalis legis.

300 Reſpondeo utique veriſſimum eſſe quod omnis negligentia, ac per conſequens omnis ignorantia, quæ eſt negligentia quædam ſcientiæ debitæ, ex aliqua remiſſione voluntatis procedit, ut docet D. Thomas; ac proindè omnis eiuſmodi ignorantia peccatum eſt, ex parte cauſæ, & ſemper incipit à primo illo actu voluntatis, ut probat argumentum. Sed non omnis ignorantia incipit eſſe peccatum ex parte effectus, ſeu ex parte alicuius prætermiſſi de neceſſariis ad ſalutem, ex illo primo actu voluntatis, niſi pertingat ad effectivam prætermiſſionem legis principalis, ut oſtendimus. & hoc eſt quod ſupra diſtinximus. Et ulteriùs ex parte cauſæ adhùc eſt alia diſtinctio attendenda: nam licet omnis ignorantia, prout eſt ex parte cauſæ conſiderata, & quatenùs provenit ex tali remiſſione voluntatis, ſemper ſit peccatum, & incipiat a tali primo actu; non tamen omnis eiuſmodi ignorantia eſt ex parte cauſæ peccatum mortale; quia, ut dicit D. Thomas, non ſemper remiſſio voluntatis, ex cauſa cuius omnis ignorantia ex negligentia provenit, eſt talis, ut per eam totaliter homo deficiat à charitate; ſed tunc ſolùm quando eſt tanta remiſſio voluntatis, ut videatur manifeſtè ipſam ignorantiam cum toto ſuo pravo effectu, indè poſſibili, antecedenter velle, & amplecti; quaſi totum id obiectivè ſibi præfigendo, & contemnendo, ut explicatum eſt; tunc enim totaliter à Dei charitate deficit homo ob remiſſionem ſuæ voluntatis, quando ita negligit, quæ ſunt Dei, ut maniſeſtè & explicitè non curet, ſi indè aliquid poſſit contra Deum contingere, & ideò dicit D. Thomas id evenire præcipuè quando negligentia provenit ex contemptu. Cæterùm ſi non ſit talis, & tanta remiſſio voluntatis, non erit talis negligentia ex parte cauſæ mortalis, ſed venialis. Certum enim eſt quod tepiditas voluntatis ſemper aliqualis defectus voluntatis eſt, ac proindè peccatum, ſed non ſemper mortale, ſed multoties veniale, & incipit quando primò incipit tepiditas ipſa.

301 Itaque quod nos intendimus dicere, eſt; quod ignorantia ex negligentia proveniens non eſt peccatum neque mortale, neque veniale, ex parte effectus ſeu ex parte alicuius prætermiſſi de neceſſariis ad ſalutem, niſi pertingat ad effectivam eiuſmodi prætermiſſionem, ac proindè neque poteſt incipere in ratione peccati omiſſionis, ſi ad hanc effectivè non pertingat. ſi verò ad hanc pertingat, tunc dicitur incœpiſſe à primo illo actu voluntatis, qui eſt cauſa vel occaſio omittendi, ſicut omnes aliæ omiſſiones peccaminoſæ; & tunc erit peccatum mortale, vel veniale, juxta qualitatem eius quod prætermittitur de lege principali. Cum quo tamen ſtat quod ſemper ſit peccatum ex parte cauſæ, nempè ex remiſſione illa voluntatis, & ut ſic ab illa ſemper incipiat, ſive ut peccatum mortale, ſicut evenit quando eſt tanta remiſſio voluntatis, ut nolit curare de quolibet eventu indè poſſibili etiam contra Deum, quod præcipuè evenit, cum homo hoc ipſum advertens, contemnit; ſive ut peccatum veniale, ſicut evenit in multis puris negligentiis non formaliter volitis, ſed ſolùm virtualiter, ex quibus non ſubſequitur effectiva prætermiſſio legis principalis: vel ſi ſubſequitur, lex tamen prætermiſſa non eſt fortè talis, quæ tunc obliget ad mortale, ut ſi quis ex negligentia, & ignorantia culpabili damnificaret aliquem in re levi, & parvi momenti. quare non eſt vana, ſed utilis, & veriſſima diſtinctio illa.

302 Obiicies denique contra principalem aſſertionem noſtram ubi ſupra num: 278. Ubi diximus quod ignorantia, prout eſt privatio quædam activa ſcientiæ debitæ, eſt in ſeipſa formaliſſimè peccatum, quia ſic opponitur per ſe virtuti morali ſtudioſitatis, cum ipſa ſit in ſe negligentia quædam, ac proindè ſtudioſitati oppoſita, quæ eſt virtus moralis. Atqui hoc videtur falſum, quia negligentia opponitur prudentiæ, ut docet D. Thomas *2.2.q. 52. a.2.* directè enim negligentia opponitur ſolicitudini, quæ pertinet ad rationem, & rectitudo ſolicitudinis ad prudentiam. ergo negligentia ab oppoſito eſt contra prudentiam, quæ eſt virtus intellectualis, & non contra virtutem moralem ſtudioſitatis; ac per conſequens non videtur eſſe in ſe formaliſsimè peccatum; cum alias hoc non ſit, niſi per oppoſitionem ad virtutem moralem.

303 Reſpondeo, quod ad hoc ut aliquid ſit peccatum nihil aliud requiritur, quàm quod ſit actus defectuoſus, vel omiſſio debiti actus, ac proindè etiam defectuoſa, & quod eiuſmodi defectuoſitas ſit voluntaria. hoc ipſo enim quod voluntaria eſt, ſemper alicui morali virtuti opponitur pertinenti ad voluntatem; etiam ſi actus, vel omiſſio ad aliam potentiam ſpectet, ac per conſequens alteri virtuti eiuſdem potentiæ per ſe, & immediatè opponatur. Defectus enim cuiuſcumque potentiæ non poteſt eſſe voluntarius, niſi etiam & voluntas deficiat; voluntas autem deficere non poteſt, niſi contra virtutem moralem, qua dirigi debet, ne deficiat, procedat. atque ideò licet privatio activa ſcientiæ debitæ formaliter, & quaſi elicitivè ad rationem pertineat, & per ſe atque immediatè ſit negligentia quædam intellectus oppoſita prudentiæ; quâ voluntaria tamen à voluntate quaſi imperante procedit per eius negligentiam virtuti morali ſtudioſitatis oppoſitam, & per hoc evadit formaliſſimè peccatum, quia hoc, formaliſſimè quâ voluntarium, eſt tale.

304 Pro maiori autem huius reſponſionis dilucidatione notandum eſt, quod quemadmo-

dùm omnes actus morales, & humani, non poſſunt eſſe tales, niſi ex utraq; potentia procedant, intellectu ſcilicet, & voluntate: ita nec poſſunt eſſe virtuoſi, niſi ex virtutibus utriuſque potentiæ dependeant, unaquaque pro modo ſuæ cauſalitatis concurrente. Et eiuſmodi virtutes ſic ſibi invicem connectuntur, ut una alterâ indigeat, nec poſſit ſine alterius miniſterio exerceri; ſicuti & ipſarum potentiæ ſunt ſibi invicem connexæ. quare ad unum actum moralem bonum, & virtuoſum, oportet ſimul eiuſmodi virtutes concurrere cum mutua ipſarum ab invicem dependentia. Id quod etiam evenit in actu oppoſito vitioſo, qui ex multiplici utriuſque potentiæ defectu pariformiter procedere ſolet. Exempli gratia: ut Judex in ferenda ſententia actum juſtitiæ exerceat, indiget ipſa virtute morali juſtitiæ, qua voluntas regulata tribuat jus ſuum, cui debetur. Atque ideò, cum hoc non poſſit voluntas efficere, niſi ſciantur jura partium; ad præceptum hoc principale virtutis juſtitiæ accedit conſequenter, & de ſecundario, præceptum virtutis moralis ſtudioſitatis, qua voluntas regulata applicet intellectum ad cognitionem eiuſmodi jurium. ex quo habes, lector, quod virtus hæc ſtudioſitatis, qua voluntas regulatur ad hanc applicationem faciendam, habet pro materia ſeu obiecto ſuo proximo ſtudium cognoſcendi, & non cognitionem ipſam, quæ eſt potiùs effectus conſecutus, & materia remota ipſius, ut conſtat ex D. Thoma, & Caietano 2.2. *q*.166. *a*. 2. ſtudium autem iſtud cognoſcendi importat vehementem applicationem, & applicatio importat quemdam actum ipſius voluntatis, qui dicitur (uti) ut explicat ibidem Caietanus. quare per hoc quod voluntas rectè in tali caſu procedit, dum utitur, ac diligenter ſatagit uti potentia cognoſcitiva ad ſcienda jura partium, dicitur exercere actum moralis virtutis quæ dicitur ſtudioſitas, quæ ad voluntatem pertinet; per cuius actum intellectus, jam benè, & virtuosè applicatus à voluntate, omni debita diligentia veritatem perquirit, ita ut ad ſcientiam, & cognitionem jurium pertingat pro quanto ſibi ſit poſſibile ea ſcire pro quo aſſiſtant; quod totum fit per acquiſitionem ſcientiæ, ſeu cognitionis veritatis, quæ ſi ſic præcisè conſideretur, ad rationem ſpeculativam ſpectat; niſi ulteriùs ſe extendat: extenditur autem indè ex eadem priori applicatione voluntatis ad rationem practicam, quatenùs acquiſitam cognitionem ſeu ſcientiam applicat, & eâ utitur ad ferendum judicium practicum ſeu dictamen, quod in ſuperioribus conſcientiam appellavimus, quo nimirùm judicat, & dictat, in favorem cuius ſit ſecundum virtutem juſtitiæ ferenda ſententia, pro quanto ſcilicet præcognitum fuit jura potiùs aſſiſtere; & indè denique ulteriùs rectè procedendo devenit ad ultimum actum concludendo per modum imperantis, ſeu quod idem eſt, imperando voluntati, ut pro eo ſententiam ferat, eique jus ſuum reddat, & faciat actũ juſtitiæ; & ſic rectè imperãdo exercet ultimum, & proprium actum prudentiæ; rectè enim imperare proprius actus prudentiæ eſt, ut alibi diximus. in quo quidem toto proceſſu intellectus, ſeu rationis practicæ, attenditur quædam ſtudioſitas, & ſolicitudo eiuſdem intellectus tota quanta eſt inſerviens prudentiæ, quæ diverſa eſt à ſtudioſitate illa voluntatis, licet ſit ab illa dependens. At ſi voluntas ab ea debita applicatione deficiat; tunc incidit in vitium oppoſitum ſtudioſitati, quod dicitur negligentia eiuſdem voluntatis; ex qua ſubſequitur in intellectu defectus ſcientiæ, & ignorantia jurium, atque indè ulteriùs provenit in ratione ſeu intellectu practico alius defectus nempè ſolicitudinis debitæ de rectè præcipiendo atque intimando rectam ſententiam juxta veritatem jurium; ex quo defectu ratio practica tandem incidit in quamdam negligentiam ſuam per oppoſitionem ad dictam ſolicitudinem ſibi debitam, quæ propterea dicitur negligentia oppoſita virtuti prudentiæ, cui eiuſmodi ſolicitudo deſervire debebat, & eſt negligentia alterius generis ab illa prima voluntatis: nam hæc eſt in intellectu, ſicut & ſolicitudo illa cui opponitur: illa verò in voluntate: hæc opponitur prudentiæ virtuti intellectuali: illa ſtudioſitati virtuti morali. Sed hæc ſequitur ex illa tamquam effectus illius, quaſi imperatus ab illa, ex quo voluntarius dicitur, & defectus peccaminoſus. Ecce quomodo ad unum actum moralem virtutis juſtitiæ plures virtutes concurrunt ad invicem connexæ, nempè & juſtitia, & ſtudioſitas, & ſcientia, & prudentia: ſicut ab oppoſito ad defectum juſtitiæ conveniunt ſimiliter totidem ferè defectus, ſeu vitia contraria.

305 Ex quo colligitur cum Caietano *loc. ſup. cit.* 1. 2. *q*. 76. *a*. 2. quod negligentia eſt quaſi nomen æquivocum ad peccatum oppoſitum prudentiæ, & ad peccatum oppoſitum ſtudioſitati. Utrumque enim negligentiæ nomine appellatur. Sed illud oppoſitum prudentiæ oritur ex iſto, ita ut neceſſarium ſit quod ubi eſt negligentia oppoſita ſtudioſitati, ſit etiam ex conſequenti, & negligentia oppoſita prudentiæ. atque ideò diximus ignorantiam eſſe peccatum, quia opponitur per ſe virtuti morali ſtudioſitatis, quatenùs negligentia hæc in intellectu exiſtens per oppoſitionem ad ſolicitudinem, & prudentiam ſibi debitam, ex illa procedit, & dependet, utpotè quaſi imperata à voluntate per illam, ideſt per defectum debitæ applicationis, ex quo habet rationem voluntarii, & peccati, non minùs quam illa; atque ideò opponitur morali virtuti ſtudioſitatis, utpote contra illius debitam applicationem, & ex defectuoſa applicatione oppoſita emergens contra illam.

CAPUT QUARTUM.

De Ignorantia prout interdum à peccato excuſare poteſt, vel non poteſt.

§. I.

Reſolvitur an ignorantia excuſet à peccato; & primo id determinatur de ignorantia concomitante, quæ non eſt cauſa actus peccati, ſed illum purè comitatur.

306 IAm paſſim ad præcipuam difficultatem de ignorantia approximamur; ideò enim præcedentia diſcuſſimus in ſuperioribus capitibus, ut viſo jam quando ignorantia cauſat, vel non cauſat involuntariam malitiam actus, qui ex ipſa interdum fieri contingit; præcipuè ſi ipſamet in ſeipſa ſit aliquando peccatum; videatur ſi, & quando, à malitia eiuſmodi actus, quem cauſat, poſſit excuſare, ex hoc ipſo quod ignoretur? quod hic ſpecialiter reſolvendum eſt.

307 Pro cuius reſolutione, Dico primo, quod ignorantia, quæ non eſt cauſa actus peccati, ſed purè per accidens reperitur concomitanter cum illo in agente, quatenus ſcilicet non ideò agens actum illum agit, quia ignorat, cum etiam ſi ſciret, illum ageret: ut eveniret, quando quis v. g. interiùs diſpoſitus ad occidendum hoſtem, ſi præ manibus haberet; interim putans ex ignorantia ſe occidere feram inter vepres latitantem, occideret caſualiter hoſtem, quem ſi ſciviſſet, adhùc occidiſſet juxta ſuam internam deliberationem; hæc, inquam, talis ignorantia ſic concomitans, non excuſat à peccato. ita expreſsè docet D. Thomas 1. 2. *q.* 76. *a.* 3. & ratio eius ibidem eſt, quia talis ignorantia non cauſat involuntarium, quia non tollit ſcientiam, quæ ſi adeſſet, prohiberet talem actum fieri; nam ſuppoſita ea inclinatione voluntatis ad talem actum agendum, ſcientia non impediret, ſi adeſſet; cum adhùc ſcitus juxta voluntatem agentis eſſet, & non contra voluntatem illius ſicut exigeretur ad rationem involuntarii. Undè eiuſmodi agens cum tali ignorantia non dicitur involuntarius reſpectu eiuſmodi homicidii; ſed non volens; quatenùs non poteſt dici actualiter illud velle, quod actu ignorat. ut explicat ibidem D. Thomas ex Philoſopho *in* 3. *Ethic.*

308 Verumtamen aſſertio hæc, quæ in propriis terminis eſt ipſius D. Thomæ, videtur intellectu difficilis, & falſa: nam prava illa animi diſpoſitio, & affectus agentis ad talem actum agendum, etiam ſi ſciviſſet; licet non reddat ipſum involuntarium affectivè, reddit tamen involuntarium effectivè, undè dicitur reſpectu talis facti non volens, ut loquitur idem D. Thomas. ergo per eiuſmodi ignorantiam concomitantem, videtur agens excuſari debere ab homicidio illo effectivè ſumpto, quaſi de facto non feciſſet; licet non poſſit ab illo excuſari ſecundùm quod erat in eius affectu concupitum: nam talis affectus non influit effectivè in actum illum, dum ignoratur, licet influeret in illum, ſi ſciretur. Ex hoc autem quod influeret, ſed re vera non influit, non dicitur eſſe à voluntate agentis effectivè, ſed tantùm affectivè. ergo non debet ei imputari ut factum, ſed ſolùm ut concupitum, ac per conſequens excuſari debet ab illo ut facto, licet non poſſit ab illo excuſari ut concupito. Cur igitur dicitur a D. Thoma, quod talis ignorantia non excuſat?

309 Pro hac difficultate dirimenda exiſtimo non ita intelligendum eſſe D. Thomam, ſicut in ſuperficie eius literæ apparet; quaſi ſcilicet quod velit D. Thomas quod talis ignorantia non excuſet, ſed accuſet poſitivè de tali homicidio effectivo; neque enim hoc in ſe verum eſſe poteſt, ut conſtat ex ratione facta. Quare verus ſenſus D. Thomæ, & aſſertio noſtra eſt, quod ignorantia concomitans non excuſat in ſenſu purè negativo; hoc eſt, ex ſe neque excuſat, neque accuſat; ſed relinquit factum aliundè judicandum, ſi ſcilicet ſit effectivè ad culpam imputandum agenti, vel non; licet ſemper ſupponatur illi voluntarium, & imputabile voluntate affectiva. At effectivè poteſt utroque modo contingere, ut mox explicabo:

310 Quarè dico quod licet ignorantia cōcomitans ex ſe, ut concomitans, non excuſet, neque accuſet; quia per hoc quod eſt purè concomitans, non aufert, neque infert agenti malum aliquod voluntarium; ſed tantùm ſupponit in eo quoddam voluntarium affectivum circa malum ignoratum, quod purè comitatur, & ex quo concomitans dicitur, quatenùs ſimul eſt cum illo, nihil tamen influens in illud, neque in aliud ſimile malum voluntarium. Tamen quia ipſa poteſt aliàs voluntariè, & involuntariè contingere, ac proindè evadere aliundè antecedens, vel conſequens reſpectu effectus pravi, qui effectivè fit ab agente; ideò habet aliundè quod poſſit excuſare, vel accuſare agentem a malo effectivo ignoranter facto, ſecundùm quod erit antecedens, vel conſequens.

311 Ad cuius evidentiam ſciendum eſt, quod quando agens aliquid agit cum ignorantia concomitante, tunc in eius voluntate oportet eſſe duos actus: primus eſt quo abſolutè vult & concupiſcit id, quod alias ignoranter agit; ita quod etiam ſi ſciret, illud effectivè ageret; & in ordine ad hunc actum ignorantia eius dicitur concomitans tantùm, quia ſimpliciter eſt cum illo, ſed non influit in illum, neque ab illo oritur. Secundus eſt, quo vel vult ſive formaliter, ſive virtualiter ignorantiam ipſam, ut ſi directè vult illam; aut indirectè, quatenùs negligit ſibi debitam ſcientiam acquirere: & in ordine ad hunc actum igno-

ignorantia eius dicitur conſequens, quatenùs de facto conſequitur ad illum, & oritur ex tali directa, vel indirecta volitione ipſius, atque ideò eſt ſibi voluntaria. Vel nullo modo vult ipſam ignorantiam, quin potiùs eam omni conatu ſtudet à ſe repellere, quærendo ſibi debitam ſcientiam diligenter acquirere: & in ordine ad hunc actum ignorantia eius dicitur antecedens, & involuntaria; quia ex nullo voluntario defectu ei contingit. ex quo apparet quod ignorantia concomitans poteſt aliundè fieri conſequens, & voluntaria agenti, & antecedens ac omninò involuntaria. Conſtat autem ex dictis ſupra quod ignorantia ſecundùm quod eſt voluntaria, vel involuntaria, reddit opus ignoranter factum voluntarium, & imputabile; vel involuntarium ſimpliciter, & inimputabile agenti; ac per conſequens ignorantia concomitans, quæ ex ſe neque excuſat, neque accuſat; poteſt aliundè omninò excuſare, vel accuſare agentem à malo effectivo ignoranter facto; licet numquam excuſet ab illo affectivè ſumpto.

312 Fit autem res exemplis magis manifeſta. Supponamus aliquem velle hoſtem occidere, & examinemus qualiter poſſit ei contingere, quod de facto illum ignoranter occidat. Poteſt enim iſte variè procedere. Et primo ſic; videt animal in ſylva moveri, & diligenter perquirit ſit ne illud fera, vel homo, vel etiam inimicus, & diſcernit eſſe feram, ſed retrò illam latet inimicus, de quo nec ſuſpicari poteſt; atque ideò animo transfigendi feram mittit ſagittam, & cum ferâ interimit inimicum, quem ſi prævidiſſet, adhuc occidiſſet. quis tunc dicat hunc talem voluntate effectiva hoſticidii proieciſſe ſagittam? habebat utique pravum illum affectum in animo; at affectus ille nullo modo poterat tunc ſe extendere ad factum illud effectivè: proieciſſet quidèm ſagittam, ut configeret hoſtem, ſi prævidiſſet; at de facto nullo modo voluntate ſua, nec formaliter, nec virtualiter in illum proiecit, ſed in feram: aliud enim eſt quod voluntariè proieciſſet in illum, & aliud quod voluntariè proiecerit: aliud quod pravus ille ſuus affectus ſe extendiſſet ad talem effectum, & aliud quod ſe extenderit. Ergo ab effectivo hoſticidio excuſatur omninò, quia nullo modo fuit ſibi voluntarium, licet voluntarium fuiſſet, ſi prævidiſſet; tulit enim ei omne voluntarium effectivum ipſa eius ignorantia ſibi omninò involuntaria; ſicut omne tale voluntarium tuliſſet, ſi tunc occidiſſet amicum; ſub omninò enim eadem ignorantia uterque caſus eveniſſet in facto: cum hac ſola diſparitate quod reſpectu hoſtis pravus ille affectus ſupponebatur, non autem reſpectu amici; ſed indè non variatur ignorantia reſpectu eius voluntatis effectivæ, ſed ſolùm reſpectu affectivæ, ex qua dicitur etiam concomitans.

313 Secundò poteſt agens ſic procedere; videt animal moveri, & nulla debita diligentia adhibita proiicit ſagittam, putans ſe feram occidere; occidit autem ibi hoſtem ſuum, quem etiam occidiſſet, ſi prævidiſſet. Et tunc eius ignorantia non eſt purè concomitans, ſed etiã conſequens, vincibilis, & voluntaria reſpectu homicidii, & etiam talis homicidii, puta eius hoſtis. hoc ipſo enim quod negligit voluntariè videre ſit ne animal illud fera, vel homo, vel etiam inimicus; eius ignorantia reſpectu homicidii ſubſecuti conſequens eſt, vincibilis & voluntaria; ita ut ſi alium ab hoſte occideret, ex ignorantia vincibili, voluntaria, & conſequente, illum occideret: ergo ſub eadem ignorantia occidit hoſtem, licet reſpectu hoſtis dicatur concomitans, eo quod reperitur in agente coniuncta cum pravo illo affectu, cum quo non coniungitur reſpectu alterius hominis: ſed talis pravus affectus non tollit, quin ſit ignorantia cõſequens ad voluntatem agentis, ac proindè voluntaria, & vincibilis; ſed ſolùm facit, quod agens etiam ad talem actum effectivè ſe extenderet, ſi talis ignorantia ceſſaret. Ex hoc autem quod effectivè ſe extenderet ad talem actum, ſi talis ignorantia ceſſaret, non ſequitur, quod non ſe extendat de facto etiam effectivè ad eumdem actum ex alio pravo affectu involuto in ipſa negligentia ſcientiæ, ſeu in ipſamet ignorantia vincibili, & voluntaria; qui enim negligit ſcire, qualis ſit actus, quem agit; procul dubio vult virtualiter illum agere, & effectivè cum tali voluntate, & affectu illum agit, qualiſcumque in ſe fuerit; ac proindè talis immoderatus affectus agendi in ea ignorantia involutus effectivè influit, & ſe extendit ad actum illum, qua occiſivum hominis ibi fortè manentis ſive hoſtis ſit, ſive alius ab hoſte: ergo ſicut voluntariè virtualiter effectivè committeret homicidium ſub tali negligentia, ita & hoſticidium; quantumvis reſpectu hoſticidii reperiatur in agente concomitanter ſpecialis ille pravus affectus explicitus, & formalis, occidendi, etiam ſi ſciret; qui non reperitur reſpectu alterius homicidii. Ergo ſemper in tali caſu debet ſibi imputari effectivum homicidium, ſive hoſtis, ſive alterius hominis ex vi illius negligentiæ, ex quo apparet differentia huius modi procedendi à primo ſuperius adducto; in illo enim nullus pravus affectus ſeu prava voluntas effectivè influens in effectum reperitur neque formaliter, neque virtualiter; ſed ſola voluntas affectiva purè concomitans effectum, ſed non influens effectivè in illum: in iſto autem utraque reperitur, & ideò non excuſatur agens ab effectivo homicidio, vel hoſticidio, ſed ipſi de facto imputatur. Ergo ignorantia concomitans purè negativè dicitur non excuſare, taliter quod poſſit cum ipſa componi, & quod agens interdùm excuſetur ab effectu etiam poſitivè; & quod interdùm accuſetur.

314 Ex quibus infertur, quod ſi quis duos hoſtes haberet, & vellet utrumque occidere; unus

Digitized by Google

unus autem eorum eſt laicus, & alter Clericus; ipſe verò nullâ adhibitâ diligentiâ ad diſcernendum ſit ne ibi hoſtis Laicus, an Clericus, ſed putans ſe occidere Laicum, interficit Clericum; homicidium ſacrilegum incurrit effectivè, & eſt excommunicatus; non ex pravo illo affectu, quo illum etiam occideret, ſi ſciret; nam ut dictum eſt, talis affectus non influit effectivè; ſed ex voluntate virtuali implicita in eâ negligentiâ, quæ effectivè influit in effectum illum. Si verò adhibitâ debitâ diligentiâ, ut tunc Laicum interficeret, deceptus fortè ex eo, quod Clericus perſonam alterius hoſtis Laici per larvam aſſumpſerat, ac proindè putans ſe Laicum occidere, occidat Clericum, quem ſi ſciviſſet, adhuc occidiſſet, excuſaretur ab homicidio ſacrilego effectivo, & non eſſet excommunicatus, quia tunc omninò involuntariè effectivè illum occideret; quia pravus ille affectus concomitans effectivè non influit ad actum exteriorem, ſed manet tantùm in ſe interiùs, & purè affectivè; neque eſt altera voluntas virtualiter influens clauſa in aliqua eius negligentia, cum omnem debitam diligentiam adhibuerit. hoc autem dico ſi præcipuè poſt factum ratum illud non habuerit; quia loquor de excommunicatione ex vi Canonis ſi quis ſuadente Diabolo contra inücientes manus violentas in Clericum. An autem ſi illud ratum habeat poſt factum, incurrat excommunicationem ex vi Canonis cum quis deſent: excommun. in 6. contra ratihabentes, alia difficultas eſt alibi examinanda.

§. II.

Reſolvitur eadem difficultas de ignorantia promiſcuè tùm antecedente, tùm conſequente, quæ ſunt cauſa actus peccati.

315 DIco 2. ignorantia, quæ eſt cauſa actus peccati, ita quod agens actum illum non ageret, ſi ſciret; Cuiuſmodi eſt ignorantia antecedens, vel conſequens, quas ſupra explicavimus, excuſat poſitivè à peccato, vel abſolutè, & totaliter, ita ut agens maneat innocens, & immunis ab omni culpa; vel ſecundùm quid & à quanto, ita ut agens licet Reus fiat, & mortaliter peccet, minùs tamen peccet, quàm ſi ſcienter peccaret. Et ratio huius eſt quia peccatum non eſt, niſi inquantum voluntarium. Cum igitur ignorantia, quæ eſt cauſa actus peccati habeat de ſe cauſare involuntarium, ut ſupra probavimus, vel abſolutè & ſimpliciter, ut diximus de ignorantia antecedente; vel ſi non ſimpliciter, & abſolutè, ſaltem ſecundùm quid, & diminuendo rationem voluntarii, ut diximus de ignorantia conſequente: oportet quod poſitivè excuſet à peccato, vel ſimpliciter, & totaliter, vel ſecundùm quid, & à quanto, prout habet tollere, vel minuere rationem voluntarii. quemadmodum enim impoſſibile eſt quod agenti imputetur ad peccatum id, quod ei eſt omninò involuntarium: Ita impoſſibile eſt, quod ei vel nullo modo imputetur ad peccatum, vel nonnminùs imputetur, id quod ipſi cum tota ignorantia manet quodammodò voluntarium, & quadommodò involuntarium.

316 Poteſt autem id quod fit ex ignorantia, dupliciter contingere, quod maneat adhuc agenti quodammodò voluntarium, & non totaliter excuſet, ut expreſsè advertit D. Thomas 1. 2. *q.* 76. *a.* 3. Uno modo ex parte rei ignoratæ, quod tunc accidit, quando ignorantia non tollit cognitionem malitiæ eius quod agitur, ſed ſolùm tollit notitiam alicuius circumſtantiæ eiuſdem malitiæ, quæ ſi ſciretur, retraheret hominem à tali actu faciendo, ſive eiuſmodi circumſtantia pertineat ad rationem peccati, ſive non. ut ſi v. g. quis percuteret ſcienter hominem, ignorans tamen illum eſſe patrem ſuum: vel ignorans quod ille homo percuſſus, repercuteret ipſum, & occideret; quod ſi ipſe ſciret antecedenter, non percuteret illum; ut evaderet propriæ vitæ periculum, quod non pertineret ad rationem peccati; vel ut evaderet circumſtantiam parricidii, quæ pertineret ad novam ſpeciem peccati in illa percuſſione hominis; neutra tamen eiuſmodi ignorantia tollit ſcientiam malitiæ ſimplicis percuſſionis hominis; immò illam præſupponit; quia talis ſciens, & volens, hominem percutit. atque ideò licet ex ignorantia earum circumſtantiarum percutiat, aliàs non percuteret; tamen quia talis ignorantia non tollit ſcientiam ſimplicis percuſſionis, manet ſimplex hominis percuſſio omninò voluntaria agenti, utpotè omninò ſcienter ab ipſo facta, & propterea dicit D. Thomas quod talis ignorantia, quæ utique eſt cauſa actus peccati, habet ex parte rei ignoratæ, quod non totaliter excuſet, quia in re ignorata eſt aliquid malitiæ omninò ſcitum, & voluntarium, cuiuſmodi in exemplis adductis eſt ſimplex percuſſio hominis: licet aliquid ignoretur, vel pertinens ad rationem peccati, cuiuſmodi eſſet ratio parricidii, quæ ſolùm excuſare poteſt à parricidio, dum ignoratur; non autem totaliter, à peccato percuſſionis, hominis ſc. & parricidio ſimul: vel non pertinens ad rationem peccati, cuiuſmodi eſſet ſui repercuſſio, quæ nihil habet à quo poſſit excuſare, cum ad rationem peccati nullo modo pertineat.

317 Alio modo contingere poteſt ex parte ipſius ignorantiæ, quæ ſcilicet tollit ſcientiam malitiæ eius, quod agitur. & hoc tunc accidit, quando ipſamet ignorantia eſt agenti aliquo modo voluntaria & culpabilis, ut ſupra explicavimus, eo quod ſit eorum, quæ quis poteſt, & ſcire tenetur. hoc ipſo enim quod quæ poteſt, & ſcire tenetur, voluntariè ignorat, non poteſt ob talem ignorantiam totaliter excuſari, quia dum vult ignorare malum, quale eſt, quod agit; vult virtualiter agere id, quod agit, tale, quale in ſe eſt malum; licet non velit formaliter illud,

quà malum, dum ignorat. Vel clariùs, ut in ſuperioribus explicavimus, vult illud agere qualecumque in ſe ſit, ac per conſequens etiamſi ſit malum, quod eſt virtualiter velle malum, quod agit, ſi tale ſit, licet quod tale ſit ignoret, & velit ignorare.

318 Sed hoc ipſum quidem poteſt adhùc dupliciter contingere. Primò per hoc quod ipſa ignorantia eſt per ſe, & directè formaliter volita, ut cum quis ex induſtria, & explicitè vult ea, quæ ſcire tenetur, ignorare; ut liberiùs vivat, & ut non retrahatur ab eo, quod pro concupiſcentia ſua vult agere, per ſcientiam, ſeu per remorſum conſcientiæ, quem ſcientiâ præſente ſentiret. Et de eiuſmodi agente nimis manifeſtum eſt, quod velit ſaltem virtualiter actus ſuos, qualeſcumque in ſe fuerint, & etiam malos, ac per conſequens non poteſt ab eorum malitia totaliter excuſari, quantumvis eos agendo, malos in ſe eſſe non agnoſcat, imò nec ſuſpicetur, nec remorſum ullum de illis præſentiat; quia hoc ipſum quod eſt de illis remorſum non præſentire, in ipſa prævolita ignorantia affectavit, ut eos poſſet velle, & agere liberiùs in eorum malitia ignorando. Secundò contingere poteſt per hoc quod quis negligit ſcire, quæ alias poteſt & tenetur ſcire, quatenùs vel ob tædium laboris, vel ob alias ſibi voluntarias occupationes, non curat de ſibi neceſſariis ad ſalutem ſcire, atque ideò ea ignorat; quod eſt virtualiter velle ea ſine debita ſcientia poſtea agere, qualiacumque in ſe fuerint, & etiam mala. & ſic redit idem quod priùs, quod propterea ſcilicet non poſſit ab eorum malitia totaliter excuſari, quia ex voluntariâ ſuâ negligentiâ illa ſic vult, & agit, in ignorantiâ ſuâ. Verùm quia in eiuſmodi voluntariis aliquid etiam involuntarii admiſcetur, quatenùs ſcilicet nollent fieri, nec fierent ab agente, ſi actualiter qualia ſunt agnoſcerentur, ideò agens aliquantulùm ex tali ignorantia excuſatur, ita ut minùs peccare in eadem ſpecie peccati dicatur, quam ſi ſcienter illa ageret.

§. III.

Reſolvitur ſpecialiter, quæ nam ignorantia excuſet totaliter à peccato.

319 Dico 3. quod ſi ignorantia, quæ eſt cauſa actus peccati, nullo ex his modis ſupradictis ſit agenti voluntaria, & culpabilis; neque ſcilicet ex prava illa affectatione, ſeu formali volitione ipſius ignorantiæ; neque ex eius negligentia; puta quia eſt eorum, quæ quis ſcire non poteſt, vel non tenetur, cuiuſmodi eſt ignorantia antecedens, de qua ſupra diximus, tunc cum faciat omninò involuntarium id, quod agitur, ut ibi diximus, procul dubio totaliter à peccato excuſat. Ita D. Thomas expreſsè docet *loc. ſupra cit.* quod enim nullo modo voluntarium eſt, nullo modo poteſt eſſe peccatum. Duo igitur requiruntur, ut actus peccati ex ignorantia factus ſit agenti imputabilis, & non totaliter excuſetur; nempè quod agens ſcire poſſit, quod ignorat; & quod ſcire teneatur. quia his duobus ſtantibus ſemper convincitur eius ignorantia aliquo modo ſibi voluntaria, & culpabilis. Si verò alterum ex his deficiat, totaliter excuſabitur; quia tunc non erit eius ignorantia culpabilis.

320 Sed dices: qui ſcire poteſt quod ignorat, etiam ſi ſcire non teneatur; videtur facere ſibi voluntariam ignorantiam ſuam, quia voluntariè non facit quod poteſt, ut ſcientiam acquirat. ergo etiam ſi quis ſcire non teneatur malitiam alicuius actus, quem agit, hoc ipſo quod eam ſcire poteſt, videtur imputandus eſſe ei actus ille ad peccatum.

321 Hæc inſtantia fuit ſupra adducta num. 249. Ad quam ibi diximus, quod quæ homo ſcire non tenetur ſunt extra genus per ſe agendorum ab ipſo; ac propterea eius ignorantia non poteſt ei nocere in genere moris, quia per ſe eſt de obiecto non ſupponente, hoc eſt de ab ipſo numquam agendis. qui autem negligit ſcire, quæ non eſt acturus, non poteſt dici velle in praxi aliquo modo malitiam illorum, nec formaliter, nec virtualiter; quia nullo modo eius voluntas fertur in illa ut agenda aliquando; ſicut virtualiter fertur voluntas eorum, qui negligunt ſcire de agibilibus ſuis. Et licet aliquando per accidens, & caſualiter contingat, quod quis poſtea ſit aliquod tale acturus, non propterea poterit ei nocere prævia illa voluntaria omiſſio ſcientiæ, quia ibi non poterat caſus iſte per accidens prævideri, nam in illa per ſe nullatenùs præcontinebatur. Caſu autem occurrente ſupponitur ei ſcientia impoſſibilis, ut ibi exemplificavimus, & agere neceſſarium; ac per conſequens ſi agat eo meliori modo, quo poteſt, putans bene agere, non ei imputabitur error, ſi errare contingat, quia jam vitari non poteſt, nec ſcientiâ, neque alio modo, ut ſupponimus.

322 At nunc iterùm aliam reſponſionem adhibeo, adnotando quod voluntarium duplex eſſe poteſt, phiſicum ſcilicet, & morale. Voluntarium phiſicum dicitur, quod procedit à reali, & phiſico influxu voluntatis; quod ſemper eſt ſimul etiam morale. Voluntarium autem purè morale dicitur illud, quod ſupponitur eſſe aliundè; ſed quia poſſet, & deberet impediri, ſeu removeri à voluntate per aliquam eius phiſicam cauſalitatem, & fieri ut non ampliùs ſit, ideò ſi à voluntate hoc non fiat, dicitur illud eſſe moraliter à voluntate, quatenùs voluntariè agens permittit illud aliundè eſſe, quod non eſſet, ſi ipſe illud ſuo phiſico influxu impediret eſſe, vel removeret. Exempli gratia: videt quis aliquem fame pereuntem; & tamen cum poſſit, & debeat illi cibum ſubminiſtrare, non facit, atque ideò ille moritur. tunc dicitur ei mors illius moraliter voluntaria; non autem phiſicè, quia nullum phiſicum, & realem influxum habet

Digitized by Google

bet in mortem illius, imò nec illam phiſicè, & formaliter per actum poſitivum ſuæ voluntatis vult, ut pro nunc ſuppono; ſed ſolùm quia potens, & debens per poſitivum influxum illam impedire, cibum ſubminiſtrando, non facit; ſed permittit illam aliundè cauſari, nempè ex nativo calore paulatim humidum radicale conſumente. Ubi eſt notandum quod ideò moraliter fit ei voluntaria, quia poteſt, & debet illam impedire: ſi verò vel non poſſet, vel non teneretur, neque poterit ei eſſe moraliter voluntaria; ut ſi ille ſic fame periret, quia ita eſſet per ſententiam Judicis juſtè puniendus. quod etiam manifeſtè conſtat in Deo, qui ſcit, & poteſt auxilio gratiæ ſuæ malitiam hominis impedire; & tamen quia non tenetur, ſubtrahendo voluntariè gratiam ſuam, non facit ſibi voluntariam malitiam illius neque phiſicè, neque moraliter, quia nec poſitivè in illam formaliter influit, nec impedire tenetur, ne aliundè fiat, quantumvis poſſit. Sic quoque virgo volens caſtè vivere, ſi ei ſponſus offeratur animo reſolutus, quod ſi illa nuptias recuſet, divertetur ad concubinas; tunc voluntariè recuſans nubere, non faciet ſibi voluntarium concubinatum illius, nec phiſicè, nec moraliter; quia licet poſſit per conſenſum in matrimonium, effectum illum impedire, non tenetur. Et ſic de multis aliis exemplis.

323 His igitur adnotatis, reſpondeo ad inſtantiam factam, negando quod qui ſcire aliquo modo poteſt, quod ignorat, ſi ſcire non teneatur, faciat ſibi voluntariam, & culpabilem ignorantiam ſuam; ac per conſequens faciat ſibi voluntariam malitiam actus ignoratam: quia dum tunc nihil inquirit, quia non tenetur inquirere, etiam ſi poſſit aliquam ſupererogatoriam inquiſitionem facere; non facit ſibi voluntariam ignorantiam illam malitiæ ſui actus neque phiſicè, neque moraliter. Non quidem phiſicè, quia ignorantia non fit per phiſicum aliquem influxum, ſed ſupponitur aliundè naturaliter in homine, qui cum naſcitur, dicitur a Philoſopho habere intellectum tamquam tabulam raſam, in qua nihil eſt depictum, quia nulla ſpecies ſupponitur in illo, ac proindè nulla prorsùs cognitio alicuius obiecti, quæ nonniſi per ſpecies haberi poteſt, ſed penitùs omnimoda omnium rerum ignorantia; quæ paulatim poſtea acquiſitis per ſtudium, & diſciplinam, ſpeciebus removetur. Neque moraliter, ſi ignorantia ſit eorum, quæ non tenetur ſcire, quia hoc ipſo non tenetur per aliquā ſuam cauſalitatem illam removere, ut conſtat ex dictis.

324 Sed dices: & quarè cum aliquando poſſit, non tenetur; præcipuè cum ad ipſum ſemper ſpectet ſcire de moralitate ſuorum actuum, quos eſt acturus? & quando occurret caſus, in quo dicendum eſt non teneri? hoc ipſum enim videtur difficile ſtabilire.

325 Reſpondeo ad hoc ſatis dictum eſſe ſupra num. 253. Et iterum nunc dico non teneri homines ſcire ea, quæ ad ipſos agere per ſe non pertinet, cuiuſmodi ſunt ſpecialia quædam agibilia, quæ propria ſunt alicuius ſtatus, vel officii particularis; ac per conſequens nonniſi ab exiſtentibus in tali ſtatu, vel officio, ſciri per ſe debent; cuiuſmodi eſt ars medicinæ, de qua ibi exemplificavimus; ars nautica, & ſimiles. Unde ſi caſualiter contingat Navigantibus mare, ortà valida tempeſtate, quod Nauclerus pereat; nec ſit qui navim ſciat ſecundùm artem regere; & aliquis in ea neceſſitate eo modo, quo ſibi meliùs videtur, eam regere aſſumat, & nihilominus ob imperitiam ſuam ſit cauſa naufragii, non proindè ei poteſt ſubſequens naufragium moraliter imputari, eo quod officium aſſumpſerit, quod ignorabat; quia id ſcire minimè tenetur, nec tunc diſcere poteſt; neque antea, cum poterat, in culpa fuit; quia ad ipſum per ſe tale quid agere non ſpectabat; neque circumſtantia caſualis antea poterat prævideri, ut futura, ſed ad ſummum ut poſſibilis per accidens, ac proindè quæ non debet in conſiderationem venire: ut paulò inferiùs oſtendam.

326 Præterea nec tenentur homines ſcire, quæ per ſe loquendo, ſciri non poſſunt, nec prævideri: quia nullum præcedit in eis principium, unde in agnitionem eorum deveniri poſſit. quod in duplici caſu contingere poteſt, & reſpectu juris, & reſpectu alicuius facti. Reſpectu juris quidem, quando lex aliqua poſitiva aliquid prohibet fieri, quod in ſe non eſt intrinſecè malum, ſed indifferens, ac proindè evadit malum, quia purè prohibitum. vel quando præcipit aliquid quod non eſt intrinſecè neceſſarium, ſed fit neceſſarium ad ſalutem, quia imponitur ſub præcepto: & nihilominùs huiuſmodi lex citra omnem negligentiam, aut culpam ab aliquo ignoratur, quia fortè ad eius locum non pervenit notitia illius. Reſpectu facti autem, quando actui alicuius ſupervenit deforis aliqua circumſtantia per accidens adeò latens & occulta, ut nullam ſui ſpeciem ingerat intellectui agentis, qua poſſit illam agnoſcere, vel ſaltem de illa prudenter dubitare: cuiuſmodi fuit circumſtantia fraudulentæ ſuppoſitionis Liæ reſpectu Jacob accedentis ad ſuam.

327 Ratio autem quare tunç non teneatur homo ſcire, eſt, quia tunc ex parte obiecti, ideſt ex parte actus, quem agens eſt acturus, & de cuius moralitate ſcire ad ipſum pertinet; nulla ſpecies ei immittitur, qua de tali lege prohibente, aut præcipiente; vel de tali circumſtantia occulta ſuperveniente excitari poſsit ad ſciendum, vel prudenter dubitandum: ac propterea fruſtra conaretur intellectus in actu illo inquirere, ſi quid malitiæ inſit; cum in eius ſpeciei nihil tale quid invenire poſſit. Nam ſi lex aliqua citra omnem negligentiam agentis ad ipſum non pervenit; quò ibit ad venandum illam? aut quo fundamento de illa dubitabit, & timebit, ut poſſit obligari ad illam ſciendum,

vel

vel eius periculum vitandum? & ſimiliter ſi aliqua circumſtantia occulta deforis eius actui ſuperveniat, cuius nullam ſpeciem habet agens ab actu ipſo, vel aliundè ſubminiſtratam; quomodo poterit illam per ſe, & determinatè inquirere? ergo fruſtra ad id conaretur pertingere, ad quod nullum per ſe principium habet pertingendi; nemo autem propriè, & per ſe tenetur, ad quod propriè, & per ſe pertingere non poteſt.

328 Et notanter dico, ad quod propriè, & per ſe pertingere non poteſt; quia ſi poteſt per accidens, & caſualiter, non tenetur. quis enim dicat, quod poſſit quis obligari ad inveniendum, quod nonniſi per accidens, & fortuitò inveniri poteſt? & tamen eiuſmodi eſſent omnes ſimiles circumſtantiæ actui deforis, & occultè ſupervenientes; omnes enim per accidens, & fortuitò agenti ſuperveniunt; ac proptereà nonniſi per accidens, & fortuitò contingere poteſt, quod eas interdùm antevertat cognitione ſua; non autem per ſe, & ex intentione inquirendi, aut ſe certificandi de illis; cum nullum de eis habeat principium ſaltèm dubitandi, quod ſint; ſed ad ſummum quod ſint poſſibiles eſſe; quod non poteſt obligationem inducere ad inquirendum; quia circumſtantiæ purè poſſibiles, & de quarum actuali exiſtentia non eſt aliquod principium dubitandi, cuiuſmodi ſunt circumſtantiæ illæ, quæ rarò contingere ſolent, ſunt innumeræ, & ferè infinitæ, quas ſi vellet homo præcogitare, nunquam ſe expediret ad agendum; & poſt mille combinationes, ac diligentias, vix unam de præcogitatis detegeret, & ſemper poſſet in aliquam inexcogitatam incidere, atque ideò omnes eiuſmodi diligentiæ ſuperfluæ, & ſupererogatoriæ eſſent, ac fruſtraneæ, ad quas nemo obligari poteſt. eſſet enim quaſi muſcas per aerem venari. Et ideò Jacob non fuit obligatus accedēdo ad Liam ſibi per accidens ſubmiſſam, factum prævidere; aut adhibere diligentiam ad præcognoſcendum accedendo cum lumine; quod ſi feciſſet, opus ſupererogatorium & ferè ſuperſtitioſum egiſſet, licet procul dubio fraudem detegiſſet, ſed purè per accidens; quia non poterat per ſe, & ex determinata intentione ad hunc finem prudenter procedere: alioquin oporteret omnes actum coniugii facturos eiuſmodi diligentia uti; eamque millies, & ſemper, & quod peius eſt, fruſtraneè adhibere; cum in infinitis actibus vix ſemel caſus occurrat eiuſmodi ſubmiſſionis. Immò dum tali diligentia uterentur accedendo cum lumine, & talem circumſtantiam vitare intenderent, in infinitas alias inexcogitatas poſſent incidere; puta in circumſtantiam incendii, rixarum, homicidii, & ſimiles; ſunt enim hæc omnia per varias combinationes poſſibilia. Ex quo conſtat ad eiuſmodi diligentias tunc hominem nō teneri, ac proindè non fit ei ignorantia eiuſmodi voluntaria, ſi aliqua ei talis circumſtantia occultè, & per accidens superveniat, neque phiſicè, neque moraliter, ac per conſequens erit ei tunc talis ignorantia omninò antecedens ad eius voluntatem, & purè naturalis, quæ totaliter excuſabit illum ab omni culpa; ut dictum eſt.

329 Ex quibus omnibus concludendum eſt quod ignorantia, quæ eſt cauſa actus peccati tunc tantùm totaliter excuſat a peccato, quandò eſt omninò involuntaria & phiſicè, & moraliter; tunc enim eſt omninò, & ſimpliciter antecedens ad omnem influxum voluntatis, & eſt purè naturaliter in agente, ac propterea non poteſt ei fieri aliquo modo voluntaria malitia ſui actus ignorata. Tunc autem ignorantia verè eſt talis, quando per ſe, & propriè loquendo eſt omninò invincibilis per ſtudium ac diligentiam debitam: nomine autem ſtudii, & diligentiæ debitæ, non venit ſola inquiſitio ſcientiæ ſeu cognitionis ſpeculativæ eius, quod inquiritur, quæ aliquando haberi non poteſt, ut contingit in caſu quo de eo ſunt variæ opiniones Doctorum, & non poteſt aliqua pars certò ſtabiliri; ſed etiam inquiſitio cognitionis practicæ, qua certò poſſit cognoſci quid hìc & nunc ſit agendum ad vitandum periculum ignorantiæ ſpeculativæ, quæ tunc ſupponitur manifeſta ex ipſa varietate opinionum. quod eſt valdè notandum, quia ex inconſideratione huius falluntur Probabiliſtæ credentes, quod ubi ſcientia de re, quæ controvertitur, haberi non poteſt, ibi ſit ignorantia invincibilis. de quo nos alibi ſuo loco dicemus. Tunc verò ignorantia erit per ſe & propriè loquendo omninò invincibilis per ſtudium, & diligentiam debitam ſic explicatam, quando eſt eorum quæ quis aliquo ex his modis ſcire non poteſt, vel non tenetur, iuxta ea quæ hucuſque à nobis explicata ſunt de lege aliquid prohibente, & citra omnem agentis negligentiam penitùs ignota, & de circumſtantiis occultis per accidens ſupervenientibus; ſi de illis nulla ſpecies agenti affulgeat, undè poſſit moveri ſaltem ad prudenter dubitandum, ſicut diximus de Jacob accedente ad Liam.

330 Cæteræ verò omnes aliæ ignorantiæ, quæ ſunt cauſa actus peccati, non poſſunt totaliter excuſare ab ignorata malitia, quia ſunt omnes voluntariæ, vel formaliter & in ſe, cuiuſmodi eſt ignorantia affectata; vel ſaltem virtualiter, ut eſt illa quæ ex negligentia procedit; In his enim eſt ſufficiens principium ſaltem prudenter dubitandi de malitia; & ſi non dubitetur, hoc provenit ex negligentia debitæ conſiderationis, cum aliàs debeat homo, & poſſit, malitiam, vel ſaltem malitiæ periculum ex ſufficiente principio prævidere; ut in ſuperioribus capitibus oſtendimus; ac per conſequens ſunt omnes ignorantiæ huiuſmodi ad voluntariam agentis negligentiam conſequentes, vel etiam ad formalem eius voluntatem ignorantiam affectantem; & ideò non poſſunt à peccato totaliter excuſare.

De

Digitized by Google

331 De ignorantia denique, quæ non eſt cauſa actus peccati, ſed purè illum comitatur, & dicitur concomitans, jam dictum eſt in principio quod neque excuſat poſitivè ex vi ſua, neque accuſat; ſed poteſt aliundè utroque modo ſe habere, ex eo ſcilicet quod vel comitatur ignorantiam antecedentem, vel conſequentem, ut conſtat ex dictis. Et hæc eſt generalis doctrina de ignorantia, quandò per eam quis dicatur peccare, vel totaliter excuſari ab omni culpa.

CAPUT QUINTUM.

De Ignorantia prout eſt ratio diminuendi peccatum.

§. UNICUS.
An ignorantia diminuat peccatum?

332 Reſolutio huius difficultatis facilis eſt ex hueuſque dictis. Nihilominùs ut diſtinctiùs eam reſolvamus, ſicut facit D. Thomas ſpecialiter 1. 2. *q.* 76. *a.* 4. ideò ex eodem advertimus, quod ignorantia in tantum vim habet diminuendi peccatum, in quantum poteſt diminuere de voluntario. Cum enim omne peccatum in tantum ſit peccatum, in quantum eſt voluntarium; oportet quod quantò minùs voluntarium ſit, tantò minùs peccatum evadat. atque ideò ubi ignorantia de voluntario diminuit, cauſa erit quod ibi minùs peccetur ab agente. ex quo derivantur ſequentes concluſiones.

333 Prima eſt. Ignorantia quæ eſt totaliter involuntaria, ac per conſequens cauſat omninò & ſimpliciter involuntarium, & totaliter excuſat à peccato, ut diximus de ignorantia antecedente, propriè & per ſe loquendo non diminuit peccatum, ſed totaliter aufert illud, ſicut totaliter aufert rationem voluntarii, quod autem totaliter aufertur, non dicitur propriè, & per ſe loquendo diminui; quod enim diminuitur, manet ſecundum aliquid ſui.

334 Secunda eſt. Ignorantia, quæ non eſt cauſa actus peccati, ſed ſolùm illum comitatur, cuiuſmodi eſt ignorantia concomitans, de qua dictum eſt ſupra, per ſe, & prout conſideratur ut purè concomitans, neque diminuit, neque auget peccatum; quia ipſa non cauſat involuntarium, vel voluntarium, ſed potiùs voluntarium ſupponit ex parte agentis: ex parte autem actus effectivè facti, poteſt, & cum omninò involuntario, & cum aliqualiter voluntario coniungi; ſecundùm quod ſimul reperitur cum ignorantia antecedente, vel conſequente, ut ſupra explicavimus. Sed quia hoc quod eſt tunc effectum eſſe effectivè aliqualiter voluntarium, vel non, provenit ex una vel altera ignorantia, cum qua ipſa coniungitur, ideò ex parte ſui nec diminuit, nec auget peccatum: ſed illud relinquit tantum, quantum eſt affectivè ex parte affectus agentis, & quantum eſt effectivè ex parte facti juxta rationem voluntarii, vel involuntarii quod tunc cauſatur ex parte alterius ignorantiæ cū qua ſimul reperitur, prout ſupra dictum eſt.

335 Tertia concluſio eſt. Ignorantia, quæ eſt voluntaria, & eſt cauſa actus peccati, prout eſt ignorantia conſequens, de qua ſupra, quæ ut diximus facit ſolùm involuntarium ſecundum quid, non autem ſimpliciter, ac propterea non excuſat totaliter à peccato, hæc utique diminuit peccatum, & tantum diminuit, quantum minùs relinquit de voluntario. Undè peccatum factum ex tali ignorantia minùs peccatum eſt, quam ſi fieret à ſciente.

336 Sed hìc eſt advertendum, quod ignorantia hæc conſequens, cum poſſit duplici modo eſſe voluntaria, ut ſupra dictum eſt: videlicet vel formaliter, & directè, ut cum quis vult, & affectat ipſam ignorantiam, ut liberiùs pro ſuo libito vivat, & non retrahatur per ſcientiam à concupiſcentiis ſuis: vel virtualiter & indirectè, ut cum quis ex propriâ negligentiâ ea, quæ pro ſuo ſtatu, & officio ſcire tenetur, ignorat: conſequenter habet quod ſit magis voluntaria uno, quam altero modo; atque ideò una minùs diminuit de peccato, quam altera, ſi invicem comparentur; licet utraque ſemper habeat peccatum diminuere, & minus illud reddere, quàm ſi fieret ſcienter. ſupponitur enim hìc ut verum, & veriſimum quidem eſt, quod agens ex ignorantiâ etiam formaliter, & directè volita (quæ eſt magis voluntaria, quàm illa quæ ſolùm virtualiter, & indirectè eſt volita, ut de ſe conſtat) licet hoc ipſo quod vult expreſſè ignorare, quæ ſibi neceſſaria ſunt, ut liberiùs vivat; velit conſequenter liberè, & ſine impedimento peccare ignoranter; nihilominùs non vult peccare ſcienter; undè ſi certò ſciret aliquid eſſe peccatum, illud non faceret: alioquin non eſſet eius ignorantia conſequens, & cauſa actus peccati, ſed concomitans, quæ non eſt cauſa actus peccati, ut diximus ſupra ex D. Thoma. ac proindè, hoc ſuppoſito, iſte talis videtur manifeſtè habere minus de voluntate peccandi, quàm qui ſcienter, & ex certa malitia vult peccare; nam iſte vult peccatum ſibi certò cognitum abſolutè, & ſimpliciter; ille verò vult peccatum ſecundùm quid, quatenùs ſcilicet ei non certò conſtat, ita ut non vellet, ſi eſſet ſibi certum; & propterea minùs peccat, quàm ſcienter.

337 Ex quo ſit quod ignorantia conſequens ſeu voluntaria, quæcumque ea ſit, ſive primo, ſive ſecundo modo, comparata ad ſcientiam alterius agentis, qui idem peccatum agit, non ponit tantum de voluntario, quantum ponit ſcientia in iſto; atque ideò idem peccatum diminuit, ita ut minùs peccet agens ignorans, quàm ſciens in eodem genere peccati. At ſi ignorantia conſequens, & voluntaria primi modi, ideſt formaliter, & directè volita, compare-

paretur cum altera, quæ eſt volita ſolùm virtualiter, & indirectè; ſic hæc ſecunda magis diminuit de peccato, quam ſi fieret ex prima. Unde prima ignorantia comparata ad ſecundam non diminuit, ſed auget peccatum; plus enim peccat qui in eodem genere peccati delinquit ex ignorantia, quam formaliter, & directè vult ut liberiùs agat, quam qui ex pura negligentia ſolùm virtualiter, & indirectè voluntariè ignorat. Ille enim ex poſitivo quodam tacito affectu ad peccandum ignorat, involuto in illa libertate vivendi formaliter affectata: hic verò ex ſolo defectu debitæ diligentiæ. Et in hoc ſenſu exiſtimo locutum fuiſſe D. Thomam, dum 1.2.*q*.76. *a*.4. ait de ignorantia affectata, quod talis ignorantia videtur augere voluntarium, & peccatum, videlicet comparativè ad ignorantiam ſecundò modo ſumptam; non abſolutè: nam abſolute loquendo, idem genus peccati minus evadit ex tali ignorantia factum; quam ſit in ſe factum ſcienter.

338 Vel aliter dici poteſt, quod locutus fuerit, & intellexerit abſoluti, quod ignorantia eiuſmodi affectata ſemper augeat peccatum plus quam ſit in ſe etiam ſcienter factum; non quidem intenſivè, ſed extenſivè; quatenùs ſcilicet ignorantia ſic univerſaliter affectata ab agente, ut univerſaliter liberiùs in ſuis actibus vivat, non ſolùm involuit affectum ad peccandum eo peccato, quod hîc, & nunc actualiter ex tali ignorantia agit; ſed etiam ad peccandum in quocumque alio genere peccatorum, quæ ſibi ex tali affectatione univerſali ignorantiæ poterunt contingere; quam utique extenſionem voluntatis non habet qui ſcienter illud idem peccatum ſingulare committit; atque ideo ignorantia huiuſmodi in agente ex illa aliquod ſingulare peccatum, facit tale peccatum maius, quam ſit in ſe, & ſi à ſciente fieret, quia ſuperadderet ad illius malitiam extenſionem illam affectus ad alia genera peccatorum. Cæterùm intenſivè impoſsibile eſt, quod illud augeat, ſeu quod efficiat illud gravius, quàm ſit in ſeipſo, & quam ſi ſcienter fiat; cum potiùs illud diminuat, ut oſtenſum eſt, quia facit illud in ſeipſo minùs voluntarium, quam ſi ſcienter efficeretur.

CAPUT SEXTUM.

De Ignorantia juris naturæ.

§. I.

An Ignorantia juris naturæ aliquando excuſet à peccato?

339 QUæ hactenùs in ſuperioribus dicta ſunt de ignorantia, ferè omnibus pervia, & communia ſunt. Nunc autem ad difficiliora progredi oportet, ut doctrina huc uſque tradita diſtinctiùs atque evidentiùs applicata ad ſpeciales materias, de quibus contingit ignorantia, eluceſcat. Et prima quidem, omniumque potiſſima difficultas eſt circa jus naturæ. An ſcilicet huiuſmodi juris ignorantia poſſit aliquando à peccato totaliter excuſare? Certum enim eſt ex dictis, quod excuſet aliquantulùm, illud ſcilicet diminuendo, & reddendo minùs grave, quam ſi ſcienter fieret; quia ut oſtendimus, ignorantia quocumque modo etiam voluntaria non pertingit uſque ad hoc, quod aliquid ex illa factum ſit tam voluntarium, quàm ſi fieret à ſciente; ac proindè ſemper diminuit de ratione voluntarii, & per conſequens de ratione peccati. Difficultas igitur ſola eſt, an poſſit totaliter excuſare, ita ut agenti ad peccatum non imputetur? quod idem eſt ac quærere: An ignorantia nativi juris poſſit eſſe invincibilis, omnino involuntaria, & inculpabilis? An ſemper ſit per ſe vincibilis, culpabilis, & voluntaria? Vel an ſemper ſit conſequens, & numquam antecedens ad defectum voluntatis? ſunt enim hæc unum, & idem omninò quæſitum, ut conſtat ex dictis.

340 Sunt autem circa hanc difficultatem Doctores pro utraque parte diviſi. multi enim, imò ferè omnes Antiqui ſuſtinent ignorantiam juris naturæ numquam poſſe eſſe invincibilem, ac proindè numquam excuſare. Ita Alexander de Ales 1. 2. *q*. 113. membro 3. Durandus 3. *diſt*. 25. *q*. 1. ad primum. Gratianus 1. *q*. 4. *Can. Turbatur*. Alphonſus à Caſtro *lib*. 2. *de leg. pæn. cap*. 14. Antiſidiorenſis *lib*. 3. *ſum. tract*. 3. Albertus Magnus *in* 2. *diſt*. 22. *a*. 10. Gabriel *q*. 2. *a*. 3. *lib*. 1. & alii ut Hugo à S. Victore, Guilielmus Pariſienſis, Adrianus, D. Bonaventura, Joannes Gerſon, quos citat Vaſquez *in* 1. 2. *diſp*. 122. *cap*. 1. *&* *diſput*. 120. & Sayrus in ſua Clavi Regia *lib*. 2. *cap*. 9. *num*. 16.

341 Alii verò, & præcipuè ex Recentioribus facilè admittunt invincibilem ignorantiam circa aliqua præcepta juris naturæ, nempè circa ſecundaria. diſtinguunt enim iſti jus naturæ in aliqua veluti prima principia per ſe omnibus nota; ut quod bonum ſit amplectendum, malum autem fugiendum, quod non ſit alteri faciendum, quod nobis fieri nolumus, & ſimilia: atque hæc fatentur ignorari non poſſe invincibiliter; & idem dicunt de quibuſdam aliis præceptis, quæ immediatè cum iſtis primis connectuntur, & facilè ex iſtis deducuntur tamquam concluſiones immediatè indè derivatæ. Et in aliqua præcepta ſecundaria magis remota ab iſtis, quæ proindè dicunt non poſſe tam facilè deduci ex primis, & agnoſci ab omnibus; & de his inquiunt dari poſſe invincibilem ignorantiam. Ita Bartholomæus Medina 1.2. *q*. 76. *a*. 2. *dub*. 4. Joſeph Angles in floribus 2. *ſent. diſt*. 22. *a*. 2. *diffic*. 4. Valentia *tom*. 2. *diſp*. 6. *q*. 6. *pun*. 1. *coroll*. 7. Antonius de Corduba *lib*. 2. *q*. *Theol*. *q*. 4. *concl*. 1. Vaſquez *in* 1. 2. *diſp*. 122. *cap*. 2. & alii apud Clavem Regiam *loc. ſup. cit*.

Ego

342 Ego autem exiſtimo abſolutè primam ſententiam veriſſimam eſſe, eamque eſſe expreſſam mentem D. Thomæ, & Auguſtini; ut infra ponderando quoſdam utriuſque Sancti Doctoris textus ad literam oſtendam. Hanc etiam ſententiam docet expreſsè ſubtiliſſimus Caietanus 1. 2. *q.* 76. *a.* 4. qui adeò accuratè quæſtionem hanc reſolvit, & veritatem luculenter oſtendit, ut nihil ſit quod a lectore poſſit in hac materia aut profundius, aut ſolidius, aut verius, aut denique evidentius deſiderari. Ex cuius quidem doctrina mutuato ſufficiente lumine, per difficilem, atque implicatiſſimam hanc difficultatem, detecta protinùs veritate unicuique tractabilem fieri poſſe non dubito.

343 Ut igitur hæc ſententia in ſe veriſſima fiat omnibus demonſtrata id unum erit totius laboris opus, nempè profundiſſimas Caietani rationes ac ponderationes uniuſcuiuſque captui atque intelligentiæ accommodare, Eaſque ad planiorem formam reducere, & explanare: quod libenter hîc conabor efficere. Sed antequam ad hoc deveniam, fas eſt D. Thomam & Auguſtinum audire ex ore proprio loquentes, ut quid in hac re ſentiant, ipſimet priùs aperiant, multum enim refert, quod nobis præluceant duo hæc magna Eccleſiæ lumina.

§. II.

Examinatur Mens D. Thomæ, quid ſenſerit de ignorantia juris naturæ, & oſtenditur ex mente eius numquam excuſare.

344 D. Thomas 1. 2. *q.* 6. *a.* 8. volens explicare ignorantiam conſequentem, dicit eam eſſe inquantum ipſa ignorantia eſt voluntaria. *Et hoc* (inquit) *contingit dupliciter: uno modo, quia actus voluntatis fertur in ignorantiam; ſicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excuſationem peccati habeat, vel ut non retrahatur à peccando, ſecundum illud Job. 21. ſcientiam viarum tuarum nolumus; & hæc dicitur ignorantia affectata. Alio modo dicitur ignorantia voluntaria eius, quod quis poteſt ſcire, & debet; ſic enim non agere & non velle voluntarium dicitur, ut ſupra dictum eſt. Hoc igitur modo dicitur ignorantia ſive cum aliquis actu non conſiderat, quod conſiderare poteſt, & debet; quæ eſt ignorantia malæ electionis, vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens: ſive cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere. Et ſecundùm hunc modum* (nota lector) *ignorantia univerſalium juris, quæ quis ſcire tenetur, voluntaria dicitur, quaſi per negligentiam proveniens.* uſque hîc D. Thomas.

345 In quo quidem textu ſatis nobis eſſet, quod D. Thomas concluſerit quod ad unum ex modis ignorantiæ conſequentis, & voluntariæ ignorantia univerſalium juris pertineat; ac per conſequens eiuſmodi ignorantia, quæ profectò ignorantia juris naturæ eſt, utpote conſequens, & voluntaria, non excuſet, ſed vincibilis ſemper ſit, & culpabilis. quandoquidem expreſsè: *Et ſecundum hunc modum* (inquit) *ignorantia univerſalium juris, quæ quis ſcire tenetur, voluntaria dicitur quaſi per negligentiam proveniens*. Et tamen nos non in hoc tantùm vim facimus, neque eo ſolùm contenti ſumus; ſed volumus ulteriùs idipſum ex toto præallegato textu benè ponderato firmiùs ſtabilire.

346 Quare in eo ponderandum eſt, quod D. Thomas duos modos ponit ignorantiæ conſequentis, & voluntariæ. Et primum aſſignat tunc eſſe, quando quis formaliter, & explicitè vult ipſam ignorantiam, ut ignorando a peccando non retrahatur per ſcientiam, ſed liberè poſsit agere, & prætextu ignorantiæ poſtea excuſari; quod eſt dicere: quandò vult quaſi ex induſtria ſcientiam negligere ad finem liberiùs vivendi juxta concupiſcentias ſuas, ut ab illis non ſe impediat per ſcientiam, quæ ſi adeſſet procul dubio eum impediret, niſi vellet ſcienter, & ex certa malitia peccare. Conſtat autem ex litera quod non ad hunc modum reducit D. Thomas ignorantiam univerſalium juris. Alterum modum autem aſſignat ſub quadam disjunctione, quatenùs ſcilicet ignorantia eius, quod quis ſcire poteſt & debet, fit voluntaria, non per hoc quod agens vult formaliter, & explicitè ſcientiam negligere, & ignorare, ſicut dixerat de primo modo: ſed per hoc quod, vel non conſiderat actu quod conſiderare poteſt, & debet; & huiuſmodi ignorantiam appellat malæ electionis vel ex paſſione, vel ex habitu, provenientem: Vel non curat acquirere notitiam, quam debet habere; ut expreſsè habet in litera. Conſtat autem quod membra huius disjunctionis ſunt: Actu non conſiderare quod quis poteſt, & debet: & non curare acquirere notitiam, quam quis debet habere, Expendamus modò diſcrimen quod intereſt inter unum, & alterum; non enim fruſtra D. Thomas ea disjunxit. Profectò non aliud diſcrimen aſſignari poteſt, niſi quod, qui actu non conſiderat quod poteſt & debet, ſupponitur habere in ſe ſcientiam habitualem eius, quod actu non conſiderat, permanentem ſcilicet in ſpeciebus eius impreſſis, quibus tamen actualiter non utitur ad actualiter agnoſcendum, & ideò dicitur actu ignorans, non ex defectu ſcientiæ, ſed ex defectu actualis conſiderationis, ſeu applicationis eius ad id, quod aliàs actu videret, ſi applicaretur, & propriis ſpeciebus eius, quas in ſe habet, uteretur ad actualiter agnoſcendum. At qui non curat acquirere ſibi notitiam, quam habere debet, ſupponitur non habere in ſe aliquam notitiam ſeu ſcientiam neque habitualem; ac propterea debet curare illam ſibi priùs acquirere. quod ſi non curet, eius negligentiæ tribuitur quod ignoret. ex quo infertur quod totum diſcri-

ſcri-

Digitized by Google

ſcrimen ſit, quod iſte negligit ſcientiam, & ideò ignorat: Ille verò non poteſt dici ſcientiam negligere, quia illam habere ſupponitur, ſed quia ex defectu actualis conſiderationis ſe habet, quaſi ſcientiam non haberet, ideò non conſiderando actualiter, quod poteſt & debet conſiderare, æquivalet illi, qui nullam ſcientiam habet, & negligit eam habere, ac per conſequens dici debet quaſi negligens, ut inſinuetur eius æquivalentia ad illum, & ſalvetur diſcrimen utriuſque. Et quia D. Thomas ignorantiam univerſalium juris reduxit ad primum membrum diſiunctionis huius ſecundi modi ignorantiæ conſequentis, & voluntariæ; ideò ſubiunxit: & ſecundum hunc modum (prout tamen dicit primum membrum diſiunctionis) ignorantia univerſalium juris, quæ quis ſcire tenetur, voluntaria dicitur, quaſi per negligentiam proveniens. Vide, lector, non dicit D. Thomas; Per negligentiam; ſed quaſi per negligentiam proveniens. Ergo D. Thomas non ſolùm intendit, quod ignorantia univerſalium juris, quæ eſt ignorantia juris naturæ, ſit conſequens, & voluntaria; ſed ulteriùs quod non ſit ex defectu ſcientiæ, quia hæc cum ſit naturaliter omnibus indita, non ſupponitur poſſe alicui deficere; ſed ſolùm ex defectu actualis conſiderationis, & applicationis, ad id actualiter videndum, quod aliàs ab unoquoque ſcitur; & ideò dicitur quaſi per negligentiam proveniens. Ergo per D. Thomam eiuſmodi ignorantia impoſſibile eſt quod ſit invincibilis, & inculpabilis, quia unicuique præſto eſt ſcientia, qua illam actualiter vincere poſſit per puram ſui applicationem ad conſiderandum actus ſuos in ſeipſis, ſicut debet.

347 Ex quibus colligitur ſummatim ad mentem D. Thomæ in præfato Textu, quod ignorantia conſequens, & voluntaria triplici modo contingere poteſt. Primò ex defectu ſcientiæ debitæ, quam quis formaliter, & directè recuſat habere, ut licentioſiùs vivat. Secundò ex defectu ſcientiæ, quam quis non recuſat formaliter, & directè habere; ſed ſolùm virtualiter, & indirectè, quatenùs non curat ſcientiam ſibi debitam pro ſtatu, & officio ſuo acquirere, & negligit illam vel ob tædium laboris, vel ob alia opera quibus occupatur, & ſe impedit; ut alibi dicit D. Thomas. Tertiò non ex defectu ſcientiæ, quia hæc in agente ſupponitur aliquo modo permanens in ſpeciebus impreſſis, ſeu habitualiter; ſed ex defectu actualis conſiderationis, defectu, inquam, culpabili, & virtualiter voluntario, qui facilè accidit ex voluntariis paſſionibus, & propriis concupiſcentiis, aut pravis habitibus, & conſuetudinibus inconſideratè, & licentioſè vivendi, quibus agens à debitis conſiderationibus impeditur, ita ut habens in ſe ſcientiam, hoc eſt ſpecies & principia ſufficientia ad actu ſciendum, ſic indè ſe gerat, ac ſi illam non haberet; & ſit quaſi videns non videns, & intelligens non intelligens; ac propterea ſe habeat quaſi negligens ſcientiam, dum illa non utitur, quàm alias intra ſe habet, & per hoc æquivalet illi, qui ſcientiam non habet, quia neglexit eam ſibi acquirere; cum tamen ipſe non ex tali negligentia deficiat, quia ubi non eſt opus diligentia, & ſtudio, ibi nulla eſſe poteſt vera negligentia; ſed deficit potiùs ex paſſione, & pravo habitu vivendi, quo cæco modo procedit in actibus ſuis, nolens uti lumine, quod habet, ut actu videat, ſed veluti claudens oculos debitæ conſiderationis in præceps ruit, quos ſi aperiret, ſine ullo labore, & ſine ullo ſtudio facilè videret, & ideò ſine negligentia quaſi negligens evadit æquivalenter. Et hoc modo ſe habet qui deficit ex ignorantia juris naturæ. Et ideò D. Thomas de ea dicit, quod voluntaria dicitur quaſi per negligentiam proveniens.

348 Scio circa hunc Textum D. Thomæ nonnullos prætendere quod D. Thomas nomine ignorantiæ univerſalium juris non intelligat totum jus naturale, ſed ſolùm quædam prima præcepta communia, & univerſalia per ſe omnibus nota, quæ ſunt veluti quædam prima principia juris naturæ, ut eſt illud: quod tibi non vis alteri ne feceris; & ſimilia; vel ad ſummum alia ſecundaria immediatè connexa cum primis. Cæterùm, inquiunt, de aliis intelligi non poteſt, quæ difficiliora ſunt, & indigent longo diſcurſu, & interdùm acuto ingenio, ut deducantur; quæ proindè non ab omnibus ſciri poſſunt, & aliquando etiam à Doctioribus controvertuntur.

349 Sed fruſtrà ſic conantur D. Thomam interpretari: nam D. Thomas nomine univerſalium juris intelligit omnia, & ſingula præcepta juris naturæ, ut infra meliùs oſtendam. Nec debent adverſarii vim facere in ipſo nomine, quaſi quod univerſalia juris propriè dici non poſſint ſingula præcepta ſpecialia, ſed ſolùm illa quæ communiſſima ſunt, & veluti prima principia, ſub quibus virtualiter clauduntur particularia, & ex quibus deducuntur omnia alia. Non, inquam, in hoc vim facere debent, nam ſingula præcepta juris optimè, & propriè vuiverſalia dici poſſunt & debent ex duplici capite; primò quia ſingula præcepta juris naturæ communia ſunt omnibus, & ſingulis hominibus univerſaliter, utpotè quæ in ipſa natura rationali omnibus hominibus communi, fundantur, atque ideò dicuntur omnibus indita, & intùs per ipſum rationale lumen omnibus intimata. Secundò quia quodlibet ſpeciale præceptum in ſe univerſale eſt, cum ſit de actibus ſecundùm ſuam ſpeciem conſideratis, ſub quibus veniunt omnes actus individui; exempli gratia præceptum de non fornicando prohibet univerſaliter actum fornicationis ſecundum ſpeciem ſuam, ita ut univerſaliter fornicatio ſit jure naturæ prohibita, non hæc, vel illa tantùm in individuo. Et ideò Philoſophus in 3. *Ethic.* ignorantiam juris naturalis ignorantiam

rantiam

rantiam univerſalem juris appellat; qui enim ignorat fornicationem de ſe eſſe malam, univerſaliter ignorat illam, quia generatim ignorat de ea, quod ſit mala ſecundùm ſpeciem ſuam. Et in hoc ſenſu ipſemet D. Thomas exponit ipſum Ariſtotelem ſumpſiſſe ignorantiam juris, dum univerſalem eam appellat dicto *loco cit. 3. Ethic.*

350 Quod autem D. Thomas re vera nomine univerſalium juris non intelligat prima illa principia juris naturæ, ſed omnia, & ſingula juris naturæ præcepta, & de omnibus intendat quod ignorantia non excuſet, comprobatur ex aliis eiuſdem D. Thomæ locis. Et primò ex 1. 2. *q*. 19. *a*. 6. Ubi inquirens: an voluntas concordans rationi erranti ſit bona? ſic reſpondet: *Si ratio errans dicat quod homo teneatur ad Uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti eſt mala, eo quod error iſte provenit ex ignorantia legis Dei, quam ſcire tenetur*. Ergo per D. Thomam hic expreſsè habemus ignorantiam adulterii non eſſe invincibilem, neque poſſe excuſare; & tamen præceptum de non adulterando non pertinet ad prima illa principia juris naturæ, ſed ad præcepta ſecundaria. Ergo dum D. Thomas rationem aſſignans, quare homo errans in adulterio non excuſetur, dicit: eo quod error iſte provenit ex ignorantia legis Dei, quam ſcire tenetur; intendit quod ignorantia legis Dei, etiam prout comprehendit alia præcepta ſecundaria, cuiuſmodi eſt adulterium, non excuſat, nec dici poteſt invincibilis, quia lex Dei (quæ lex naturæ eſt, lex enim Dei dicitur, quæ in decalogo habetur, quæ tota de jure naturæ eſt, ut conſideranti patet) tota quanta eſt talis eſt, qualem homo ſcire tenetur, ut dicit ibidem D. Thomas, nec poteſt eam invincibiliter ignorare: alioquin non benè probaret indè D. Thomas, quod voluntas concordans rationi erranti de adulterio eſſet mala, eo quod error iſte provenit ex ignorantia legis Dei, quam ſcire tenetur; quia non teneretur totam & totaliter illam ſcire, ſed ſolùm quoad prima principia.

351 Præterea D. Thomas *quodlib*. 8. *a*. 13. volens explicare quot modis quis ad peccatum obligetur, ſic habet: *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. Uno modo faciendo contra legem; ut cum aliquis fornicatur. Alio modo faciendo contra conſcientiam, & ſi non ſit contra legem; ut ſi conſcientia dictat alicui, quod levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale.* Et poſtea reſumit ſic: *Illud autem quod agitur contra legem, ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundum conſcientiam*. Pondera nunc mecum, lector, verba hæc: D. Thomas dicit expreſsè quod illud quod agitur contra legem, ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundùm conſcientiam, quod eſt dicere: nec excuſatur, per hoc quod quis errando putet non eſſe malum, ſeu ignoret eſſe malum; & exemplificat hoc in eo, qui fornicatur. Ergo per D. Thomam ignorantia fornicationis non eſt invincibilis; nec poteſt excuſare, quia contra legem naturæ eſt, quæ Dei lex dicitur, ut explicatum eſt; & tamen conſtat, quod fornicatio non pertinet ad prima principia juris naturæ; imò neque ad ſecundaria, quæ Recentiores dicunt eſſe immediatè & evidenter connexa cum illis primis; cum non defuerint etiam ex viris alias Doctis, & Catholicis, qui in controverſia poſuerint, ſit ne per ſe, & ab intrinſeco, & de jure naturæ mala; ac proindè de eius malitia dubitaverint; imò poſitivè erraverint, ignorando, ac putando non eſſe de jure naturæ malam, ut conſtat ex propoſitione 48. damnata ab Innocentio XI. die 4. Martii 1679. Ergo dum D. Thomas dicit fornicantem ex ignorantia juris naturæ eam prohibentis, non excuſari; quia contra legem agit; manifeſtè inſinuat, quod ignorantia juris naturæ etiam quoad præcepta ſecundaria, & remota à primis illis principiis, & aliqualiter cognitu difficilia, non eſt invincibilis. ac per conſequens dum ad ignorantiam conſequentem, & vincibilem reducit ignorantiam univerſalium juris, non intendit de ignorantia ſolùm primorum principiorum, vel eorum quæ ſunt evidenter & ſic immediatè cum illis connexa, ut appareant de ſe manifeſtè omnibus, ut interpretantur Recentiores iſti; ſed intendit etiam de ignorantia omnium, quæ ad jus naturæ pertinent.

352 Ulteriùs D. Thomas 1. 2. *q*. 76. *a*. 2. volens explicare quæ ſint ea, quæ omnes ſcire tenentur, ac per conſequens quod ea ignorando peccent, juxta eius doctrinam alibi traditam, quod qui ignorat, quæ poteſt, & ſcire tenetur, peccat; ait: *Omnes tenentur ſcire communiter ea, quæ ſunt fidei; & univerſalia juris præcepta: ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant*. Tunc ſic argumentor: ſi D. Thomas per univerſalia juris præcepta intelligeret ſola illa prima principia; vel eis ſic evidenter, & immediatè connexa, & non alia omnia; fuiſſet ibi diminutus; cum per ipſum D. Thomam ſint, etiam præter illa, plura alia, quæ homo ſcire tenetur; ut oſtendimus de adulterio, & fornicatione: & tamen ipſe de ſolis illis primis mentionem feciſſet, quando ibi univerſaliter docebat de omnibus, quæ homo ſcire tenetur. Ergo ne dicamus fuiſſe nimis diminutum, oportet dicere, quod & hæc alia clauſerit ſub nomine univerſalium juris. Ergo gloſſa Recentiorum ſubſiſtere non poteſt.

353 Sed obiiciet aliquis contra hoc: quod D. Thomas loco proximè allegato dicit etiam quod omnes tenentur ſcire ea, quæ ſunt fidei: & ſinguli ea, quæ ad ipſorum ſtatum, vel officium ſpectant. Et tamen non eſt impoſſibile quod quis myſteria fidei invincibiliter ignoret, ut idem D. Thomas alibi fatetur de nutrito in ſylvis. Neque impoſſibile eſt, quod quis in-

vincibiliter aliquando ignoret aliquid, quod ad eius officium ſpectet, ut ſi Clericum lateat præter eius negligentiam aliqua conſtitutio Pontificia ad ipſum pertinens, eo quod ad ipſum nullo modo pervenerit. Ergo ſimiliter non erit impoſſibile, quod quis aliquid de jure naturæ interdùm invincibiliter ignoret, eo quod ad illud ſuo diſcurſu pertingere non poteſt, quantumvis D. Thomas dicat univerſaliter, quod univerſalia juris omnes ſcire tenentur. poteſt enim intelligi D. Thomas, quod regulariter loquatur, cum quo ſtat quod in aliquo caſu raro oppoſitum contingat, ſicut in aliis extra jus naturæ.

354 Reſpondeo ad hoc negando conſequentiam, & paritatem. Et diſparitas eſt, quia quæ ſunt fidei, vel conſtitutionis Pontificiæ, & ſimilia nonniſi per diſciplinam, & exterius magiſterium ſciri poſſunt; ac propterea licet regulariter loquendo impoſſibile ſit, quod quæ ſunt fidei invincibiliter ignorentur, cum fides ſit regulariter ubique publicata, juxta illud: *In omnem Terram exivit ſonus eorum*; tamen poſſibile eſt, quod in aliquo caſu raro ſonus fidei non pertingat ad aures alicuius, cuiuſmodi eſſet eiuſmodi nutritus in ſylvis. Et idem eſt de conſtitutionibus Pontificiis, & ſimilibus, quæ ſua publicatione regulariter ad omnes partes pertingunt, licet interdùm aliter contingere poſſit. At jus naturæ non per diſciplinam, & magiſterium extrinſecum accipitur, ſed unicuique eſt ab Auctore naturæ inditum, & interiùs promulgatum; ita ut ab omnibus uſum rationis habentibus ſufficienter ſciri poſſit, ut fuſiùs infra probabo, ac propterea non eſt poſſibilis caſus, in quo aliquid invincibiliter ignoretur. quod etiam infra expreſſiùs ex ipſomet D. Thoma confirmabo.

355 Denique D. Thomas *quolib. 3. a. 27. ad 2.* idipſum repetit, quod ſupra adduximus ex 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. ſub his verbis: *Dicendum quod ſi alicui dictat conſcientia, ut faciat illud, quod eſt contra legem Dei; ſi non faciat, peccat. & ſimiliter ſi faciat, peccat; quia ignorantia juris non excuſat à peccato; niſi fortè ſit ignorantia invincibilis, ſicut eſt in furioſis, & amentibus, quæ omninò excuſat.* Ecce quomodo expreſsè D. Th. ait eiuſmodi agentē aliquid ex conſcientia erronea cōtra legem Dei peccare; neq; excuſari ex ignorantia, quia ignorantia juris (inquit) non excuſat à peccato; niſi fortè ſit invincibilis, ſicut eſt in furioſis, & amentibus. Vide Lector, abſolutè D. Thomas pro ratione, quare eiuſmodi ſic agens contra legem Dei, peccet; aſſignat quia ignorantia juris non excuſat à peccato; & licet excipiat caſum invincibilitatis, illum tamen nonniſi in furioſis, & amentibus exemplificat contingere; volens inſinuare impoſſibilem eſſe ignorantiam legis Dei, ſeu juris naturæ invincibilem in habentibus uſum rationis. ſi enim poſſet in aliis contingere; malè dixiſſet abſolutè, quia ignorantia juris non excuſat à peccato: & malè adhùc excipiendo, ad extremum ignorantiæ recurreret, cuiuſmodi eſt ignorantia furiæ, & amentiæ, quæ uſum ipſum rationis penitùs extinguit.

§. III.

Oſtenditur eadem mens D. Thomæ circa idem ex articulo ſpecialiter, & ex profeſſo ab eodem diſputato.

356 VErum quia omnia præallegata loca D. Thomæ non ſunt ex profeſſo de ignorantia nativi juris, minùs clara videntur Adverſariis, quam quod iis poſſint penitùs convinci. His igitur prætermiſſis, afferam eis locum alium, ubi tamquam in propria ſede, & diſputato ſpecialiter articulo, punctum præſentis quæſtionis ex profeſſo movet, & reſolvit; nempè 1. 2. *q.* 94 *a.* 6. ubi inquirit: *Utrum lex naturæ poſſit à corde Hominis aboleri?* quod idem eſt ac quærere: *An poſſit ignorari?* Et ſumma reſponſionis eius ibidem eſt, quod quantùm ad præcepta illa communiſſima ſeu prima principia jus naturæ nullo modo ignorari poteſt; hoc eſt neque invincibiliter, neque vincibiliter: quantùm verò ad reliqua præcepta ſecundaria poteſt utique ignorari, ſed ſemper ex proprio aliquo hominis defectu, & culpa, ac per conſequens numquàm invincibiliter.

357 Attendamus itaque eius verba: *Dicendum* (inquit) *quod ſicut ſupra dictum eſt, ad legem naturalem pertinent primò quidem quædam præcepta communiſſima, quæ ſunt omnibus nota: quædam autem ſecundaria præcepta magis propria, quæ ſunt quaſi concluſiones propinquæ principiis. quantùm ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo poteſt à cordibus hominum deleri in univerſali: deletur tamen in particulari operabili, ſecundùm quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem; ut ſupra dictum eſt.* Hæc D. Thomas quoad præcepta communiſſima.

358 In quibus verbis clarè apparet, quod eiuſmodi præcepta communiſſima ſeu prima principia juris naturæ ſecundùm D. Thomam nullo modo ignorari poſſunt in univerſali: Sed quid eſt nullo modo ignorari poſſe in univerſali, niſi quod ſint quædam propoſitiones, quæ ſecundùm ſe, & ut ſic in abſtracto conſideratæ ſunt per ſe omnibus notæ ex propriis terminis, adeò ut neque invincibiliter, neque vincibiliter ignorari poſſint? hoc enim ſonat ly nullo modo; nam alioquin ſi poſſent etiam vincibiliter ignorari, jam aliquo modo eſſent ignorabiles. Ergo per D. Thomam eiuſmodi præcepta neque invincibiliter, neque vincibiliter ignorari poſſunt in univerſali. Hæc eadem principia autem, ſubdit D. Thomas, quod *ignorari poſ-*

poſ-

ſunt in particulari operabili, ſeu in concreto, & prout clauduntur in aliquo facto particulari: ſed quomodo? *Secundùm quod* (inquit) *ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile*, ita ut videlicet in illo non agnoſcat ſe contrarium exercere; atque ideò in concreto, ſeu in facto, illud non agnoſcit, ſed ignorat, ex defectu talis applicationis; hoc autem contingere ait D. Thomas *propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem*, ac per conſequens vincibiliter tunc illud ignorat in particulari operabili, quod aliàs per ſe notum habet in univerſali. Et totum hoc expreſsè habetur in litera D. Thomæ, ut benè conſideranti patet. quod, ut fiat evidentius, exemplo manifeſtatur; nemo enim poteſt aliquo modo ignorare hoc præceptum juris naturæ communiſſimum, & per ſe notum in univerſali, puta: malum eſt fugiendum: vel hoc aliud: quod tibi non vis, alteri ne feceris: & tamen homo in praxi aliquando malum aliquod etiam ſibi cognitum non fugit, ſed eligit, ac per conſequens dum illud eligit, judicat ſibi hìc, & nunc eſſe eligendum, non obſtante quod ſit malum, propter concupiſcentiam ſuam; quia non applicat tunc principium illud commune ad tale particulare operabile, & in concreto, atque ideò in tali facto deletur ab eius corde jus naturale quoad illud communiſſimum præceptum; quo ſenſu à Philoſopho 3. *Ethic.* omnis peccans dicitur ignorans. Similiter aliquando homo in praxi aliquid alteri facit, quod ſibi fieri non vellet; & tamen illud ſæpè ſæpiùs non agnoſcit, ex defectu applicationis illius primi principii juris naturæ, quod aliàs eſt ſibi per ſe notum in univerſali, ignoratum tamen in facto illo particulari ex defectu talis applicationis propter eius paſſionem. ergo eiuſmodi communiſſima præcepta ſeu principia juris naturæ nullo modo poſſunt ignorari univerſaliter: poſſunt tamen aliquo modo ignorari in concreto, ſeu in aliquo particulari operabili, propter concupiſcentiam, vel aliam paſſionem, qua ratio impeditur applicare illa ad particularia agibilia; ac per conſequens vincibiliter, nunquam tamen invincibiliter. atque hæc ex litera D. Thomæ quoad eiuſmodi prima principia juris naturæ. Ubi tamen eſt obiter hìc advertendum, quod talia prima principia non ſunt duo illa tantùm, de quibus exemplificavimus, ſed plura alia, de quibus infra.

359 Videamus modò ex eodem D. Thoma de aliis præceptis ſecundariis, ſi ſcilicet quoad ea ſentiat D. Thomas poſſe jus naturæ invincibiliter ignorari. Subſequitur itaque D. Thomas ibidem immediatè ſic: *Quantum verò ad alia præcepta ſecundaria poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum; vel propter malas perſuaſiones, eo modo quo etiam in ſpeculativis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias; vel etiam propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos: ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apoſtolus dicit ad Rom.* 1.

360 In quibus verbis ſimiliter apparet D. Thomam admittere utique ignorantiam juris naturæ quoad eius præcepta ſecundaria (ſub quibus procul dubio includit omnia præcepta juris naturæ, etiam illa quæ Recentiores dicunt eſſe concluſiones remotas à primis principiis, & longo diſcurſu indigent, ut deducantur: alioquin fuiſſet D. Thomas diminutus in reſolutione quæſiti, & non ſatis reſpondiſſet Titulo Articuli, in quo abſolutè, & ut ſic de lege naturæ inquirit, an poſſit de corde hominis aboleri; omiſiſſet enim reſolvere de magna parte eiuſdem legis, ſi ſub præceptis ſecundariis non comprehendiſſet omnes eius concluſiones, etiam quas dicunt remotas, & ultimos apices legis; quod non eſt credendum de tanto Eccleſiæ Doctore) apparet, inquam, admittere utique de his omnibus ignorantiam: ſed non invincibilem, & ſine propria hominum culpa; quandoquidem id totum ait contingere; *vel ob malas perſuaſiones; vel etiam ob pravas conſuetudines, & habitus corruptos*. Conſtat autem ex ſuperiùs dictis cum ignorantiam malæ electionis explicabamus num. 239. & ſequentibus, D. Thomam eiuſmodi ignorantiam, quæ provenit ex paſſione, vel prava conſuetudine, & habitu corrupto, ad conſequentem, voluntariam, & vincibilem expreſsè reducere. Ergo per D. Thomam totum jus naturæ à primis principiis uſque ad ultimas eius concluſiones, & ultimos apices, vel nullo modo ignoratur. vel quando ignoratur, non invincibiliter ignoratur, ſed vincibiliter, & imputabiliter, utpotè ex proprio, & voluntario defectu.

361 Id unum hìc manet explicandum in prææallegato Textu, ut nihil maneat obſcurum, quod poſſit difficultatem aliquam tibi ingerere, lector, videlicet: quod D. Thomas hìc dicit eiuſmodi præcepta ſecundaria deleri poſſe de cordibus hominum, & conſequenter ignorari, non ſolùm ex prava conſuetudine vel habitu corrupto (ex qua cauſa ignorantiam provenientem certum eſt ad voluntariam, & vincibilem reduci à D. Thoma, ut conſtat expreſsè ex dictis ſuprà præfato *num. cit.* 239. *& ſeq.*) *Sed etiam*, inquit, *propter malas perſuaſiones, eo modo, quo etiam in ſpeculativis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias*. Videtur enim hæc eſſe cauſa alia diſtincta à prava conſuetudine, vel habitu corrupto; quæ an reddat vincibilem, vel invincibilem ignorantiam indè provenientem, non videtur à D. Thoma ſatis explicatum, neque hìc, neque alibi. oportet igitur quod explicetur quid ſibi velint verba illa: *Vel propter malas perſuaſiones*: & an importent cauſam ignorantiæ voluntariæ, & vincibilis? hoc enim explicato, non manebit ampliùs dubitandum de mente D. Thomæ circa totum jus naturæ.

Ad

362 Ad hoc autem dico: ly *vel propter malas perſuaſiones*, ſatis explicari à D. Thoma ibidem, dum ſubdit: *eo modo quo etiam in ſpeculativis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias*. Importat igitur modum quemdam ignorandi ſimilem, quo in ſpeculativis ignorantur concluſiones neceſſariæ, & erratur circa illas. In ſpeculativis autem eiuſmodi errores duplici modo contingunt; videlicet: vel quia quis errat in principiis, ſeu præmiſſis, aſſumendo principia falſa: vel quia aſſumendo principia vera, indè malè infert aliquid, ad quod ea principia non ſufficienter conducunt; & ſic concluſionem falſam, & errorem ſibi malè ſuadet. Et hæc dicitur mala perſuaſio. quando igitur eodem modo quis errat diſcurrendo in materia juris naturæ, incidit in ignorantiam, & errorem propter malam perſuaſionem. Sed nota (lector) quod qui ſic diſcurrendo deficit, ſive falſa principia aſſumendo: ſive vera, ſed inſufficientia ad inferendum; & indè malè deducit; ſemper deficit in principiis, quatenùs vel omittit aſſumere principia vera, vel vera aſſumit quæ ſunt inſufficientia ad veritatem neceſſariam indagandam; ſi enim vera, & etiam ſufficientia applicaret, non ſibi malè perſuaderet errorem aliquem; benè tamen concluſionem neceſſariam, eiuſmodi autem omiſſio in ſpeculativis, ſicut etiam in moralibus, & practicis agibilibus, poteſt interdùm eſſe involuntaria, & inculpabilis; quatenùs ſcilicet vera, & ſufficientia principia citra omnem culpam diſcurrentis omninò latent, & quæ aſſumuntur apparent ei vera, & ſufficientia ſine ſua culpa: At in materia juris naturæ talis omiſſio non poteſt eſſe involuntaria; quia in jure naturæ nulla prima principia, ſeu præcepta, vera & ſufficientia ad inferandam concluſionem neceſſariam latere poſſunt citra culpam agentis; ſed quod illa prætereat, & omittat ſemper oritur ex defectu actualis conſiderationis eorum, quæ aliàs in propriis ſpeciebus, & habitualiter ſcit, ut ſupra explicavimus, & iterùm mox magis demonſtrabitur; & eiuſmodi inconſiderationis actualis cauſa originalis eſt propria eius concupiſcentia, vel paſſio, aut prava conſuetudo, vel habitus corruptus, quibus ad agendum inducitur clauſis oculis, & cæco modo, atque inconſideratè, ut diximus cum ignorantiam malæ electionis ex D. Thoma explicabamus. Undè D. Thomas hic per ly propter malas perſuaſiones, non intelligit cauſam aliquam omninò diſparatam à cauſa pravæ conſuetudinis, vel habitus corrupti, aut propriæ concupiſcentiæ, & paſſionis; ſed quæ ex hac originaliter procedit, & emergit; ac proptereà ignorantia, quæ indè ſequitur ſemper eſt voluntaria, & vincibilis, adducit tamen D. Thomas eam quaſi disiunctivè, & diſtinctam à ſua cauſa originali; quia homo poteſt diſiunctivè utroque modo errare; videlicet, vel omninò nihil conſiderando de moralitate ſui actus, ductus ex impetu immediato ſuæ concupiſcentiæ, vel pravæ conſuetudinis, & habitus corrupti: vel malè conſiderando, & malè ſibi perſuadendo per diſcurſum, quantumvis & hoc ex eadem origine proveniat.

363 Explicatur autem ampliùs totum hoc, & exemplis etiam illuſtratur. Nemo ignorat principium hoc, & præceptum communiſſimum juris naturæ: bonum eſt proſequendum: quod eſt principium omninò primum, & veluti dignitas in nativo jure, ſuper quo tota lex naturæ fundatur, tum quoad reliqua prima principia ſubordinata, tum & quoad omnes eius etiam ultimas concluſiones. Dixi: tum quoad reliqua prima principia ſubordinata, ad inſinuandum quod prima principia ſeu præcepta juris naturæ plura ſunt juxta plures naturales inclinationes, quas homini natura ipſa indidit, ut infra magis explicabimus. Id enim, in quod natura per ſe naturaliter inclinat eſt finis eius, ab ipſa naturaliter intentus tamquàm eius bonum, finis enim & bonum convertuntur. Et enim omne agens, ut dicunt Philoſophi, agat propter finem, & omnes agens intellectuale agat ſe movens ex præcognitione finis, oportet quod agens intellectuale, cuiuſmodi eſt homo, agat ex præcognitione ſui boni, in quod naturaliter inclinat tamquàm in proprium finem ſibi debitum. Ex quo fit quod primum principium agendi in eo ſit finis ſibi debitus, & cognitus in ratione boni. Ex qua cognitione format ſibi primum præceptum, ſeu principium, quod ſcilicet bonum illud ſit ſibi proſequendum. Et quemadmodum ex inclinatione naturali intellectualis appetitus, nempè voluntatis, quæ eſt potentia univerſalium, univerſaliter inclinat in bonum ut ſic, & in communi; atque ideò ex præcognitione eiuſmodi boni ut ſic, format ſibi illud omninò primum principium, ſeu præceptum, aut dictamen juris naturæ univerſaliſſimum, quod dignitatem appellavimus: nempè bonum eſt proſequendum: ita ex inclinationibus eiuſdem naturæ ſpecialibus, & magis determinatis in varias ſpecies finium particularium, quas utpotè ſibi naturaliter inditas agnoſcit, ex tali cognitione format ſibi varia prima principia ſeu præcepta, aut dictamina juris naturæ ſpecialia; nempè quod hoc, vel illud bonum in ſpecie pro unoquoque genere inclinationum ſit promovendum. Et hæc prima principia ſunt illi primo univerſaliſſimo ſubordinata, & quaſi concluſiones ex illo deductæ, ſi enim bonum ut ſic eſt proſequendum, optimè deducitur, per diſcurſum immediatum, & purè naturalem, quod & hæc, & illa ſpecialia bona ſint proſequenda. Nihilominùs in ſuo genere ſunt etiam prima principia, quæ ignorari non poſſunt, ſunt namque de bonis, & finibus naturaliter inditis. Et ex his quibuſcumque principiis deducuntur in unoquoque genere inclinationis naturalis concluſiones neceſſariæ

ad

Digitized by Google

ad tale genus pertinentes, ex quibus unicum reſultat totum jus naturæ.

364 Quare in genere inclinationis naturæ ad conſervandam propriam ſpeciem v. g. quod fit per propagationem, ex cognitione eiuſmodi finis, quod eſt bonum ſpeciei, format homo ſibi hoc primum principium, quod commiſtio maris, & feminæ ſit bona ſpeciei propagandæ, atque ideò promovenda, quod procul dubio nemo ignorat. Ex quo principio dependent omnes concluſiones neceſſariæ ad tale genus inclinationis pertinentes: puta quod licitum ſit nubere, & eiuſmodi fini ſeu intentioni naturæ incumbere; ita ut talis finis juxta eiuſdē naturæ propagandæ exigentiam, habitâ undequaque debitâ inſpectione conditionum, atque circumſtantiarum, ad huiuſmodi finem ſpectantium, perſectè habeatur, & ſine defectu: totum hoc enim involvitur in illa intentione naturæ eiuſmodi finis; ac per conſequens in cognitione talis finis juxta intentionem ipſius naturæ involvitur cognitio omnium conditionum, & circumſtantiarum ad talem finem, & bonum perfectè habendum conducentium: unde in illo primo principio, quod homo ex cognitione talis finis ſeu boni à natura intenti, ſibi format, dum dicit: promovendum eſſe tale bonum naturæ; ſubintelligitur promovendum eſſe cum eiuſmodi conditionibus, & circumſtantiis perfectè conducentibus ad eiuſmodi finem ſeu bonum à natura intentum: ac propterea in illa prima concluſione, quæ indè immediatè infertur, quod ſcilicet licitum ſit nubere, ſubintelligitur licitum utique eſſe ſub eisdem tamen conditionibus, & circumſtantiis debitis.

365 Ex qua concluſione infertur alia, videlicet: illicitum eſſe quidquid in hoc genere opponitur eiuſmodi fini, ſeu bono intento à natura, vel conditionibus, & circumſtantiis eidem fini debitis, ſecundùm quas natura ipſa inclinat, intendit, & exigit bonum illud. Et ex hac inferuntur plures aliæ; puta non eſſe licitum vagum concubitum; ſed oportere coniunctionem eſſe unius ad unam: neque ad tempus, ſed in perpetuum: ac per conſequens illicitum eſſe coniungi ad plures; vel in eodem ſexu; vel in diverſa ſpecie; vel denique ſine ulla coniunctione actum in vacuum incohare. quia hæc omnia vel fini à natura intento opponuntur, vel conditionibus, & circumſtantiis eidem debitis, ut perfectè habeatur tale bonum, ſicut intendit natura per ſuam illam naturalem inclinationem. bonum enim eſt ex integra cauſa, malum autem ex defectu cuiuſcumque: cum igitur finis à natura intentus ſit eius bonum, & juxta integram cauſam bonitatis illius, procul dubio ab ipſa intenditur, cum tota huiuſmodi integritate, & ut ſic in illum inclinat, abhorrens ab omni defectu. quare dum homo ex tali naturali inclinatione, finem, & bonitatem ejus naturaliter agnoſcit; & format ſibi dictamen illud, ſeu primum principium in tali genere inclinationis, ſcilicet promovendum eſſe tale bonum naturæ; procul dubio integrè, & cum omnibus huiuſmodi debitis inſpectionibus illud promovendum eſſe naturaliter agnoſcit: & malum eſſe, illud cum aliquo defectu promovere: quod ſi hoc principium in ſua integritate applicet ad concluſiones, non deficiet in inferendis concluſionibus neceſſariis, ſeu præceptis ſecundariis omnibus juris naturæ ad hoc genus inclinationis propriæ ſpeciei conſervandæ pertinentibus. Contingit autem in iſtis deficere, quia omittit illud applicare: vel ſi illud applicat, non in ſua integritate applicat illud, atque ideò evadit deficiens ad inferendum, & propterea malè deducit, & concluſionem ſæpè falſam ſibi malè ſuadet.

366 Poteſt itaque dupliciter deficere in hoc genere inclinationis, & in ignorantiam incidere quoad concluſiones neceſſarias juris naturæ ad idem genus pertinentes: vel ſcilicet nihil conſiderando de fine, & bono, per ſe intento à natura; non quod illum ignoret, quia eiuſmodi finis in hoc genere agendi eſt unicuique naturaliter, & per ſe notus; ſed quia illum non conſiderat; ſi enim conſideraret finem operis operati, ſicut deberet, illum actualiter ſciret, & adverteret; quia ei non deeſt ſcientia habitualis, ut alias diximus ſupra de Maohmetanos; quilibet enim naturaliter ſcit commiſtionem carnalem Proli propagandæ inſervire; & propagatæ educationem deberi talem, qualem exigit humani generis Proles in temporalibus, & ſpiritualibus. quod autem hoc non conſideret, profectò ex propria concupiſcentia oritur; quia illectus ex carnis illecebra, cæco modo procedit, nihil aliud attendens, quam proprio ſenſui ſervire; hoc ipſo enim, quod non ex fine operis operati agit, remanet, quod agat ex fine, & bono ſibi proprio, quod in tali caſu nequit aliud eſſe, quàm pura ſui delectatio, & concupiſcentia carnis. atque ideò omiſſo tunc primo illo principio juris naturæ, & abſtrahendo à fine operis operati, ad opus procedit, ductus ex proprio fine, qui eſt concupiſcentia, & voluptas ſenſibilis, utique deordinata a rectæ rationis regula juxta intentionem naturæ. atque indè principium falſum aſſumit in ſuo ſyllogiſmo practico ex tali proprio fine derivatum, quod ſcilicet ſit ſibi bonum eiuſmodi voluptatibus frui, nullo habito reſpectu ad ordinem debitum operis operati in finem à natura intentum; & ſic in ignorantiam, & errorem incidit concluſionis neceſſariæ ad jus naturæ pertinentis, ex effræni ſua concupiſcentia immediatè provenientem. Vel ſecundò poteſt ſic procedere; videlicet, conſiderando utique finem operis operati, & a natura intentum, & aſſumendo verum principium, ſed deficienter; puta quod commiſtio maris, & fæminæ naturalis ſit, & à natura ordinata

dinata ad ſuſcipiendam prolem, ac proindè bona, & licita in ſe, quod utique verum eſt quoad ſubſtantiam eiuſmodi actus: ſed nō conſiderat eius circumſtantias, & conditiones debitas juxta exigentiam finis à natura intenti, ut perfecto modo, & ſine defectu habeatur; non quod einſmodi circumſtantias, & conditiones ignoret; nam ipſamet naturæ inclinatio in talem finem, & finis ipſe intentus eas docet per naturale lumen; ita ut nemo ſit, qui ſi expreſsè interrogetur de eiuſmodi circumſtantiis, & conditionibus, neſciat naturaliter reſpondere juxta veritatem; quis enim quantumcumque rudis, ſi interrogetur, num proles ſuſcepta ſit educanda à parentibus, ſitque ab eiſdem inſtruenda, & promovenda tùm in bonis temporalibus, tùm ſpiritualibus, non reſpondebit in promptu ipſo naturæ lumine, quod ſic? aut quis interrogatus, num eiuſmodi cura parentum tanta ſit habenda erga prolem ſuam, ut hæc maneat permanenter proviſa, ita ut poſſit ſufficienter totum vitæ ſuæ curſum pro uniuſcuiuſque individui tam varia conditione, aliàs in toto humano genere neceſſaria, uſque ad finem ducere, & id promptiſſimè non affirmabit? & quis denique interrogatus, num ad tantam curam habendam neceſſarium ſit quod parentes individuam vitam ſimul habeant, ut tantum opus perficiant, & permanenter cohabitent, nec ſeparentur, novas, ac vagas commiſtiones habendo, unde tantum prolis bonum regulariter impediretur; & non fatebitur id utique neceſſarium eſſe? quandoquidem id totum naturali quadam inclinatione, & inſtinctu natura omnibus dictat; ſicut dictat & brutis animalibus, unicuique tamen pro conditione ſuæ ſpeciei. Neque enim uniuſcuiuſque ſpeciei individuis eadem ſunt neceſſaria, ſed varia; & quibuſdam plura, quibuſdam pauciora: hominibus autem, quorum conditio, præcipuè poſt peccatum, miſerabilior eſt omnibus; & in propria ſpecie neceſſariò ordinem quemdam hierarchicum exigit, variabilem, & inconſtantem, atque fortunæ eventibus magis ſubiectum, ferè infinita eſt exigentia, & neceſſitas, cui ferè infinita debetur providentia, & numquam finienda. ac proindè numquam ſatis naturæ humanæ permanentiæ in individuis ſuis per ſimplicem ſuſceptionem prolis conſuleretur, niſi tanta cura & ſolicitudo foret à parentibus aſſumenda, quā procul dubio ſpecialiori inſtinctu, & inclinatione naturâ ipsâ humani generis parentibus omnibus innatam, ac congenitam experimur, ita ut pro filiis ſuis perpetuò ſubſtentandis, ac promovendis, veluti (ut ita dicam) exviſcerentur. Sed homo, ut dixi, licet hæc non ignoret, interdùm non conſiderat, prout debet; ſed ſolùm ſuperficialiter cogitat, quod carnalis commiſtio actus ſit ſecundùm inclinationem naturæ, omittens conſiderare conditiones, & circumſtantias ex eadem naturali inclinatione fini talis commiſtionis debitas; ac propterea aſſumit principium verum deficienter, & indè malè ſibi ſuadet eiuſmodi commiſtionem qualitercumque fiat, eſſe licitam; indeque infert commiſtionem fornicariam v. g. non eſſe ſibi illicitam, & in ignorantiam atque errorem incidit circa concluſionem neceſſariam juris naturæ, malè ſibi perſuadendo pro licito, id, quod de jure naturæ eſt illicitum. Et modus iſte errandi dicitur eſſe propter malam perſuaſionem. At quia defectus iſte inconſiderationis, quæ procul dubio eſt eorum, quæ quis poteſt, & debet conſiderare, hoc ipſo evadit agenti imputabilis, & voluntarius juxta Doctrinam D. Thomæ ſuperiùs traditam; & ulteriùs originaliter procedit ex propria hominis concupiſcentia, vel prava eius conſuetudine, aut habitu corrupto; niſi enim ex his impeteretur ad agendum, ſed ſincero animo habendi legitimam ſucceſſionem prolis ad conſervationem ſpeciei procederet juxta modum inclinationis eiuſdem naturæ, omnia hæc facilè combinaret, & agnoſceret per naturalem diſciplinam, abſque ullo exteriori magiſterio, & non præcipitaret actus ſuos; ideò eiuſmodi ignorantia, & error ſit ei imputabilis, vincibilis, & voluntarius.

367 Ex quo manet demonſtratum quod jus naturæ juxta præallegatum textum D. Thomæ, tùm quoad eius prima præcepta ſeu principia, tùm quoad præcepta ſecundaria, etiam prout hæc comprehendunt omnes, & quaslibet concluſiones neceſſarias etiam ultimas, ex quacumque cauſa ignoretur ſive propter malas perſuaſiones, ſive immediatè propter concupiſcentiam, pravam conſuetudinem, vel habitus corruptos; numquam invincibiliter & inculpabiliter ignoratur. Non eſt igitur de mente D. Thomæ ampliùs dubitandum.

§. IV.

Oſtenditur in eodem ſenſu fuiſſe Auguſtinum, quod ſcilicet Ignorantia juris natura non excuſet.

368 DIvum Thomam andivimus: Audiamus nunc Auguſtinum *lib. 2. confeſ. cap. 4. Lex tua* (inquit) *ſcripta eſt in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas.* quem locum refert D. Thomas *art. 6. ſupra cit.* in argumento ſed contra. Ubi manifeſtè apparet eum loqui de lege naturali, hæc enim eſt quæ humanis cordibus inſcripta dicitur. Et de ea dicit; quod *nec ulla quidem delet iniquitas*, quaſi dicat paucis, & conciſis verbis: lex naturalis ignorari non poteſt, niſi ex propria culpa, & iniquitate voluntaria: ſed iniquitas hæc non ſic eam delere poteſt, quin intùs adhùc ſcripta maneat, ut legi poſſit, ſi voluerit homo ab iniquitate diſcedere; poteſt igitur ab iniquitate obſcurari, ſed non deleri; undè & ſi non videatur ab iniquis contra eam

agen-

agentibus ; non proindè tollitur , ita ut eos ad culpam non liget ; eo quod ex eorum culpa eſt, quod illam intùs exiſtentem non videant . Iniquitas enim excæcat homines, non legem delet. *Et in Pſal.* 118. *conc.* 25. *dicit : Nullus eſt , qui faciat alteri iniuriam ; niſi qui fieri ſibi nolit : & in hoc tranſgreditur natura legem , quam non ſinitur ignorare* . quod etiam repetit *in Pſal.* 57. Ergo per D. Auguſtinum non poteſt lex naturæ invincibiliter ignorari.

369 Neque valet effugium illud, quod ſcilicet loquatur de lege naturæ quoad præcepta illa communiſſima ſeu prima principia . quia in primo textu abſolutè loquitur de lege ipſa humanis cordibus inſcripta ; quæ procul dubio non quoad prima præcepta tantùm manu formatoris noſtri inſcripta ſupponitur ; alioquin alia præcepta ad jus naturæ nullatenùs ſpectarent . Indè enim jus naturæ dicitur, quia intùs ſcriptum , & unicuique eſt naturaliter inditum. quandoquidem lumen divinum , quod *ſignatum eſt ſuper nos* , ut dicitur *pſal.* 4. participatum eſt nobis æquè potens in omnibus , & prima illa præcepta, & reliqua omnia ſuo ordine attingere puro, ac ſimplici naturali diſcurſu abſque ulla exteriori diſciplina ; niſi ex pravo aliquo voluntatis affectu , & paſſione fuerit præoccupatum , ut ſupra ex D. Thoma dicebamus. Similiter & in alio Textu allegato Auguſtinus de ipſa lege naturæ abſolutè profert ; *quam non ſinitur ignorare* , nec eam diſtinguit quoad prima, & alia præcepta. nec refert, quod exemplificet de aliquo primo præcepto , dum ait : nullus eſt , qui faciat alteri iniuriam , niſi qui fieri ſibi nolit; quia exempla ſemper dantur de clarioribus, & incontrovertibilibus.

370 Auguſtino autem , & Thomæ præcipuis Eccleſiæ luminaribus placet, & D. Antoninum adiungere ultrò , & expreſsè communi utriuſque ſententiæ ſe ſubſcribentem 1. *p. tit.* 3. *cap.* 10. *de Conſcientia* ubi ſeptem cauſas aſſignat, ex quibus error conſcientiæ cauſatur, & inter illas primo loco ponit ignorantiam , de qua ſic ibi ſubiungit: *Et ignorantia quidem ſi ſit juris naturalis , vel divini , nullum excuſat habentem uſum rationis . Ignorantia autem juris canonici, vel civilis , quando excuſat , vel non; habetur* 1. *q.* 4. *turbatur §. pen. in textu , & gloſ.* Vide lector quàm abſolutè pronunciet Antoninus de ignorãtia juris naturalis, quod nullum excuſat uſum rationis habentem . Nec diſtinguit de primis principiis ſeu præceptis , & de concluſionibus ſeu præceptis ſecundariis, & remotis; ſed indefinitè, & univerſaliter; propoſitio enim indefinita æquipollet univerſali.

371 Nec te perturbet , quod ibi idem dicat de jure divino, de quo tamen poſſibilis eſt ignorantia invincibilis , & excuſans , ut alibi dicemus. Ad hoc enim dupliciter occurro ; & primò dico, quod ibi Antoninus dum ait : *Ignorantia ſi ſit juris naturalis , vel divini* . non accepit (*ly vel*) diſtinctivè, quaſi voluerit diſtinctim de utroque jure idem aſſerere ; ſed potiùs identicè, accipiendo pro ſynonimis jus naturarale , & divinum ; quia jus naturale etiam divinum eſt , quatenus fuit nedum naturaliter inditum , ſed etiam a Deo poſitive , & exteriùs Moyſi traditum in tabulis lapideis ; ac propterea de jure naturali tantùm locutus fuit , quod & divinum ſimul appellavit, ut utroque nomine illud exponeret . Secundò , & meliùs , dico quod etiam jus divinum , prout eſt a naturali jure diſtinctum , quo pacto importat legem ſupernaturalem , & evangelicam non poteſt invincibiliter ignorari; non quod ſit per ſe unicuique cognitum, vel inditum, ſicut eſt jus naturæ ; ſed ex ſuppoſitione ; quatenùs ſcilicet ſupponitur evangelium hactenùs ad omnes perveniſſe per Sanctos Apoſtolos, & Prædicatores juxta illud : *In omnem terram exivit ſonus eorum* . & quando nos dicimus poſſe invincibiliter ignorari, intendimus id dicere ſecundum ſe, & ex natura ſua; ſi & quatenùs reſpectu alicujus ſuppoſitio illa per accidens non verificaretur , qui eſſet caſus rariſſimus , & quaſi moraliter impoſſibilis ; Undè exemplificare ſolemus de nutrito in ſylvis, ad quem ſonus Evangelii non perveniret.

372 Et hinc obiter Probabiliſtas monitos volo , ut videant qua veri ſpecie poſſint de Divo Antonino gloriari quaſi de doctrinæ Probabiliſmi ſui Antelignano Doctore . Si enim , ut conſtat in ſuperiori eius Textu allegato , apertiſſimè docet, quod ignorantia, ſi ſit juris naturalis, vel divini nullum excuſat habẽtem uſum rationis . Et ſi ſit juris Canonici, vel civilis, fatetur excuſare, vel nõ excuſare, prout habetur in Textu juris Canonici , & Gloſſa ab ipſo cit. nempè 1. *q.* 4. *Turbatur §. pen. in Text. & gloſ.* quò ſe remittit, & undè ſententiam ſuam pronunciat . Et in dicto Textu , ut unicuique fas eſt illum legere , dicitur quod ignorantia juris naturalis eſt damnabilis in adultis omnibus. Et idem dicitur de ignorantia juris Canonici , & civilis, cum hac tamen ſola exceptione , videlicet , niſi quando quis jus canonicum vel civile non poteſt per ſe, vel per alios ſcire : quomodo in opinione probabili circa jus naturale , vel etiam circa jus Canonicum & civile, ſi ſit in ſe falſa , ac per conſequens interveniat error , & ignorantia contra unum vel alterum jus , ignorantia excuſabit de mente D. Antonini ? Jam ſi excuſaret circa jus naturæ , falſum foret quod D. Antoninus dicit , nempè huius juris ignorantiam nullum excuſare habentem uſum rationis . Et ſimiliter ſi excuſaret circa jus canonicum, & civile; falſum eſſet quod non excuſaret, quando quis per ſe vel per alios ſcire poteſt; cum in concurſu opinionum ſemper ſit oppoſita aliorum opinio in ſe vera, per quos, ſi vellet, poſſet veritatem juris accipere ſaltem indè prudenter dubitando , ex quo ad minùs ſcientiam periculi acquireret de peccato , quod procul dubio vitare teneretur ; non enim poteſt tunc

pru-

prudenter huius periculi formidinem deponere, quam ei per ſe ingerit oppoſita illa opinio in ſe vera, ut ſupponitur, cum eius judicium hoc ipſo, quod etiam probabile ſupponitur, ſit prudens juxta eorumdem Probabiliſtarum principia. Ergo per ipſum ſtat, quod veritatem non ſuſcipit, & gratis omninò, atque imprudenter prudentialis periculi ſcientiam reiicit contra legem; ut alibi iterùm dicemus.

§. V.

Ubi idipſum oſtenditur de mente Philoſophi 3. Ethic. cap. 2. & iterùm ex D. Thomæ commentariis ibidem. Et Textus Philoſophi aſſeritur ſemper ſibi concors in variis verſionibus, & tandem in ſuo originali græco.

373 POſt hæc vero ſi Auguſtino, & Thomæ, cũ Antonino Philoſophum 3. *Ethic. cap.* 2. apertiùs loquentem adiungamus, qui procul dubio in Ethicæ naturalis magiſterio vel ipſis Eccleſiæ Doctoribus æquari debet; meridiana luce clarius erit, numquam contingere poſſe nativi juris ignorantiam invincibilem; & præcipuè ſi ex pluribus textus eius verſionibus idipſum ſemper legamus. Philoſophus itaque dicto *loc. cit.* juxta verſionem antiquam, quam commentatur D. Thomas, ſic habet apud eumdem D. Thomam *Ibid. lect.* 3. *lit. C. involuntarium autem vult dici, non ſi quis ignorat, quod confert. Non enim quæ in electione ignorantia, cauſa involuntarii, ſed malitiæ, neque quæ univerſalis. vituperatur enim propter hanc. Sed quæ in ſingularibus, in quibus, & circa quæ operatio. in his enim miſericordia, & venia. Horum enim aliquod ignorans involuntariè operatur.* Hæc eſt verſio antiqua; quæ eſt Guillelmi Brabantini ordinis Prædicatorum, & cantitur D. Thomas in ſuis commentariis. Attendamus ergo, & commentum D. Thomæ, ut ſic magis de eius mente ſolidemur.

374 D. Thomas itaque *loc. cit.* 3. *Ethic.* poſtquàm *lit. B.* ex ipſo textu Philoſophi tres differentias involuntarii deſignavit; & duas primas expoſuit; ad expoſitionem tertiæ deveniens, primò ſic illam deſignat in ipſo textu, dicens: *Tertiam differentiam ponit ibi: involuntarium autem vult dici*. deindè illam exponit lit. C. ſequentibus verbis, videlicet: *C. quæ* (differentia) *quidèm ſumitur ex parte eius, quod ignoratur. Ubi conſiderandum eſt, quod duplex poteſt eſſe ignorantia. Uno modo ſecundùm quod aliquis ignorat quid oporteat facere, vel vitare. Et hanc ignorantiam dicit eſſe eius, quod confert; ideſt quod operari oportet. Talis autem ignorantia non cauſat involuntarium, quia ignorantia huiuſmodi non poteſt homini* (nota lector) *habenti uſum rationis provenire, niſi ex negligentia; quia quilibet tenetur adhibere ſollicitudinem ad ſciendum quid oporteat eum facere vel vitare. unde ſi ipſa ignorantia reputatur voluntaria; dum homo eam non vult vitare, ſicut tenetur; conſequens eſt, quod nec illud, quod per huiuſmodi ignorantiam fit, involuntarium judicetur. Et hoc eſt quod dicit* (Ariſtoteles) *quod involuntarium vult; ideſt natum eſt, dici, non ſi quis ignorat, quod confert; ideſt, quod eſt expediens ad operandum. Hoc autem poteſt aliquis ignorare dupliciter: uno modo in aliquo particulari eligibili, puta cum aliquis propter concupiſcentiam exiſtimat ſibi nunc eſſe fornicandum: alio modo in univerſali, ut patet in illo, qui opinatur omnem fornicationem eſſe licitam. Utraque autem ignorantia eſt eius, quod confert. undè neutra involuntarium cauſat. Et hoc eſt quod dicit, quod illa ignorantia quæ eſt in electione, per quam ſcilicet exiſtimat hoc malum ſibi nunc eſſe faciendum, non eſt cauſa involuntarii, ſed eſt magis cauſa malitiæ, ideſt peccati; neque etiam ignorantia, quæ eſt in univerſali, eſt cauſa involuntarii, quia propter ignorantiam huiuſmodi aliquis vituperatur; non autem vituperatur aliquis propter involuntarium, ut ſupra habitum eſt. Alia autem eſt ignorantia conditionum ſingularium, puta quod iſta Mulier ſit Uxor; vel quod iſte Vir ſit Pater; vel quod iſte locus ſit Sacer. & iſta ſunt circa quæ, & in quibus eſt operatio humana, per quorum juſtam ignorantiam aliquis meretur miſericordia, & veniam, eo quod ille qui ignorat aliquod horum, operatur involuntariè. Undè patet quod ignorantia talium ſingularium circumſtantiarum cauſat involuntarium; non autem ignorantia eius quod confert.* uſque hùc D. Thomas commentando Ariſtotelem.

375 Pondera tu modò (lector) lege, & relege præfatum textum adductum ex Philoſopho à D. Thoma ſecundùm verſionem antiquam communiter receptam: & ſimul Commentum S. Doctoris attende. & vide, ſi poteris de utriuſque mente ampliùs dubitare. Manifeſtè enim de ignorantia juris naturæ loquuntur, quam Ariſtoteles appellat, *Eius quod confert*: & D. Thomas exponit: *Eius quod ignoratur, & operari oportet ſecundùm quod eſt expediens ad operandum*: Et meritò quidem, nam id quod eſt juris, propriè, & per ſe loquendo, eſt id, quod agens confert, & conferre debet, quodque præcipuè expedit ſcire ad operandum. Et de eiuſmodi ignorantia dicunt quod non eſt cauſa involuntarii; & D. Thomas fortiùs inculcat, *quod non poteſt Homini habenti uſum rationis provenire, niſi ex negligentia.* ex quo infert, quod nec illud, quod per huiuſmodi ignorantiam fit, involuntarium judicetur. Præterea eam explicant dupliciter contingere poſſe, puta in aliquo particulari agibili, ut cum quis propter concupiſcentiam judicat hìc, & nunc ſibi eſſe fornicandum,

etiam

Digitized by Google

etiam ſi ſciat in univerſali fornicationem eſſe malam; ſecundùm quod genus ignorantiæ ſupra diximus ex Philoſopho, quod omnis peccans dicitur ignorans. Vel in univerſali, ut cum quis exiſtimat omnem fornicationem eſſe licitam: Et utramque volunt ſemper eſſe voluntariam, & vituperabilem, ac proindè nunquam excuſare; quam nos ſupra diximus eſſe ignorantiam malæ electionis provenientem ex concupiſcentia, vel paſſione. Denique ponunt ignorantiam ſingularium circumſtantiarum, ut quod iſta mulier ſit uxor, ſicut accidit Jacob accedenti ad Liam, quam conſtat eſſe ignorantiam facti, & hanc dicunt eſſe involuntariam, ſi tamen juſta fuerit, hoc eſt ſine culpa negligentiæ; ut aliquando, & multoties contingere poteſt, atque ideò excuſare. Ergo juxta mentem Philoſophi, & D. Thomæ ignorantia invincibilis, & excuſans tota verſatur circa ſingulares rerum circumſtantias; ita ut ſolius facti eſſe poſſit circa materiam juris naturæ; numquam tamen ipſius nativi juris. Neque hîc locum habet evaſio illa de primis præceptis, & ſecundariis, cum manifeſtè exemplificet D. Thomas de ignorantia fornicationis, quæ fortè ad ultimas, & remotas concluſiones pertinet ipſius juris naturæ, adeò ut ex Doctis Recentioribus nonnulli de illius intrinſeca malitia dubitaverint, ut ſupra inſinuavimus, contra quorum ſenſum emanavit decretum Innocentii XI. ut conſtat in una ex ab eo damnatis propoſitionibus. Maneat ergo firmum ignorantiam juris naturæ quoad omnia eius, & ſingula præcepta ſemper eſſe vincibilem, voluntariam, & culpabilem, & numquam excuſare juxta doctrinam D. Thomæ, &. Ariſtotelis *loc. cit.*

376 Adduxi autem præfatum Textum Ariſtotelis juxta verſionem antiquam, quia juxta illam commentatus eſt Ariſtotelem D. Thomas; ex quo occaſionem ſumpſi doctrinam firmandi authoritate utriuſque. Cæterùm ſi aliorum verſiones deſideras, (lector) libenter plures alias hîc ſubiiciam, quas videbis uno omninò, eodemque tenore, idipſum, & ferè eiſdem verbis concinentes. Accipe ergo verſionem Joannis Argiropoli: *Invitus autem* (inquit) *dicitur quiſpiam agere, non ſi ignorat id, quod conducit; non enim ea ignoratio quæ facta eſt electione, cauſa eſt, ut aliquid invitus quiſpiam faciat, ſed pravitatis. Nec etiam ea, quæ eſt univerſalis; homines enim propter hāc ipſam reprehenduntur. Sed ea quæ eſt ſingulorum, in quibus, & circa quæ eſt ipſa actio. In his enim, & commiſeratio locum habet, & venia; qui namque aliquid eorum ignorat, invitus agit.*

377 Accipe ſimiliter alterā Joannis Bernardi Feliciani: *Invitus igitur dici debet, non ſi quis ignorat id, quod conducit; non enim ignoratio, quæ in electione conſiſtit, inviti eſt cauſa, ſed pravitatis: Neque ea, quæ eſt univerſalis, quippè cum ob eam homines vituperentur; ſed ea, quæ circa particularia verſatur, in quibus, & circa quæ actio exiſtit. In his enim & miſericordia, & venia locum habet; nam qui horum aliquid ignorat, is ſanè invitus agit.*

378 Ecce inſuper aliam Leonardi Aretini: *Involuntarium* (ait) *dici debet, non quando quis ignorat utilitatem; non enim ignorantia, quæ in electione conſiſtit, cauſa eſt involuntarii, ſed pravitatis. Nec quæ in univerſo; vituperatur enim propter hanc. Sed quæ in ſingulis, in quibus, & circa quæ actus ſunt. Nam in his commiſeratio, & venia locum habet; qui enim aliquid horum ignorat, involuntariè facit.*

Ulteriùs aliam do æditionis Baſileenſis anni 1567. quæ ſic habet: *Nec dicatur ſtatim invitus agere, ſi quis quod utile ſit, ignoret; non enim in electione ignorantia invitè facti cauſa eſt, ſed peccati. Neque rerum univerſalium; ſiquidem ob eam culpantur. Sed rerum ſingularum, in quibus verſatur actio; in his enim locus eſt & veniæ, & miſericordiæ: quoniam qui eorum aliquid ignorat, facit invitè.*

379 Denique ſubdo aliam Joachimi Perionii, qui ſic vertit: *Nec ſi quis quod utile ſit ignoret, quod aget, dicatur ſtatim invitus agere. Neque enim aut imprudentia, aut ignorantia ea, quæ ab animo & voluntate ſuſcipitur, & proficiſcitur, non voluntarii cauſa eſt, ſed peccati: Aut etiam rerum univerſarum; quandoquidem ea culpatur. Sed rerum ſingularum, in quibus omnis verſatur actio; in his enim locus eſt & veniæ, & miſericordiæ; quoniam qui eorum aliquid ignorat, facit invitus.*

380 In quibus omnibus jam vides lector, quod omnes, & ſingulæ verſiones uniformiter conveniunt in aſſignando tres modos ignorantiæ ab ipſo Ariſtotele in præfato Textu adductos: videlicet, alterum, qui accidit in ipſa electione, quatenus quis ſcilicet malum eligit contra jus naturæ ob concupiſcentiam ſuam; puta quod hîc, & nunc ſit ſibi fornicandum; non quod ignoret malitiam fornicationis in ſe, & in univerſali; ſed quia hoc non obſtante, judicat hîc, & nunc quaſi ſibi bonum fornicari: & in hoc ipſo errat, & ignorat; quæ ignorantia dicitur præcipuè, & magis propriè, ignorantia malæ electionis, juxta quam omnis peccans dicitur ignorans. Alterum verò, qui accidit etiam in electione, ſed diverſus eſt à primo, quia eſt modus ignorantiæ univerſalis, quatenùs quis v. g. in univerſali putat omnem fornicationem eſſe licitam, atque ideò cum eo errore, & ignorantia illam eligit; quæ verè & propriè eſt ignorantia juris naturæ, & poteſt dici adhuc ſuo modo ignorantia malæ electionis, ut alias nos ſupra expoſuimus; & de utroque modo ignorantiæ dicunt, quod non cauſant involuntarium, ſed pravitatem magis; malitiam, & peccatum. Tertium denique aſſignant de circumſtantiis ſingularibus, qui eſt modus ignorantiæ facti, & non juris, ut de ſe conſtat, ut ſi quis putet mulierem, ad quam accedit, eſſe ſuam uxorem, & ignoret eſſe aliam aliundè

fortè ſubmiſſam. Et de hac ignorantia dicunt eſſe veniam, & miſericordiam; quia qui ſic ignoranter agit, involuntariè agit. Ergo omnes verſiones univocè loquuntur, & ferè eiſdem verbis unum ſemper, & eumdem ſenſum referunt, quem verſio antiqua: Ita ut commentum D. Thomæ poſſit omnibus, & debeat univerſaliter applicari.

381 Porrò ſi quis velit ad ipſum Textum græcum, & originalem ipſius Philoſophi recurſum habere, illum adeat; & inveniet pluſquàm fideliſſimè præfatos Interpretes vertiſſe; Textus enim græcus, & originalis ſic habet: *Τὸ δὲ ἀκούσιον βούλεται λέγεσθαι, οὐκ εἴ τις ἀγνοεῖ τὸ συμφέρον. οὐ γὰρ ἐν τῇ προαιρέσει ἄγνοια, αἰτία τοῦ ἀκουσίου, ἀλλὰ τῆς μοχθηρίας, οὐδ᾽ ἡ καθόλου. ψέγονται γὰρ διά γε ταύτην. ἀλλ᾽ ἡ καθ᾽ ἕκαστα, ἐν οἷς καὶ περὶ ἃ ἡ πρᾶξις. ἐν τούτοις γὰρ καὶ ἔλεος, καὶ συγγνώμη. ὁ γὰρ τούτων τι ἀγνοῶν, ἀκουσίως πράττει.*

382 Satis ergo huc uſque demonſtratum eſt extrinſecis authoritatibus D. Thomæ, Auguſtini, & Philoſophi jus naturæ non poſſe invincibiliter ignorari, ſed eius ignorantiam ſemper vincibiliter, & imputabiliter contingere. Supereſt autem idipſum intrinſecis rationibus oſtendere, id quod convincenter me ſpero facturum. Pro quo priùs præmittere oportet brevem quamdam notitiam ipſius nativi juris, quid ſcilicet ipſum ſit, undè originem habeat, & ad quæ præcepta ſe extendat. Indè enim facile erit oſtendere, neminem poſſe illud invincibiliter ignorare; ſed ſemper ex propria, & voluntaria culpa, quatenùs quis ſibi ex propria paſſione oculos claudit, ita ut videns non videat, & intelligens non intelligat. Undè ſit.

§. VI.
Quid importet formaliter in ſeipſo jus naturæ.

383 Sciendum hìc eſt primò, quod lex naturalis non eſt ipſa natura rationalis, ut aliqui crediderunt, ſed aliquid illi ſuperadditum, non tamquàm potentia, vel habitus, ſed tamquàm aliquid per rationem conſtitutum, ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 94. *a.* 1. ubi ſupponendo tamquam certum non eſſe ipſam naturam, neque aliquam eius potentiam, oſtendit ſpecialiter neque poſſe eſſe propriè, & eſſentialiter habitum ſub his verbis: *Dicendum* (inquit) *quod aliquid poteſt dici eſſe habitum dupliciter. Uno modo propriè & eſſentialiter; & ſic lex naturalis non eſt habitus. Dictum eſt enim ſupra, quod lex naturalis eſt aliquid per rationem conſtitutum, ſicut etiam propoſitio eſt quoddam opus rationis. Non eſt autem idem, quod quis agit, & quo quis agit: Aliquis enim per habitum grammaticæ agit orationem congruam. Cum igitur habitus ſit, quo quis agit, non poteſt eſſe, quod lex aliqua ſit habitus propriè, & eſſentialiter. Alio modo poteſt dici habitus id, quod habitu tenetur, ſicut dicitur fides id, quod fide tenetur; & hoc modo quia præcepta legis naturalis quandoque conſiderantur in actu à ratione, quandoque autem ſunt in ea habitualiter tantùm; ſecundùm hunc modum poteſt dici, quod lex naturalis ſit habitus: ſicut etiam principia indemonſtrabilia in ſpeculativis non ſunt ipſi habitus principiorum, ſed ſunt principia, quorum eſt habitus.* hæc Divus Thomas.

384 Ex quibus verbis apparet ad mentem D. Thomæ quod lex naturalis non eſt propriè habitus, ſed aliquid potiùs permanenter, & habitualiter exiſtẽs in intellectu, tamquam aliquid per ipſam rationem conſtitutum; & ſicut propoſitio, quæ eſt quoddam opus rationis, quod ſcilicet ratio ipſa facit. Unde lex naturalis ex D. Thoma ad intellectum, ſeù rationem practicam pertinet, & in ea eſt eo ferè modo, quo propoſitio, ſeu enunciatio. Et ideò idem D. Thomas *q. præcedente* 92. *a.* 2. dicit, *quod ſicut enunciatio eſt rationis dictamen per modum enunciandi; ita etiam lex per modum præcipiendi.* Et in 4. *diſt.* 33. *q.* 1. *a.* 1. dicit: *quod lex naturalis nihil aliud eſt, quàm conceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis, ſive iſta ei competant ex natura generis, ut generare, commedere, & huiuſmodi; ſive ex natura ſpeciei, ut ratiocinari, & ſimilia.*

385 Sed adverte, lector, ne hìc fallaris, dum legis D. Thomam aſſerentem, *quod lex naturalis ſit aliquid per rationem conſtitutum, ſicut propoſitio*: & quod *ſit conceptio homini naturaliter indita*: quaſi quod lex naturalis ſit aliquis actus rationis ſeu judicium intellectus. Hoc enim falſum eſt; idque expreſsè negat D. Thomas *q.* 90. *a.* 1. in reſponſione ad ſecundum; ubi cùm dixiſſet legem eſſe aliquid rationis; & ſibi in ſecundo argumento obieciſſet, quod in ratione non eſt niſi potentia, habitus, & actus: & lex nihil iſtorum eſt. ſic reſpondet: *Ad ſecundum dicendum, quod ſicut in actibus exterioribus eſt conſiderare operationem, & operatum; puta ædificationem, & ædificatum: ita in operibus rationis eſt conſiderare ipſum actum rationis, qui eſt intelligere, & ratiocinari; & aliquid per huiuſmodi actũ conſtitutum; quod quidem in ſpeculativa ratione primo quidem eſt diffinitio: ſecundò enunciatio: tertiò verò ſyllogiſmus, vel argumentatio. Et quia ratio etiam practica utitur quodam ſyllogiſmo in operabilibus, ut ſupra habitum eſt, ſecundùm quod Philoſophus docet in 7. Ethic: ideò eſt invenire aliquid in ratione practica, quod ita ſe habeat ad operationes, ſicut ſe habet propoſitio in ratione ſpeculativa ad concluſiones; & huiuſmodi propoſitiones univerſales rationis practicæ ordinatæ ad actiones habent rationem legis: quæ quidem propoſitiones aliquandò actualiter conſiderantur; aliquandò verò habitualiter à ratione tenentur.*

Ex-

Digitized by Google

386 Ex quibus verbis patet quod D. Thomas ſuſtinendo quod lex ſit aliquid rationis, ad argumentum contrarium huius, quo dicebatur in ratione non aliud eſſe, niſi potentiam, vel habitum, aut actum: reſpondet negando hoc aſſumptum, & dicit quod præter hæc tria eſt in illa invenire aliquid aliud per actum rationis conſtitutum, & in hoc ponit rationem legis; non autem in ipſo actu rationis, à quo tale quid conſtituitur. Et exemplificat hoc in ratione ſpeculativa, dicens: quod in ratione ſpeculativa, cuius actus ſunt intelligere, & ratiocinari, id quod per huiuſmodi actus coſtituitur, eſt aliquid factum per tales actus, nempè primò diffinitio: ſecundò enunciatio: tertiò ſyllogiſmus, vel argumentatio. Ubi per diffinitionem, enunciationem, & argumentationem, non poteſt intelligi ipſemet actus formalis intellectus diffinitivus, enunciativus, & argumentativus, ut conſtat ex diſcurſu eiuſdem D. Thomæ, ſed aliquid factum per tales actus, nempè conceptus obiectivus diffinitionis, ſeu diffinitio obiectiva, quæ eſt terminus productus illius actus diffinitivi, & dicitur verbum, ſeu ſpecies expreſſa repræſentans obiectum definitum ſeù eſſentiam rei, imò quæ eſt ipſamet eſſentia rei in eſſe intelligibili; omne enim intelligens hoc ipſo, quod intelligit, producit verbum. Et idem dicendum eſt de propoſitione, & argumentatione, quæ ſunt aliquid per actus rationis ſpeculativæ conſtitutum, non enim ſunt ipſemet actus formalis intellectus enunciativus, vel argumentativus, ſed conceptus obiectivus eorum, ſeu verbum ab illis productum, quod eſt terminus eorum actuum. quod totum proportionaliter accidit in ratione practica, quæ adhuc circa agibilia utitur ſuo ſyllogiſmo practico. agens enim intellectuale, ſicut eſt homo, cum agat propter finem, & ex cognitione finis, qui eſt primum principium in agendis, ut ex Philoſopho inſinuat idem D. Thomas in corpore eiuſdem articuli citati, oportet quod finem, & bonum naturæ juxta eius inclinationem cognoſcat, ſubindeque conceptum eius obiectivum formet, ſeu verbum, in quo ipſum finem eiuſque bonitatem veluti quidditativè contempletur, & ſic habeat in ratione practica conceptum eiuſmodi boni, in quod natura ipſa inclinat; & hoc pertinet ad definitionem illius: & indè ulteriùs procedat ad propoſitiones quaſdam neceſſarias formandas, ſeu conceptus quoſdam obiectivos complexos de ipſo fine, ſeù bono, puta quod ſit proſequendum tale bonum, & quod ſit removendum quidquid tali bono ſeu fini opponitur, vel eius proſecutioni impedimentum præſtat; & propoſitiones iſtæ ſeu conceptus ſic formati per actus compoſitivos ipſius rationis practicæ, dicuntur lex naturalis, eo quod ſunt quædam dictamina formata per actus rationis practicæ per modum dirigendi, & præcipiendi, atque prohibendi; undè dictamina hæc important conceptum quemdam obiectivum in ratione practica formatum de tali bono ſeu fine proſequendo, cum prohibitione cuiuſcumque contrarii. Et ideò dicit D. Thomas in textu ſupra allegato, quod eiuſmodi propoſitiones univerſales rationis practicæ ordinatæ ad actiones habent rationem legis.

387 Notanter autem dicit D. Thomas: (*ordinatæ ad actiones*) quia eiuſmodi dictamina non ſunt propoſitiones per modum enũciandi, ſed per modum præcipiendi, ut idem D. Thomas docet *q.92.a.2.* quo pacto ad actiones inferendas, ſeu exequendas in re ordinantur, ut advertit Caietanus in ſuis commentariis ſuper dicta *q. 90. a. 1.* concluſio enim ſyllogiſmi practici eſt de operatione extra intellectum exequenda. Propoſitio autem per modum enunciandi pertinet ad rationem ſpeculativam, & infert concluſionem intra ipſum intellectum. Et hoc eſt quod intendit dicere D. Thomas in litera ſupra allegata, dum ait: *Et quia ratio practica utitur quodam ſyllogiſmo in operabilibus, ideò eſt invenire aliquid in ratione practica* (nempè dictamen legis) *quod ita ſe habeat ad operationes, ſicut ſe habet propoſitio in ratione ſpeculativa ad concluſiones.* Quaſi velit dicere quod ſicut propoſitio per modum enunciandi in ratione ſpeculativa infert intra ipſum intellectum ſpeculativè ſyllogizantem, concluſionem: Ita dictamen legis, ſeu propoſitio per modum præcipiendi, quæ eſt ipſum dictamen legis, & ipſa lex exiſtens in ratione ſeu intellectu practicè ſyllogizante, infert extra intellectum, pro quaſi concluſione, operationem præceptam, ut exequẽdam in re. Pondera bene (lector) literam D. Thomæ, & videbis genuinam eſſe totam expoſitionem noſtram.

388 Conſtat igitur ex tradita doctrina quod lex naturalis non eſt aliquis actus intellectus ſeu rationis practicæ, ſed aliquid conſtitutum per eius actum; idque dicimus eſſe conceptionem, ſeu verbum practicum, non ſimplex, ſed compoſitum ad inſtar propoſitionis, non per modum enunciandi, ſed per modum præcipiendi. Et ita explicant D. Thomam Caietanus, Sotus, Conradus, & alii Thomiſtæ. Unde Conradus dicit: legem eſſe quid rationis ſicut dictamen eius ab ipſa, & in ipſa exiſtens ſubiectivè tamquam terminum actus intelligendi practici, nempè actus imperii, ut exponit Sotus de juſt. *lib. 1. q. 1. a. 1.* Et inſuper Conradus paulò inferiùs in ſolutione ſecundi argumenti repetit, quod lex pertinet ad actum rationis practicæ tamquam eius dictamen, & verbum practicum. Et hoc dicimus eſſe participationem quamdam divini dictaminis, quod in Deo eſt lex æterna, & ut huius participatio rationem legis habet in nobis; ſic namque lex æterna, quæ propriè eſt in mente divina tamquam in regulante, dicitur eſſe in homine tamquam in regulato per illam: undè D. Thomas de lege naturali intelligit, & exponit illud *Pſal. 4.* ſignatum eſt ſuper nos lumen

men vultus tui Domine, quatenùs lex naturæ eſt in nobis impreſſio quædam & participatio legis æternæ exiſtentis in mente divina, quæ nobis illucet in eiuſmodi verbo practico ſuperiùs explicato; undè in *Pſal.* 118. dicitur: lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Verbum enim iſtud practicum in mente noſtra exiſtens participatio illius divini Verbi dicitur intùs nobis loquẽtis atque præcipientis opera juſtitiæ, de quibus multi, quos commemorat Pſalmiſta, dicebant: quis oſtendit nobis bona? eiſque ſtatim reſpondet ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.

389 Sed dicet aliquis: ad quid tantus labor in exponendo in quo lex naturalis conſiſtat? Et quod non in potentia, aut habitu aliquo rationis practicæ, neque in eius actu, ſed potiùs in termino eiuſmodi actus, ſeu verbo practico illa conſiſtat? Ad hoc reſpondeo: non fruſtrà; ſed ut oſtendatur illam in nobis eſſe permanenter, & habitualiter teneri, etiam nobis dormientibus, & nihil de illa cogitantibus. Si enim in aliquo actu conſiſteret, ceſſante rationis actu, lex ceſſaret eſſe in nobis. Ut ſibi obiiciebat D. Thomas *d. q.* 90. *a.* 1. in ſecundo argumento. Et cum aliàs in potentia conſiſtere non poſſit, hæc enim indifferens eſt ad bonum, & malum: lex verò eſt determinata ad præcipiendum de bono, & divertendum à malo. Neque in habitu aliquo rationis, quia eiuſmodi habitus ſunt virtutes intellectuales, ut idem D. Thomas in eodem argumento ſibi obiiciebat; quæ potiùs præſupponuntur ad legem conſtituendam, cuiuſmodi eſt prudentia, & eubulia ac ſyneſis, quæ prudentiæ inſerviunt; & ſimiliter ſynderesis, quæ eſt habitus primorum principiorum: lex enim eſt quid deductum, & dependens ex primis principiis, ſicut etiam & ex inventione atq; judicio eligibilium propter finem ſeu bonum, in quod præcipiendo dirigit, ut ſit ſecundùm prudentiam, eiuſque imperium conſtituta: Ideò oportuit ſignanter oſtendere in quo tandem lex ipſa conſiſtat; ut ſic appareat eam à ratione noſtra practica permanenter, & habitualiter teneri, quantumvis nec potentia, neque habitus ſit in ſeipſa conſiderata. Et propterea D. Thomas in reſponſione ad eiuſmodi obiectiones dicti ſecundi argumenti, excludendo eam à ratione potentiæ habitus, & actus, conſtituit tandem illam in termino per eiuſmodi actus conſtituto, ſeu in conceptionibus illis, aut propoſitionibus univerſalibus, utique obiectivè ſumptis, quæ verbum illud practicum important, ut explicavimus; & de iſtis ibidem ſubdit: quod aliquando à nobis actualiter conſiderantur, aliquandò verò habitualiter à ratione tenentur.

390 Sed jam video quod ex hoc ipſo nova difficultas inſurgit, imò eadem redit, quæ ſupra. Nam verbum, ceſſante actuali intellectione, etiam ceſſat; quomodo igitur dicitur habitualiter retineri? Ad huius autem evidentiam ſciendum eſt quod, ſicut docet D. Thomas, *q.* 91. *a.* 2. & 6. lex eſſentialiter ſolùm reperitur in regulante, in aliis verò qui regulantur ſolum eſt participativè. Quare lex naturalis in homine ſolùm participativè dicitur lex, quatenùs eſt participatio legis æternæ, quæ eſſentialiter eſt in Deo tamquam in ſupremo omnium regulante, in homine verò reperitur tamquàm in regulato: undè lex naturalis eadem eſt eſſentialiter, ac ipſa lex æterna, homini tamen participata per lumen rationis, atque ideò in ipſo exiſtens tamquam obiectum cognitum in cognoſcente, & tamquam regula exiſtens in regulato obiectivè, quo pacto exiſtens, lex naturalis appellatur. Modus autem eſſendi obiectivè in ratione fit per ſpeciem repræſentantem obiectum, quæ eſt ipſiſſimum obiectum in eſſe intelligibili. Eiuſmodi autem ſpecies eſt duplex, impreſſa ſcilicet, & expreſſa quæ dicitur verbum, & utraque neceſſaria eſt ad cognitionem, una per modum principii, & altera per modum termini, ut dicitur in libris de anima, & per utramque dicitur obiectum eſſe in cognoſcente, diverſimodè tamen, nam per expreſſam ſeu verbum dicitur eſſe in illo ut actu intellectum; per impreſſam verò ut intelligibile, & in habitu: & ideò quando diximus cum D. Thoma, quod lex naturalis conſiſtit in verbo illo practico, locuti ſumus de lege naturali, ſeu quod idem eſt, de lege æterna in homine participata ut actu intellecta; quæ tamen adhuc ceſſante actuali eius intellectione, manet in homine, non actu, ſed habitu per ſpeciem impreſſam, quæ in illo habitualiter manet. Per hoc igitur quod diximus legem naturalem conſiſtere in verbo illo practico, voluimus explicare modum ultimum, & perfectiorem eſſendi legis æternæ in homine, nempè ut actu intellectæ; non autem excluſimus modum eius eſſendi in habitu per ſpeciem impreſſam; per utramque enim dicitur lex æterna eſſe in homine tamquam obiectum in cognoſcente, quæ ut ſic ab homine participata lex naturalis dicitur. Quare lex naturalis ex vi eiuſdem doctrinæ D. Thomæ propriè, & per ſe eſt ipſa lex æterna ut homini participata, & ut regula manens in regulato; participatur autem, & manet in illo obiectivè, ſeu ut obiectum in cognoſcente, quod utique fit per ipſum conceptum rationis practicæ obiectivum, ſive impreſſum, ſive expreſſum; perfectiùs tamen per iſtud, quàm per illud; quatenùs per illud habet ſui conſiſtentiam in actu; per illud verò tantùm in habitu, ſemper tamen eadem lex: Et ideò potiùs in verbo illo practico conſiſtere diximus cum Divo Thoma, utpote in illo perfectiori modo, & in actu manentem. Cæterùm cum idem D. Thomas dicat eam manere in homine, adhùc de illa non cogitante, in habitu; oportet dicere, quod tunc conſiſtat in ſpecie impreſſa. Quod tamen nullo modo dici poteſt de ipſo actu intellectionis, eo quod nullo modo importat eiuſmodi conceptum, ſed eſt veluti via, & motus à lege in habitu ad legem in actu; & ideò excluſimus ab actu intellectionis rationem legis.

Quo:

391 Quomodo autem lex naturalis ita jam explicata dicatur naturaliter indita, cum maximè intellectus humanus non habeat inditas ſpecies ſuas, ſed intelligat per ſpecies ab obiectis acceptas, & acquiſitas, hoc eſt explicatu difficilius. Et multo magis, quia verbum illud practicum per actum rationis practicæ conſtitutum, in quo rationem legis naturalis poſuimus, dependet ut ſupra diximus à quibuſdam virtutibus, & habitibus intellectualibus puta. Synderesi, Eubulia, Syneſi, & Prudentia: ex quo videtur opus eſſe multa induſtria, & acquiſitione. quomodo ergo lex naturalis dici poteſt naturaliter indita? Et ulteriùs D. Baſilius, ut refert D. Thomas, *q.* 94. *a.* 1. de Synderesi dicit, quod eſt lex intellectus noſtri, quod D. Thomas exponit dictum eſſe de lege naturali, in quantum Synderesis eſt habitus continens præcepta legis naturalis, quæ ſunt prima principia operum humanorum, ut videre eſt apud eumdem D. Thomam in reſponſione ad ſecundum. ibidem. ac per conſequens oportet quod ſit acquiſita poſt habitum Synderesis. Ex quibus videtur deſtrui tota doctrina ſuperiùs tradita de verbo illo practico; & lex naturalis videtur ſpectare ad habitum Synderesis, qui dicitur *illius* præcepta continere. quare oportet hæc omnia qualiter ſe habeant exponere, ut quæ videntur inter ſe pugnare, concilientur, & veritas eluceſcat. pro qua ſit.

§. VII.

Exponitur qualiter jus naturæ dicatur naturaliter inditum.

392 AD exponendum quomodo hoc jus dicatur à natura inditum, multum juvat priùs referre doctrinam de modo, & ordine procedendi rationis practicæ, quem explicat D. Thomas 1. *p. q.* 79. *a.* 12. & indè concludit Synderesim eſſe habitum naturalem. Itaque ibi inquirens an Synderesis ſit habitus naturalis, vel potentia, ſic ad reſolutionem quæſiti procedit: *Ad huius autem evidentiam* (inquit) *conſiderandum eſt quod ratiocinatio hominis cum ſit quidam motus, ab intellectu progreditur aliquorum ſicut naturaliter notorum, abſque inveſtigatione rationis, ſicut à quodam principio immobili; & ad intellectum etiam terminatur; in quantum judicamus per principia per ſe naturaliter nota de his, quæ ratiocinando inveniuntur. Conſtat autem quod ſicut ratio ſpeculativa ratiocinatur de ſpeculativis; ita ratio practica ratiocinatur de operabilibus. Oportet igitur naturaliter nobis eſſe indita ſicut principia ſpeculabilia; ita & principia operabilium. Prima autem principia ſpeculabilium nobis naturaliter indita non pertinent ad aliquam ſpecialem potentiam, ſed ad quemdam ſpecialem habitum, qui dicitur intellectus principiorum, ut patet in 6. Ethic. undè & principia operabilium nobis naturaliter indita non pertinent ad ſpecialem potentiam, ſed ad ſpecialem habitum naturalem, quem dicimus ſynderesim. Undè & ſynderesis dicitur inſtigare ad bonum, & murmurare de malo, in quantum per prima principia procedimus ad inveniendum, & judicamus inventa. patet ergo quod ſynderesis non eſt potentia, ſed habitus naturalis. huc uſque D. Thomas.*

393 Ubi apparet modus procedendi rationis in ratiocinando tùm ſpeculativè, tùm practicè. quod ſcilicet ſit per quemdam motum ab aliquo principio immobili incipientem: ex quo infert D. Thomas, oportere eſſe nobis naturaliter indita quædam principia, tùm ſpeculabilium, tùm etiam & operabilium; eaquè pertinere ad ſpeciales habitus naturales, puta intellectum, & ſynderesim. & per hanc dicit fieri in nobis inſtigationem ad bonum, quatenùs per prima principia procedimus ad illud inveniendum; & murmurationem de malo, quatenùs per eadem prima principia judicamus inventa, diſcernendo ſcilicet bonum, quod eſt proſequendum, à malo, quod eſt declinandum. per quæ compendiosè explicatur totus modus procedendi rationis practicæ in ratiocinando de operabilibus. Et inde concludit D. Thomas quod ſynderesis ſit habitus quidam naturalis. Et cum alias doceat quod ſynderesis eſt habitus continens præcepta legis naturalis, quæ ſunt prima principia actuum humanorum, & ideò a Baſilio dicitur lex intellectus noſtri, ut idem D. Thomas exponit *loco ſupra cit.* 1. 2. *q.* 94. *a.* 1. *ad* 2. videtur manifeſte ex iiſdem principiis deduci poſſe, qualiter lex naturalis ejuſque præcepta ſint nobis naturaliter indita, & naturalia; ſi præſertim explicetur quo pacto hæc præcepta in ipſis primis principiis naturaliter inditis, quorum eſt habitus ſynderesis, contineantur. quod quidem uno verbo explico, & dico contineri in illis obiectivè, quatenùs ſcilicet obiecta ſunt actuum ſynderesis, & repræſentata in verbo practico per illos producto.

394 Quod ſi toti huic Doctrinæ ſuperaddatur alia ejuſdem D. Thomæ pluribus in locis, puta *in* 2. *ſent. diſt.* 24. *q.* 2. *a.* 3. & 1. 2. *q.* 51. *a.* 1. & alibi, ubi explicat quo pacto habitus principiorum ſit à natura, manebit tota hæc materia penitùs dilucidata, per hoc quod ad ipſam purè, ac ſimpliciter, ordinatè tamen, applicetur; ut mox expeditè faciam. Sed adducere priùs oportet qualiter explicet D. Thomas locis præcitatis, quod habitus principiorum ſit à natura. Et ſumma eius explicationis eſt, quod ſit à natura ſecundùm eius incohationem, quatenus ſcilicet ex ipſa natura animæ intellectualis convenit homini, quod ſtatim, cognito quid eſt totum, & quid eſt pars, cognoſcat quod omne totum eſt maius ſua parte, & ſimile eſt in cæteris. Sed quid ſit totum, & quid ſit pars co-

gnoſcere non poteſt, niſi per ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus acceptas, & propter hoc Ppiloſophus in fine poſteriorum oſtendit, quod cognitio principiorum provenit nobis ex ſenſu. hæc D. Thomas ad verbum *loc. cit. 1. 2. q. 51. a. 1.*

395 Vult itaque D. Thomas, ut præcipuè exponit ibidem Caietanus, non quod habitus principiorum dicatur eſſe à natura quoad eius incohationem, quaſi quod una pars habitus, qui dicitur intellectus, ſit ab intra, & altera pars ab extra; & propterea incohatio eius ponatur à natura; perfectio verò ab extra: hunc enim ſenſum puerilem appellat Caietanus, & repugnantem qualitati indiviſibili ipſius habitus. Sed quatenùs totaliter, & indiviſibiliter à natura eſt, non quaſi illi congenita & coæva, quaſi ſit qualitas intellectui ab initio innata, quia hoc repugnat puræ potentiæ, qualis eſt intellectus noſter, qui ab initio eſt ſicut tabula raſa, in qua nihil eſt depictum: ſed quaſi quæ de novo incipit ab ipſa natura fluere ad intelligibilem præſentiam terminorum habitam per ſpecies à phantaſmatibus acceptas. *Unde putandum magis eſt* (inquit Caietanus) *quod ſicut nutrire, & augere naturales ſunt actus animæ, non qualitercumque, ſed adveniente alimento decocto, ſic notitia principiorum habitualis naturaliter ineſt animæ, advenientibus ab extra terminis; ita quod ad intelligibilem præſentiam eorum inditum eſt, quod ab anima in intellectu poſſibili ſub lumine intellectus agentis fluat qualitas illa, quæ eſt habitus principiorum; ſicut motus gravium, & levium à natura gravium, & levium; & ut ſemel effluxit, ſemper perſeverat, quamvis non exeat in actum impeditâ phantaſia.* ſic Caietanus.

396 Applicando autem nunc totam prædictam doctrinam ordinatè ad propoſitum noſtrum, dico, quod ratio practica in nobis hoc ordine procedit ad habendam in ſeipſa intùs manentem legem naturalem; nimirum: præſuppoſitis ſpeciebus boni ſive in communi, ſive in particulari (quod ſupponitur finis proprius cuilibet naturali inclinationi, ſeu appetitui correſpondens; & eſt primum principium agendorum: bonum enim, & finis convertuntur; & omne agens agit propter finem) præſuppoſitis, inquam, ſpeciebus huiuſmodi boni, ſeù finis, à phantaſmatibus acceptis, ſtatim ratio practica abſque ulla alia inquiſitione, naturali quodam pondere movetur ad hunc aſſenſum; nempè, quod huiuſmodi bonum ſit proſequendum; inditum enim eſt ei à natura, quod in talem aſſenſum ſtatim erumpat, hoc ipſo, quod bonum ſuum, ſeu finem ſuo naturali appetitui correſpondentem, illud apprehendit; non minùs ac ratio ſpeculativa ſemel apprehenſo toto, & partibus, ſtatim in illum aſſenſum naturaliter erumpit: quod totum eſt maius ſua parte. atque ideò tale principium dicitur per ſe naturaliter notum, & inditum, tamquam aliquod per ſe fixum, & immobile in intellectu. Per huiuſmodi autem aſſenſum intellectus practici, cum ſit actus quidam intellectionis, producitur verbum, in quo manet actualiter intellectum tale primum principium, videlicet; Bonum illud eſſe proſequendum: quod quidem verbum nondùm habet rationem legis, quia id repræſentat purè indicando; ſed accedente naturali prudentiâ, cuius eſt proprium imperare, ſtatim adhùc naturaliter ratio practica erumpit in alium actum per immediatam, & naturalem conſequentiam ad modum imperii, per quod etiam producitur ſuum verbum ultimatè practicum, in quo repræſentatur præceptum de bono illo proſequendo, & in hoc incipit lex, ſeu jus naturæ quoad ſua prima principia, ſeu præcepta per ſe nota, quæ communiter omnes fatentur ignorari non poſſe.

397 Indè autem fluit etiam naturaliter in eadem ratione practicâ qualitas illa habitualis, ſeu habitus, qui dicitur ſynderesis, ut ſupra dictum eſt, & appellatur habitus naturalis principiorum operabilium: ſicut in ratione ſpeculativa ſimili modo naturaliter fluit habitus principiorum, qui dicitur intellectus, ſeu intelligentia. qui quidem habitus immobiliter ſemper perſeverant. Ac propterea ſynderesis dicitur habitus naturaliter inditus, & immobilis fluens ab ipsâ naturâ, mediante tamen primo illo actu ſeu aſſenſu naturali in ratione practica ad præſentiam intelligibilem terminorum, puta boni, ſeu finis, per ſpecies acceptas à phantaſmatibus, in quem ab ipsàmet naturâ naturalis appetitus hominis tendit. Et aſſenſus ille principiorum, quem naturalem, & inditum eſſe dicimus, ad ſynderesim pertinet tamquam eius actus: eſt namque in diverſo genere cauſalitatis, & effectus, & cauſa illius, juxta doctrinam, quam pro nunc ex philoſophia ſuppono de generatione habituum per primum actum, ut virtualiter omnes alios præcontinentem; per quem, ut diximus, producitur conceptus, ſeu verbum illud practicum, in quo rationem legis poſuimus. Et ideò ſynderesis dicitur continere præcepta legis naturalis, quæ ſunt prima principia operum humanorum, ut dicit D. Thomas ubi ſupra: continet enim ſaltem virtualiter ea omnia obiectivè, in verbo videlicet repræſentata, per primum illum aſſenſum rationis practicæ ab initio naturaliter producto.

398 Tùm verò eadem ratio practica ulteriùs procedit ab huiuſmodi primis principiis, tamquàm ab aliquo immobili per ratiocinationem, nempè ad inveniendum, & judicandum de mediis eligibilibus pro proſecutione ſui boni, ſeu finis; & ad hoc indiget virtutibus conſiliativis, judicativis, & tandem imperativis, eubuliâ ſcilicet, & ſyneſi, atque prudentiâ; quæ etiam virtutes quoad ipſarum incohationem ab ipsâ naturâ ſunt, ut docet D. Thomas 1. 2. *q. 63. a. 1.* quatenùs ſcilicet iſtæ initium ſuum habent

bent à primis illis principiis ſynderesis; dictò enim loco D. Thomas univerſaliter dicit de virtutibus omnibus, quod inſunt a naturâ quoad incohationem ipſarum; *inquantum in ratione ſeu intellectu hominis inſunt naturaliter quædam principia naturaliter cognita tàm ſcibilium, quàm agendorum, quæ ſunt quædam ſeminaria intellectualium virtutum, & moralium; & in quantum in voluntate ineſt quidam naturalis appetitus boni, quod eſt ſecundùm rationem.*

399 Quæ verba exponens Caietanus dicit, quod principia naturaliter cognita dicuntur ſeminaria omnium virtutum ſimpliciter, prout ipſa principia etiam ſumuntur quoad eorum incohationem in anima. *Sic enim*, inquit, *conſtat, quod ſint ſeminaria omnium virtutum intellectualium, & Moralium; quamvis diverſimodè: quia intellectus* (adde tu: *& ſynderesis:* ſi ſint principia practica) *ſunt incohationes: ſcientiæ autem, & reliquarum* (ſubaudi: *virtutum*) *ſunt activa principia, mediatè, vel immediatè, ut patet: ſemen namque & incohationis, & principii rationem habet*. ſic Caietanus. Et meritò quidem, ut mox oſtendam. Sed antequam ad hoc oſtendendum deveniam, oportet priùs huiuſmodi terminorum intelligentiam aperire, quid ſcilicet importent huiuſmodi principia ſecundùm ipſorum incohationem, & ſecundùm eorumdem, ut ita dicam, conſummationem.

400 Et dico, quod huiuſmodi principia ſecundùm ipſorum conſummationem ſeu ut conſummata, & perfecta, dicuntur, quando per ratiocinationem fit motus ab ipſis tamquam a principio immobili ad concluſiones, illas inferendo, & illatas in illa reſolvendo; tunc enim perfectè, & conſummatè exercent rationem principiorum. Dicuntur autem ſecundùm puram ipſorum incohationem, quando ſimpliciter ſumuntur in ſeipſis, ut pura principia per ſe, & in ſeipſis naturaliter cognita, & nihil aliud; ſic enim ſunt veluti principia in actu primo, quatenùs indè poſſunt inferri concluſiones, ſed nondùm inferuntur, atque ideò dicuntur ſecundùm incohationem principiare illas, in quantum ab ipſis oportet initiari motum intellectus ad concluſiones, quando erunt inferendæ per ratiocinationem tamquàm à principio immobili; juxta id, quod D. Thomas *1.p.q.79.a.12.ſupra cit. dixit; quod Ratiocinatio hominis cum ſit quidam motus, ab intellectu progreditur aliquorum ſicut naturaliter notorum abſque inveſtigatione rationis, ſicut à quodam principio immobili; & ad intellectum etiam terminatur, in quantum judicamus per principia per ſe naturaliter nota de his, quæ ratiocinando inveniuntur*. Sic autem prælatis terminis benè explicatis, & intellectis; meritò quidem (dicebam) Caietanus expoſuit, quod principia naturaliter cognita dicuntur à D. Thoma ſeminaria omnium virtutum ſimpliciter, prout ipſa principia etiam ſumuntur quoad eorum incohationem in anima: ita ut ſenſus ſit, quod prima principia in ſeipſis conſiderata abſque inveſtigatione rationis, ſeu ſine motu ratiocinationis, dicuntur ſeminaria omnium virtutum intellectualium, & moralium, quatenus ſunt ſimul incohationes ipſarum, non quidem ſecundum eſſe perfectum, & conſumatum earum, ſed ſecundum quamdam incohationem, quo pacto D. Thomas de eis dicit, quod inſunt a natura; ut ſupra ex eodem D. Thoma loco ibi citato inſinuavimus. & ratio huius eſt, quia unaquæque virtus, ſive intellectualis, ſive moralis habet circa proprium obiectum ſua prima principia, undè habet incohationem ſuam, quæ quidem principia ſive ſpeculativa, ſive practica ad habitum principiorum ſpectant, puta vel ad intellectum, vel ſynderesim; ac proptereà benè dicitur a D. Thoma quod principia, quæ ad intellectum, vel ſynderesim pertinent, & quæ ſunt per ſe naturaliter nota, ſunt ex ſeipſis ſeminaria omnium virtutum intellectualium, & moralium, quoad ipſarum incohationem, & quod virtutes omnes quoad ſui incohationem inſunt à natura, quia ſicut ipſa principia ſunt naturaliter in ſe nota, quatenus inditum eſt homini à naturâ ipsâ, ut abſque inveſtigatione rationis in eorum aſſenſum erumpat; ita & virtutes omnes ſimul cum illis naturaliter incohantur. Ex quo conſtat, ut benè dicit Caietanus, quod ſint ſimpliciter ſeminaria omnium virtutum intellectualium, & moralium. Sed ſubdit Caietanus (*quamvis diverſimodè*) & diverſitatem aſſignat; *quia* (inquit) *intellectus ſunt incohationes: Scientiæ autem, & reliquarum ſunt activa principia mediatè, vel immediatè, ut patet.* hoc eſt reſpectu intellectus, qui eſt habitus principiorum ſpeculabilium (& idem eſt reſpectu ſynderesis, quæ eſt habitus principiorum operabilium) ſunt incohationes, ideſt non ſunt principia activa illius, quaſi huiuſmodi habitum ſeu virtutem cauſent activè, ſeu per aliquem activam cauſalitatem; ſicut cauſant ſcientiam, & alias virtutes; quia habitus principiorum propriè non cauſatur ab ipſis primis principiis, ſed ad naturalem aſſenſum eorum conſecutivè, & naturaliter reſultat in intellectu. At reſpectu ſcientiæ, & aliarum virtutum ſunt principia activa, & non ſolùm incohationes, ut ſupra dictum eſt, quia ad ſcientiam, & alias virtutes nedùm pertinent prima principia, ſed & concluſiones, in quas earum prima principia activè influunt eas deducendo, *ſive mediatè, ſive immediatè*, ut idem Caietanus dicit. quod totum probat ex ſemine, dum ea D. Thomas ſeminaria appellat omnium virtutum; *Semen namque*, ait, *& incohationis, & principii rationem habet*. quandoquidem genitum nedùm ex ſemine initium habet, ſed & ab ipſo quoque per eius activum influxum dependet.

401 Ex qua D. Thomæ doctrina, Caietano interprete, id præcipuè mihi eſt notatu dignum,

gnum, quod principia naturaliter, & per ſe nota, quæ dicuntur ſeminaria omnium virtutum intellectualium, & moralium, dicuntur incohationes, & etiam principia activa earum mediatè, vel immediatè, ut loquitur Caietanus, ſed Caietanus primò ponit *Ly mediatè* & poſteà *Ly immediatè* quaſi illud referens ad virtutes intellectuales ſpeculativas, cuiuſmodi eſt ſcientia, de quâ meminit primo loco: iſtud verò ad virtutes morales ſecundo loco poſitas; quod ſignanter feciſſe exiſtimo, quia præcepta moralium virtutum, quæ ad jus naturale pertinent, concluſiones ſunt immediatè connexæ cum primis principiis per ſe naturaliter notis; atque ideò ſub eodem lumine primorum principiorum naturaliter etiam cognoſcuntur ſine alio medio, licet cùm aliqua effectiva dependentia ab illis, & per aliquam ratiocinationem potiùs expoſitivam, quam propriè probativam; ut pro nunc ſuppono juxta doctrinam Philoſophi in 2. poſt. de concluſionibus omnibus immediatè connexis cum primis principiis. & ideò D. Thomas præcepta omnia juris naturæ, ut condiſtincta a primis principiis, ſeù quod idem eſt, à præceptis primis, præcepta ſecundaria, & quaſi concluſiones appellat, ut infra meliùs oſtendam; & non concluſiones; nec de aliis præceptis juris naturæ quaſi tertiis, & quæ ſunt veræ concluſiones, & mediatè illatis, mentionem aliquam facit. Quare jus naturæ totum quantum eſt in primis principiis per ſe naturaliter notis, & iſtis ſecundariis, & quaſi concluſionibus dictis à D. Thoma, utpote immediatè connexis cum primis, & ſub eodem lumine primorum etiam naturaliter cognoſcibilibus conſiſtit; & veluti prima inventione, primoque judicio, ad eubuliam, & ſyneſim pertinentibus, inveniendis, & judicandis; atque etiam primo actu prudentiæ poſt aſſenſum primorum principiorum imperandis; ita ut in verbo practico, ſeu termino iſtorum actuum rationis practicæ omnia reluceant; atque ſic plenè habeatur connaturaliter totum jus naturæ, & quoad prima, & quoad omnia alia eius præcepta in tali verbo producto, non obſtante eius dependentia ab huiuſmodi virtutibus, & habitibus ſupradictis. Ex quo manent omnia benè conciliata, & meliùs infra ſpecialiter de ſingulis juris naturæ præceptis diſcurrentes explicabimus.

§. VIII.

Oſtenditur ad quæ præcepta jus naturæ ſe extendat, & undè illa multiplicentur. & determinatur cum D. Thoma ea multiplicari ex triplici inclinatione, quæ cunctis Hominibus naturaliter ineſt.

402 EXplicato jam ex dictis quid ſit lex naturalis, & undè originem habeat; nunc videndum eſt ad quæ præcepta ſe extendat, ut clariùs appareat hoc præſertim quod ultimo loco diximus, quod nempè connaturaliter plenè lex naturæ tota habeatur ab homine & quoad prima, & quoad omnia alia præcepta, quæ a D. Thoma dicuntur ſecundaria, & quaſi concluſiones. Et quidèm hoc ex doctrina eiuſdem evidenter elicio. Doctor Sanctus itaque dicta *q. 94. a. 2.* inquirens: utrum lex naturalis contineat plura præcepta, vel unum tantum? ſic introducitur ad reſolutionem quæſiti: *Dicendum* (inquit) *quod ſicut ſupradictum eſt, præcepta legis naturæ hoc modo ſe habent ad rationem practicam, ſicut principia prima demonſtrationum ſe habent ad rationem ſpeculativam: utraque enim ſunt quædam principia per ſe nota.* Vide, lector, unde incipit D. Thomas ad deſignandum, quæ, & qualia ſint præcepta legis naturæ: quæ ſcilicet, ſe habent ad rationem practicam, ſicut principia prima demonſtrationum ſe habent ad rationem ſpeculativam: & ad magis explicandum quod talia ſint, ſubiungit: utraque enim ſunt quædam principia per ſe nota. Ergo lex naturæ non ad alia præcepta ſe extendit, niſi ad illa quæ ſe habent ut prima principia ad rationem practicam, & quæ ſunt per ſe nota; ita ut omnia præcepta eius ad rationem practicam reducat tamquam prima principia, & ſub lumine primorum principiorum per ſe nota; ac per conſequens etiam illa, quæ præcepta ſecundaria, & quaſi concluſiones appellat ad idem lumen revocat.

403 Tùnc ulteriùs proſequitur ſic: *Dicitur autem aliquid per ſe notum dupliciter, uno modo ſecundùm ſe: alio modo quoad nos. Secundum ſe quidèm qualibet propoſitio dicitur per ſe nota, cuius prædicatum eſt de ratione ſubiecti: contingit tamen quod ignoranti diffinitionem ſubiecti, talis propoſitio non erit per ſe nota; ſicut iſta propoſitio: homo eſt rationale: eſt per ſe nota ſecundùm ſui naturam; quia qui dicit hominem, dicit rationale; & tamen ignoranti quid ſit homo, hæc propoſitio non eſt per ſe nota: & indè eſt, quod ſicut dicit Boetius in lib. de Hebdomad. Quædam ſunt dignitates, vel propoſitiones per ſe notæ communiter omnibus: & huiuſmodi ſunt illæ propoſitiones, quarum termini ſunt omnibus noti, ut omne totum eſt maius ſua parte; & quæ uni, & eidem ſunt æqualia, ſibi invicem ſunt æqualia. Quædam verò propoſitiones ſunt per ſe notæ ſolis ſapientibus, qui terminos propoſitionum intelligunt, quid ſignificent: ſicut intelligenti, quod Angelus non eſt corpus; per ſe notum eſt, quod non eſt circumſcriptivè in loco; quod non eſt manifeſtum rudibus, qui hoc non capiunt. In his autem, quæ in apprehenſione hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam illud quod primò cadit in apprehenſionem eſt ens, cuius intellectus includitur in omnibus, quæcumque quis apprehendit: & ideò primum principium indemonſtrabile eſt; quod non eſt ſimul*

affir-

affirmare, & negare; quod fundatur ſupra rationem entis, & non entis; & ſuper hoc principio omnia alia fundantur, ut dicit Philoſ. in 4. metaph. Sicut autem ens eſt primum, quod cadit in apprehenſione ſimpliciter; ita bonum eſt primum, quod cadit in apprehenſione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus: omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem Boni: & ideò primum principium in ratione practica eſt, quod fundatur ſupra rationem Boni, quæ eſt; Bonum eſt, quod omnia appetunt. Hoc eſt ergo primum præceptum legis, quod Bonum eſt faciendum, & proſequendum, & malum vitandum: & ſuper hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ, ut ſcilicet omnia illa facienda, vel vitanda, pertineant ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehendit eſſe bona humana.

404 In quibus verbis manifeſtè apparet quod D. Thomas dicit (& ita eſt in rei veritate, ut conſtat ex eius diſcurſu) quod præcepta legis naturæ omnia ſunt per ſe nota ſecundum ſe; licet non omnia ſint per ſe nota quoad nos: hoc enim videtur manifeſtè inſinuare eiuſmodi diſtinctione allata in litera D. Thomas. Et ſimiliter quod ratio practica procedat ab aliquo principio ſeù præcepto omnium primo tamquam à dignitate per ſe notâ, & ſecundùm ſe, & etiā quoad nos, ad reliqua omnia præcepta, quæ fortè non ſunt per ſe nota quoad nos; eodem ferè modo, quo contingit in ratione ſpeculativa. Et huiuſmodi principium ſeu dignitas eſt: quod bonum eſt proſequendum, & malum vitandum. quod utique eſt per ſe notum omnibus quantumcumque rudibus, quia fundatur ſupra id, quod primò cadit in apprehenſione rationis practicæ, & in quo fundantur omnia alia præcepta legis naturæ. ut dicit in litera. & ſic habemus primum præceptum omnibus per ſe notum, & communiſſimum; quod eſt unum, & dignitate ſolum, ſub quo cætera cadunt; ut ſcilicet omnia illa facienda vel vitanda pertineant ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehendit eſſe bona humana, vel mala.

405 Poſthæc ibid. D. Thomas deſcendit ad multiplicationem præceptorum legis naturæ ſub tali primo principio ſeu dignitate contentorum. ſic dicens: *quia verò bonum habet rationem finis, malum autem rationem contrarii; indè eſt quod omnia illa, ad quæ Homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit ut bona, & per conſequens ut opere proſequenda; & contraria eorum ut mala, & vitanda: ſecundùm igitur ordinem inclinationum naturalium, eſt ordo præceptorum legis naturæ.* Ecce quomodo incipiunt multiplicari præcepta legis naturæ, juxta ſcilicet multiplicationem inclinationum, & finium, in quos natura inclinat, quos ratio practica naturaliter apprehendit tamquàm bona naturæ, ac per conſequens ut opere proſequenda, & eorum contraria ut mala, & vitanda.

406 Denique ibid. D. Thomas eiuſmodi inclinationes diſtinguit, dicens: *Ineſt enim primò inclinatio homini ad bonum ſecundùm naturam, in qua communicat cum omnibus ſubſtantiis; prout ſcilicet qualibet ſubſtantia appetit conſervationem ſui eſſe ſecundùm naturam: & ſecundùm hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conſervatur; & contrarium impeditur. Secundò ineſt homini inclinatio ad aliqua magis ſpecialia ſecundùm naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus: & ſecundùm hoc dicuntur ea eſſe de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit; ut eſt commiſtio maris, & fœminæ, & educatio liberorum, & ſimilia. Tertio modo ineſt homini inclinatio ad bonum ſecundùm naturam rationis, quæ eſt ſibi propria: ſicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoſcat de Deo, & ad hoc quod in ſocietate vivat: & ſecundùm hoc ad legem naturalem pertinent ea, quæ ad huiuſmodi inclinationem ſpectant, utpotè quod homo ignorantiam vitet; quod alios non offendat, cum quibus debet converſari, & cætera huiuſmodi, quæ ad hoc ſpectant.* Ecce compendioſè omnia præcepta legis naturalis, & ſub triplici inclinatione naturæ collocata à D. Thoma, atque ordinatè conſiderata.

407 Verum tamen eſt quod hæc triplex inclinatio in eiuſmodi tres fines naturæ, ſecundùm quod ſcilicet natura hominis conſideratur ut communiter conveniens cum omnibus ſubſtantiis, & prout habet ſpecialem convenientiam cum animalibus, & denique prout habet ſibi propria, per quæ differt ab illis omnibus; non explicat omnia præcepta ſpecialia legis naturalis, & ſecundùm proprias eorum differentias ultimas, ſed potiùs ſecundùm quamdam rationem genericam; ita ut potiùs ſint tria prima genera præceptorum, & veluti tria prima principia immediatè contenta ſub illo primo ſupremo communiſſimo, nempè quod bonum ſit proſequendum, malum verò vitandum, quod dignitatem appellavimus. Undè hæc tria reſpectu illius ſunt utique quaſi concluſiones; ſed abſolutè, & ſimpliciter in ſeipſis ſunt tria prima principia, tamquam unumquodque primum in ſuo ordine talis, vel talis inclinationis ſeu finis ſpecialiter à natura intenti; ut benè advertit Caietanus ibidem; ac propterea uſque adhùc non habentur deſignata ſpecialiter omnia præcepta legis naturæ à primis uſque ad ultima, ad quæ lex extendi poteſt; ſed ſolùm ſpecialia prima principia cuiuſque ordinis inclinationis, ſeu finis eiuſdem naturæ. Quilibet enim finis à natura intentus, & in quem naturaliter inclinat, à ratione practica apprehenditur ut bonum eiuſdem naturæ, ſicut de facto eſt, ac proindè fundat in ſuo ordine ſuum primum principium, quod ſcilicet tale bonum ſit proſequendum, & ejus contra-

ſium vitandum; quemadmodùm bonum ut ſic à ratione practica primò apprehenſum fundat illud primum præceptum communiſſimum, quod bonum ſit proſequendum, & malum vitandum. quare tam de iſto, quàm de illis non eſt difficultas, quod cum ſint abſolutè, & ſimpliciter prima principia in ſuo ordine, hoc ipſo quod agnoſcitur finis, & inclinatio in illum à natura, in ſuo quoque ordine, ſunt de ſe per ſe nota, & ſecundùm ſe, & etiam quoad nos. Sed difficultas eſt de aliis omnibus præceptis, quæ ex iſtis primis principiis in ſuo ordine deducuntur; quæ ſcilicet ſint & qualia, nempè ſi ſint cognoſcibilia ſub eodem lumine principiorum, & ſint per ſe nota immediatè ſub illis, ut ſupra inſinuavimus, an potiùs importent quaſdam concluſiones remotas, & difficilis deductionis, ita ut ratio practica naturaliter aliquando poſſit citra hominis culpam ab eorum notitia deficere, vel errare, ut prætendunt multi Recentiores. hæc enim eſt difficultas maxima: & ideò oportet devenire ad alia præcepta, & de eis hoc ipſum reſolvere.

408 Antequam autem ad hoc explicandum deveniamus, ſciendum eſt quod ad tertiam inclinationem ſuperiùs adductam, quæ eſt propria, ſpecialis, & veluti characteriſtica naturæ humanæ, pertinet, quod naturaliter inclinetur homo ad agendum ſecundum rationem: ita ut ſecundùm hanc naturalem inclinationem unicuique ſit per ſe notum, bonum eſſe, & proſequendum, hoc, quod eſt agere ſecundùm rationem. & certè neminem latere poteſt hoc primum præceptum legis naturæ. Undè experimur omnes, & quaſcumque quantumlibet rudes homines, & pueros etiam, ac puellas, perpetuò rationem allegare quod benè egerint; & conqueri de aliorum actionibus malis, dicendo quod non habuerint rationem ſic vel ſic agendi, & ſimilia. Ex quo fit quod ſpeciale præceptum legis naturæ per ſe notum, & tamquam primum principium omnibus inditum ab ipſa natura in hominibus eſt, quod omnes actiones propriæ ad cujuſque ordinis inclinationem ſpectantes ſint ſemper ſecundùm rationem agendæ; quemadmodùm D. Thomas docet dicta *q.* 94. *a.* 4. *ad* 3. ſub his verbis: *Ad tertium dicendum quod ſicut ratio in homine dominatur, & imperat aliis potentiis; ita oportet quod omnes inclinationes naturales ad alias potentias pertinentes ordinentur ſecundum rationem: undè hoc eſt apud omnes communiter rectum, ut ſecundum rationem dirigantur omnes hominum inclinationes.*

409 Ex quo ad explicanda ſpecialiùs omnia legis naturalis præcepta devenio, & dico ea eſſe quaſdam quaſi concluſiones immediatè connexas cum ejuſmodi primis principiis in unoquoq; ordine prædictarum inclinationum naturalium deſignatis: nec poſſe dari præter hujuſmodi quaſi concluſiones alia præcepta legis naturæ remotiora. quarè licet talia præcepta, quæ ſecundaria dicuntur a Divo Thoma, & quaſi concluſiones, ut vidimus ſupra, per quamdam quaſi deductionem ex primis ſuis principiis deriventur; quia tamen ſunt per ſe, & immediatè connexa cum illis, ſub illorum lumine immediatè cognoſcuntur, niſi agens aliò mentis oculum divertat; quia de ſe & ex natura ſua ſunt immediatè & per ſe nota conſecutivè ad ipſa prima principia. quod totum oſtendo diſcurrendo per ſingula ferè præcepta in unoquoque ordine inclinationis naturalis ſub exemplis ad ſenſum patentibus, unde ſit.

§. IX.

Aſſignantur ſpecialiter præcepta juris naturæ quæ derivantur ex prima hominum inclinatione: eaq; per ſe nota eſſe naturaliter demonſtratur.

410 IN primo ordine naturalis inclinationis, quæ eſt ad conſervationem proprii individui, & eſt communis omnibus ſubſtantiis, conſtat jam ex dictis quod ratio practica tale bonum ſeu finem apprehendens in quem natura ipſa inclinat, naturaliter, & abſque ulla inveſtigatione rationis ad hunc aſſenſum procedit, & hunc conceptum format, ſcilicet quod ſit vitæ conſervatio proſequenda, ejuſque deſtructio vitanda; id quod facit dependenter quoque à prudentia etiam naturali enunciando per modum præcipientis, ut ſupra explicavimus, & hæc ſunt quidem prima præcepta ſeù principia in hoc ordine inclinationis: unicuique enim inditum eſt à natura, ut in ejuſmodi actus, & conceptus erumpat juxta ejuſmodi naturæ inclinationem. ſicut enim quilibet naturaliter appetit eſſe, & vivere; & mortem, ac ſui deſtructionem abhorret; ita per ſe notum habet bonum eſſe ſibi conſervari in vita, & malum mori.

411. Sed hoc quod eſt, bonum eſſe ſibi conſervari in vita, & malum mori, quæ ſunt prima principia, ſeu prima præcepta juris naturæ ſecundùm hoc genus communis inclinationis, poteſt quoad nos dupliciter conſiderari. Primò ſub ratione boni, & mali præcisè in genere, quatenùs ſcilicet unum eſt de genere bonorum, & aliud eſt de genere malorum, non penetratâ tamen eorum quidditate, quid ſcilicet importet conſervari in vita, quod eſt ſibi bonum; & quid præcaveri à contrario, quod eſt ſibi malum. & hoc modo ſunt per ſe nota, non ſolùm ſecundùm ſe, ſed etiam quoad nos; & pertinent ad notitiam illius primi principii communiſſimi, quod dignitatem appellavimus, nempè quod bonum ſit proſequendum, & malum vitandum; quia, ut dicunt Philoſophi, eadem eſt ſcientia de genere, ac de ſpecie; ita ut impoſſibile ſit, quod homo naturaliter agno-

ſcens

ſcens bonum ut ſic eſſe proſequendum, & malum vitandum, ignoret tale ſpeciale bonum, etiam non penetratâ eius quidditate, eſſe ſibi proſequendum, & tale malum vitandum. Alio modo conſiderari poteſt ſub propria eius ſpeciali ratione, ſeu quidditate; puta per hoc quod quis penetrat in quo conſiſtat hoc conſervari in eſſe, quod eſt ſibi bonum, & præcaveri a contrario, quod eſt ſibi malum. Et hoc modo ignoranti eiuſmodi terminos præfata principia non erunt quoad ipſum per ſe nota; quemadmodum ignoranti definitionem hominis non eſt per ſe nota hæc propoſitio quoad ipſum (homo eſt animal rationale) ut dixit ſupra D. Thomas, licet illa propoſitio ſit per ſe nota ſecundùm ſe; donec ille penetret definitionem hominis. quare reſpectu iſtius cognitio animalis rationalis videtur quaſi conſequens ad priorem cognitionem, quam antea veluti materialiter habebat de homine, & eſt quaſi concluſio deducta ex illa, cum tamen re verâ pertineat ad eamdem cognitionem hominis. Ex quo fit quod hæc prima principia, ſeu præcepta juris naturæ in hoc ſpeciali genere huius primæ inclinationis naturalis conſiderata ſecundùm propriam quidditatem ſunt quaſi concluſiones deductæ ex ipſiſmet nondùm penetratis in propriis terminis, ſed ſolùm confuſè cognitis ſub præciſa ratione boni, & mali; ac propterea ſunt veluti concluſiones illius primi principii communiſſimi ſeu dignitatis; nempè, bonum eſt proſequendum, & malum vitandum; re verâ tamen ipſa in ſe ſunt prima principia per ſe nota, & ſecundùm ſe, & etiam quoad nos, ſi ſemel terminos penetramus. Quæ quidem doctrina hîc adducta multùm juvat ad intelligendum, quomodo hæc prima principia, quæ in ſuo ordine ſunt abſolutè prima, dici poſſint quaſi concluſiones reſpectu illorum primorum principiorum communiſſimorum, ſeu dignitatum; ſicut videtur loqui Caietanus in ſuis commentariis ſuper *q. 94.* D. Thomæ. cum tamen re verâ, quia neminem latet eiuſmodi terminorum notitia, in quo ſcilicet conſiſtat vitam propriam conſervare, & præcaveri à contrario, ut ſuppoſuimus, ipſa ſunt etiam ut ſpecialiter conſiderata in hoc genere primæ inclinationis naturalis abſolutè, & ſimpliciter prima, & per ſe nota etiam quoad nos, & dignitates, ſicut illa prima communiſsima, imò ſint omninò eadem cum illis, ut conſtat ex toto hoc diſcurſu.

412 Hoc itaque præſuppoſito, jam habemus in hoc genere inclinationis prima principia, ſeu præcepta abſolutè, & ſimpliciter prima, per ſe nota etiam quoad nos, & ſunt hæc: Bonum eſſe unicuique proprium eſſe ſibi conſervare per uſum omnium mediorum, quæ ad hoc ſunt neceſſaria; & per fugam reliquorum omnium, quæ huic bono contrariantur, quæ procul dubio neminem latere poſſunt; ſicut nec latent quæcumque bruta animalia; in hoc enim conſiſtit tota conſervatio proprii eſſe, ſeu vitæ juxta naturalem cuiuſcumque ſubſtantiæ communiſſimam inclinationem. Procedamus ergo ad concluſiones ſeu ſecundaria præcepta, quæ ex iſtis primis in hoc genere conſequuntur, & videamus, ſi quæ ſint remota, & ſcitu difficilia, an verò omnia ſint per ſe, & immediatè connexa cum primis, ita ut abſque ullo medio ſponte ſuâ ex illis naturaliter fluant. nam ſi hoc ſecundum erit, jam nulla poterit concluſio, vel veriùs quaſi concluſio (ut loquitur D. Thomas) invincibiliter ignorari.

413 Procul dubio ad hæc prima præcepta ſuccedunt in hoc genere præcepta omnia affirmativa virtutis temperantiæ ſecundùm eam partem quâ habet regulare debitum uſum cibi, & potus, & ſimilium; & præcepta etiam negativa intemperantiæ eius vitii oppoſiti. Undè in præcepto ſunt juris naturæ cibus, potus, & ſomnus, vel ſimilia ad humanam vitam procul dubio neceſſaria; & prohibentur crapulæ, ebrietates, extremæ vigiliæ, & huiuſmodi. Conſtat autem hæc omnia eſſe per ſe, & immediatè connexa cum hoc, quod eſt uti neceſſariis ad vitam conſervandam, & præcaveri à contrariis; quia ſicut neceſſarium eſt ad vitam uti cibo, potu, ſomno, & ſimilibus; ita neceſſarium quoque eſt iis moderatè uti, ita ut non ſit in huiuſmodi uſu defectus, vel exceſſus; uterque enim eſt conſervandæ vitæ contrarius. Ergo ſingula huiuſmodi præcepta ſunt per ſe, & immediatè connexa cum primis illis principiis; imò ſunt omninò eadem cum illis cum ſolâ differentiâ penès implicitum, & explicitum; quia uti neceſſariis ad vitam implicitè dicit, & importat uti illis, eo modo, quo neceſſaria ſunt; & non minùs, vel ſuperfluè, quo pacto potiùs nocent. ac proindè qui penetrat terminos vitæ conſervandæ, ſtatim per ſe, & naturaliter, abſque alia inveſtigatione rationis agnoſcit huiuſmodi præcepta virtutis temperantiæ, pro quanto ad hunc finem ſpectant, quæ tamen dicuntur præcepta ſecundaria juris naturæ, & quaſi concluſiones ex primis deductæ; re verâ tamen concluſiones non ſunt, ſed potiùs expoſitiones quædam eorumdem primorum principiorum. Et ideò a D. Thoma præcepta juris naturæ ſecundaria, non concluſiones, ſed quaſi concluſiones appellantur.

414 Sed hîc eſt advertendum, quod mediocritas iſta, ſeu modus proportionatus in uſu neceſſariorum ad vitam ſervandus ſine defectu, vel exceſſu juxta virtutem temperantiæ, cum ſit nimis variabilis in applicatione ad actus ſingulares, non poteſt tàm facilè, & ſine ullo errore determinari, eo quod pendet ſemper ex variis circumſtantiis ſingularibus. Non enim poteſt aliquis de facto ſtabilire indiviſibiliter quantitatem v. g. cibi, aut potus, ſibi re vera neceſſariam, & certus fieri quod nihil plus, vel minus ſumat ſe facto, quam ſibi expediat; ſed ſatis eſt quod moraliter, & diſcretè judicet circumcirca de actu ſuo quod ſit in medio, &

non

non plus, vel minus, attenta propria complexione, valetudine, & exercitio, cui pro ſuo munere debet incumbere. non enim præcepta temperantiæ ſunt de medio rei, ſicut ſunt præcepta juſtitiæ, ſed de medio rationis, ut dicunt communiter Theologi. Et lex naturæ ad quam præcepta hæc temperantiæ pertinent in hoc ordine finis ſeu inclinationis naturalis vitæ conſervandæ non dictat medium rei, ſed solùm quod ſit temperatè utendum neceſſariis ad vitam & bonam valetudinem per determinationem faciendam à ratione pro varietate complexionis, & ſtatus uniuſcuiuſque, quod ſi agens in hoc erret, erit error facti, & non juris. ac propterea firmum manet quod præcepta temperantiæ, quæ ad hunc ordinem pertinent, ſint per ſe nota, & immediatè connexa cum primis principiis eiuſdem ordinis, licet in applicatione eorum ad factum in ſingulari poſſit aliquis error contingere. hoc autem quod dictum eſt de præceptis temperantiæ, dicendum eſt de aliis, ſi quæ ſunt ad hunc ordinem ſpectantia, puta de conſervatione ſeu defenſione vitæ a quibuſdam contrariis extrinſecis, ut v. g. ab aggreſſore, a morſibus animalium, & ſimilibus, ut de ſe patet. Neque poſſunt ad hunc ordinem alia præcepta pertinere.

415 Poſſet autem hìc aliquis obiter dubitare de virtute abſtinentiæ, jeiunio, diſciplinis, maceratione corporis, & ſimilibus, quæ videntur vitæ conſervandæ, eiuſque bonæ valetudini opponi; & tamen à ſanctis viris commendantur, & exercentur, imò & jeiunia ab Eccleſia præcipiuntur. Cum igitur Eccleſia errare non poſſit, oportet quod præcepta legis naturæ, & temperantiæ ad ipſam pertinentia de uſu neceſſariorum, & noxiorum fuga, ſint aliter intelligenda, quàm ſint à nobis explicata; ac per conſequens difficilioris intelligentiæ ſunt, quàm appareant, non ergo ſunt per ſe nota. Nos enim illa expoſuimus de uſu neceſſariorum neque plùs, neque minùs: Abſtinentia verò, & jeiunium dicunt quamdam ſubtractionem neceſſariorum, nec conferunt ad bonam corporis valetudinem. Et diſciplinæ ac aliæ macerationes corporis bonam valetudinem, & vitam ipſam frangunt potiùs, quàm conſtituant.

416 Ad hoc reſpondeo quod abſtinentia, & jeiunium, quæ à ſanctis viris commendantur., & ab Eccleſia præcipiuntur non ſunt per ſubtractionem neceſſariorum ad vitam, vel ad bonam corporis valetudinem ſufficientem ad vires neceſſarias pro debito exercitio operum, ad quæ homo tenetur, vel etiam operum magis utilium, quàm ipſa in ſe ſint; ſic enim vel ſunt abſolutè illicita, vel ſaltem indiſcreta: hoc enim, eſſet de rapina hoſtiam jeiunii offerre, ut dicit D. Thomas *in 4. diſt. 15. q. 3. a. 1. q. 2. ad 3. & 2. 2. q. 141. a. 6. ex Hieronymo*. Sed ſunt per ſubtractionem eorum, quæ conferunt ad optimam, & veluti robuſtam quamdam valetudinem homini non neceſſariam, imò plerumque damnoſam, ad quam licet eius natura inclinet utique, pro quanto cum aliis ſubſtantiis in hoc genere inclinationis convenit; atque ideò abſolutè loquendo licitum ſit iis uti, quæ etiam ad iſtam conferunt; eiuſmodi tamen inclinatio regulanda eſt in homine ſecundùm rationem; quia ut ſupra diximus omnes hominum inclinationes naturales ad alias potentias pertinentes, in quibus cum aliis convenit, ſunt regulandæ per propriam, & characteriſticam eius inclinationem naturalem, quæ eſt in eo ſecundùm ordinem rationis. Cum igitur ſecundùm ordinem rationis ſit, quod caro ſpiritui ſubiiciatur; & caro in ſuo robore conſiſtens reluctet ſpiritui obedire, & cum magna difficultate ſubiiciatur illi; Ideò laudabile eſt, & quandoque neceſſarium ſecundùm ordinem rationis illi ea ſubtrahere, quæ ad conſiſtentiam tanti roboris conferunt, quod ſit per abſtinentiam, & jeiunium, ſicut etiam & per diſciplinas, aliaſque corporis macerationes, ſemper tamen ad diſcretam menſuram exercendas; alioquin non poſſet caro in debito officio ſecundùm rationem contineri. Unde abſtinentia, & jeiunium (non quidem juxta formam ab Eccleſia præſcriptam) ſed prout ſpecialem quamdam abſtinentiam diſcretam importat, eſt etiam de jure naturæ pertinens ad naturalem inclinationem tertii generis, nempe rationis; ſecundùm quam, ut ait ſupra D. Thomas, eſt apud omnes communiter rectum, quod omnes hominum inclinationes ſecundùm rationem dirigantur. Atque hæc de præceptis legis naturæ in primo genere inclinationis humanæ contentis.

§. X.

Aſſignantur ſpecialiter præcepta juris naturæ, quæ derivantur ex ſecunda naturali hominis inclinatione: eaque eſſe per ſe nota demonſtrantur.

417 IN ſecūdo ordine inclinationis naturalis, qua homo cum cæteris animalibus conveniens, ad generationem inclinat, operosiùs procedendum eſt ad aſſignāda ſua prima principia ſeu præcepta, & præcepta ſecundaria, quæ ſint omnia quaſi concluſiones eorum, & per ſe atque immediatè connexa cum illis. In hoc enim nonnulli maiorem difficultatem faciunt. quarè ut diſtinctè hìc procedamus, oportet priùs ſtabilire propria prima principia iſtius ordinis, & ſimul ſupponere, quod tàm eiuſmodi prima principia ſeu præcepta prima, quàm etiam eorum concluſiones, ſeu præcepta ſecundaria, ſemper intelligi debent ut regulanda per rationem, hoc eſt in eo ſenſu, quo naturali rationi non repugnent: & hoc, quia, ut univerſaliter dictum eſt, omnes hominum naturales inclinationes, & maximè quæ ipſis competunt

ſunt ex natura generis, & in quibus conveniunt cum aliis agentibus inferioribus, ſunt modificandæ atque determinandæ per propriam, & ſpecialem ipſorum inclinationem ſibi competentem ex natura propriæ ſpeciei, & prout ſe diſcernunt ab omnibus aliis agentibus; quæ quidèm propria, & ſpecialis inclinatio eſt, quod in omnibus actibus ſuis ſecundùm ordinem rectæ rationis procedant, ut magis infra in tertio ordine inclinationis explicando erit manifeſtum.

418 His itaque præmiſſis dico, proportionaliter ad ea, quæ ſupra dicta ſunt, quod prima principia propria ſeu prima præcepta per ſe nota huius ordinis hæc ſunt, videlicet: quod ſucceſſio prolis, eiuſque educatio juxta debitam eius exigentiam, (quod eſt bonum, & finis à natura unicè intentus in hac naturali inclinatione hominibus naturaliter indita) eſt promovenda: & contrarium huius vitandum. Ratio enim practica hominis, qui eſt agens ex præcognitione finis, per hoc quod ſimpliciter apprehendit talem finem ſeu bonum, in quod per huiuſmodi inclinationem natura tendit, habet ab ipſa natura inditum, ut ſtatim, & abſque ulla inveſtigatione rationis, in hunc aſſenſum practicum naturaliter exeat, & conceptum formet, quod ſcilicet ſit tale bonum promovendum: & contrarium vitandum. Et hæc non quidèm per modum enunciandi, ſed per modum præcipiendi, ſunt prima præcepta ſeu principia juris naturæ in hoc ordine, utique per ſe nota ſecundùm ſe: quia eiuſmodi propoſitionum prædicata, puta: (promovendum, & vitandum) ſunt de eſſentia ſubiectorum, videlicet boni, eiuſque contrarii: bonum enim eſt eſſentialiter, & per ſe promovendum ſeu proſequendum; & eius contrarium eſt eſſentialiter, & per ſe vitandum. Manet autem nunc probandum quod ſint etiam per ſe nota quoad nos. Stat enim quod propoſitio aliqua ſit per ſe nota ſecundùm ſe, & non ſit per ſe nota quoad nos: ut enim ait D. Thomas propoſitio hæc, homo eſt animal rationale eſt per ſe nota ſecundùm ſe, quia prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti; & qui dicit hominem, dicit animal rationale: & tamen ignoranti quidditatem hominis, non eſt talis propoſitio per ſe nota quoad ipſum. Quare videndum eſt an in uſu venereorum omnes homines agnoſcant quidditatem finis? & certè cum omne agens agat propter finem; & agens intellectuale, qualis eſt homo, agat ex præcognitione finis; oportet quod omnis homo in actuali uſu venereorum propter aliquem finem agat ſibi utique præcognitum, ac proindè propter aliquod bonum, finis enim, & bonum convertuntur: undè omnis homo in eiuſmodi uſu bonum intendit, quod præcognoſcit, & ſibi proſequendum præfigit; ſive id ſit bonum ſeu finis operis operati, quod eſt verè bonum, & finis intentus à natura per talem inclinationem naturalem; ſive ſit aliud quod ſibi operans præfigit. Certum eſt autem quod nemo ignorat bonum, & finem huius operis operati, ſi ſit rationis compos, cuilibet enim per ſe notum eſt eiuſmodi actum generationi inſervire, & proli ſuſcipiendæ ex natura ſua; imò & per ſe ſimiliter notum eſt debitum ſubſequens eam bene educandi; natura enim ipſa hoc totum omnes docet, ſi non ſpeculativè, ſaltèm practicè, ad id totum naturaliter inclinando, ut conſtat ex innata omnium propenſione ad ſuſcipiendam prolem, eamque educandam, omnibus naturaliter indita, qua unuſquiſque ſe ſentit naturaliter ad id totum trahi; quod eſt quodammodò quidditatem totam boni ſeu finis à natura intenti in hoc ordine penetrare, ſi non ſpeculativè, quaſi eam definiendo, ſaltem practicè, & exercitè eam affectando. Ex quo fit quod eiuſmodi bonum ſeu finis nedùm ſit per ſe notus ſecundùm ſe, ſed etiam quoad nos practicè loquendo; ita, ut ratio practica cuiuslibet hominis ex hoc ipſo habeat à natura in prima illa principia ſeu præcepta practica exire quod ſit per huiuſmodi actum ſeu uſum venereorum ſuſcipienda proles, & ſuſcepta educanda. ac per conſequens conſtat quod talia prima præcepta ſunt omnibus per ſe nota. Undè ſi homo aliud bonum ſibi præfigat, ut contingere ſolet in laſcivis hominibus, qui ſibi ſolam voluptatem in eiuſmodi uſu pro fine præfigunt; hoc non ei accidit ex ignorantia, ſed ex paſſione propriæ concupiſcentiæ, qua ad aliud vertit conſiderationem ſuam, nempe ad bonum ſenſibile operantis, & ſe divertit à conſideratione eius, quod aliàs optimè ſcit. Unde contingit utique practicè errare in primis principiis, non tamen ex ignorantia propriè loquendo, ſed ex inconſideratione actuali, divertente illum propria paſſione; manentibus adhuc in eo per ſe notis primis illis principiis.

419 Ad hæc autem prima principia ſeu prima præcepta juris naturæ in hoc ordine ſuccedunt tāquàm quaſi concluſiones & præcepta ſecundaria, omnia, & ſingula præcepta ad hanc materiam ſpectantia ſive poſitiva, ſive negativa tamquam per ſe & immediatè connexa cum eiuſmodi principiis, ut mox oſtendam; maximè ſi hæc ſupponantur per rationem regulata in homine, juxta propriam eius ſpecialem inclinationem etiam naturalem, omnia videlicet agendi, ſecundùm ordinem rationis; ut dictum eſt ſupra; ut deſcendendo ad ſingula præcepta apertiùs demonſtrabo.

420 Præcepta itaque ſingula ad hoc genus naturalis inclinationis ſpectantia ſunt ſequentia. Primum quidem affirmativum eſt de ipſo coniugio in officium naturæ ab ipſamet natura per ſe ordinato. quod afficit totam multitudinem hominum, non tamen ſingulos de multitudine; hoc eſt, afficit, & obligat omnes homines, non ſic ut ab omnibus, & ſingulis obſervetur; ſed ut non ab omnibus prætermittatur,

tatur, ne ſpecies pereat. cum enim hoc ſit bonum ſpeciei, ad ſpeciem per ſe pertinet rationabiliter promotio talis boni, ſeu finis intenti à natura. quod eſt dicere: ſic totam multitudinem ligat, ut ſatis ſit, quod in tota ſpecie ſeu multitudine hominum ſint, qui illud ſufficienter adimpleant: quod ſi omnes recuſarent, ſinguli tenerentur, & recuſando peccarent. vel ſub aliis terminis explicari poteſt, quod ad illud tenentur omnes, & ſinguli collectivè; non autem omnes, & ſinguli diviſivè. Et ratio huius eſt, quia cum omnes hominum naturales inclinationes, quæ ipſis inditæ ſunt ex naturâ ſui generis, ſint in eis per rationem regulandæ ex vi alterius tertiæ inclinationis ſibi etiam naturaliter inditæ, & magis ſibi propriæ, & convenientis ex naturâ ſuæ ſpeciei, ut ſupra dictum eſt; & recta ratio dictet, quod ea, quæ ſunt ad finem, ad eam menſuram applicentur quæ congruit fini; & alias huic fini conſervandi ſpeciem per ſucceſſivas generationes congruum ſit, quod non ab omnibus, & ſingulis de multitudine; ſed ab aliquibus promoveatur, eo quod ſic ſufficientiſſimè bono & fini à naturà intento providetur: conſequenter non ſinguli ex vi talis inclinationis naturalis ad huiuſmodi præceptum obligantur, niſi in caſu, quo ſinguli recuſarent, & ſpecies facilè deperiret. Et fortiùs, quia ſi ſinguli ad id applicarentur, impedirentur aliqua utiliora bona eidem multitudini etiam naturaliter neceſſaria juxta tertium genus naturalis, & propriæ inclinationis hominum ex natura ſpeciei, cuiuſmodi eſt vita contemplativa multorum. Virginitas enim ad hoc præcisè deſervit, ut contemplationi veritatis homines vacent; atque ideò laudabiliùs eligitur tamquàm melior, & optima pars. Vita enim contemplativa eſt activâ præſtantior, quantumvis utraque ſit neceſſaria multitudini, ſed contemplatio veritatis, & doctrina magis, ad quam utique virginitas conducit. Undè Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 7. *dicit*: qui ſine
„Uxore eſt ſollicitus eſt, quæ Domini ſũt, quo-
„modo placeat Deo: qui autem cum Uxore eſt,
„ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo pla-
„ceat Uxori, & diviſus eſt: & Mulier innupta,
„& Virgo, cogitat quæ Domini ſũt, ut ſit San-
„cta, & corpore, & ſpiritu: quæ autem nupta eſt,
„cogitat quæ mundi ſunt, & quomodo placeat
„Viro. Videatur ſuper hoc D. Thomas 2. 2. *q.* 152. *a.* 2.

421 De hoc autem præcepto ſatis evidenter conſtat eſſe per ſe, & immediatè connexum cum primis illis principiis; quod ſcilicet propagatio prolis ſit bonum ſpeciei promovendum, & contrarium vitandum; cum alias omninò impoſſibilis ſit propagatio prolis ſine commiſtione perſonarum ſeu coniugio. Quod verò non ſingulas obliget, licet non ſit per ſe connexum cum eiſdem principiis; per ſe tamen & immediatè connexum eſt cum aliis primis etiam principiis per ſe notis ſpectantibus ad tertium genus inclinationis naturalis hominis ex natura ſuæ ſpeciei; unde, ut dictum eſt ſunt regulandæ in homine cæteræ inclinationes naturales ſibi competentes ex naturà generis; nempe quod omnes ſint ſecundùm ordinem rectæ rationis regulandæ, & quæ huic contrariantur, repelli debent. Cum illis enim primis principiis per ſe, & immediatè connectitur, quod commiſtio hæc perſonarum, ad conſervandam ſpeciem naturaliter ordinata, ſit non utcumque, ſed juxta ordinem rectæ rationis in homine; quod eſt dicere: ad menſuram neceſſitatis pro ſpecie conſervanda, & non plùs, ut non impediantur alia præſtantiora bona eidem ſpeciei humanæ neceſſaria; ſed detur locus in tota multitudine, ut alii invigilent uni, alii verò alteri neceſſitati. Eſt enim tota multitudo quoddam corpus myſticum, cuius membra oportet varios actus exercere; quod quidèm totum ſaltem practicè omnibus per ſe notum eſt, eſto non ſecundum huiuſmodi lignatam combinationem conſideretur ab omnibus. Ergo firmum manet, quod hoc præceptum per ſe & immediatè ex principiis per ſe primis ſe obiiciat omnibus naturaliter agnoſcendum abſque tanta inveſtigatione rationis, ſed purè penetrando terminos boni, ſeu finis operis operati per ſe intenti a natura, & hominibus ab eadem naturaliter inditi juxta uniuſcuiuſque generis inclinationem eiſdem hominibus ingenitam.

422 Ad præcedens ſuccedit aliud præceptum juris naturæ de indiſſolubilitate coniugii inter perſonas, a quibus talis finis per ſe intentus a naturà in officium eiuſdem promovendus aſſumitur; debent enim indiſſolubiliter de eodem jure naturæ coniungi ad individuam vitam perpetuò ducendam. Et hoc quoque conſtat eſſe per ſe, & immediatè connexum cum illo principio per ſe primo, quod ſcilicet: proles ſuſcepta eſt benè educanda. quod quidèm principium ratio practica naturaliter ſibi format, ſtatim ac inditæ ſibi inclinationis finem intentum in eo officio à naturâ cognoſcit, & terminos illius penetrat, qui certè neminem latere poſſunt. Nam hoc ipſo, quod homo practicè videt naturali pondere, & affectu trahi in prolem ſuſcipiendam, eamque benè educandam, inditum eſt ei à naturâ, ut hanc conceptionem practicam in mente ſua ſibi formet, quod ſit ſibi prolis ſuæ educatio promovenda ad congruam menſuram rectæ rationis, hoc eſt juxta exigentiam prolis humanæ ſupra modum ex propria conditione indigentis, ut conſervari poſſit, pluſquam omnes aliæ proles aliorum animalium, utpotè quæ variis viciſſitudinibus fortunæ, & calamitatibus, pro varietate temporum nata eſt ſubiici, ita ut numquam ſatis videatur à parentibus poſſe provideri. & hinc eſt quod ab ipſa naturâ eis inditum eſt, ut inclinentur naturaliter tanto pondere ad theſaurizandum pro filiis ſuis, ut ſcilicet ita

tot

tot fortunæ varietatibus ſtatum proli conſtituant pro toto eius vitæ decurſu quodammodo indefectibilem; alioquin quo pacto poterit conſervari? quis autem non videat ad hoc per ſe exigi, quod parentes toto conatu ſimul conſpirent, & coniunctim tantā provinciam aſſumant, numquam intermiſſuri? ergo per ſe, & immediatè connexum eſt cum principiis per ſe primis huius generis inclinationis, & maximè juxta rectam rationem benè regulatis, quod indiſſolubiliter, & ad individuam vitam perpetuò habendam coniungantur; ac fide, & vinculo perpetui matrimonii colligentur. ſi enim aliter fiat, procul dubio proles detrimentum ſuæ debitæ educationis patietur.

423 Quod ſi quis interroget: Si ſic ſe res habet ex naturà ſuâ; cur in caſu, quo mors eos ſeparat, non intelligitur jure naturæ prohibitum ſuperſtiti, quod cum alia coniungatur? videtur enim cura illa parentis, qui ſupervivit, per novum coniugium intermitti erga filios, quos habet relictos ex prima. ac per conſequens nova coniunctio videtur repugnare debitæ educationi primæ prolis. Ad hoc reſpondeo nequaquam inde prætermitti, aut intermitti curam illam, & ſolicitudinem primam parentis ſuperſtitis, ſicut nec intermittitur prior affectus, & naturalis inclinatio erga filios relictos; ſed illà adhuc perſiſtente, ad ſummum ulteriorem aſſumi, quæ quidem ſimul ambæ compoſſibiles ſunt per ſe, & ex naturà ſuâ loquendo; quemadmodum per ſe compoſſibiles fuiſſent, ſi cum primà diutiùs vixiſſet, & plures filios cum eadem procreaſſet. Sicut enim æquè ſollicitus eſſet de cura iſtorum, non obſtante maiori illa extenſione ad plures in priori coniugio; ita & in ſecundo. Dixi autem per ſe, & ex naturâ ſuà: quia per accidens poſſet utique, non quidem intermitti, ſed remitti in executione ex inſufficientia ſubiecti, quatenùs eius induſtria minor eſt, quàm poſſit ad plures ſatis extendi. ſed quæ per accidens ſunt, non ſunt in conſiderationem trahenda.

424 Poſt hæc ſuccedunt duo alia præcepta. & primum quidem reſpectu viri de non habendo ſimul plures uxores. & alterum reſpectu mulieris de non habendo plures viros. & certè quod mulier non debeat de jure naturæ habere plures viros, conſtat eſſe unicuique per ſe notum ex eodem principio per ſe primo de prole benè educanda, cui proprie, & per ſe contrariatur, illudque naturaliter evertit. Nam ſicut naturalis inclinatio homini innata ad propriam prolem benè educandam initium eſt, & fundamentum, undè homo formet ſibi illam animi conceptionem ſeu primum principium practicum, eſſe ſibi bonum, & naturaliter ab ipſo promovendum hoc, quod eſt prolem propriam educare, & indè ſentit ſe ad id naturaliter obligatum; Ita ab oppoſito ſe deobligatum intelligit ab educanda aliena. ex quo de facto unicuique innata eſt anxietas quædam de certitudine propriæ prolis; & quò ei hæc incertior apparet, eò ſe minùs ſentit impelli à natura ad huiuſmodi curam habendam, quod procul dubio cedit in grave damnum prolis. Conſtat autem quod nullus vir in caſu plurium habentium eamdem uxorem poteſt certus eſſe de prole ſua. Incertitudo autem hæc naturà ſuà affectum, & ſollicitudinem minuit, & fortè totaliter tollit. quis enim ignoret ſaltem practicè confuſionem prolis inter plures viros quemlibet retrahere à debita educatione illius, in quam tamen natura parentem certum tantopere inclinat?

425 Quod verò nec vir debeat plures uxores habere, non ex primis principiis fundatis in hoc genere inclinationis infertur; quia pluralitas uxorum non opponitur bono prolis ſuſcipiendæ, & educandæ, in quod per inclinationem huius generis natura unicè tendit; ſed ex aliis fundatis in aliâ etiam naturali inclinatione ſpeciali, & propria ipſius hominis ex naturâ ſpeciei, cum quibus eſt utique per ſe, & immediatè connexum, atque ideò unicuique penetranti terminos boni, ſeu finis per huiuſmodi ſpecialem inclinationem intenti à naturâ eſt per ſe notum, & manifeſtum. Undè pro maiori huius veritatis intelligentiâ ſciendum eſt ex D. Thoma *in ſupplem. 3. p. q. 96. aliàs 65. a. 1. & 2. quod matrimonium habet pro fine principali procreationem, & educationem prolis, qui quidem finis competit homini ſecundùm naturam ſui generis, hoc eſt in quantum eſt animal; undè & aliis animalibus eſt quoque conveniens. & ſic bonum matrimonii aſſignatur proles. Sed pro fine ſecundario habet ſolùm in hominibus communicationem operum quæ ſunt neceſſaria in vitâ; & ſecundum hoc fidem ſibi invicem debent, quæ eſt unum de bonis matrimonii.* (Verba ſunt D. Thomæ) & paucis interiectis, ſubdit: *Undè primus finis reſpondet matrimonio hominis in quantum eſt animal; ſecundus in quantum eſt homo. . . . Pluralitas ergo uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit primum finem; cum unus vir ſufficiat pluribus uxoribus fæcundandis, & educandis filiis ex eis natis. Sed ſecundum finem & ſi non totaliter tollit, tamen multum impedit; eo quod non facilè poteſt eſſe pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur; cum non poſſit unus vir ſufficere ad ſatisfaciendum pluribus uxoribus ad votum; quia communicatio plurium in uno officio cauſat litem; ſicut figuli conrixantur ad invicem; & ſimiliter plures uxores unius viri . . . . & ideò patet ex dictis quod pluralitas uxorum quodammodo eſt contra legem naturæ, & quodammodo non.* ex qua doctrina patet, quod pluralitas uxorum non eſt contra finem intentum à natura per hanc inclinationem, qua homo naturaliter in actum hunc carnalem inclinat communiter cum cæteris animalibus; quia finis huius naturalis inclinationis eſt prolis

pro-

procreatiò, & educatio, quæ optimè haberi poteſt cum pluralitate uxorum; ſed eſt contra finem intentum à natura per inclinationem etiam naturalem alterius generis, quæ competit homini, in quantum eſt homo, & contradiſtinguitur ab aliis animalibus; qui quidem finis eſt communicatio mutua operum, quæ per ſe intenditur à natura hominis, cum homo per ſe ſit animal ſociale; & hic finis in matrimonio dicitur ſecundarius à D. Thoma reſpectu matrimonii abſolutè accepti, utpotè illi acceſſorius, quia matrimonium de ſe abſolutè, & ſimpliciter ſolùm reſpicit primum: At in matrimonio hominis, in quantum eſt homo, eſt finis per ſe primò intentus à naturâ ipſius hominis, utpotè quo illud eſt in homine regulandum, ſicut & quæcumque alia eius opera generaliter, in quibus oportet cum aliis converſari; omnia enim huiuſmodi opera exigunt ex naturâ ſuâ ſic inſtitui ab homine, ut congruant debitæ ſocialitati humanæ, quæ pertinet ad tertium genus inclinationis hominis, de quo infra dicemus.

426 Hac ergo præmiſsâ doctrinâ facilè demonſtratur huiuſmodi præceptum juris naturæ eſſe per ſe notum etiam quoad nos; eo quod eſt per ſe, & immediatè connexum cum primis principiis fundatis in tertio genere inclinationis ſpecialiter homini inditæ a naturâ. Hoc ipſo enim quod homo videt naturaliter inclinari ad ſocialitatem, inditum eſt ei à naturâ, ut in hunc aſſenſum erumpat, bonum eſſe ſibi, & debitum, ſic cum aliis ſe habere, ut nec privetur, nec privet alios dicto bono, in quod naturaliter inclinat. Sed cum huiuſmodi primo principio eſt per ſe, & immediatè connexum, malum eſſe habere plures uxores in eodem officio ſibi communicantes, utpotè per ſe dictæ ſocialitati contrarium; ſi penetrentur termini debitæ ſocialitatis, & communicationis plurium uxorum in uno eodemque officio cum uno viro, qui procul dubio neminem latere poſſunt, niſi eum, qui negligit huiuſmodi communicationem in ſeipſa conſiderare. Sicut ergo inditum eſt homini, ut in illud primum principium abſque inveſtigatione rationis naturaliter erumpat; ita & naturaliter per primam, & immediatam illationem, inditum eſt ei, ut in agnitionem huius mali, & illi principio oppoſiti ſtatim deveniat. & hinc eſt quod præceptum iſtud ad ſecundaria præcepta ſpectat, utpotè immediatè connexum cum primo, & quaſi concluſio ex illo immediatè conſequente, ſicut docet D. Thomas *loc. ſupra cit. a. 2. in corp.* ſub his verbis: *Dicendum quod ſicut ex dictis patet, pluralitas uxorum eſſe dicitur contra legem naturæ, non quantùm ad prima præcepta eius, ſed quantùm ad ſecunda, quæ quaſi concluſiones à primis præceptis derivantur.*

427 Et certè ſi non eſſet immediatè cum illo primo principio per ſe connexum ita ut non ſit ſub eodem lumine primorum principiorum naturaliter per ſe ſtatim cognoſcibile; ſed opus eſſet ulteriori indagine, ſeu artificiali aliquo diſcurſu ad doctrinam, & ſcientiam acquiſitam pertinente; jam non eſſet præceptum inter præcepta juris naturæ, & naturaliter indita computandum. Cuius tamen oppoſitum expreſsè docet D. Thomas ibidem *loc. ſupra cit.* circa medium, per hæc verba: *Lex autem de unitate uxoris non eſt humanitùs, ſed divinitùs inſtituta; nec umquam verbis, aut literis tradita; ſed cordi impreſſa: ſicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent.* quid clariùs ex D. Thoma?

428 Et hinc obiter adverte, lector, Divum Thomam expreſsè velle omnia, & ſingula præcepta qualitercumque ad legem naturæ pertinentia eſſe non verbis, aut literis tradita, ſed cordi impreſſa, & ab Authore naturæ unicuique indita; ut conſtat ex allegato textu. ac per conſequens ſunt ſufficienter unicuique à propria natura interiùs intimata, & promulgata; quia *promulgatio legis naturæ eſt ex hoc ipſo, quod Deus eam mentibus hominum inſeruit naturaliter cognoſcendam.* ut dicit idem D. Thomas 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. *ad* 1. quomodo ergo poſſunt adverſarii noſtri gloſſare D. Thomam, quod ubi dicit legem naturæ non poſſe invincibiliter ignorari, loquatur de præceptis primis, vel cum illis immediatè connexis; non autem de omnibus, & de illis, quæ ipſi remotiora appellant, & dicunt eſſe ſcitu difficilia? quo pacto hæc cohærere poſſunt? ſed hoc nunc obiter dictum ſit; nam alibi ſuper hoc iterùm redibit ſermo.

429 Revertendo autem ad pluralitatem uxorum, de qua loquebamur jam ſatis ex huc-uſque dictis conſtat nativo jure prohiberi, idque per ſe notum eſſe unicuique rem in ſeipſa purè naturaliter conſideranti; importat enim ex natura ſua confuſionem plurium in uno eodemque officio cum uno viro ad votum earum omnium, quod evidenter apparet pacificæ ſocialitati hominibus naturaliter debitæ adverſari. quod adeò verum eſt, & manifeſtum, ut nemo ſit, qui etiam in aliis officiis tale quid ſimile naturaliter non abhorreat. quis enim non conquereretur de ſervo, quem conduxit, ut ſibi ad votum perſonaliter inſerviret, ſi cum alio ſimul eodem modo contraheret ad ſerviendum? aut quis in hoc conſentiret, videns indè fore ſibi ſervitium deficiens? aut quis poſſet hoc ipſum inculpabiliter non prævidere? quandoquidem id per ſe patens ſit in ipſa confuſione conducentium unum eumdemque ſervum ad votum uniuſcuiuſque. quanto ergo magis ſit hoc de ſe manifeſtum in confuſione indiſſolubili plurium uxorum? Et hinc patet de ſe malum eſse, & licet aliquando id licitè factum fuerit, id fuit ex diſpenſatione divina, ut conſtat in quibuſdam Sanctis Patribus veteris teſtamenti. & hoc quia etiam ſecundùm eumdem ordinem rationis oportuit aliquo tempore

tale

tale præceptum naturæ prætermitti, & diſpenſari ob aliud maius bonum, ut ſcilicet maior eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ, quæ tunc temporis, ipſomet Deo idipſum diſcernente, magis neceſſaria fuit, & rationabiliter præferenda, atque ideò fuit divina diſpenſatio. *Cum enim*, ut ait D. Thomas, *valdè difficile ſit eiuſmodi varietates in eadem lege pro maiori urgentia determinare, ideò illi intelligitur reſervatum, ex cuius authoritate lex efficaciam habet, nempè Deo, qui eſt Author iuris naturæ.* Ita explicat D. Thomas. *in ſupplem.* 3. *p. q.* 96. *alias* 65. *a.* 2. quare in nullo caſu ſimile quid poteſt ab humana poteſtate diſpenſari.

430 Præterea ad hunc ordinem ſpectat, quod non coëant impotentes, quantumvis eiſam vero, ac valido matrimonio prius juncti, eo quod iſtorum actus manifeſtè conſtat, quod per ſe caret fine debito, & intento à natura: ac per conſequens hoc præceptum negativum etiam per ſe, & immediatè ſequitur ex primo illo principio, quod ſit prolis generatio promovenda juxta ipſius naturæ inclinationem; hoc ipſo enim quod actus coniugalis ex natura ſua in eiuſmodi finem tendit, contra eius naturam exercetur, & deordinatè fit, quandocumque agitur ſine tali ordine ex parte ſaltem ipſius operis operati; quia tunc omninò contrariè ſe habet agens, dùm formaliter & ex intentione ſui actus, poſitivè illum agit ut privatum debito ſuo fine. quod dico ad differentiam illius, qui licet actum coniugalem fortaſſis ob ſolam voluptatem compleat attenta intentione agentis, tamen cum illum complere poſſit, & de facto compleat, non privat illum ſuo debito fine, intento ſcilicet à natura in ipſo opere operato; ac propterea licet intendens voluptatem pro fine agentis præter finem operis operati agat, non tamen agit contra illum, & ideò ſolùm venialiter peccat, ut aliàs docet D. Thomas. At impotens non ſic, ſed agit etiam contra finem operis, dum opus ipſum complere non poteſt.

431 Sed hìc eſt advertendum quod duplex eſt genus impotentiæ, aliud quidem ad carnalem copulam, quatenùs ſcilicet vel vir ex ſuo naturali defectu, aut ab extrinſeco ſibi accidentaliter proveniente, non poteſt carnalem copulam perficere, & vas mulieris penetrare intùs ſeminando. Vel ex defectu mulieris, quia fortè eſt arcta, ac propterea idem defectus evenit. Aliud verò ad ſeminationem veri ſeminis, quantumvis fiat vera vaſis penetratio. quæ duo genera impotentiæ aſſignat *Sanches lib.* 7. *de matrimon. diſp.* 102. *n.* 5. *&* 6. Hoc autem ſuppoſito, dico quod utrumque genus impotentiæ reddit actum coniugalem ex natura ſua illicitum, hoc ipſo quod talis ponitur & exercetur, qui per ſe & ex natura ſua ad generationem conducere non poteſt; eo quod tunc jam ponitur ut contrarius ipſi fini à natura intento; ac per conſequens contra naturam exercetur. ut enim D. Thomas docet 2. 2. *q.* 154. *a.* 1. in omni actu venereo, ex quo generatio ſequi non poteſt, eſt vitium contra naturam. (intellige tamen de actu venereo, ex quo per ſe generatio ſequi non poteſt, non autem ſi id ſit per accidens) conſtat autem quod cum quis non poteſt copulam perficere, penetrando vas mulieris, & ſeminando intra vas, ſed extra: vel ſi penetrat, non tamen poteſt verum ſemen immittere, ſed alium humorem aqueum (quod contingere poſſe demonſtrat Sanchez in aliquibus, & ideò aſſignat duplex genus impotentiæ) conſtat, inquam, quod tunc per ſe eſt, quod generatio ſequi non poſſit. ac per conſequens in utroque genere impotentiæ ſi fiat actus venereus, erit illicitus, & contra naturam; non obſtante quod fiat à legitimè coniugatis, quia fortè talis impotentia ſupervenit poſt matrimonium, & ratum, & conſumatum. quæ quidem doctrina intelligenda eſt de utroque genere impotentiæ, ſi tamen impotentia ſit perpetua, & cognita; non autem ſi ſit temporalis, vel dubia ſi temporalis ſit, an perpetua: quia tunc poteſt licitè actus venereus exerceri cum ſpe complendi, & perficiendi copulam cum immiſſione veri ſeminis ſub recta intentione generandi: tunc enim moraliter, & ex parte agentis per accidẽs eſt, & materialiter ſit actus ille contra naturam, donec de vera impotentia certificetur. Undè ſi eiuſmodi impotentia præcedat matrimonium, & ignoretur, Eccleſia concedit eiuſmodi coniugibus ſpatium triennii, ut experiantur impotentiam; & eo elapſo, concedit divortium, ſi nolint coniunctim permanere continenter tamquam frater & ſoror. In quo tamen Eccleſia aliquando errat, ut docet D. Thomas in 4. *diſt.* 34. *a.* 2. quia quandoque per triennium non poteſt ſufficienter experiri perpetuitas impotentiæ. Unde ſi Eccleſia ſe deceptam inveniat, per hoc quod ille in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum eadem, vel alia perfeciſſe, reintegrat præcedens matrimonium, & dirimit ſecundum, quamvis de eius licentia ſit factum.

432 Scio quod aliqui aliter doceant de cõiugibus, quibus ſupervenit genus ſecundum impotentiæ. conveniunt enim omnes in hoc, quod ſi ſint impotentes ad coeundum primo genere impotentiæ, non poſſunt licitè coire. At ſi impotentia ſit ſolùm quoad ſeminandum verum ſemen, credunt poſſe licitè commiſceri. Ita Sanchez. *lib.* 7. *diſp.* 102. *n.* 7. quia cum habeant ex vi matrimonii jus ad carnalem copulam, utuntur jure ſuo: & quod non ſeminetur verum ſemen, eſt per accidens. Sed pace ſuâ, non video quâ ratione, & quomodo conſequenter ad doctrinam ſuam poſſit id affirmare: nam ipſemet *præced. diſ.* 92. *n.* 17. docuerat (& ratio ipſa dictat) quod carnalis copula, ad quam in matrimonio datur poteſtas, non conſiſtit in ſolo coitu, ſed in immiſſione etiam veri ſeminis neceſſariò requiſiti ad generationem.

nem. Et indè probat, & confirmat etiam ex quodam motu proprio Sixti V. quod omninò nullum ſit matrimonium eunuchorum ſeu ſpadonum, ſive ſcienter, ſive ignoranter initum ſit, & quod ſit de eiuſdem Sixti V. præcepto omninò diſſolvendum, ſi utroque teſticulo fuerint truncati; quia licet poſſint copulam perficere, vas fæmineum penetrando; non poſſunt tamen verum ſemen immittere; quia ad hoc eos probat eſſe impotentes: quomodò igitur poſtea conſequenter ad hanc doctrinam ſuam loqui poteſt, dicendo quod coniugati, hoc genus impotentiæ habentes, accedendo ad carnalem copulam jure ſuo utuntur, & per accidens eſt, quod non fiat veri ſeminis immiſſio? & ſi coniugalis copula, vel clariùs, ſi actus coniugalis formaliter, & ex propria ratione ſuæ ſpeciei, eſt ſeminatio, ſeu veri ſeminis commiſtio intra vas debitum; qua ratione dici poteſt, quod ex parte talis copulæ quæ non eſt vera ſeminatio, ſed actus alteriùs ſpeciei, ſit per accidens defectus veri ſeminis? conſtat enim quod pura vaſis fæminei penetratio, ſine intromiſſione veri ſeminis ex propria, & intrinſeca ratione ſui, & ſecundùm rationem ſuam ſpecificam, non eſt vera ſeminatio; ergo per ſe, & ex natura ſua in tali actu deficit veri ſeminis intromiſſio; quia penetratio vaſis cum intromiſſione alterius humoris à ſemine, non eſt ipſemet actus veræ ſeminationis, ſed potiùs quidam actus prævius ad ſeminationem, ſeu ut delativus ſeminis, ita ut ſi ex natura ſua ineptus ſit ad ulteriorem actum ſeminationis, vel in eo voluntariè ſiſtat agens, ſe retrahendo ab actu ſeminationis; fiat per ſe, & non per accidens defectus veri ſeminis, ſive ex parte ipſius actus quatenùs naturaliter inepti, ſive ex parte agentis proceſſum ad ulteriorem actum impedientis; tenetur enim ponere actum, qui ſit vera ſeminatio, & non actum purè prævium ad illam; alioquin non erit per accidens, ſed per ſe defectus ſeminationis; & actus ille prævius non erit per ſe coniugalis & licitus jure matrimonii, ſed contra naturam, & purè libidinoſus, quia non poneretur ut formaliter delativus ſeminis, undecumque id proveniat, ſive ex impotentia, ſive ex voluntate. Eſſet autem per accidens talis defectus ſeminationis ex parte agentis, ſi talis impotentia non eſſet agenti cognita ut perpetua, ac per conſequens tentaretur ab ipſo cum ſpe verè ſeminandi, donec ſe perpetuò impotentem agnoſceret, & quia ad hoc experiendum opus eſt multo tempore, quando procedit ex frigiditate naturali, ideò interim non peccat, quia præter eius intentionem eſt, quod non ſeminet, quandiù cum ſpe verè ſeminandi procedit; tum enim intervenit error facti, & non juris. At cognita perpetuitate impotentiæ, & deficiente omninò ſpe ſeminandi, non poteſt ei eſſe licita carnalis copula. Et ideò Sixtus V. motu proprio ſtabilivit diſſolvendum eſſe matrimonium eunuchorum, & ſpadonum, quibus uterque teſticulus eſt truncatus, quia in illis cognita eſt impotentia perpetua ad ſeminandum, ut probat idem Sanchez *loc. cit.*

433 Nec valet argumentum de matrimonio vetulorum, quorum ſeminatio non confert ad generationem; & tamen eis licita eſt, ut omnes fatentur. Non inquam valet; quia poſita vera ſeminatione intra vas, ponitur ſpecies actus, qui per ſe ad generationem ordinatur ex natura ſuæ ſpeciei, & per accidens eſt quod ſeminatio illa ad generationem non conducat, quatenùs ſemen illud in individuo non eſt ita virtuoſum, ſed debile, quod non eſt ex natura ſua, ſed ex individui imbecillitate, & ex parte ſubiecti, in quo eſt, atque ideò per accidens; ſicut idem eſt de ſemine ſterilium aliquibus. unde magna eſt in his diſparitas, quia iſti ponunt actum ex natura ſuæ ſpeciei, & per ſe generativum, licet in tali individuo per accidens ſit infecundus: at illi non ponunt talem actum, ſed alium prævium, qui ex natura ſua, & per ſe generativus non eſt, ac per conſequens per ſe & in ſe ſiſtendo eſt purè libidinoſus, ſubindèque contra naturam, eiuſque intentionem.

434 Addo quod in ſenibus, & vetulis non eſt impoſſibilis generatio, atque ideò eorum actus conjugalis etiam in individuo non eſt ſine ſpe, & ordine ad generationem ex natura ſua, & prout adhuc eſt in talibus individuis. habemus enim in hiſtoriis ſenes, & vetulas genuiſſe. Undè Sara Nonagenaria ex Abrahamo centenario peperit Iſaac, ut dicitur Geneſ. 21. Et Cornelia ex Scipionum Gente poſt ſexageſimum ſecundum ætatis ſuæ annum genuit Voluſium Saturninum, ut refertur in Theatro vitæ humanæ verbo generatio *pag.* 13. *lit. B.* & Maſſiniſſa Rex poſt annum octuageſimum ſextum filios procreavit, ut refertur *ibid. verb. fæcunditas pag.* 151. *lit. A.* Et in Germania refert Albertus mulierem vidiſſe, cuius Primogenitus ultimum 40. annis ſuperabat; ut refertur *ibid. Verb Generatio pag.* 13. *lit. C.* Ex quo intelligitur parentes in ætate decrepita generaſſe. Et multi item ſteriles leguntur in ſenectute tandem genuiſſe.

435 Firmum igitur eſſe debet nec ſenectutem, nec ſterilitatem in coniugibus carnalem copulam impedire, quaſi actum contra naturam prætextu impotentiæ ad generationem. At ubi eſt vera impotentia, & perpetua ſive ad coeundum, ſive ad veram ſeminationem; ibi per ſe notum eſt jure naturæ prohiberi, ut patet ex dictis. & ita cenſent de utroque genere impotentiæ expreſsè Plerique Doctores, quos citat idem Sanchez dicto *lib.* 7. *diſp.* 102. *n.* 6. *puta Ant. cap.* 2. *n.* 6. *de frigidis, & Malef. verſ.* Numquid autem. *& ibid. Præpoſ. n.* 5. Alexander de Nevo in fine, & Petrus de Ledeſma *de matrim. q.* 58. *a.* 1. *dub.* 4. idemque expreſsè colligitur ex Caietano 2.2. *q.* 154. *a.* 1. *circa reſpon. ad* 4. §. Ad ſecundù verò caſum.

Ad

436 Ad hunc etiam ordinem videtur ſpectare aliud præceptum negativum juris naturæ, de parentibus ut non ſe coniugant cum propriis filiis ſuis in matrimonium (eiuſmodi enim coniunctio matrimonialis jure naturæ prohibetur, & ſola; non autem cum aliis conſanguineis quantumcumque intimis, ut oſtendam) re vera tamen præceptum iſtud juris naturæ non ad hunc ordinem pertinet, cum non contrarietur bono prolis propagandæ, ſive educandæ, quod eſt finis unicus huius ſecundæ naturalis inclinationis, ut dictum eſt: poſſet enim æquè benè haberi ex iſtis & generatio, & educatio prolis. ſed pertinet ad ordinem tertiæ inclinationis, quæ eſt homini propria ex natura ſuæ ſpeciei, nempe ad ordinem rationis, quatenùs homo natura ſua inclinat actus omnes ſecundùm rationem agere, & dirigere. Unde tale præceptum negativum etiam per ſe notum evadit, utpotè per ſe, & immediate connexum cum primis principiis tertiæ huius inclinationis; conſtat enim quod actus coniugalis quamdam indecentiam importat rationi naturali per ſe repugnantem. Nam filii naturaliter honorem debent parentibus, unde ipſis per ſe ineſt naturalis quædam inclinatio ad huiuſmodi reverentiam illis exhibendam ſecundùm ordinem rationis: in actibus autem venereis maximè conſiſtit quædam turpitudo honorificentiæ contraria, cum de huiuſmodi actibus homines naturaliter verecundeutur; atque ideò ſecundùm naturalem rationem indecens eſt, quod commiſtio venerea fiat talium perſonarum, quarum una per ſe, & ex natura ſua debet cum alia honorificè converſari; eſſet enim illi reverentiam de jure naturæ debitam ſubtrahere, quod iniurioſum eſt, & illicitum utpotè contra ordinem rectæ rationis. Et quia debitum iſtud naturalis reverentiæ fundatur in ordine originis, quatenus ſcilicet perſona originata naturaliter ſe habet ad perſonam originantem ut ad principium ſui eſſe, ac propterea tenetur naturaliter ipſam honorare tamquam ſui principium; ideò non extenditur ad alias perſonas præter parentes, & filios: ac propterea ſolùm inter patrem, & filiam; vel inter filium, & matrem jure naturæ prohibetur matrimonium; non autem inter alios conſanguineos vel affines.

437 Quod hìc obiter dico contra nonnullos, qui credunt etiam de jure naturæ prohiberi inter fratres, & ſorores, vel alios conſanguineos, & ulteriùs inter aſcedentes, & deſcendentes per lineam rectam in infinitum; ita ut Pontifex non poſſit cum huiuſmodi diſpenſare. Sed hoc falſum eſt, conſtat enim olim inter fratrem & ſororem fuiſſe licitum, & patet ex geſtis quoque Romanorum Pontificum. Ut enim refert Caietanus 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. Emanuel tunc modernus Rex Portugalliæ duas ſorores ſucceſſivè uxores habuit quarum una, tunc tempore Caietani, ſupervivebat, & cum primâ conſumaverat. Et ſimiliter Regina Angliæ, eodem Caietani tempore, uxor Regis Angliæ, priùs matrimonium conſumaverat cum fratre eiuſdem Regis. Et Ferdinandus Junior tunc Rex Siciliæ citra Pharum ſororem Patris ſui Joannam duxit in uxorem, diſpenſante Alexandro VI. ſicut Regina Angliæ diſpenſante Julio Secundo. quod quidem non feciſſent ſummi Pontifices, ſi contra jus naturæ fuiſſet, aut contra jus divinum. Et licet eiuſmodi coniugia in veteri lege fuerint jure divino prohibita, tamen non inter præcepta moralia computabantur (ut obſervat Caietanus) quæ adhùc in lege nova perſeverant; ſed inter judicialia, quæ nunc extincta ſunt, & vim non habent obligandi ampliùs ex jure divino; benè tamen ex jure Canonico, quo etiam nunc prohibentur, quia indecentiam aliquam important, ut merito, & rationabiliter cautum ſit in Eccleſia, & per novos Canones, ut non liberè admittantur; non tamen important indecentiam illam naturalem, quæ reperitur inter parentes, & filios ſuos ob rationem ſuperiùs adductam.

438 Neque dicas quod videtur eadem ratio militare in avo, & nepta, vel in nepote, & avia, quæ in parentibus, & filiis; Imò fortiùs, quia maior reverentia naturaliter videtur debita avo, vel aviæ, quam parentibus; & magis illos reveremur, quam iſtos. Ne, inquam, hoc dicas, nam hoc falſum eſt loquendo de reverentia naturali; hæc enim per ſe ſolis parentibus debetur, à quibus per ſe originem habemus: Aliis verò per accidens; quia honor & reverentia naturaliter debita fundatur in ratione originis, nepos autem per ſe non originatur ab avo, ſed per accidens, quatenùs accidit eius patri quod ſit ab alio genitus; Cæterùm ſi à nullo pater eius genitus ſupponeretur, ipſe æquè benè ac ſatis à patre ſuo tantum originem haberet, ut enim optimè diſcurrit Caietanus, nihil minùs Cain, Abel, & Seth fuerunt filii Adæ, & Evæ, quàm ſi habuiſſent Avos, & Avias: undè Avus, & Avia ſunt cauſa per accidens reſpectu filiorum. Ea verò quæ ſunt per accidens non veniunt in conſideratione neque artis, neque naturæ: ac per conſequens ea reverentia, quam Avo, & Aviæ habemus non eſt à natura per ſe, ſed per accidens, hoc eſt concomitanter cum ea, quam naturaliter debemus parentibus, dum enim iſtos naturaliter reveremur, videmur per concomitantiam obligari ad reverendum parentes eorum, re vera tamen, & in ſe potiùs eſt hæc reverentia politica, quàm naturalis, & quaſi ad primos aliquos Dominos rerum, & primos in gubernando, aut ſimili reſpectu ſuam decentiam reverentiæ importante, quæ tamen non obſtat ex natura ſua coniunctioni per matrimunium habendæ. Et ideò D. Thomas dicta *q. cit.* 154. *a.* 9. *in reſp. ad* 3. de ſola commiſtione inter parentes, & filios, quorum eſt per ſe, & immediata cognatio dicit, quod ſit indecens ſecundùm ſe, & rationi naturali repugnans, *nam*

filii

Digitized by Google

filii (inquit) *naturaliter honorem debent parentibus: Aliæ verò perſonæ* (ſubiungit) *quæ non coniunguntur ſecundùm ſeipſas, ſed per ordinem ad parentes, non habent ex ſeipſis indecentiam; ſed variatur circa hoc decentia, vel indecentia ſecundùm conſuetudinem, & legem humanam, vel divinam: quia ut dictum eſt, uſus venereorũ, qui ordinatur ad bonum commune ſubiacet legi. Et ideò ſicut Auguſtinus dicit 15. de Civit. Dei cap. 26. commiſtio ſororum & fratrum quantò fuit antiquior compellente neceſſitate; tantò poſtea facta eſt damnabilior religione prohibente.* Uſquehùc D. Thomas: quid clariùs? Indecens dicitur, non ſua natura, ſed religione prohibente, ex Auguſtino, ceſſante prima neceſſitate: & ex D. Thoma ſecundùm conſuetudinem, & legem humanam, vel divinam. ſubintellige, ſicut fuit in veteri lege, ex jure divino: & ſicut nunc in Eccleſia ex conſuetudine, & per ſacros Canones.

439 Et ſi replices, quod inter fratres, & ſorores; vel avum, & neptem; & ſimiles videtur eſſe quædam indecentia naturalis ſaltem ſecundùm ordinem rationis: naturalis enim ratio dictat, aliquam per ſe turpitudinem ineſſe in eiuſmodi coniugiis, undè & natura ipſa ea abhorret ſecundùm ordinem rationis, & de eis homo naturaliter verecundatur. Ad hoc reſpondeo fatendo utique in eiuſmodi coniugiis aliquam indecentiam eſſe, non quæ eis per ſe inſit, aut ex ſua natura emergat, & quaſi ab intrinſecis ſuis; ſed quæ in eis conſequenter, & quaſi deforis venit per reſpectum ad parentes ex quibus de propinquo originem trahunt, vel qui immediatè originantur ab ipſis: Ex hoc enim quod fratres, & ſorores ab iiſdem parentibus ſunt, & naturaliter honorem, & reverentiam debent parentibus, ex quibus eſſe receperunt, ſequitur per quamdam rationabilem congruentiam, quod ſe invicem honorent, & revereantur. Et ſimiliter imò, & congruentiùs quod revereantur Avos, & Avias, propter reſpectum parentum, qui ex illis originem habuerunt: atque ideò congruentia eiuſmodi honorificentiæ non eſt inter tales perſonas per ſe debita, ſed per accidens, & conſecutivè, ſeu per quemdam reſpectum ad perſonas tertias ideſt ad parentes, quibus talis honorificentia per ſe debetur, ut dictum eſt.

440 Undè naturalis ratio ſolùm erga parentes dictat talem honorificentiam per ſe deberi, ratione originis, quatenùs ab illis accipimus eſſe; naturale eſt enim unicuique ſuum principium honorificè recognoſcere: Ad alios autem per accidens extendit hoc, quatenùs diſcurrendo videt congruum eſſe, ut naturali illi debito etiam hoc ulteriùs ſuperaddatur tamquàm aliquid acceſſorium, & rationabiliter determinandum ſupra id, quod eſt de jure naturæ; ita ut dignum ſit quod aliquo jure poſitivo ſtabiliatur; uno verbo, videt hoc eſſe materiam aptam, & dignam quæ legi ſubiiciatur ob reſpectum parentum, aliaſque utiles conſiderationes, quas D. Thomas aſſignat 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. *cit.* puta, quia perſonas ſanguine coniunctas neceſſe eſt ad invicem ſimul converſari, ac propterea congruum eſt à commiſtione venerea inter ſe arceri; alioquin nimia opportunitas eis daretur venereæ commiſtionis, & ſic animi hominum nimis emolleſcerent per luxuriam. Tum etiam quia alioquin impediretur multiplicatio amicorum, quæ magis amplè habetur per hoc, quod quis accipit uxorem extraneam, quam ſibi conſanguineam; ſic enim reſtringeretur, & non tranſiret ad exteros. quæ quidem congruentiæ omnes acceſſoriæ ſunt, eaſque naturalis ratio non ex ipſa natura rei accipit, ſed conſideratione ſua adinvenit, & ſuperaddit tamquàm dignas, & utiles, quæ naturali juri adiungantur, & contrarium indecens reputandum determinat per quamdam conformitatem acceſſoriam ad id quod jus naturæ dictat de parentibus, & eorum filiis. & ideò eiuſmodi decentia, vel indecentia non eſt ex jure naturæ determinata, ſed variatur ſecundùm conſuetudinem, & legem humanam vel divinam, ut ſupra dixit D. Thomas, quia eſt res determinanda ſupra jus naturæ per additionem faciendam à lege poſitiva ſive divina, ut fuit in veteri lege; ſive humana ut eſt nunc in Eccleſia; omnis enim poſitiva lex originem habet à lege æterna, quæ eſt in mente Dei, & a lege naturæ, quæ eſt ipſa lex æterna prout in nobis participata per quamdam ſpecialem determinationem illi ſuperadditam, ut colligitur ex D. Thoma 1. 2. *q.* 95. *a.* 2. ac per conſequens poteſt pro variis hominum ſtatibus variè determinari. Ex quibus omnibus liquet non eſſe eiuſmodi indecentiam de jure naturæ, licet indè ortum habeat per modum particularis determinationis, ſicut ſunt omnes aliæ leges humanæ.

441 Atque hinc concluſum manet ſolùm coniugium inter parentes, & filios jure naturæ prohiberi: idque eſſe præceptum per ſe, & immediatè connexum cum primo illo principio, vivendi ſcilicet in omnibus ſecundum regulam rectæ rationis; recta enim ratio dictat honorificè deberi converſari cum iis, à quibus quis eſſe ſuum agnoſcit; & totum, quod eſt, naturaliter accipit; idque videt ſibi quiſque naturaliter inditum, ut nullo exteriore magiſtro, ſed ſolo naturæ ductu ad eiuſmodi reverentiam eis exhibendam urgeatur. Cui quidem honorificentiæ actum commiſtionis venereæ ratione ſuæ turpitudinis opponi, innata ipſa verecundia, & naturæ ipſius pudor, ac interior reſiſtentia, intùs docet, & ſufficienter quemquam inſtruit; niſi vehemens, & effrænis æſtus libidinis violenter pudorem illum repellat, & rectam rationem ſua caligine obnubilet, & excæcet. quare circa tale præceptum nulla poteſt cadere humana diſpenſatio, quàcumque etiam neceſſitate urgente: undè ſi in mundo extinctis omnibus ſolus pater, & filia, ſupervive-

rent,

rent, non poſſent invicem commiſceri, quia perſonæ iſtæ ſunt naturaliter inhabiles ad coitum ſecundum ſeipſas, licet non in ordine ad prolem; & ſic actus caderet ſuper materia indebita, ut docet Caietanus dicta *q.* 154. *a.* 9. *ſuper reſp. ad* 3. 5. Ad hanc dubitationem dicitur.

442 Nec refert in tali caſu quod maius bonum naturale eſſet conſervatio ſpeciei, quam bonum naturale honoris privatæ perſonæ; quia homo qui non eſt Dominus naturalium, non poteſt licitè privare ſe, aut aliam perſonam bono naturalis honoris ſibi debiti propter aliud maius bonum; quia ſic incurreret proprium malum moris; quod non eſt admittendum, etiam pro quocunque communi bono ſive naturali, ſive morali; non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Sicut maius bonum eſt ſalus, & vita patriæ, quam unius ruſtici: & tamen non poſſet ruſticus ſibi propriam vitam tollere, aut alius illum privata authoritate interficere, ut patriam liberaret. quod nunc pro certo ſuppono ex D. Thoma cum Caietano contra nonnullos Recentiores. quare in tali caſu neceſſitatis recurrendum eſſet ad Deum, & eius providentiæ committendum, ut ſpeciem quo pacto tunc conſervari vellet, diſponere dignaretur. Videatur ſuper hoc Caietanus *loc. cit.*

443 Videtur quoque ad hunc ordinem pertinere prohibitionem coniugii inter perſonas, quibus eſt diſparitas cultus. quandoquidem hæc videtur obſtare præcipuo fini intento à natura ſecundùm eius inclinationem de prole educanda; matrimonium enim natura ſua inſtitutum eſt ad bonum prolis non tantùm generandæ, quia hoc ſine matrimonio fieri poſſet, ſed etiam promovendæ ad perfectum ſtatum, quia quælibet res intendit naturaliter effectum ſuum perducere ad ſtatum perfectum. eſt autem in prole duplex perfectio conſideranda, ut explicat D. Thomas *in* 4. *diſt.* 39. *a.* 2. ſcilicet perfectio naturæ non ſolùm quantùm ad corpus, ſed etiam quantum ad animam, per ea quæ ſunt de lege naturæ, & perfectio gratiæ. Conſtat autem quod ad hanc perfectionem proles promoveri non poteſt à parentibus ſi ſint diſparis cultus, & in fide ſeu religione non conveniant, quia intentio unius in prole ad cultum Dei educanda adverſabitur intentioni alterius. Sed re vera prohibitio hæc ad jus naturæ non pertinet, ſed ad jus poſitivum ſive divinum, ſive humanum, unde non eſt inter præcepta legis naturæ computanda.

444 Ad cuius evidentiam conſiderare oportet, quod ordo naturæ comparatus ad ordinem gratiæ ſe habet ut quid materiale, & perfectibile ad ſuum perfectivum, & formale, non quidem intra ipſum ordinem naturæ, ſed in alio ordine ſuperiore, & ſuperexcedente. ex quo fit quod matrimonium intra ordinem naturæ conſideratum non eſt ultima ſui perfectione perfectum, ſed ſolùm importat primam perfectionem, quæ eſt in ordine naturæ, non autem ultimam, quæ eſt in ordine gratiæ, hanc enim habet matrimonium fidelium quod eſt in nobis, in quibus eſt etiam Sacramentum: atque ideò prout eſt intra ordinem naturæ habet utique pro fine prolem benè educandam, & promovendam ad primam perfectionem naturæ non ſolùm quantùm ad corpus, ſed etiam quantum ad animam per ea quæ ſunt de lege naturæ, quæ eſt perfectio materialis, & eſt communis tàm fidelibus, quam infidelibus; ac propterea non obſtat eius perfectioni intra ordinem naturæ diſparitas cultus, quæ ſolùm officit ultimæ perfectioni in ordine ſuperiori nempè gratiæ. & ideò matrimonium infidelium tenet quidem, ut docet D. Thomas *loc. cit. in* 4. *diſt.* 39. *a.* 2. licet non ſit perfectum ultima perfectione, & propter eãdem rationem non eſt ita firmum, & omninò inſolubile, ſed diſſolvi poteſt, ſi alter coniugum convertatur ad fidem, quia adveniente eo, quod eſt perfectum evacuatur quod eſt imperfectum. Cum igitur diſparitas cultus ſolùm obſtet perfectioni ſuperioris ordinis ad naturam, non poteſt eſſe impedimentum juris naturæ, ſed juris poſitivi ſive divini, ſive humani tale quid noviter determinantis ſupra jus naturæ.

445 Et hinc eſt quod in veteri lege de aliquibus infidelibus permiſſum erat quod cum eis poſſent iniri coniugia, & de aliquibus prohibitum. Specialiter autem prohibitum erat de infidelibus habitantibus in terra Chanaan, tùm quia Dominus præceperat eos occidi propter eorum obſtinationem; tùm quia maius periculum imminebat, ne coniuges filios Iſrael ad idololatriam perverterent; quia filii Iſrael ad ritus, & mores eorum proniores erant propter converſationem cum eis: ſed aliis Gentilibus permiſit, præcipuè quia non poterat eſſe timor pertrahendi ad idololatriam: & ſic Ioſeph, & Moyſes, & Heſter cum infidelibus matrimonia contraxerunt. Sed in nova lege, quæ per totum Orbem diffunditur, ſimilis ratio eſt prohibendi de omnibus infidelibus; & ideò diſparitas cultus præcedens matrimonium in nova lege impedit contrahendum, & dirimit contractum. ut docet D. Thomas *in* 4. *diſt.* 39. *a.* 1. ex quibus conſtat eiuſmodi prohibitiones de jure poſitivo eſſe, non autem de jure naturæ.

446 Undè inter infideles etiam diſparis cultus puta inter Gentilem, & Judæam, niſi ſit eis ab aliquo poſitivo jure prohibitum, perſiſtit verum matrimonium, prout eſt intra ordinem naturæ, ut docet idem D. Thomas *in* 4. *diſt. cit. a.* 2. ubi in reſp. ad 3. ſic habet: *Ad tertium dicendum, quod inter infideles eſt matrimonium prout matrimonium eſt in officium naturæ. Ea autem quæ pertinent ad legem naturæ ſunt determinabilia per jus poſitivum: & ideò ſi prohibentur ab aliquo jure poſitivo apud eos, infideles contrahere matrimonium cum infidelibus alterius ritus, diſpari-*

tas cultus impedit matrimonium inter eos. Ex jure enim divino non prohibentur; quia apud Deum non differt qualitercumque aliquis à fide deviet, quantùm ad hoc quod eſt à gratia alienum eſſe: ſimiliter nec aliquo Eccleſiæ ſtatuto, quæ non habet de his quæ foris ſunt judicare. Hæc D. Thomas.

447 Diſparitas cultus itaque impedimentum eſt non juris naturæ, ſed juris poſitivi, & in Eccleſia ex eius ſtatuto præceptum eſt, ut matrimonium irritet. Ubi adverte quod nomine diſparitatis cultus matrimonium dirimentis non venit diſparitas fidei ex eodem ſtatuto Eccleſiæ. Undè ſi aliquis fidelis cum hæretica jam baptizata contraheret, verum eſſet matrimonium, quamvis peccaret contrahendo, ſi ſciret eam eſſe hæreticam; ſicut peccaret ſi cum excommunicata contraheret, quia ab Eccleſia prohibetur; non tamen propterea matrimonium dirimeretur. Et econtra ſi quis cathecumenus habens rectam fidem, ſed nondùm babtizatus, cum aliqua fideli baptizata contraheret, non eſſet verum matrimonium. Et rationem iſtorum omnium reddit D. Thomas *in 4. diſt. 39. a. 1. ad 5.* quia matrimonium, quod in Eccleſia Dei eſt Sacramentum, pro quanto pertinet ad neceſſitatem Sacramenti, requirit paritatem quantùm ad Sacramentum fidei, ſcilicet baptiſmum, magis, quam quantùm ad interiorem fidem; unde etiam hoc impedimentum non dicitur diſparitas fidei, ſed cultus diſparitas, qui reſpicit exterius ſervitium, quod utique quis in baptiſmo profitetur exhibere vero Deo. Id quod totum utique ex Eccleſiæ ſtatuto conſtitutum eſt, ut diximus.

448 Atque hinc etiam procedit, quod ſi diſparitas cultus matrimonium ſubſequatur, puta quia alter coniux convertatur ad fidem, altero in infidelitate permanente, non ſtatim præcedens matrimonium diſſolvitur, quia Eccleſia non prohibet illum cum uxore ſua commanere, imò conſulit; ſi præcipuè ſit ſpes converſionis eius ad fidem; non tamen obligat ad commanendum; unde poteſt ſolvi quoad cohabitationem, & debiti ſolutionem; non autem quoad vinculum matrimonii, ſi coniux infidelis velit cohabitare ſine contumelia Creatoris; quia præcedens matrimonium verum fuit, & permanet adhuc verum: ſed fidelis non tenetur ad cohabitandum cum ea, & debitum reddendum; quia per fidem ſuſceptam moraliter moritur priori vitæ, ac per conſequens non tenetur ad ea, ad quæ in priori vita tenebatur: ſicut qui in ſæculari vitâ aliqua vovit, non tenetur illa perficere, quando mundo moritur vitam religioſam aſſumens. ille autem, qui ad baptiſmum accedit, regeneratur in Chriſto, & priori vitæ moritur; cum generatio unius ſit corruptio alterius; & ideò liberatur ab obligatione, qua uxori tenebatur reddere debitum, & ei cohabitare non tenetur, quando converti non vult; quamvis licitè id poſſit facere in caſu, quo illa convivit ſine contumelia Creatoris; ſicut & Religioſus liberè poteſt perficere vota, quæ fecit in ſæculo, ſi non ſunt contra religionem ſuam. Si verò illa nolit cohabitare ſine contumelia Creatoris, eo quod velit blaſphemare nomen Chriſti, & ad infidelitatem trahere, tunc diſſolvitur matrimonium etiam quoad vinculum, & poteſt fidelis alteri per matrimonium copulari. ut docet *loc. cit.* D. Thomas *a. 3.* Et ratio huius eſt, quia matrimonium infidelium cum ſit imperfectum, ut dictum eſt, non eſt ita ratum, & firmum, & ultima perfectione perfectum, ſicut eſt matrimonium fidelium, quod eſt Sacramentum, ita ut non poſſit omninò diſſolvi ſuperveniente ei ultima ſui perfectione, ſi præcipuè huic contrarietur, & reſiſtat.

449 Eſt autem hic advertendum, quod id quod diximus de liberè cohabitando cum coniuge in infidelitate permanente, ſi velit convivere ſine contumelia Creatoris, nunc non habet ampliùs locum ex decreto 28. *q.* 1. ubi dicitur: *Non poteſt fidelis in eius coniunctione permanere, quæ jam in chriſtianam tranſlata eſt fidem.* licet enim in primitiva Eccleſia tempore Apoſtolorum, quando paſſim convertebantur ad fidem & Judæi, & Gentiles; ac per conſequens vir fidelis poterat habere probabilem ſpem de converſione uxoris, permittebantur ſimul commanere: poſtmodùm verò, quia Judæi evaſerunt obſtinati; & gentes adhùc intrabant ad fidem, ſicut tempore Martyrum, & temporibus Conſtantini Imperatoris, non fuit ampliùs permiſſum fideli cohabitare cum infideli Judæa, de cuius converſione ſpes non erat ampliùs; benè tamen cum Gentili, de qua adhuc ſperabatur. At nunc, quia utrique obſtinati ſunt, pari paſſu currunt, atque ideò niſi uxor infidelis converti velit, non permittitur ei cohabitare ſive ſit Gentilis, ſive Judæa. Cum enim ex una parte non ſit adeò tutum fideli cum infideli cohabitare; & ex aliâ, ceſſante ſpe de converſione eius, non poſſit eius cohabitatio undequaque cohoneſtari, non ampliùs permittitur; ſicut explicat D. Thomas in 4. *diſt.* 39. *a.* 3. *ad* 2. ubi præfatum decretum adducit. Hæc autem obiter dicta ſunt, quia ad præſens inſtitutum non pertinent, ſed occaſionaliter diximus ad oſtendendum quod diſparitas cultus non ſit impedimentum juris naturæ, atque ideo ad præcepta juris naturæ non pertinet.

450 Denique ad hunc ordinem ſpectant omnia alia præcepta negativa, quæ ſunt de quacumque ſpecie luxuriæ extra legitimum matrimonium, quæ manifeſtè apparet per ſe & immediatè contraria primis principiis huius naturalis inclinationis de prole vel generanda, vel educanda, ut conſtat ex dictis, cuiuſmodi ſunt fornicatio & adulterium (quod ſupra fornicationem addit iniuriam, quæ fit alteri tertio) ſunt enim contra bonum prolis educandæ. Et ſimiliter ſtuprum, quod ſuperad-

dit

by Google

dit iniuriam, quæ fit Patri Virginis defloratæ; & raptus, qui ſuperaddit violentiam; & inceſtus, qui ſuperaddit irreverentiam per ſe parentibus debitam, & aliis conſanguineis ſaltem per accidens; & ſacrilegium, quod ſuperaddit irreverentiam, & iniuriam Dei, cui ſupponitur perſona ſacrata. In his enim omnibus, cum fiat commiſtio extra matrimonium, conſtat ex dictis non haberi bonum prolis educandæ ex natura eiuſmodi actuum, & per ſe loquendo, quod per ſe intendit natura, & in quod tanto pondere inclinat, ut ſupra explicatum eſt, ac per conſequens ſunt contraria tali bono, & per ſe mala utpotè directè per ſe atque immediatè oppoſita debito fini commiſtionis à natura intento; præter id quod ſuperaddunt exorbitans à recta ratione; ſed hoc ad tertiam inclinationem pertinet. A fortiori autem apparet de aliis ſpeciebus luxuriæ contra naturam, quæ omninò ipſi generationi prolis repugnant, ut ſunt mollities, beſtialitas, & ſodomia. ergo omnia, & ſingula præcepta huius ordinis ſunt per ſe, & immediatè connexa cum primis principiis eiuſdem ordinis, nēpè quod bonum prolis generandæ atque educandæ, in quod homo per actus venereos inclinat ex naturâ ipſâ eorumdem actuum, ſit promovendum, & contrarium vitandum.

451 Neque præter hæc ſunt alia præcepta magis remota, quæ ad hunc ordinem pertineant; ſed ſi quæ alia ſunt ſive intra limites matrimonii, ſive extra, aut ad jus naturæ non pertinent, ſed ad jus poſitivum; cuiuſmodi ſunt plura alia impedimenta matrimonii ex ſtatuto Eccleſiæ ſtabilita: aut ad alium ordinem præceptorum juris naturæ ſpectant, videlicet ad ordinem tertiæ inclinationis naturalis vivendi ſecundùm rectam rationem ſine iniuſtitia, ſine fraude, ſine violentia, ſine damno tertii, & huiuſmodi, quæ naturali bono ſocialis vitæ directè opponuntur, & purè materialiter ad præſentem hunc ordinem pertinent, vel præſuppoſitivè, quemadmodùm de quibuſdam in ſuperioribus dictum eſt: & huiuſmodi ſunt aliqua impedimenta, puta vis, & erroris, quæ voluntarium conſenſum tollunt ad matrimonium neceſſariò, & jure naturæ prærequiſitum; & idem eſt de ſervitute unius ab altero coniuge ignorata, quæ conſenſum extorquent contra juſtitiam contractus. Et huiuſmodi etiam ſunt prohibitiones aliquæ circa petitionem, & redditionem debiti pro coniugatis, ſi fiat in aliqua circumſtantia, in qua damnum immineat alteri coniugi, aut proli generandæ, vel etiam genitæ; Recta enim ratio dictat quod nulli ſit nocumentum aliquod præcipuè notabile inferendum, ex primo illo principio ſecundùm ordinem rationis naturaliter indito: quod tibi non vis alteri ne feceris. Aut denique ſunt circumſtantiæ, ſive incohationes eorumdem actuum, de quibus ſupra, jure naturæ prohibitorum; Cuiuſmodi ſunt Tactus, & Oſcula libidinoſa, quæ cum actum ipſum ex natura ſua ſoleant circumſtare, etiam ſi quandoque ad actum ipſum venereum non intendat agens procedere, ad illum tamen reductivè pertinent, ut eius circumſtantiæ, ſive incohationes.

452 Undè materialiter ad hunc ordinem dicitur pertinere, quod non liceat petere debitum a menſtruata, ſicut nec ipſi menſtruatæ à viro, propter nocumentum, quod in prole frequenter ſequitur. quapropter in veteri lege divino præcepto prohibitum erat, ut conſtat ex illo *Levit.* 18. *Ad mulierem, quæ patitur menſtruum, non accedes. & Levit.* 20. dicitur, quod ſi aliquis ad menſtruatam acceſſerit, uterque morte eſt puniendus. quod quidem propter duo ibi erat prohibitum, ut docet D. Thomas *in 4. diſt.* 32. *a.* 2. tùm ſcilicet propter immunditiam; tùm propter nocumentum, quod in prole ex huiuſmodi commixtione frequenter ſequebatur; ſolent enim tunc concipi filii membris privati, cæci, claudi, vel leproſi. Et quoad primum de immunditia dicit D. Thomas, quod erat cæremoniale: ſed quantùm ad ſecundum erat morale; quia cum matrimonium ſit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus eſt omnis matrimonii uſus, quo bonum prolis intenditur; & ideò hoc præceptum obligat etiam in nova lege propter ſecundam rationem; & ſi non propter primam. Conſtat autem propter ſecundam rationem eſſe etiam de jure naturæ, dictante ſcilicet naturali ratione nemini inferendum malum, quod ſibi nemo vellet inferri; quod eſt primum principium ſecundùm ordinem rationis. Nec valet dicere, quod id formaliter non intendatur, ſed ſequatur per accidens; nam dum periculum, quod aliàs frequenter accidere ſcitur, non præcavetur, virtualiter intenditur, quod ſatis eſt ad peccatum, licet formaliter, & directè id non intendatur, quandoquidem tenentur præcavere eiuſmodi defectus in prole.

453 Ex quo infero peccatum eſſe mortale tunc petere debitum, quantumvis D. Thomas id non explicet: & multi Doctores prætendant excuſare a mortali. Sed ſi periculum nocumenti in prole eſt grave, ut de ſe conſtat (quid enim gravius eſſe poteſt proli, quam debitis membris privari?) non video quo ſolido fundamento à mortali excuſari poſſint parentes, dùm petendo ſcienter de tanto nocumento non curant, ut propriæ concupiſcentiæ ſatisfaciant. Nec ratio, quam nonnulli aſſignant, quod ſcilicet utuntur jure ſuo ſibi per matrimonium conceſſo, aliquid ſuffragatur, quia jus matrimonii principaliter ex natura ſua in bonum prolis datur eis, & de ſecundario in remedium concupiſcentiæ, ac proindè illud eſt huic maximè præferendum. Excuſo tamen eos, qui fortè tale periculum ignorant. eſt enim tunc eiuſmodi ignorantia facti, & non juris. ſic tenent Petrus de Palude, D. Bonaventura, & Hugo apud D. Antoninum *in ſum.* 3. *p. tit.* 1. *cap.* 20. §. 5.

&

& multi alii, quibus D. Thomam adiungo, qui licet non expreſsè id dicat, ex modo eius loquendi videtur ita ſentire, dum abſolutè profert idem præceptum, quod divinum erat in veteri lege, in quantum morale, propter nocumentum prolis, obligare in lege nova; tunc enim etiam quà morale ob tale nocumentum, non poterat a Deo eſſe, ut ſolùm obligans ad veniale; quia erat Dei præceptum de materia gravi, & morte puniendum.

454 Verum tamen eſt, quod hoc intelligendum eſt de muliere in menſtruis naturalibus, non autem in innaturalibus, ut idem D. Thomas explicat ibidem, quia innaturalis fluxus menſtruorum, qui ex infirmitate mulieris procedit, eſt continuus, vel quaſi continuus, & ſic oporteret coniuges quaſi continuè abſtinere ab actu matrimonii, quod nedùm durum eſſet ipſis, & periculoſum, quatenùs eſſet eis occaſio incontinentiæ, & fornicandi; ſed etiam matrimonio derogaret, quod per ſe, & ex natura ſua jus ipſis tribuit ad talem actum propter generationem; & licet ſecundùm aliquos mulier tali infirmitate laborans non poſſit generare; ex hoc tamen non tollitur, quin actus per ſe in generationem tendat, & ſolùm per accidens eſt, quod de facto non generet; & fortè quandoque generabit; licet difficile ſit, & magis difficile, quam in menſtruis naturalibus; non tamen exiſtimo impoſſibile omninò; quia ratio, quare mulier menſtruata non generet, eſt quia fluxus ſanguinis impedit retentionem ſeminis, eiuſque coagulationem; & nihilominùs experimur in menſtruis naturalibus quandoque generari non obſtante tali fluxu; cur igitur non poterit quandoque idipſum contingere in innaturalibus, in quibus eadem ratio militat fluxus ſanguinis? poterit quidem, fluxu non obſtante, pars ſaltem aliqua ſeminis retineri, & coagulari, licet fortè difficiliùs, difficultatem augente infirmitate ipſa continua, quatenùs ex hac vis naturalis magis hebetatur; ſed omninò impoſſibile non agnoſco. ex hoc autem ſolùm minuitur periculum prolis, quatenùs minùs ſperatur, ſed finis matrimonii per ſe non tollitur. Neque ſi proles contingat, & ſequatur cum aliquo defectu membrorum; id erit ad mortale parentibus imputandum; quia id per accidens omninò contingit, etſi non poſſit evitari, niſi totaliter & perpetuò abſtinendo à generatione, quam matrimonium per ſe intendit ex natura ſua, quod eſſet peius proli, quæ non generaretur, quam ſi cum aliquo defectu permitteretur generari; melius enim eſt illi eſſe cum aliquo defectu corporeo, quam abſolutè non eſſe. non ſic autem eſt in menſtruis naturalibus, in quibus ſi expectetur tempus opportunum, & habebitur proles, & ſine ullo defectu. & propterea in illis petitio redditur illicita, & mortalis, non autem in illis.

455 Hæc autem dicta ſint ſtantè illâ ſuppoſitione quod tale periculum regulariter immineat proli generandæ, de quo mentionem fecit D. Thomas, & propter quod ait præceptum illud in veteri lege fuiſſe etiam morale, & perſiſtere adhuc in lege nova, pro quanto morale eſt. At ſi ſuppoſitio illa vera non ſit, de cuius veritate ego quidem valdè dubito; nam menſtruus ille fluxus non eſt ex natura ſua ita veneficus, ut quidam exaggerant, niſi fortè priùs ſanguis reſideat, & moram faciat in corpore, atque ibi corrumpatur, ut quandoque contingit; ac per conſequens per accidens eſt, quod interdùm ſit veneficus, ut dicunt Medici; neque verum eſt quod filii tunc naſcuntur membro aliquo mutilati, cæci, claudi, aut alio ſimili defectu, regulariter loquendo: Undè D. Thomas *loc. ſupra cit.* reddens rationem prohibitionis divinæ in veteri lege, dicit id fuiſſe tum propter immunditiam, tùm propter nocumentum, quod in prole ex huiuſmodi commiſtione frequenter ſequebatur; & non dicit, quod frequenter ſequitur: quaſi inſinuare voluerit, quod tunc utique ſic erat, quaſi ſpecialiter eo tempore, non autem ex natura talis commiſtionis, ſed aliundè; & fortè erat ex diſpoſitione divina in pœnam tranſgreſſionis divini juris, quod tunc urgebat. quod etiam videtur inſinuare D. Hieronymus *in Iſa.* dum ait: *Ut quia parentes non erubuerunt in conclavi commiſceri, eorum peccatum patenter, & apertè redarguatur in parvulis.* Si itaque, ut dicebam, ſuppoſitio illa vera non ſit, non video qua ratione dici poſſit peccatum mortale debitum petere a menſtruata etiam in menſtruis naturalibus; quia tunc vir utitur jure ſuo abſque ullo detrimento prolis, quod indè ſit per ſe ſubſecuturum: erit tamen veniale, quia in tali acceſſu eſt quædam ſuperfluitas concupiſcentiæ, ut de ſe patet, intra limites matrimonii. Et propterea fortè Caietanus *in ſum. Verbo uſus matrimonialis coniugii*, dicit non eſſe peccatum mortale petere, aut reddere menſtruatam, quia nulli facit iniuriam, qui utitur jure ſuo. ſupponit enim falſam eſſe ſuppoſitionem illam de detrimento prolis; alioquin manifeſtè fieret illi iniuria tunc petendo. quemadmodùm immediatè poſt docet, ubi eſt periculum abortus, aut notabilis nocumenti: *hoc enim* (inquit) *eſt manifeſtè contra charitatem proximi, nam vita prolis & ſanitas mariti bona ſunt non lædenda; undè non curare de huiuſmodi eſt peccatum mortale.* hæc Caietanus. Et ſimiliter eâdem de causâ D. Thomas loquendo de petitione debiti à menſtruata non ſe explicavit de peccato mortali, quia non vidit expreſsè tale periculum ex naturâ ſuâ; ſicut videbatur in veteri lege. Sed quidquid ſit de hoc, reſolutio certa, & manifeſta, quoad id, quod juris naturæ eſt in hoc caſu, pendet à nocumento prolis, ſi re vera indè per ſe, ac regulariter ſequatur, vel non, & ſcienter non præcaveatur.

456 An autem ſtante ex ſuppoſitione tali nocumento prolis, & peccante viro, aut muliere

liere debitum ſcienter petente, peccet alter conjux reddendo; alia difficultas eſt ex vi juris naturæ: quam D. Thomas *loc. cit.* reſolvit negativè cum aliis, quos refert ſuppreſſo nomine, & ſequi videtur; dum oppoſitam aliorum ſententiam impugnat,& ſententiã iſtorum defendit,oppoſitas rationes ſolvendo. Ait enim ibi. ad 3. *quæſt. quod quidam dicunt mulierem tunc non debere reddere viro petenti*. Et ſtatim ſubdit: *ſed hoc derogat matrimonio, per quod datur poteſtas omnimoda viro in corpus mulieris quoad actum conjugalem.* & poſtea ſibi obiicit dicens: *& licet mulier ob ſui aliquam infirmitatem non teneatur reddere;* (quaſi ex hoc velit à pari inferre; ergo neque in hoc caſu ob prolis periculum) ſolutionem illicò ſubiungit aſſignans diſparitatem, dicendo, *quod non currit paritas; quia in infirmitate ſua certò ei imminet periculum; non tamen certò in menſtruis imminet periculum proli, quæ fortè nulla erit* (ſupponit enim quod raro tunc concipitur ſtante fluxu menſtruorum.) & tunc refert aliam ſententiam, quam videtur ſequi, dicens: *Et ideò alii dicunt quod mulieri menſtruatæ numquam licet petere: ſi tamen vir petat, tunc debet eum avertere precibus, & monitis, ſi ille ſcienter petat; vel ſi ignoranter, aliquam occaſionem prætendere, vel aliquid allegare, ut deſiſtat; dummodo aliàs periculum viro non ſit incontinentiæ; ita tamen quod finaliter ſi nolit deſiſtere, & incontinentia viri prudenter timeatur; teneatur reddere in remedium concupiſcentiæ viri, ad evitandum peccatum illius, quod tunc videtur imminere, quod adhuc eſt finis à matrimonio intentus;* in redditione enim debiti medicamentum præſtatur contra alterius conjugis concupiſcentiam, ut alibi idem D. Thomas explicat, ad quod invicem tenentur de jure naturæ ex virtute fidelitatis ob rationem contractus ejuſdem matrimonii, quod præter finem generationis, ad hoc etiam ordinatur. Neque qui reddit, in hoc dicitur peccare, quia cooperatur peccato alterius illicitè in tali caſu petentis. Ad hoc enim ibidem reſpondet D. Thomas, quod tunc mulier non dicitur voluntariè conſentire, in reddendo, peccato illius; quia magis tunc patitur, dùm invitè reddit, & ad vitandam incontinentiam viri, ad quod procul dubio tenetur jure matrimonii, reddendo illi jus, quod habet,& quod ſuum eſt;& per accidens ac præter eius intentionem tunc contingeret, ſi tamen contingeret, damnum aliquod corporale prolis, quod tunc nimis incertum eſt; & damnum ſpirituale viri certiùs imminet, ſi ad id pronus credatur. Sicut furioſo gladium proprium petenti reddendus eſt, quando maius periculum certiùs timeretur, ut ibidem aſſerit D. Thomas.

457 Ex quibus patet quod D. Thomas intendit non peccare mulierem reddendo tunc debitum viro petenti, ſi nolit ſuaſionibus, ac monitis acquieſcere; & aliàs ſi non reddatur ei debitum, timeatur de eius incontinentia, quatenùs jam pronus ad peccandum videtur: imò intendit tunc mulierem teneri reddere, idq; jure matrimonii, cui alligata eſt. Nec fit tunc ei voluntarium damnum prolis, ſi fortè ſequatur; quia per accidens ſequitur ad eius debiti redditionem, & purè permiſſivè eius voluntati refertur, dùm ſuo modo cogitur ad reddendum, quod aliàs tenetur; & actum agit per ſe ad debitum finem ordinatum, non valens aliud agere; & præſertim in eâ circumſtantiâ ſpiritualis periculi incontinentiæ viri, quod non poteſt alio modo vitare; licet indè timeat periculum corporale prolis, quod poſſet per accidens contingere præter eius intentionem. quod autem nullo modo tunc ei reddatur voluntarium tale damnum prolis, ſi fortè ſequatur, conſtat; quia neque formaliter, & directè eſt volitum, ut de ſe patet; neque virtualiter, & indirectè, ſeu in causâ; quia redditio illa debiti, nedùm ſecundùm ſe, eſt debita jure præciſo matrimonii, ſed etiam in eâ circumſtantiâ ratione imminentis periculi ſpiritualis viri, de cuius incontinentiâ prudenter, & certiùs timetur; magis, quam de corporali periculo prolis, ſit reddenti moraliter neceſſaria, cogente maiori periculo, & certiore: cum enim non poſſit ſimul utrumque periculum vitari, & magis urgeat debitum vitandi maius periculum, & certius; non poteſt in voluntate reddentis, per hoc quod ad principale debitum attendit, contineri virtualiter voluntas minoris periculi, quod ex neceſſitate talis actus debiti aliquando contingit; ſed ad ſummum permiſſio illius: nam ubi volitio alicuius actus, alias in ſe, & ex naturâ ſuâ liciti, imò debiti, habet ex parte actus voliti annexum per accidens aliquod periculum, quod removeri non poteſt per ceſſationem ab actu, quin in aliud peius incidatur, non præcontinet virtualiter in genere moris volitionem illius periculi illi volito annexi; quia agens tunc vim patitur ex utraque parte; & dum eligit minus periculum, & minùs certum, incurrere, non dicitur illud moraliter velle, ſed permittere præter eius intentionem omninò, utpotè qui non poteſt ab utroque declinare.

458 Nec refert quod periculum ſpiritualis damni in viro ex ipſius viri malitia proveniret, ac propterea ipſi viro imputabitur, non mulieri, ſi debitum non reddat. Non inquam, refert, quia mulier ad illud præcavendum tenetur per ſe jure matrimonii, & non eſt quoad hoc ex natura ſua moraliter libera: valeret autem ratio iſta, ſi eſſet in alio caſu, ubi ſupponeretur non alligata; ſicut valet in caſu propriæ infirmitatis, quando ſibi periculum imminet proprii individui, quod certiùs prævidetur; quia jure matrimonii vir non habet poteſtatem in mulierem, ſicut nec mulier in virum, niſi quantum ad generativam virtutem, ut docet

idem D.Thomas 4.*ſent. diſt.* 3. *a.* 1.non autem quantum ad ea quæ ſunt ad conſervationem individui ordinata. quia ut probat ibid. D. Thomas matrimonium eſt principaliter inſtitutum in officium naturæ, atq; ideò in eius actu conſiderandus eſt motus naturæ, ſecundùm quem nutritiva non miniſtrat generativæ, niſi id quod ſuperfluit ad conſervationem individui, quia hic eſt ordo naturalis, ut priùs aliquid in ſeipſo perficiatur, & poſtmodùm alteri de perfectione ſua communicet; atque ideò & vir mulieri,& mulier viro jure matrimonii invicem tenentur ſolùm reddere debitum in his, quæ ad generationem prolis ſpectant,ſalva tamen priùs incolumitate perſonæ; & non aliter. Et hoc ipſum etiam exigit ordo charitatis, quæ naturam perficit, non deſtruit.

459 Quod ſi quis adhuc inſiſtat ex eodem ordine naturæ, & charitatis, videri non teneri mulierem in eà circumſtantià menſtruorum debitum reddere viro etiam inſiſtenti,non obſtante eius ſpirituali periculo, in quod nonniſi ex propria malitia,& voluntariè incideret;quia cum matrimonium de ſe ſit principaliter inſtitutum in officium naturæ, & propter bonum prolis generandæ, videtur vir non habere jure matrimonii poteſtatem in mulierem, niſi pro quanto eſt in bonum prolis, nedùm ſimpliciter quoad ſubſtantiale eſſe illius, ſed etiam quoad illius perfectionem, & integritatem, & ſine defectu illo membrorum,quod tunc timetur. ſicut & hoc ipſum exigit ordo charitatis, qui bonum alterius curat, ſicut proprium (& præcipuè innocentis, cuiuſmodi eſt proles generanda) quod dico ad differentiam damni, ſeu mali ſpiritualis, quod ex negatione debiti incurreret vir ex propria culpa.

460 Si quis, inquam ſic inſiſtat, reſpondeo fatendo utique inſtantiam valere, ſi damnum futuræ prolis quaſi certò moraliter timeretur, ut ſi ut plurimum,& regulariter contingeret : verùm quia inde varius, & nimis incertus eſt exitus, non poteſt ex hoc vir jure ſuo, quod poſſidet ex vi matrimonii, facilè privari; atque ideò tenetur ei petenti mulier debitum reddere, ne dùm incerto periculo intendit providere, in aliud certius contingat incidere, præbendo illi occaſionem peccandi debitum denegando; ſtante enim eiuſmodi incertitudine prolis damnificandæ, poſſeſſio ſtat pro viro quoad jus matrimonii;ac proindè occaſio cenſeretur data à muliere, & non ſolùm accepta à viro, ſi indè in peccatum incideret, quantùmvis ſemper ex propria malitia.

461 Et ſi replices: ergo neque vir petendo peccabit, eo quod utitur jure ſuo, quod poſſidet, ſtante tali incertitudine. Reſpondeo negando conſequentiam; quia licet jus matrimonii adhùc poſſideat, tenetur tamen ab actu abſtinere ratione illius periculi, quantumvis incerti, cum liberè ac facilè poſſit, quia tenetur in dubiis non ſe committere periculo, alioquin hoc ipſo dicitur peccare. non ſic autem eſt ex parte mulieris reddentis, cum vir non vult eius monitis acquieſcere; quia non cenſetur eſſe in ſua libertate non reddere;ac propterea non dicitur velle tale damnum, neque virtualiter, ſed ad ſummum permittere, ſi fortè contingat. Et ita videtur manifeſtè colligi ex præcitata doctrina D.Thomæ.quod totum dictum eſt facta ſuppoſitione eiuſmodi periculi prolis damnificandæ. At profectò, ut dixi ſupra, exiſtimo tale periculum re vera non eſſe, ac per conſequens nec petentem, neque reddentem peccare mortaliter: ut ſupra explicavi.

462 Affinis huic difficultati eſt alia,nempe an mulier teneatur debitum reddere viro leproſo ? Et quidem ex jure Canonico reſolutio eſt eam teneri, ut patet extra de coniuge leproſo *C. quoniam*, & idem intelligitur de viro reſpectu leproſæ mulieris.Id quod Canon citatus fundat in authoritate Apoſtoli 1. *ad Corinth.*7. Ubi debitum mutuò reddendum viro, ac mulieri Apoſtolus præcipit, quaſi neminem umquàm excipiendo. Sed Textus citati Canonis à quibuſdam moderatè exponitur, & ſatis quidem rationabiliter,ut inquit Caietanus *in ſum. v. Matrimonium* . nempe quando ex redditione debiti non imminet ſano periculum infectionis : quia redditio debiti coniugalis intelligitur ſalvâ non ſolùm conſiſtentià, ſed ſanitate ſubiecti,ut dictum eſt ſupra.Et ita profectò reſolvendum eſt in terminis præcipuè juris naturæ, & ſecundùm ordinem rationis, ut plenè colligitur ex ſuperiùs dictis . Neque huic contradicit Canon citatus, quia ſupponit quod lepra regulariter non facilè inficit ſanum ſolo coitu, ſed diuturna cohabitatione; quod etiam ſupponit D. Thomas *in* 4. *diſt.*32. *a.* 1. *ad* 3. quapropter ibi docet teneri mulierem debitum reddere viro leproſo, non tamen ei cohabitare; quia non ità citò inficitur ex coitu, ſicut ex frequenti cohabitatione. Niſi fortè lepra talis ſpeciei ſit,quæ nimis facilè inficere poſſit, quia ſanus coniux tùc non tenetur notabilem ægritudinem incurrere propter debitum reddendum. Unde in huiuſmodi caſu docet Caietanus ſtandum eſſe conſilio medicorum de periculo infectionis, conſideratis particularibus circumſtantiis, & qualitatibus morbi . & idem docet D. Antoninus *in ſum.* 3. *p. tit.* 1. *cap.* 20. §. 10. *vers.* quartus caſus.

463 An autem coniux in ſimili periculo, quando non tenetur reddere, ut dictum eſt, licitè reddat negligendo ſeu non curando de periculo infectionis, vel etiam mortis, ſi fortè aliquando probabiliter timeatur ex aliqua infectione, ut ſi petens ſit peſte infectus ? & an petens in eiuſmodi caſibus licitè petat,aut petendo mortaliter peccet ob damnum notabile, quod inferendum prævidet, vel timet alteri cōiugi ? variè reſolvunt Doctores . Sed omiſſis eorum placitis, ex ipſo nativi juris lumine, quod neminem latere poſſe ſemper, & ubique

Digitized by Google

defendo, ſingula facilè, & evidenter definiri poſſe exiſtimo, præmittendo nemini licere iniuriam, vel damnum aliquod alteri quoquo modo inferre; eſt enim hoc directè, & immediatè contra primum illud principium: quod tibi non vis, alteri ne feceris. Eſt autem in matrimonio per ſe inter coniugis mutua data fides, & facta promiſſio de debito reddendo, ſemper tamen juxta ordinem rectæ rationis, qua omnes humani actus ſunt ſpecialiter dirigendi; quam quidem fidem nemo ſibi vellet frangi irrationabiliter, aut non reddi quod ſemel promiſſum eſt. per accidens verò poſſunt matrimonio ſupervenire rationabilia motiva temporanea, aut etiam perpetua, ut mutua illa obligatio ceſſet, ita ut promiſſum reddere tunc quis non teneatur, aut quod etiam teneatur penitùs denegare, eo quod fortè evadit in aliqua circumſtantia contra ordinem rectæ rationis; quod ſanè nemo pati vellet, ubi pro ſe eiuſmodi recta ratio aſſiſteret, ex eodem primo illo principio; quod tibi non vis alteri ne feceris.

464 His itaque præmiſſis diſtinguere oportet de contagioſo morbo diuturno, ſeu habituali (qualis eſt morbus gallicus, ſive lepra, & ſimilis) ſi matrimonium præceſſerit, vel illi ſupervenerit: nam ſi præceſſit, & alter coniux ſcienter cum eo contraxit, recta ratio dictat fidem matrimonii prævalere, ita ut licitum ſit petere, & debitum reddere neceſſarium; quia non poteſt rationabiliter alter coniux morbi circumſtantiam excipere; convincitur enim manifeſtè in eâdem etiam circumſtantiâ promiſiſſe, & promiſſio tenet, non obſtante eo morbi periculo; quia tunc ſecundùm ordinem rectæ rationis laudabiliter, & virtuosè contemnitur ſaltem ex parte operis operati, hoc eſt ex parte matrimonii ſcienter initi; ut infra *num.* 469. hoc ipſum explicando meliùs oſtendam; quidquid ſit ex parte operantis, videlicet ex parte ſic promittentis, ſi fortè non ex motivo virtutis conſenſum ſuum præſtet. Si autem contraxit ignoranter, aut morbus ſupervenit; tunc idem judicium eſt, quod ſupra dictum eſt de leproſo coniuge, nempè quod ei non tenetur alter cōiux reddere; Imò nec ille petere quaſi cogendo poteſt; nec alter eius precibus licitè annuere, ſi non ſit periculum incontinentiæ: Ceſſante enim incontinentiæ periculo ex utraque parte nec petere, nec reddere licitum eſſe poteſt de jure naturæ; quia & qui petit, & qui reddit, notabiliter offendit, & contra præceptum dilectionis agit ſive proximi, ſive ſui, grave damnum inferendo, ſive ſpontaneè ſubeundo contra ordinem rectæ rationis: dictat enim recta ratio ſeu jus naturæ neminem graviter offendere, & à fortiori ſeipſum.

465 Nec refert quod quis velit voluntariè propriam ſalutem poſtponere, quia nemo eſt Dominus propriæ ſalutis, ſicut nec vitæ. Non enim qui ſeipſum tantùm occideret, peccaret; ſed etiam & qui ſibi valetudinem perderet; aut ſe mutilaret, vel etiam verberaret, aut ſimilia damna ſibi irrationabiliter voluntariè inferret. Undè etiam abſtinentiæ, vigiliæ, jeiunia, & quæcumque macerationes corporis ſine peccato non ſunt, niſi diſcretè fiant, & rationabiliter ut ſcilicet ſic concupiſcentia refrænetur, quod natura non nimiùm gravetur, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *a.* 2. *ad* 3. *& alibi.* Nec refert ad propoſitum noſtrum, quod hìc interveniat jus matrimonii ad petendum, & reddendum debitum, quia hoc, ut dictum eſt ſupra, ex ipſo jure naturæ intelligitur ſalva conſiſtentia perſonæ, & valetudinis; ubi non poteſt virtuosè poſtponi.

466 Quare ideò dixi (ſi nō ſit periculū incōtinentiæ) quia ſi tale periculū imminet, licèt ſanus coniux nō teneatur reddere cū eo proximo periculo infectionis ſuæ, poteſt tamen licitè, imò & meritoriè petenti infecto reddere in remedium concupiſcentiæ illius: quia laudabile, & virtuoſum eſt, propter bona ſpiritualia ſive propria, ſive aliena, corporalia pericula contemnere, ut docet D. Thomas *quodlib.* 3. *a.* 9. *ad* 3. quod adeò verum eſt, ut etiam liceat opera charitatis, & miſericordiæ, etiam corporalia, exercere cum mortis periculo; ut docent communiter Doctores de his, qui tempore peſtis ſerviunt infectis, aut Sacramenta miniſtrant, & ſimilia. ex quo adhuc infero licere, & meritorium eſſe ſi viro peſte infecto periculum incontinentiæ timeatur, debitum reddere, non obſtante periculo infectionis ad mortem.

467 De petente autem in eiuſmodi periculis infectionis ad ſui incontinentiam vitandam maior difficultas eſt; quia poteſt ſatis ſibi conſulere per virtutem continentiæ, liberè propriam concupiſcentiam frænando; per ipſum enim ſtat, ſi tunc nolit peccare, quantumvis continentiæ ſtimulos patiatur. quod ſi nolit a peccato abſtinere, ipſimet imputabitur: non autem propterea oportet alterum coniugem in periculum eiuſmodi infectionis conicere importunis precibus vim illi faciendo ſine neceſſitate. Sed nihilominùs dico quod licitè petere poteſt, ſi de ſua fragilitate agnoſcit confidere non poſſe; non quidèm cogendo, ſed precibus opportunis ſuadendo; quaſi, ut ita dicam, ſpiritualem elecmoſinam petendo, utpotè qui etiam ſpiritu infirmus in ſpirituali neceſſitate conſtitutum ſe agnoſcit, & indigentem. Sic enim trahit alterum coniugem, & ſuadet ad opus laudabile, & perfectum cum contemptu corporalis periculi. quod utique ſicut laudabiliter ab illo fieri poteſt; ita & ab iſto licitè ſuaderi, ut liberè ab altero fiat, ſi velit. Hoc autem dictum eſſe volo in morbis contagioſis, & diuturnis, qualis eſt morbus gallicus, lepra, & ſimilis. Sed non excuſo petentem in morbo monſtro peſtilentiali, vel ſimili; qui pauciſſimis diebus, aut morte, aut cura finitur; poteſt enim quiſque fragiliſſimus ad breve tempus facilè abſtinere, ſi velit: Undè ſi nolit, potiùs ex certa malitia,

quam

quàm ex fragilitate periculum ei imputabitur, in quo voluntariè magis ſe conſtituit, quam carnis ſtimulis, & quaſi patiendo adigatur. quod ſi alter coniux adhùc eius certæ malitiæ obviare velit, reddendo; licitè poteſt, quia ſemper in iſto laudabile eſt, & perfectum charitatis opus, contempto corporis periculo, ſpirituali obviare; ſed non eſt petenti condonabile, quod ex eius malitia abſolutè procedit.

468 Sed dices ſi hæc vera ſint, vera etiam erunt cum eiſdem exceptionibus omninò in morbis contagioſis matrimonium ſcienter initum præcedentibus: & nihilominus præcedente num. 464. dictum fuit abſolutè tunc prævalere jus matrimonii, ita ut licitum ſit tunc petere, & neceſſarium reddere: quod non conſonat cum exceptionibus hìc poſitis pro morbis matrimonio ſupervenientibus; aut præcedentibus, ſed ignotis: cum tamen utrobique eadem militet ratio. Nam ratio ſcientiæ morbi præcedentis, quantumvis mutuam promiſsionem, & conſenſum probet, non tollit tamen culpam petentis, aut reddentis debitum cum gravi damno vitæ, vel valetudinis corporalis, ubi non eſt incontinentiæ periculum; aut ſi eſt, illud ex pura malitia alterius procedit, & non ex fragilitate, ſive infirmitate ſpiritus; quia cum nemo, ut diximus, ſit Dominus propriæ vitæ, & valetudinis, malè promittitur eas contemnere ſine neceſsitate: & in malè promiſſis fides data non valet; juxta illud: *In malè promiſſis reſcinde fidem.*

469 Ad hoc reſpondeo, quod ideò ibi reſolvimus quod jus matrimonii prævalet, quia qui in eiuſmodi morbis ſcienter contrahunt, hoc ipſo ſupponuntur in ſpirituali neceſſitate conſtituti, & carnis ſtimulos atque ſpiritus infirmitatem graviter patientes, ac matrimonium in remedium perquirentes, ne in periculum incontinentiæ incidant, juxta conſilium Apoſtoli 1. *ad Corinth.* 7. ibi: *quod ſi non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere, quàm uri.* Niſi enim ita ſpiritu infirmi eſſent, matrimonium eiuſmodi ſcienter non inirent cum propriæ ſalutis, aut etiam vitæ, diſcrimine: atque ideò in eis mutua promiſſio tenet, quia reddere ſibi mutuò debitum in remedium, nedùm licitum, ſed & laudabile, ac perfectum evadit, ut diximus; & ex vi mutuæ promiſſionis neceſſarium, ſicut qui voveret etiam peſte infectis ſervire; ac propterea in eis jus matrimonii diximus prævalere.

470 Nec refert ſi tunc huiuſmodi perſonæ, non ex tali motivo virtutis tale matrimonium ſcienter contrahant; ſed potiùs ex alio temporali, puta ex affectu ad pinguiorem dotem coniugis infectæ, vel ſimili; nam licet in ſimili caſu coniux ſanus ex parte ſui ita tunc operantis, & periculum propriæ valetudinis ex avaritià malè contemnentis, contrahendo peccet; promiſſio nihilominùs tenet, quia ſemper virtuoſa eſt, & laudabilis ex opere operato, hoc eſt ex ipſo matrimonio inito cum coniuge illa infecta, ex parte cuius ſupponitur ſpiritualis infirmitas, & periculum incontinentiæ; ideò enim illa vult nubere fideliter, & ſine fraude, manifeſtando etiam morbum ſuum; niſi enim carnis ſtimulis adigeretur, & fragilitatis ſuæ periculum timeret, non quæreret in tanta infirmitate nubere, ſed ſe potiùs contineret in divitiis ſuis. ſemper itaque ſive ex parte utriuſque, ſive ex parte unius, certum eſt reperiri ſaltem concomitanter ſtimulos propriæ concupiſcentiæ, ex quocumque alio motivo aliàs impellantur, & contrahant. Et hoc ſatis eſt ut fides laudabiliter teneat ex opere operato, ut benè hæc conſideranti patet.

471 Ubi autem in eiuſmodi morbis aut ſimilibus indiſpoſitionibus coniugum periculum imminet proli, ſive vitæ, ſive bonæ valetudinis, aliter diſcurrendum eſt, etiam ex vi juris naturæ, & ſecundum regulam rectæ rationis: quia nemo poteſt etiam in remedium propriæ concupiſcentiæ, & pro bono ſpirituali, ſive ſui, ſive alterius, aliquid agere cum gravi damno alicuius tertii, iſto invito; præſertim cum in promptu ſit, & ex propria voluntate pendeat à damno ſpirituali ſe præſervare. quarè ſi indè ſit periculum abortus, vel alterius notabilis damni inferendi proli, non eſt licitum tunc petere debitum, ſicut diximus de petente à menſtruata, ſuppoſito, quod indè tale periculum immineat. Reddere autem licitum eſt ad vitandam incontinentiam in altero coniuge, ſi aliàs periculum quod proli indè timetur, non eſt moraliter certum; imò tenetur jure matrimonii, ſicut ſupra dictum eſt de menſtruata ex D. Thoma; quia tunc quaſi invitè, & permiſſivè ſe habet, qui reddit, ad damnum, quod per accidens, & præter eius intentionem contingit proli: at ſi periculum ſit certum moraliter, nec reddere licet; non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona.

472 Et hinc ſequitur quod petere debitum à prægnante illicitum eſt, & mortale, ſi ſit periculum abortus, ut docet D. Thomas *in 4. diſt.* 31. in expoſitione literæ. Reddere autem ad vitandam incontinentiam petentis, ſi nolit deſiſtere, licitum exiſtimo, imò & neceſſarium, ſi periculum abortus non ſit moraliter certum, ſicut dictum eſt de menſtruata: At ſi certum fuerit moraliter, nec reddere licitum erit, ob eamdem rationem ſuperiùs adductam. Et idem judicium eſt de petente ab uxore, quæ non poteſt edere fœtum, niſi mortuum: verùm niſi in hoc caſu cauſa dignoſcatur, & videatur permanens, poteſt facilè, & prudenter exiſtimari per accidens contigiſſe, ac propterea credi in poſterum non eventurum, & tunc licitum erit, & petere, & reddere, ſperando vivum.

473 Huc denique reductivè, & materialiter pertinent nonnulla alia jure naturæ prohibita per ſe adhuc omnibus manifeſta, cuiuſmodi ſunt circumſtantiæ loci, ut quod non ſit

actus

actus coniugalis licitus in loco publico, vel ſacro; cum enim cinſmodi actus ex natura ſua quamdam turpitudinem referat, quam ſatis naturalis ipſa verecundia, quæ indè unicuique ſenſibiliter innaſcitur, evidenter indicat; Recta ratio dictat ſecreto in loco exercendum, & deteſtabilis impudentiæ eſſe fieri in publico; ſicut & ſacrilegæ irreverentiæ in loco ſacro, ſuppoſito quod loci ſanctitas agnoſcatur: quod dico quia notitia hæc ad fideles potiùs pertinet, quàm ad puros homines fide deſtitutos. Sed hæ circumſtantiæ extrinſecæ ſunt, & veluti extraneæ ab hoc ordine.

474 Sunt autem & aliæ circumſtantiæ intra hunc ordinem, & veluti intraneæ, ſive actus per ſe, & ex propria natura prohibiti, quos ſupra inſinuavimus; & circumſtantias appellavimus, eo quod ex natura ſuæ ſpeciei circumſtant præcipuos, & principales actus venereos, ut loquitur Caietanus, cuiuſmodi ſunt tactus, & oſcula, vel amplexus libidinoſi (quantumvis ex parte agentis fiant non ut in re, & de facto circumſtent actus illos, quos de ſe apti nati ſunt circumſtare; ſed ut in illis verſetur, & ibi ſiſtat ſe delectando, abſque intentione ulteriùs procedendi ad actus principales, ad quos natura eos ordinavit) quandoquidem tactus, oſcula, & amplexus libidinoſi qui ſcilicet delectationem pariunt ſecundùm tactum, ex natura ſua ad coitum venereum ordinantur, & ſunt incohationes quædam illius: Unde qui actum venereum conſumare volunt à delectatione, quæ in eiuſmodi tactibus ſentitur incipiunt, & in delectationem, quæ coitum ipſum ſubſequitur, deſinunt: ita ut inter duas eiuſmodi delectationes intermediet coitus, quem proindè circumſtare dicuntur; ac propterea ad illum pertinent ut circumſtantiæ illius, atque ad illius ſpeciem reducuntur; adeò ut ſi fiant cum ſoluta ad ſpeciem fornicationis reductivè ſpectent; ſi cum uxorata ad adulterium, & ſic de aliis. Et ex hoc evidentiſſimè agnoſcuntur eiuſdem omninò malitiæ cum illo.

475 Et eodem modo eſt, & fit per ſe nota malitia moroſæ delectationis; nam hæc per ſe circa eiuſmodi obiecta procul dubio in mente verſatur voluntate conſentiente. Remanet ergo ſatis ſuperque demonſtratum, & quaſi in ſingulari de omnibus præceptis juris naturæ huius ordinis, quod ſint per ſe nota, utpotè per ſe, & immediatè connexa cum primis principiis huius eiuſdem ordinis, & maximè ſecundùm rationem in homine regulatis; ut pleniſſimè conſtat ex hucuſque dictis. Omnia enim hæc ſuper duobus primis principiis unicuique per ſe notiſſimis fundantur, veluti ſuper duobus firmis cardinibus, quibus commiſtio carnalis humano modo facienda innititur, juxta duplicem, quæ hominibus ineſt, naturalem inclinationem; alteram videlicet ſibi cum aliis animalibus communem, nempè conſervandi ſpeciem per generationem prolis, & competentem eiuſdem educationem, pro quanto natura humana ex propria coditione expoſcit in individuis ſuis, ut proportionaliter, & debito modo poſſit in illis conſervari; quod procul dubio unicuique volenti in hoc negotio verſari, de ſe perſpicuum eſt, & naturaliter manifeſtum, ſi negotium ipſum, quod agit, practicè conſiderat, ſicut oportet. Alteram verò ſibi propriam, & ſpecialem; nempè tale negotium agendi, non brutali, ſed humano modo, & iuxta debitum ordinem rectæ rationis; ita ut taliter illud agat, ut nō infringantur alia jura præcipuè naturæ; ac per conſequens, quod indè non turbetur humana ſocietas naturaliter hominibus debita; nec ulla inferatur proli iniuria, vel damnum, quod moraliter prævideri poteſt, quaſi regulariter, & per ſe indè naſciturum; & quod ſalvetur conſiſtentia, & valetudo ipſorum agentium; & ſimilia, quæ procul dubio ratio practica non poteſt tamquam ſibi incognita præterire in illis circumſtantiis, in quibus negotium agitur, ut cōſtat ex dictis, niſi præ inordinato æſtu concupiſcentiæ obnubiletur, & prorſùs inconſideratè, & cæco modo procedat.

§. XI.

Aſſignantur ſpecialiter præcepta juris naturæ, quæ derivantur ex tertia naturali hominis inclinatione; eaque per ſe nota eſſe unicuique demonſtrantur.

476 IN tertio denique ordine naturalis inclinationis, vivendi ſcilicet ſecundùm rectam rationem, quæ eſt homini propria, & characteriſtica in quantum homo eſt, & agens intellectuale, fundantur quoque ſua prima principia, ſeu præcepta, & eò quidem univerſaliora, ac magis ſuprema, quò & hæc inclinatio ad plura, imò ad omnia, & ſingula præcepta juris naturæ ſe extendit, ac diffunditur, etiam cuiuſcumque alterius ordinis, & inclinationis, de quibus in ſuperioribus locuti ſumus.

477 Ad cuius maiorem evidentiam ſciendum eſt quod homo licet habeat, ut ſupra diximus triplex genus inclinationis naturalis; duo ſcilicet, quibus convenit cum animalibus, & cum ſubſtantiis etiam inſenſibilibus; ita ut cum iſtis habeat naturaliter inclinare ad conſervationem ſui proprii eſſe, & ad hunc finem ſeu bonum ſibi proſequendum, eiuſque oppoſitum declinandum, agat proportionaliter ſicut, & iſtæ: & cum illis pariformiter habeat inclinare ad propagationem ſpecici, & ad eumdem finem agat ſicut, & illa: & denique per hoc tertium genus inclinationis differat ab utriſque, ac proindè ſpecialem agendi modum teneat in hoc genere longè diverſum ab illis: Non tamen hoc ſic intelligendum eſt, quaſi in duobus primis omninò conveniat cum illis, & in ſolo hoc tertio ab illis ſe diſcernat: ſed potiùs quod per hoc

tertium & in hoc, & in aliis etiam duobus primis omninò ſe diſcernat ab illis; eo quod in quocumque genere cuiuslibet inclinationis eius naturalis ſemper ſecundùm rationem agit, ſemperq; ut homo, & agens intellectuale, procedit ad fines ſuos in qualibet eius naturali inclinatione. ac propterea hæc inclinatio eſt ſuprema omnium, & ſubiicit ſibi in homine alias duas, eaſque per ſua ſuprema prima principia regit, & modificat: quia omnes alii actus qui fiunt ab homine juxta eius alias naturales inclinationes, ſi tamen voluntarii ſint, & humani (de iſtis enim hic loquimur) oportet quod de ratione boni honeſti participent, quod eſt bonum ſeu finis proprius, & ſpecialis huius tertiæ inclinationis, quæ eſt propria hominis in quantùm homo eſt, & agens per intellectum, & voluntatem.

478 Ex quo fit, quod homo in quantum homo eſt, & agens per intellectum, & voluntatem, ex vi huius tertiæ inclinationis ſibi propriæ, & ſpecialis, habet ſpecialiter per prius tendere, & naturaliter inclinare tamquam in ſuũ finem, in quoddam bonum univerſaliſſimum, ac commune omnibus ſpecialibus bonis, ſeu finibus cuiuslibet ſuæ naturalis inclinationis particularis, ſive ſibi tantùm propriæ, ſive etiam cum aliis agentibus communis, videlicet in bonum honeſtum ut ſic: quod quidem licet commune ſit, & veluti genericum, utpotè repertum in omnibus peculiaribus finibus cuiuſlibet inclinationis eius naturalis; tamen eſt proprium, & ſpeciale bonum, ſeu finis huius tertiæ inclinationis, quatenùs habet hanc ſpecificare veluti ſub una ratione formali indiviſibili eminentiore, in qua quilibet finis alterius inclinationis adunatur tamquam plures materiæ partiales ſub una indiviſibili forma. Conſtat enim quod ratio boni honeſti unicè, & formaliſſimè, pertinet ad appetitum intellectualem, ſeu voluntatem, tamquam finis, & obiectum eius ſpecificativum: voluntas autem eſt inclinatio naturaliter conſequens ad intellectum, quæ eſt propria, & characteriſtica hominis, in quantum eſt agens intellectuale: Unde ſi ratio boni honeſti in quolibet alio fine cuiuſque alterius inclinationis in homine reperitur, id provenit, quia in eo illam participant à voluntate, quatenus hæc eos ſecundum rationem regulat, & ſic eos ſibi ſubiicit tamquam materiam, cui rationem boni honeſti, hoc ipſo, quod ſic regulatos fieri imperat, impertitur. ac propterea eos omnes ad ordinem hunc ſupremum huius ſpecialis ſuæ inclinationis revocat, & facit ſibi proprios formaliter, licet in eis materialiter ſumptis cum aliis conveniat.

479 Per poſteriùs verò ſub hac ſuprema inclinatione ad finem, & bonum, ſic generaliſſimè ſumptum, habet etiam homo in quantum homo eſt, & agens intellectuale, quoſdam ſuos particulares fines ſibi proprios, & characteriſticos, in quibus differt ab aliis agentibus ſibi inferioribus, qui quidem fines particulares materialiter adhùc ſe habent ad finem illum ſupremum, ſeu bonum honeſtum ut ſic, & ſunt per illud regulandi eodem ferè modo, quo & fines aliarum inclinationum, in quibus cum aliis convenit.

480 Quare ex vi huius primæ, & ſupremæ inclinationis, ſecundùm quam homo habet propriè naturaliter tendere in bonum honeſtum ut ſic, ſe habet ut quoddam agens veluti univerſale omnium ſuorum actuum humanorum, ad quamcumque eius inclinationem illi pertineant, ſive ſcilicet ſibi propriam, & ſpecialem; ſive cum aliis agentibus communem. Atque ideò in eiuſmodi ſuprema eius inclinatione fundantur duo illa ſuprema principia ſeù præcepta juris naturæ; quæ dignitates appellavimus, eo quod ſunt omnium prima, & principia ſuprema, ac digniora, omnibus aliis primis principiis, quæ fundantur in unoquoque genere ſpecialium inclinationum. Et ſunt illa duo omninò prima de quibus ſupra in principio diximus, videlicet bonum eſt proſequendum, malum vero fugiendum; quæ utique intelliguntur de bono honeſto ut ſic, & de malo ei oppoſito. Unde homo pro quanto conſideratur ut agens univerſale omnium ſuorum actuum humanorum, quos ſcilicet agit per intellectum, & voluntatem, ſeù deliberatè, ſpecialiter ex vi huius ſuæ naturalis inclinationis ſupremæ, quærit in omnibus illis ſemper, & generatim bonum honeſtum, tamquam finem proprium, & ſpecificativum huius ſuæ inclinationis, ſeu appetitus intellectualis, qui eſt hominis proprius, & ipſi ſoli competẽs in quantum homo eſt, & agens intellectuale in omnibus actibus ſuis, & qui communiter ſpeciali nomine appellatur voluntas.

481 Et ratio huius eſt quia omnis appetitus, ſeù quod idem eſt, inclinatio naturalis, ut dicunt Philoſophi, ſequitur formam, & appetitus cognoſcitivus ſequitur formam apprehenſam, ac per conſequens appetitus intellectualis, qualis in homine eſt voluntas, ſequitur formam apprehenſam per intellectum ſeu rationẽ: intellectus autẽ ſeu ratio, cũ ſit potẽtia univerſaliũ, naturaliter, & per ſe tendit in verũ univerſaliter ſumptũ, ac per conſequens non apprehendit, nec judicat bonum, niſi ut in ſe univerſaliter verum; quod eſt dicere: univerſaliter, & undequaque verè bonum abſolutè, & ſimpliciter, & non ſecundùm quid, ad differentiam ſenſuum, qui ſunt potentiæ particularium, & apprehendunt bona ſenſibilia, quæ ſunt bona particularia, unumquodque videlicet illius ſenſus, ad quem ſpectat; unde bonum ſenſibile non eſt abſolutè, & ſimpliciter, bonum; ſed ſolùm ſenſibus, qui illud apprehendunt ut bonum ſibi, nec poſſunt ulteriùs ſe extendere. At intellectus ſe extendit ad judicandum de omni bonitate, ſeu de omni proportione quibuſcumque rebus debita; bonitas enim in quadam

dam

Digitized by Google

dam debita rerum proportione conſiſtit, & ideo ſenſus judicat ſibi bonum, quod eſt ſibi proportionatum, & nihil aliud; intellectus verò judicat de omni bono, quia judicat de omni proportione debita & ſibi, & omnibus aliis quibuſcumque potentiis, ac propterea non judicat aliquid abſolutè bonum, niſi ſit undequaque proportionatum & ſibi & aliis potentiis, ita ut importet veluti quamdam harmoniam omnium proportionum, ſecundùm quam dicitur bonum honeſtum. Ex quo fit quod quidquid dicitur bonum ſecundum formam apprehenſam per intellectum ſeù rationem, dicatur bonum honeſtum. & quia appetitus intellectualis ſeù voluntas, quæ eſt etiam univerſalium ſequitur formam apprehenſam per intellectum & rationem, ideò proprium objectum, ſeù finis proprius voluntatis dicitur eſſe bonum honeſtum ut ſic. Et hoc eſt bonum, ſeù finis, in quem homo, ut agens intellectuale, per ſe, & proprie naturaliter inclinat per voluntatem. Super qua quidem naturali eius inclinatione fundantur duo illa prima ſuprema principia practica, ſeu præcepta generaliſſima: bonum (intellige honeſtum) eſt proſequendum: malum verò huic bono oppoſitum eſt vitandum. per quæ tamquam per prima principia univerſaliſſima ſunt regulanda omnia, & quæcumque alia etiam prima principia ſubalterna fundata in aliis finibus ſeù bonis, in quæ homo naturaliter tendit ſecundùm omnes, & ſingulas inclinationes ſpeciales, tam ſibi cum aliis communes, & ipſi competentes ex natura generis, de quibus hactenus ſupra dictum eſt; quam etiam ſibi proprias ex natura ſuæ ſpeciei, & quatenus homo eſt. Nam homo ut homo eſt, & agens per intellectum, & voluntatem non ſolùm habet naturalem inclinationem univerſalem in bonum honeſtum ut ſic, & communiſſimè ſumptum, ratione cujus naturaliter, & per ſe agnoſcit duo illa ſuprema principia, nempè: bonum honeſtum eſſe ſibi proſequendum: & huius oppoſitum fugiendum: ſed etiam habet quaſdam naturales etiam inclinationes ſibi proprias ſpeciales, & ſubalternas dictæ inclinationi univerſaliſſimæ in bonum honeſtum ut ſic, ac propterea fundat in iſtis ſua quoque prima principia ſpecialia de bono honeſto tali, vel tali in ſpecie, ex quibus deducit ſuas quaſi concluſiones, omnes utique regulandas ſpecialiter juxta ordinem rectæ rationis, ita ut in omnibus verè reluceat ratio boni honeſti, proportionaliter ſicut dictum eſt ſupra de aliis naturalibus inclinationibus ſibi communibus cum agentibus inferioribus, ipſique competentibus ex natura generis.

482 Deducuntur autem huiuſmodi ſpeciales hominis inclinationes ſibi propriæ ex propriis quibuſdam prædicatis ſibi eſſentialiter competentibus, puta ex hoc quod ex naturâ ſuâ eſt animal intellectivum, & rationale: & quod proindè eſt etiam animal ſociale. Ex quo fit primò quod ut animal ſociale habeat ex ſe naturalem quamdam inclinationem ad ſocialiter vivendum, & converſandum cum aliis hominibus, ita ut ex eiuſmodi naturali inclinatione ſtatim ac primo intuitu proprii luminis naturalis apprehendat talem ſocialitatem tamquam bonum quoddam ſibi naturaliter debitum, ex qua apprehenſione immediatè intellectus practicus format de tali bono apprehenſo judicium ſuum practicum, quod ſcilicet tale bonum ſit proſequendum, & eius oppoſitum declinandum. quæ ſunt duo prima principia ſeu præcepta juris naturæ in hoc genere inclinationis. Et quia proſecutio eiuſmodi boni per ſe, & formaliter conſiſtit in mutua quadam correſpondentia cum aliis, ita ut invicem ſe communicent in actibus benevolentiæ, ideo eadem hæc prima principia ſub clarioribus terminis, & per quamdam ſui expoſitionem declarantur per duo illa prima principia ſeu præcepta juris naturæ, quæ per omnium ora communiter verſantur ſub his terminis, videlicet; quod tibi non vis, alteri ne feceris. Et quæcumque vultis ut faciant vobis homines, facite & iis; ut dicitur *Matth.* 7. Cum quibus primis principiis ſunt, & manifeſte apparent per ſe, & immediatè connexæ quædam quaſi concluſiones, ſeu præcepta ſecundaria juris naturæ, videlicet ea omnia, quæ pertinent ad virtutem juſtitiæ, & alias virtutes ei affines, quæ ſunt ad alterum, cuiuſmodi ſunt veracitas, fidelitas, amicitia, & ſimiles, quæ ad ſocialem vitam conducunt, eamque conſervant. Undè eiuſmodi virtutum actus veniunt ut præcepta poſitiva juris naturæ ad hunc ordinem ſpectantia, & ſunt omnibus quidèm per ſe nota, utpotè immediatè, & per ſe connexa cum dictis primis principiis Et ſimiliter veniunt jure naturæ prohibiti omnes actus oppoſitorum vitiorum, puta iniuriæ, odia, rixæ, oppreſſiones, fraudes, mendacia, latrocinia, homicidia, adulteria, & ſimilia omnia, quæ quis ſibi fieri nollet. Et eiuſmodi generis ſunt omnia quæ ad hunc ordinem ſpectant.

483 Secundò ex indè fit quod homo in quantum animal intellectivum, & rationale, habeat quamdam naturalem inclinationem in cognitionem veri. Undè dicitur communiter, quod omnis homo natura ſua ſcire deſiderat, & præcipuè quæ ad ipſum pertinent; quid ſcilicet, & undè ſit, & ad quid ultimò ordinetur. Ad quæ quidem indaganda, proprio ſciendi naturali ſtimulo incitatus, facilè pervenire poteſt. Neque enim ad hæc capeſſenda extra ſe exire oportet; ſed in ſe ſiſtendo, brevi atque immediato quodam naturali diſcurſu promptè deprehendere poteſt, ſe Dei genus eſſe, & ad illum ultimatè ordinari tamquam ad ſuum principium, & finem. Quandoquidem primo intuitu videt a ſe non eſſe, ſed alterius facturam; & cum non ſit in hoc genere cauſæ in infinitum

proce-

Digitized by Google

procedere, ſit ei protinùs manifeſtum ſupremum aliquem omnium factorem dari, a quo eſſe ſuum accepit, & totum quod ipſe eſt: atque ideò & illi hoc totum deberi ſupremo totius huius boni profuſori. Undè licet Deum eſſe non ſit propoſitio per ſe nota quoad nos, ut dicit D. Thomas 1. *p. q.* 2. *a.* 1. tamen eſt adeò facilè cognoſcibilis, & immediato diſcurſu naturali demonſtrabilis, ut non poſſit ab aliquo invincibiliter ignorari. Undè Auguſtinus *in Pſal.* 74. ait: *Deus ubique ſecretus eſt, ubique publicus: quem nulli licet, ut eſt, cognoſcere; & quem nemo permittitur ignorare.* & Minutius Felix *in octa:* dixit: *Parentem omnium non minoris ſceleris eſt ignorare, quam lædere.* Certè impoſſibile eſt creaturam agnoſcere, & non agnoſcere Creatorem, & qui in ſeipſo naturam videt, neceſſe eſt quod & naturæ Authorem, quam utique à ſe non habet, fateatur. Hoc ipſo igitur quod homo ad veri ſcientiam naturaliter impellitur, & maximè circa ſeipſum, authoremque ſuum, id ſibi perquirendum bonum judicat, & ignorare malum: quod eſt veluti quoddam primum principium ſeu præceptum in hoc genere inclinationis. quod ſi ſervet homo, hoc eſt ſi de facto perquirat, protinùs quod quærit inveniet, & Deum agnoſcet brevi, ac naturali diſcurſu proprii luminis, ut dictum eſt.

484 Dei autem cognitione ſuppoſitâ, ſponte ſua derivantur cætera præcepta juris naturæ erga ipſum; puta religionis, & cultus debiti, gratiarum actionis, converſionis in ipſum utpote in primum principium, & ultimum finem, amoris ſuper omnia, & ſimilia poſitiva præcepta: ſicut etiam ab oppoſito, & reliqua præcepta negativa, ſive prohibentia, videlicet de irreverentia, blaſphemia, odio Dei, & ſimilibus. Deo enim ſupremoque naturæ Authori, ac ſummo bono, à quo homo quidquid habet, quidquid eſt, totum accepit, a quo conſervatur, à quo providetur, a quo regitur, & gubernatur, omnis cultus, ac reverentiæ obſequium deberi; & vel minimum quid irreverentiæ irrogare ſacrilegium eſſe, nemo non videt, ſi ſit rationis compos. quod adeò verum eſt, ut nedùm intellectuali creaturæ ad omne obſequium Deo præſtandum ſit ſpecialis inclinatio naturaliter indita; ſed etiam omni, vel inſenſibili creaturæ; non minùs quàm parti inditum eſt in ſui totius obſequium deſervire: quandoquidem omnis creatura ſuo modo aliqualiter pars Dei eſt, cum ſit quædam primi entis participatio. Et hinc profectò eſt, quod filiis eſt à natura inditum, quod parentibus ſuis reverentiam exhibeant; quia de illorum eſſe participant per generationem. Undè & præceptum, quod habent de jure naturæ erga parentes, quod ſuper eiuſmodi naturali eorum inclinatione fundatur, pariformiter à nemine filiorum ignorari poteſt.

485 Conſtat igitur ex huc uſque dictis ſingula quoque præcepta ſive primaria, & ut prima principia huius generis inclinationis ſpecialis, & propriæ hominis, in quantum eſt homo; ſive ſecundaria, & ut quaſi concluſiones inde deductas per immediatam connexionem cum illis, fieri omnibus per ſe manifeſta eodem ferè modo, quo ſupra diximus de aliis præceptis juris naturæ ad alias ſpeciales inclinationes naturales pertinentibus; idque totum ex vi uniuſcuiuſque generis ſpecialis inclinationis à natura hominibus inditæ; & ex vi ſupremæ illius inclinationis generaliſſimæ huius tertii ordinis ſingulas alias regulantis, ſibique eas omnes ſubjicientis, ut hactenùs explicatum eſt. Profectò ſi hæc omnia benè conſiderentur, apparebit omnia juris naturæ præcepta ferè ad ſenſum ab omnibus videri, quaſi ab ipſa natura ſingulariter indicata per eiuſmodi inclinationes, quibus intùs omnes movet, & ad bonum honeſtum ſuo pondere, quaſi ad proprium centrum conducit; ita ut indè nequaquam diverti poſſint, niſi violenter impetu propriarum paſſionum aliò transferantur.

486 Quod tamen intelligendum eſt de inclinationibus ſingulis ut regulatis per illam ſupremam; virtute cuius bonum earum, ſeu finis, in quem tendunt, ad bonum honeſtum revocatur, ut dictum eſt. niſi enim appetitus, ſive inclinationes omnes naturales hominis, per illam ſupremam regulentur; vel clariùs, & quod in idem redit, niſi per rationem dirigantur; &, ut ita dicam, in proprio centro, ſeu in medio, quaſi in centro per rationem ſiſtere cogantur; facilè per exceſſum, aut defectum ad extrema vitia declinabunt. nam natura dedit utique eiuſmodi inclinationes ſpeciales hominibus, ſed ut per eas in proprios earum fines debito modo tenderent ſine exceſſu vel defectu; finis enim ſeu bonum earum a natura intentum illud re vera eſt, quod ipſi naturæ neceſſarium eſt, & ſufficiens, ſine ſuperfluitate, vel diminutione; & iis mediis aſſequendum, quæ juxta illius exigentiam ab eadem natura apta præſcribuntur, & non aliter: & hoc eſt, quod dixi, quod debent per rationem dirigi, & cogi, ut in medio ſeu in proprio centro ſiſtant, ut impetu paſſionum a vero bono, quod in tali medio conſiſtit, non extrahantur. Et ideò homo indiget virtutibus moralibus, & prudentia, quia virtutes morales eiuſmodi medium habent ſive rei, ut juſtitia; ſive rationis, ut aliæ virtutes; omnes autem ſuum medium habent dependenter à ratione ſive illud cognoſcente, ſi ſit rei, ut in juſtitia; ſive illud præſcribente, ut in aliis, ad quod opus eſt utique prudentia: & ſingulæ quidem dicuntur homini naturaliter comparatæ per actus proprios naturales priùs judicatos conformiter ad regulas rationis rimantis in eis bonum honeſtum, quod natura intellectualis ſive humana perquirit inclinationibus ſuis: ſic enim actus omnes humani diriguntur, & intra ſpheram cuiuſque inclinationis naturalis, ad quam pertinent, ſine errore cohibentur: Undè

dè qui pertinent ad primam, & ſecundam inclinationem, puta conſervandi proprium eſſe individui; & propagandi ſpeciem per generationem, cohibentur per temperantiam: qui verò pertinent ad tertiam inclinationem hominis in quantum eſt animal ſociale, & ordinatum ad alios, quibuſcum converſari oportet, cohibentur per virtutem juſtitiæ, & alias ei affines, quæ ſunt ad alterum. Et ubi in his arduum quid occurrit vincendum pro aſſecutione cuiuslibet finis eiuſmodi inclinationum juxta modum dictarum virtutum intra earum ſpheram, cohibentur ſtare per virtutem fortitudinis; in univerſis verò ſemper virtute prudentiæ imperante. quæ quidem propterea virtutes Cardinales appellantur, quibus videlicet veluti quibuſdam cardinibus univerſa honeſtæ vitæ ſeries innititur, ut docet D.Thomas *q. de virtutibus a.* 1. reliquæ enim omnes aliæ virtutes ſunt his affines, & ad iſtas reductivè pertinent, ſive ut partes ſubiectivæ, ſive ut integrales. omnes tamen naturaliter acquiruntur mediis actibus juxta ordinem finium prædictarum naturalium hominis inclinationum regulatis, ut dictum eſt.

487 Ex quo quidem toto diſcurſu plenè concluditur omnes, & univerſos actus humanos, ex vi præfati triplicis generis naturalium inclinationum, & ex vi primorum principiorum quæ in unoquoque eorum fundantur, in promptu per naturale lumen haberi, ac faciliimè ab unoquoque cognoſci naturali quodam immediato diſcurſu, ut hactenus oſtendimus, paſſim ferè ſingulos percurrendo, deſignatiſque eorum primis principiis, & concluſionibus per ſe, & immediatè indè procedentibus. Undè non video qui ſint illi ultimi apices juris naturæ penetratu difficiles, & vix a viris doctiſſimis, ut Recentiores exaggerant, attingibiles. Profectò ſi non ſingula in individuo juris naturæ præcepta explicitè tetigimus, fortè nullum præterivimus, quod non fuerit compendioſo curriculo noſtro implicitè comprehenſum. fateor tamen quod ſæpè ſæpiùs cum quæſtionibus juris quæſtiones facti promiſcuè diſcutiuntur, ut alibi oſtendam, & tunc apparent difficilis ſolutionis, ſed difficultas tunc ex obſcuritate facti potiùs procedit, non juris. quod velim omnes deligentiſſimè advertere. Atque hæc de præceptis omnibus, ad quæ totum jus naturæ ſe extendit, quod ſupra promiſimus oſtendere, ſufficiant.

§. XII.

In quo re epiloguntur ſuperius dicta circa jus naturæ quid ſcilicet ſit, & ad quæ præcepta ſe extendat.

488 Demonſtrato jam nunc quid ſit jus naturæ, & ad quæ ſe extendat, ut initio huius capitis promiſeram, & quod ibi veluti fundamentum neceſſariò jaciendum indi caveram, ad probandum intentum principale videlicet dari non poſſe invincibilem ignorantiam juris naturæ; nedùm quoad quædam prima eius principia, quod ab omnibus conceditur; ſed neque quoad alia quæcumque præcepta eius indè deducibilia: ſupereſt modò poſt interiectum hunc totum diſcurſum, plùs juſto quidèm prolixiorem, ad concluſionis noſtræ probationem indè formaliùs devenire. licet enim ea ferè ſemper, & ubique, in toto præfato interiecto diſcurſu fuerint expreſſiſſimè demonſtrata: nihilominus expedit nunc, quod iterùm ſub breviori forma, veluti omnia ſimul recolligendo, plauſibilioribus argumentis, ac perſtrictis rationibus demonſtretur: ad hunc finem enim, quæ huc uſque interiecimus, dicta ſunt, & ex induſtria præmiſſa.

489 Ea itaque ſic compendiosè hìc recolligo, ut ſimul ante oculos propinquiori intuitu habeantur, atque indè efficaciùs tota concluſio, atque formaliùs demonſtretur. Dictum eſt ergo quod lex naturæ nobis indita nihil aliud eſt, quàm verbum illud practicum ſeu conceptus, quem parturit intellectus, vel ratio practica per actum quemdam imperii. habet enim intellectus, vel ratio practica per actum ſuæ intellectionis nedùm cognoſcere, & judicare de praxi, hoc eſt de opere, ſeu actione agibili, nempè enunciando de illa ſecundùm veritatem ſi ſit, vel non ſit agenda; ſed etiam, & principaliùs ordinare, & imperare de illa quod agatur, vel non agatur, ſeù quod idem eſt, intimare debitum, & obligationem agendi illam, vel abſtinendi ab illa; ordinare enim, ut millies dicit D.Thomas, & diſponere, eſt actus intellectus practici; & quia intellectus per quemlibet actum intellectionis producit verbum, conſequenter per eiuſmodi actum ordinationis, ſeu imperii, producit ſuum verbum, quod eſt res ipſa intellecta, ut intellecta; & in propoſito eſt res ipſa nempè actio imperata, quia per actum imperii fit actualiter intellecta ut imperata, quod idem eſt, ac ut præcepta, ſic enim in tali verbo eſt intellecta, & ideò tale verbum dicitur lex, & hæc eſt lex naturæ nobis indita; nempè tale verbum practicum, ſeu conceptus, quem parit intellectus ſeu ratio practica per dictum actum imperii, & habet vim legis, quia eſt participatio verbi practici divini, ſeu divini dictaminis, quod eſt lex æterna in mente Dei exiſtens. dicitur autem nobis indita à natura, non quia eiuſmodi verbum practicum ſit à natura inditum, ſed quia inditum eſt nobis à natura ex præſuppoſitis ſpeciebus illius triplicis boni ſeu finis illarum inclinationum naturalium, de quibus diximus ſupra, & quibus omnes actus humani ſecundùm ſe naturaliter reguntur, quod tale verbum practicum producat intellectus noſter ſeù ratio practica, & non aliter. Et ideò ſemper dico (intellectus, ſeu ratio practica) ad deſi-

gradum quod tota lex naturæ ad verbum practicum duplicis generis reducitur; alterum quidem quod fit ab intellectu, ideſt per ſimplicem intelligentiam ſine diſcurſu, & huiuſmodi eſt de primis principiis ſeu primis præceptis in unoquoque genere dictæ triplicis inclinationis naturalis in homine, & fit de ipſo fine; ut v. g. in inclinatione illa naturali omnium ſuprema in homine vivendi ſecundùm rationem, intellectus per ſpeciem huiuſmodi finis generaliſſimi ſtatim naturaliter, & ſine ullo diſcurſu intelligit, & ſua intellectione diſponit, ſeu imperat & intimat, quod bonum ſit proſequendum, malum verò fugiendum, ſicque ſuum conceptum format ſeu verbum practicum, in quo ſit actualiter intellectum primum illud ſupremum præceptum juris naturæ, ſeu primum principium, quod dignitas dicitur. & idem proportionaliter facit intelligendo fines ſpeciales cuiuslibet ſpecialis naturalis inclinationis, formando in unaquaque earum ſua prima principia ut ſupra expoſuimus. Alterum verò quod fit à ratione, ideſt per diſcurſum ſeu per deductionem ex primis principiis, & fit de omnibus actibus humanis, ſecundùm quod ad ſuos fines ſunt per ſe conducentes, vel deordinantes ab illis. ut v. g. in inclinatione illa naturali hominis ad ſocialiter vivendum, in qua intellectus per ſpeciem huiuſmodi finis, ſtatim naturaliter intelligit, & ſine ullo diſcurſu, non deberi alteri fieri, quod quis ſibi fieri non vult, & ſic format verbum ſuum practicum, quod eſt lex eiuſmodi primi principii, ſeu præcepti in tali ordine talis inclinationis. In eadem ratio practica per ſpecies actuum deordinantium à tali fine ſtatim naturaliter per diſcurſum ex tali primo principio deducit imperando, quod non ſit v. g. occidendum, furandum, & ſimilia, quia hæc nemo vellet ſibi fieri, & ſic format ſuum verbum practicum quod eſt lex de huiuſmodi actibus tamquam de præceptis ſecundariis juris naturæ.

490 Dictum eſt ulteriùs ſupra de lege hac naturæ ſpecialiter ad quæ præcepta ſe extendat, & hìc iterum dico breviùs & generaliter quod ſe extendit ad omnes actiones humanas, quatenùs ex ratione ſuæ ſpeciei ex proprio obiecto deſumptæ, omnes habent fundare ſuam moralitatem, puta bonitatem, vel malitiam, aut indifferentiam in ordine ad aliquem unum finem illius triplicis generis inclinationis naturalis exiſtentis in homine; ſecundùm enim quod ad eiuſmodi finem conducunt, fundant bonitatem; ſecundùm quod verò ab illo declinant, fundant malitiam; & ſecundùm quod neutrum ex ſe faciunt, ſed poſſunt ex intentione agentis ad utrumlibet ordinari, fundant indifferentiam, & ſic ſunt materia adæquata totius legis naturæ.

491 Dixi (quatenùs ex ratione ſuæ ſpeciei habent fundare ſuam moralitatem) quia licet lex naturæ ſit ſecundum ſuam latitudinem de omnibus actibus humanis ſecundùm propriam ſpeciem in ſe conſideratis, ut moraliter bonis, vel malis, aut indifferentibus, hoc tamen intelligendum eſt de eis ut præceptis, vel prohibitis, aut permiſſis ab ipſa formaliter. Cæterum ſi conſiderentur in ſeipſis antecedenter ad legem, & prout ſunt eius materia, circa quam eius imperium verſatur prohibendo, vel præcipiendo, aut permittendo illos, ſic non ſunt moraliter boni, vel mali, aut indifferentes formaliter, ſed ſolùm fundamentaliter; quia ſic non ſunt in genere moris, ſed tantùm in genere phiſico; in tali tamen genere phiſico, quod per ſe & ex propria ratione ſui fundat genus moris. Et ratio huius eſt quia genus moris formaliter loquendo non poteſt intelligi independenter à lege; nihil enim poteſt dici moraliter bonum, vel malum, aut indifferens formaliter, niſi ab aliqua lege præcipiatur, vel vetetur, aut permittatur; quia a lege cõſtituitur formaliter in genere moris. Unde ex Auguſtino peccatum, quod eſt malum morale formaliter, definitur: quod ſit dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam; ex qua omnes aliæ leges participant vim obligandi. Et Apoſtolus *ad Rom.* 4. dicit: quod ubi lex non eſt, ibi nec prævaricatio. quæcumque igitur ſunt de jure naturæ, non ſunt intrinſecè, & ex natura ſua moraliter bona formaliter, vel mala ſeu peccata, aut indifferentia; ſed talia conſtituuntur ab ipſo jure ſeu lege naturæ, quatenùs ab ipſa præcipiuntur, vel prohibentur, aut permittuntur; quæ etiam hoc ipſo intelliguntur præcepta, vel prohibita, aut permiſſa à lege Dei æterna, cuius ipſa eſt participatio, juxta illud *Psal.* 4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.

492 Ex quo apparet qualiter intelligendum ſit id quod communiter dici ſolet: quod quæ ſunt prohibita jure naturæ ſunt intrinſecè mala; & quod non ſunt mala, quia prohibita; ſed potiùs prohibita, quia mala. Intelligi enim debet quod ſint intrinſecè mala fundamentaliter, hoc eſt in genere phiſico, quatenus ſcilicet phiſicè conſiderata important quamdam deordinationem etiam phiſicam à bono, ſeu fine naturali, quod intenditur à natura per eius inclinationem nobis naturaliter inditam, eo quod phiſicè ad illum non conducent, ſed potiùs divertent ab illo contra intentionem naturæ: & per hoc fundant in genere moris malitiam moralem, quam eis formaliter attribuit lex naturalis, dum mota ex tali fundamento vetat illa fieri: ad differentiam eorum, quæ prohibentur aliqua lege poſitiva v. g. humana, & dicuntur mala, quia prohibita, quatenùs hæc non habent intrinſecè, & ex ſe aliquam phiſicam deordinationem à debito fine naturæ; ſed ſunt intrinſecè indifferentia; & ſic non fundant ex ſe malitiam aliquam moralem, quaſi quod lex illa poſitiva ex tali fundamento per ſe in illis reper-

to neceſſitetur, & moveatur ad ea prohibenda: ſed quia utpotè indifferentia in ſe, poſſunt per accidens, & ab extrinſeco, nempè ex intentione agentis fieri tali modo, ut poſſint a debito fine deordinare, ideò poſitivè prohibentur, & ſic evadunt moraliter mala, quia prohibita ex intentione legiſlatoris fundata in eo, quod per accidens ſupervenire poteſt.

493 Ex qua doctrina evidenter conſtat, quod lex naturæ ſit verbum illud practicum, ſeu conceptus ab intellectu, vel ratione practicà, per eius actum imperii neceſſariò, & naturaliter formatum ex vi obiecti cogniti, hoc eſt ex vi cuiuſcumque actionis humanæ ab intellectu cognitæ, ſecundùm quod ex ratione propriæ ſpeciei, ſeu ſecundùm ſpeciem ſuam, quam ex proprio obiecto deſumit, importat eſſentialiter in ſe neceſſariam quamdam phiſicam ordinationem, vel deordinationem a bono, ſeu fine a natura intento juxta eius naturalem inclinationem nobis inditam; aut phiſicam neutralitatem, & indifferentiam; ita ut intrinſecè, & in ſe hoc modo afferat ſecum hoc, quod eſt fundare genus moris, ad quod fundamentum ſic cognitum neceſſitatur intellectus, ſeu ratio practica ad tale verbum producendum, & non aliter, quia inditum eſt nobis, ut præſuppoſita ſpecie obiecti, ex intellectu, & ipſa patiatur notitia, ſeu conceptus, & verbum, quod tamen in propoſito fit per actum imperii, & ordinando, quatenùs proprium intellectus practici eſt ordinare, atque imperare ad praxim, ſeu operationem agendam. Et hoc ipſum ſic ordinare, & imperare, præſuppoſita cognitione illius phiſicæ ordinationis, vel deordinationis actus à debito fine, inditum eſt a natura talem finem intendente: atque ideò dicitur lex naturæ nobis naturaliter indita. His itaque ſic præmiſſis, & explicatis, ſit.

§. XIII.

Oſtenditur ex præmiſſa notitia iuris naturæ quoad ſuam quidditatem, & eius extenſionem ad ſingula ſua præcepta, non poſſe dari eius ignorantiam invincibilem, & quæ poſſit aliquem excuſare.

494 Iam ex dictis ad principale intentum devenio, ſic illud probando: Nemo poteſt conceptum proprium ignorare, quem format de obiecto, quod intelligit, & cognoſcit. Sed lex naturæ eſt ipſiſſimus conceptus proprius, quem homo, dum agit, format de actu ſuo, quem agit, tamquam de obiecto, quod intelligit, & cognoſcit per actum ſui intellectus, ſeu rationis practicæ (qui ſcilicet eſt actus imperii, & ordinativus, ſeu directivus morum juxta ſpeciem cuiuslibet actionis ordinatæ, vel deordinatæ à debito fine intento à natura, vel indifferenter ad illum phiſicè ſe habentis, & ut talis cognitæ, & attactæ, in ratione obiecti, ab huiuſmodi actu imperii) ergo nemo poteſt legem naturæ ſaltem invincibiliter ignorare reſpectu alicuius actionis, quæcumque ea ſit, ſive ſcilicet pertinens ad prima præcepta illius, ſive ad quæcumque alia præcepta, eiuſque concluſiones. Forma totius diſcurſus evidentiſſima eſt. materia verò, ſeu ſingulæ eius propoſitiones ſunt veriſſimæ in ſe, ut conſtat ex dictis; & ulteriùs magis examinantur: etenim maior ex propriis terminis conſtat, nam ridiculum eſt dicere, quod quis intelligens rem aliquam, conceptum proprium ignoret, quem de tali re ſibi cognita format, cum idem omninò ſit conceptus, ſeu verbum mentis, quod res ipſa intellecta in mente exiſtens ut actu intellecta. minor verò licet ſatis ſuperque ſit ex dictis demonſtrata, adhùc ſit magis ſuis exemplis manifeſta; nam qui aliquid ſcienter agit contra legem, ſive ex malitia, ſive ex fragilitate, ideò dicitur ſcienter contra legem agere, quia id quod agit in eius mente exiſtit actu cognitum, & intellectum, ut præceptum, ſeu prohibitum, & nihilominùs vult contra illud ſic intellectum agere: econtra verò qui malum aliquod agit ex ignorantia, non habet illud in mente ſeu actualiter cognitum, ut præceptum, ſeu prohibitum; & ideò dicitur illud agere ex ignorantia legis. ergo quidquid eſt in mente actu cognitum, & intellectum, ut præceptum, eſt ipſiſſima lex in ipſo exiſtens, vel tamquam in regulato, cuiuſmodi eſt lex naturæ in homine, ſicut ſupra diximus ex D. Thoma: vel tamquam in regulante, cuiuſmodi eſt lex æterna in mente Dei, de qua lex naturæ participat, & dicitur illius participatio. Sed id quod eſt actu cognitum, & intellectum in mente ſic exiſtens, eſt ipſiſſimus conceptus mentis ſeu verbum. ergo lex naturæ eſt ipſiſſimus conceptus proprius, quem homo format de quolibet ſuo actu, tamquam de obiecto, quod actu intelligit, & cognoſcit per actum eius imperii, ac per conſequens ut præceptum. ergo veriſſima minor. & conſeqentia eſt optima, ut conſtat ex forma ipſa ſyllogiſtica.

495 Verùm quia poſſet quis de dicta minore adhuc hæſitare quoad eius extenſionem ad ſingula præcepta juris naturæ; poſſet enim quis dicere, veriſſimum eſſe, quod conceptus iſte, ſeu verbum, quod homo aliquando format de ſuo agibili per actum ſui intellectus practici ad modum imperantis, & quod eſt ipſiſſimum agibile in eius mente exiſtens actu cognitum, & intellectum ut præceptum, vel prohibitum, aut ut indifferens, pro varietate eiuſdem actus intellectus practici uno, vel alio modo dirigentis, & imperantis, ſit re vera ipſiſſima lex naturæ in homine exiſtens tamquam in regulato, ut ſupra dictum eſt. At quod in mente uniuſcuiuſque formetur talis conceptus, ſeu verbum de ſingulis, & univerſis humanis actibus, quos eſt acturus; hoc non probatur: & tamen

men in hoc potiſſimùm eſt cardo totius difficultatis. Ideo ad hanc inſtantiam præoccupandam, eumdem diſcurſum proſequendo, ſic ſubſumo: Atqui omnis homo, ſi connaturali modo ſibi à naturâ indito ad agendum procedit; hoc eſt, ſi velit agere actus ſuos cum debita ipſorum habitudine ad finem, ad quem per ſe ab ipsâmet natura ſunt inſtituti juxta triplex illud genus inclinationum naturalium hominibus competentium, de quibus ſupra dictum eſt; non poteſt non formare ſibi huiuſmodi conceptum, ſeu verbum practicum, per quod omnem prorſus, & quemlibet actum ſuum habeat in ſe actualiter cognitum, & intellectum ut præceptum, aut prohibitum, aut ut indifferentem formaliter in eſſe moris, ſicut eſt in ſeipſo fundamentaliter ſecundum propriam ſpeciem in eſſe phiſico penès variam habitudinem ad debitum finem per ſe intentum à naturâ. quia ſemel cognitâ phiſica eius habitudine ad huiuſmodi finem; hoc eſt, quod ad illum ſe habeat, ut conducens, aut ut avertens ab illo, vel diſparatè; inditum eſt homini, ut eius ratio practica naturaliter illum approbet ut bonum, vel reprobet ut malum, vel judicet ut indifferentem, & ut talem prudenter tandem dirigendo imperet voluntati faciendum, vel vitandum, aut permittendum; prout in ſe ſe habet ad finem, ex quo evadit formaliter talis in genere moris. ergo veriſſima minor quoad ſingulos actus humanos, ac per conſequens, quoad ſingula, & univerſa præcepta juris naturæ. quia ſicut non poteſt homo non cognoſcere actus ſuos, quo ad ipſorum phiſicam habitudinem ad finem à natura intentum ſi illos ſemel agnoſcit quoad ipſorum eſſe phiſicum; ita non poteſt per actum rationis practicæ eos non approbare, vel reprobare faciendos in ordine ad eumdem finem; ac per conſequens nec poteſt non conſtituere eos formaliter in genere moris. Quod totum magis explicatur diſcurrendo ferè per ſingulos actus humanos.

496 Itaque qui v. g. occidit, qui furatur, qui mentitur, vel quemlibet alium actum humanum agit, cognoſcit utique illum ſecundùm propriam ſpeciem phiſicam, quam habet ex proprio obiecto; puta ſpeciem homicidii, quam ipſemet actus homicidii deſumit à vita hominis, quâ privat, tamquam à proprio ſuo obiecto, & per ordinem ad quod conſtituitur in ſpecie homicidii; & ſpeciem phiſicam furti, quam deſumit à re aliena, quam accipit, tamquam ab eius obiecto, & per ordinem ad quod conſtituitur in ſpecie furti; & ſpeciem phiſicam mendacii, quam ſimiliter deſumit à falſo, quod dicit, tamquam à ſuo obiecto, & per ordinem ad quod conſtituitur in ſpecie mendacii; & ſic de ſingulis quibuſcumque aliis humanis actibus. videt enim homo dùm iſtos actus agit, ſe re vera vitam alicui auferre, alienum accipere, falſum dicere, & ſimilia. Niſi enim hæc videret, quia fortè ignoraret hominem eſſe, quem interficit; aut neſciret alienum eſſe, quod accipit; nec perciperet falſum eſſe, quod loquitur: tunc in ignorantia facti verſaretur, & non juris, de qua hìc agimus. Suppoſito igitur quod hæc videat, & ſpecies omnium ſuorum actuum ex proprio obiecto agnoſcat in genere phiſico, non poteſt non videre eorumdem omnium ordinationem, vel deordinationem etiam phiſicam, aut indifferentiam reſpectu alicuius debiti finis à natura intenti juxta aliquam eius naturalem inclinationem nobis inditam ex tribus illis inclinationibus ſuperiùs explicatis: quia ipſamet ſpecies phiſica cuiuſlibet actus humani, quam habet ex proprio obiecto, eſt, & importat ipſiſſimam phiſicam ordinationem, vel deordinationem, aut indifferentiam reſpectu alicuius eiuſmodi finis naturalis: Conſtat enim quod ſpecies actus homicidii per hoc quod phiſicè aufert alicui vitam, per hoc ipſum formaliſſimè deordinat phiſicè à debito fine, & præcipuo bono intento à natura, videlicet ab ipſa vita, in quam conſervandam natura ipſa permaximè inclinat in unoquoque individuo: & per hoc ipſum quoque formaliſſimè deordinat etiam phiſicè a mutua ſocialitate, in quam tamquàm in ſpeciale finem, & bonũ ſibi propriũ ſpecialiter inclinat humana natura; ita ut impoſſibile ſit quod quis ſpeciem actus homicidii in eſſe phiſico agnoſcat, & non agnoſcat illum per ſe, & ex natura ſua contrarium eſſe, & deſtructivum humanæ vitæ, quæ eſt præcipuum bonum, & finis permaximè intentus ab ipſamet natura in unoquoque individuo: & eſſe ſimiliter deſtructivum mutuæ ſocialitatis, in quam ſpecialiter inclinat humana natura; quod idem eſt formaliſſimè ac eſſe per ſe, & ex propria ſpecie phiſicè deordinatum ab huiuſmodi fine, ſeù bono naturali aſſequendo. Et idem eſt proportionaliter de furto, mendacio, omnibuſque aliis ſpeciebus actuum humanorum. Nam cognita ſpecie furti conſiſtente in phiſica acceptione rei alienæ invito Domino, non poteſt non agnoſci, quod eo deſtruatur bonum utile, & neceſſarium ad humanam vitam ſuſtentandam, in quam unuſquiſque naturaliter inclinat, & intendit per ea, quæ poſſidet, conſervandam, nedùm ſimpliciter, ſed pro ſui conditione juxta ordinem hierarchicum naturæ humanæ ſimpliciter neceſſarium; atque ideò non poteſt non agnoſci quod per furtum contra hunc finem tendatur, atque indè infringatur etiam mutua ſocialitas, ſicut dictum eſt de homicidio: & ſic paſſim diſcurrendo de aliis quibuſcumque ſpeciebus actuum humanorum. Omnes enim habent ex proprio obiecto ſpeciem ſuam cognitam in eſſe phiſico cum ſua naturali coaptatione ad aliquem naturalem finem, ſeù cum aliqua naturali habitudine ad illum, ita ut vel ſint, & appareant per ſe, & ex proprio obiecto ad illius aſſecutionem neceſſarii, vel utiles, vel ſuperflui, vel deficientes, vel contrarii, vel indiffe-

rentes

Digitized by Google

rentes in genere phiſico; nec poſſit eiuſmodi ſua phiſica habitudo latere, ſemel cognita uniuſcuiuſque eorum ſpecie in eſſe phiſico; quia talis habitudo eſt ipſiſſima ipſorum ſpecies phiſica deſumpta, & cognita, ex proprio obiecto, quod ſemper eſt in ordine ad finem: undè qui comedit v. g. hoc ipſo, quod hunc actum naturalem ſcienter agit (qui habet pro obiecto cibum per ſe ordinatum ad vitam) naturaliter agnoſcit ex ipſo obiecto, hoc eſt ex cibo, quem ſumit, nedùm ſpeciem phiſicam comeſtionis, ſed eius ordinationem ad vitam: & ſi cibum agnoſcit eſſe ad menſuram, agnoſcit eius ſumptionem eſſe neceſſariam: ſi verò agnoſcit eſſe infra menſuram, agnoſcit eius ſumptionem eſſe deficientem: ſi autem ſupra menſuram, agnoſcit eſſe ſuperfluam: ſi denique illum eſſe veneficum, agnoſcit eſſe contrariam: ergo cognito obiecto, & indè ſpeciem phiſicam actus, agnoſcit omnem eius phiſicam habitudinem ad finem naturalem vitæ; ita ut impoſſibile ſit agnoſcere ſpeciem phiſicam huiuſmodi actus, quin etiam ex eodem obiecto agnoſcat ſimul eius habitudinem phiſicam ad vitam. Si verò ipſum lateat obiectum, puta quia menſuram cibi ignorat, vel illum eſſe veneficum, tunc laborat ignorantia facti, nec ſpeciem phiſicam ſui actus verè cognoſcit, ſed potiùs genus comeſtionis, ſeu ſumptionis ut ſic.

497 Similiter qui v. g. actum agit venereum, hoc ipſo quod hunc actum naturalem ſcienter agit, qui habet pro obiecto ſemen per ſe ordinatum ad vitam ſpeciei, ſicut cibus eſt ad vitam individui; ſeu quod idem eſt ad prolem propagandam, per quam ſpecies conſervatur, & ſucceſſivè perpetuò vivit; naturaliter agnoſcit ex ipſo obiecto nedùm ſpeciem phiſicam ſui actus, ſed eius etiam phiſicam ordinationem ad talem finem. Atque ideò ſi talem actum ex proprio obiecto ſpecificato ad debitam menſuram, ſicut exigitur ad talem finem, exerceat, utique ſibi naturaliter cognitam, videbit etiam eius neceſſitatem, vel utilitatem ad talem finem. Dico autem (neceſſitatem, vel utilitatem) quia eiuſmodi finis non eſt ex ipſamet inclinatione naturæ per ſe ab unoquoque neceſſariò intendendus, niſi in caſu, ut aliàs ſupra oſtendimus: ſed ſatis eſt ſi intendatur ab aliquibus de tota communitate; atque ideò eſt in tota ſpecie neceſſarius, in ſingulis autem ſpeciei liberè, & utiliter ad dictam menſuram intendendus. Si verò deficienter, aut ſuperfluè, vel etiam contrariè quis talem actum exerceat, idque ex ipſa ſpecie ſui actus ſibi cognita efficiat, videbit etiam eiuſdem habitudinem ad talem finem, videlicet deficientem eſſe, ſuperfluam, vel contrariam phiſicè illius aſſecutioni; ita ut non poſſit ipſum latere, ſemel cognita ſpecie phiſica ſui actus. atque huc redeunt ponderandæ omnes illæ variæ habitudines ad talem finem ſuperiùs explicatæ, dum de ſecunda inclinatione naturæ ad propagandam prolem agebamus, quas ex propria ſpecie ipſorum actuum ab unoquoque agnoſci ſpecialiter oſtendimus ibidem; & maximè attenta ſimul inclinatione eiuſdem naturæ veluti conſequente ad illam primam de prole propaganda, videlicet ad eamdem benè educandam, atque in temporalibus, & ſpiritualibus quoque promovendam; idque totum regulando per ordinem rationis juxta tertiam eiuſdem naturæ inclinationem: ſunt enim in materia venereorum plures habitudines in ipſis actibus neceſſariæ juxta varias naturæ humanæ inclinationes ibidem concurrentes, ad quarum menſuram eiuſmodi actus ex proprio obiecto naturaliter cognoſcitur, nedum quoad proprias ipſorum ſpecies, ſed etiam & quoad omnes ipſorum habitudines in ipſimet ſpeciebus importatas, ſi tamen ipſæmet ſpecies actuum alias in ſeipſis manifeſtæ ex proprio obiecto ab agente attendantur, ſicut eas tenetur attendere. Undè qui attendit in hac materia ſpecies ſuorum actuum in eſſe phiſico ex proprio obiecto utique ſibi cognito, puta ſpeciem fornicationis, adulterii, inceſtus, molitiei, ſodomiæ, beſtialitatis, vel etiã cuiuslibet abuſus matrimonii, in ipſiſmet ſpeciebus phiſicis dictorum actuum, videbit etiam eorum habitudines ad debitum finem naturæ juxta præfatas eius inclinationes, & qualiter ad illum ſe habeant phiſicè conducendo neceſſariò, vel utiliter; ad menſuram, vel ſine menſura; deficienter, vel ſuperfluè; vel etiam contrariè; ita ut ſemel cognita unaquaque ſpecie phiſica dictorum actuum ex proprio obiecto, impoſſibile ſit quod non agnoſcatur in illa eiuſdem phiſica habitudo ad debitum finem. ſicut ſupra magis ſpecialiter oſtenſum eſt.

498 Sic quoque qui agit quemcumque actum politicum, hoc ipſo quod hunc actum etiam homini naturalem agit, qui habet proprium obiectum per ſe ordinatum ad vitam ſocialem juxta naturalem inclinationem hominis ſpecialem, & characteriſticam, & ut differt ab omnibus aliis naturalibus agentibus; naturaliter agnoſcit ex ipſo obiecto cuiuslibet eiuſmodi ſui actus, nedùm eius ſpeciem phiſicam, ſed eius etiam phiſicam habitudinem ad talem finem vitæ ſocialis. Undè qui attendit in hac linea ſpecies ſuorum actuum ex proprio obiecto in eſſe phiſico, puta ſpeciem actus veracitatis in loquendo, juſtitiæ in operando, fidelitatis, gratitudinis, & ſimilium; aut econtra ſpeciem mendacii, iniuſtitiæ, infidelitatis, ingratitudinis, & ſimilium in eſſe phiſico utique ſibi cognito in unoquoque actu ex proprio obiecto; videbit etiam uniuſcuiuſque ſui actus phiſicam habitudinem ad talem finem vitæ ſocialis, & qualiter phiſicè ſe habeat ad illum conducendo neceſſariò, vel utiliter; deficienter, vel ſuperfluè; aut etiam contrariè, deducendo ab illo; ita ut impoſſibile ſit quod ſemel cognita ſpecie phiſica ſui actus ex proprio obiecto, non agnoſcatur eiusdem phiſica etiam ha-

bitudo, proportio ſcilicet, vel improportio, aut contrarietas ad talem finem; conſtat enim unicuique per actus juſtitiæ, veracitatis, fidelitatis, gratitudinis, & ſimiles promoveri vitam ſocialem, econtra vero deſtrui per actus oppoſitos.

499 Denique qui agit alios actus naturales ex proprio obiecto, & per ſe ad nullũ finem intentum a natura ordinatos, vel deordinatos, ſed indeterminatè ſe habentes ad talem finem, hoc eſt neque pro, neque contra proſecutionem illius; ſed qui poſſunt ex intentione agentis, & ab extrinſeco ad illius proſecutionem, vel deſtructionem applicari, & ordinari; hoc ipſo cognoſcit naturaliter eos ex propria ſpecie cum habitudine indifferentiæ ad aliquem naturalem finem. Cuiuſmodi ſunt actus ſeſſionis, ſtationis, deambulationis, & ſimiles. Ergo conſtat univerſaliter, & generatim, quod homo agens quoſcumque ſuos actus humanos ſcienter, hoc eſt ut ſibi cognitos ſecundùm proprias ſpecies ex obiecto in eſſe phiſico, ſimul cognoſcit eorumdem habitudines ad aliquem finem naturæ juxta aliquam eiuſdem naturæ inclinationem, puta eorumdem phiſicam ordinationem, vel deordinationem, aut indifferentiam ad talem finem; ita ut impoſſibile ſit quod talis habitudo phiſica non agnoſcatur, ſemel cognita ſpecie phiſica actus ex proprio obiecto, quia eiuſmodi habitudo nihil aliud eſt, niſi ipſamet eſſentia, ſeu ſpecies actus deſumpta ex proprio obiecto, quæ eſt ex ſeipſa apta, vel inepta, aut oppoſita debito fini proſequendo, vel diſparata & indifferens, unde eſt quidam ordo tranſcendentalis, indiſtinctus ab ipſa eſſentia actus, ad talem finem, quatenùs illum reſpicit ut ab ipſo proſequẽdum ſufficienter, neceſſariò, vel utiliter; cum defectu, vel cum ſuperfluitate, vel ad debitam menſuram; aut deſtruendum: quod totum ex ipſo obiecto, ſic vel ſic ſpecificante ipſum actum, habetur & cognoſcitur; ut conſtat in exemplis ſupra adductis de ſpecie homicidii, furti, & ſimilium.

500 Ex hoc autem ſponte ſua ſequitur, quod homo naturaliter habeat omnes actus humanos (quos agit agnoſcens illos in ſua propria ſpecie phiſica) contentos etiam & cognitos actualiter in mente ſua ut præceptos, vel prohibitos, aut indifferentes ex propria ſpecie in genere quoque moris, ex vi ſcilicet actus proprii ſui intellectus practici, qui dicitur imperium, utpotè produceatis verbum illud practicum ſive conceptum, in quo diximus legem naturæ conſiſtere. Nam intellectus, ſeu ratio practica in homine per actum ſui imperii attingendo, & cognoſcendo eiuſmodi actus humanos in ſua propria ſpecie phiſica, ut phiſicè ordinatos vel deordinatos, aut indifferentes ad debitum finem naturæ, & pro ſuo naturali munere per talem ſuam cognitionem practicam, ſeu actum imperii, eos ordinans, & dirigens, hoc ipſo, conſtituit eos formaliſſimè ut imperatos, & actualiter cognitos ut prohibitos, vel præceptos, aut permiſſos ſeu indifferentes in genere moris, producendo, & formando conceptum ſeu verbum illud practicum per modum imperii, quod oſtendimus eſſe ipſiſſimam legem naturæ, ſeu dictamen rationis practicæ naturale, quatenùs inditum eſt nobis à natura ut lumen rationis practicæ naturaliter tale dictamen formet juxta naturalem habitudinem, quam quilibet actus humanus habet ex obiecto, ſeu ex propria ſpecie phiſica, ad debitum aliquem finem eiuſdem naturæ. Idem enim eſt formaliſſimè intellectum practicum attingere per actum imperii aliquod obiectum, ac illud imperare, ſeu de illo diſponere, & ordinare: nec poteſt de illo, ſi ex propria ſpecie, & per ſe ad debitum naturæ finem phiſicè conducat, & ſit per ſe ad illius aſſecutionem phiſicè ordinatus, aliter diſponere, & imperare, quam præcipiendo illud: nec de deordinato, ſive phiſicè deducente a tali fine, quam prohibendo: nec denique de phiſicè indifferente, quam permittendo: quia intellectus ſeù ratio practica naturaliter habet judicare, & ordinare conformiter ad appetitum rectum per intentionem finis: unde ubi videt actum aliquem per ſe phiſicè conducere ad finem, quem agens rectè appetit juxta inclinationem ipſius naturæ, illum judicat faciendum, quod eſt formaliſſimè illum imperare præcipiendo: & ubi videt illum per ſe phiſicè deducere a tali fine, illum judicat non faciendum; quod idem eſt, ac illum imperare prohibendo: & ubi videt illum per ſe nec conducere, nec opponi tali fini; illum judicat libere fieri, vel omitti poſſe; quod idem eſt ac illum ſua diſpoſitione, ſeù imperio liberè permittere. Nec poteſt aliter conceptum ſuum formare; ac per conſequens in verbo ſuo practico ſeu conceptu relucet ipſiſſimus actus ſecundum ſuam ſpeciem, & habitudinem, ſic judicatus, & actualiter cognitus, videlicet ut præceptus, vel prohibitus, aut permiſſus; & ut talis conſtituitur formaliter in genere moris, utpotè ſic diſpoſitus per legem naturæ conſiſtentem in tali verbo practico per talem actum imperii formato, & non aliter. Ex quo manet concluſio noſtra omninò, & pleniſſimè demonſtrata, ut benè totum diſcurſum ponderanti patebit.

§. XIV.

Confirmatur, vel veriùs eadem ratio fortiùs, & evidentiùs iterùm inculcatur.

501 Confirmatur, vel veriùs eadem probatio clariùs proponitur ſic: In materia juris naturæ eadem ferè formaliſſimè eſt ſpecies actus in genere phiſico, ac in genere moris; & unde deſumitur, & cognoſcitur ſpe-

cies

cies in eſſe phiſico; deſumitur, & cognoſcitur ſpecies in eſſe moris. ergo ubi ſuppouitur, quod agens cognoſcit actum ſuum ſecundùm propriam ſpeciem in genere phiſico, cognoſcit etiam illum ſecundùm ſpeciem ſuam in genere moris, ac per conſequens cognoſcit ſpeciem bonitatis, vel malitiæ eius moralis; & ſic non eſt poſſibilis tunc ignorantia juris naturæ. conſequentia ſequitur: Antecedens verò probatur, & ſimul explicatur; non enim intendimus dicere, quod in materia juris naturæ ſit fomalſſimè idem eſſe phiſicum, & morale; hoc enim falſum eſt; quia eſſe morale dicitur per ſubiectionem ad legem, quod nou habet eſſe phiſicum, qua purè phiſicum eſt: ſed intendimus dicere, quod in materia juris naturæ ſit quaſi, & ferè idem eſſe phiſicum, & morale formaliſſimè ſumptum; quia in materia juris naturæ eſſe phiſicum per ſe, & ex propria ratione ſui, eſt fundamentum proximum, & immediatum moralitatis; eo quod ex ipſo per ſe proximè, & immediatè reſultat in nobis jus naturæ, cui veluti naturaliter ſe ſubiiciendo, evadit translatum ad eſſe moris; ita ut poſſit dici ipſum eſſe morale virtualiter, ſeu fundamentaliter; quod dici non poteſt de eſſe phiſico in materia juris poſitivi.

502 Et ratio huius eſt, quia eſſe phiſicum pertinens ad jus naturæ, ut materia eius, habet per ſe, & intrinſecè quamdam malitiam phiſicam (ut ita dicam) ſive bonitatem, aut indifferentiam etiam phiſicam, conſiſtentem in illa phiſica habitudine ad bonum, ſeu finem aliquem debitum eiuſdem naturæ, ratione cuius eſt proximè per ſe ſubiicibile ad jus naturæ, ut juxta eiuſmodi ſuam habitudinem ab illo diſponatur; Unde dici ſolet, quod quæ prohibentur jure naturæ, non ſunt mala, quia prohibita; ſed econtra ſunt prohibita, quia mala: quod non cõtingit in jure poſitivo. ex quo fit quod cũ eiuſmodi ſua bonitas, vel malitia phiſica, aut indifferentia, ex proprio obiecto cuiuſlibet actus humani deſumatur, & cognoſcatur; ex eodem obiecto etiam deſumitur, & cognoſcitur ſpecies eius in eſſe moris formaliter; maximè cum eius cognitio ſit actus intellectus practici formaliſſimè de illo diſponens ſuo imperio, per quod evadit formaliſſimè ſubiectum ad jus naturæ, & conſtitutum in genere moris. ex quo patet veriſſimum eſſe antecedens ſic explicatum, quod ſcilicet in materia juris naturæ, eadem ferè formaliſſimè eſt ſpecies actus in genere phiſico, ac in genere moris; & quod undè deſumitur, & cognoſcitur ſpecies in eſſe phiſico; deſumitur, & cognoſcitur ſpecies in eſſe moris, ac propterea ubi ſuppouitur, quod agens cognoſcit actum ſuum ſecundùm propriam ſpeciem in genere phiſico, cognoſcit etiam ſpeciem illius in genere moris; & videt ſpeciem bonitatis, vel malitiæ eius moralis. quia eſſe moris in materia juris naturæ per ſe, & propriè, fundatur immediatè in eſſe phiſico, & habet eſſentialem cõnexionem cum illo. Id quod etiam fit exemplis magis manifeſtum: Ideo enim furtum v. g. eſt moraliter malum, quia per actum furti phiſicè læditur quis in propriis bonis: & ideò homicidium eſt moraliter malum, quia per talem actum phiſicè quis læditur in propria vita: & ideò fornicatio eſt moraliter mala, quia per eam phiſicè præiudicatur bonæ educationi prolis indè ſuſcipiendæ: & ſic de aliis. Conſtat autem quod hæc damna phiſica naturale lumen agnoſcens, non poteſt naturaliter non reprobare, ut mala, qualia phiſicè eſſe agnoſcit; atque indè formaliter conſtituit mala moraliter. Cum igitur homo de omni actu ſuo humano ſimile quid videat, ſi tamen illum in propria ſua ſpecie phiſica agnoſcat, & non laboret ignorantia facti, profectò nou poterit nativi juris ignorantiam umquam habere.

503 Et hinc eſt, quod experimur, neminem in cauſa propria, dum aliorum actus in ſeipſum patitur, moralitatem illorum ignorare, ſi tamen ſibi illi actus conſtent in ſua propria ſpecie phiſica: in ſignum cuius de eiuſmodi agentium moribus paſſim, & ubique diſcurrentes, veriſſimè judicando eos vituperant, aut commendant pro qualitate ipſorum. Quis enim de aliquo non conqueritur, ſi detegit ſe ab illo fuiſse mendaciis deceptum? aut in propria vita, vel in propriis bonis, ſive fortunæ per furtum, ſive animi per infamiam, aut diffamationem, aliqualiter læſum? quis non ægrè patitur in mutuo ſolutione uſuræ gravari? aut in emptionibus, ſive venditionibus, aliiſque contractibus defraudari? quis ſuſtinet uxori ſuæ alterum commiſceri? aut conſanguineam, vel aliam perſonam ad ſe attinentem fornicari? quæ proles ex fornicario concubitu genita non erubeſcit? aut non triſtatur cogitans indè, per ſe loquendo, debitæ educationis ſorte privari; quanamvis fortè per accideus optimè videatur a parentibus educari? qui parentes de filiis inobedientibus, eorumque inhonoratione non triſtantur? Cui non diſplicet ſui oppreſſio, contemptus, aut inimici contra ſe attentata vindicatio? Cui placet dolus, infidelitas, ingratitudo, aut quidquam vel minimum ſibi perperàm illatum? Econtra verò unuſquiſque commendat ſibi vera loquentem; fideliter ſecum agentem; eius vitam pari affectu quaſi propriam defenſantem; bona ſua cuſtodientem; gratis ſibi mutuantem; offenſas, & iniurias ſine ulla vindicatione remittentem; ſuſceptis beneficiis gratum; & ſimilia ſervantem, quæ ad humanam ſocialitatem, quam quilibet naturaliter appetit, quomodocumque conducunt. ea verò quæ indifferentia ſunt nemo eſt, qui vel commendet, vel vituperet: Undè nemo de aliquo conqueritur, aut ſibi complacet, eo quod ſedeat, vel ſtet, aut deambulet, aut quid ſimile agat ex propria natura indifferens. ergo manet etiam experientiâ comprobatum quam notiſſima ſit humanorum actuum moralitas, ſemel iis cognitis in

ſua propria ſpecie phiſica; & quidem omnibus quantumcumque incultis, & indoctis. & maximè experientia hæc videtur in hominibus otioſis, qui ſolent minutatim aliorum facta, & mores obſervare, deque illis in congreſſibus ſuis ſæpè ſæpiùs judicare, qui procul dubio, utpotè otio torpentes, indoctiſſimi ſupponuntur regulariter, & nihilominùs ſingula verè (quantumvis peſſimè) judicant, & reſolvunt.

504 Et hoc eſt quod Caietanus paucis, & conciſis verbis, intendit dicere 1. 2. *q.* 76. *a.* 4. dum diſcrimen aſſignat inter ignorantiam juris naturæ, & facti, vel alterius juris; dum ait, quod *in illa non latet obiectum, undè deſumitur ſpecies actus, etiam in genere moris; ſed ſolùm latet contrarietas ad virtutem, & legem: at ſpecies moris* (ſubdit Caietanus) *non ex hac contrarietate deſumitur, ſed ex obiecto* (hanc utiquè contrarietatem intrinſecè importante) *atque ideò eàdem ſpecie peccati peccat ignorans, & ſciens: quia uterque ſcienter fertur in obiectum, & in actum, qui eſt contrarius; non tamen uterque fertur in actum contrarium, ut contrarium legi directè; ſed ſolùm qui ſcienter peccat: qui verò ex ignorantia peccat, indirectè; quatenus fertur in actum, qui eſt utique contrarius, ſed eius contrarietas ipſum latet, ac propterea non fertur directè in illam.*

505 Verùm hæc Doctrina Caietani licet in principio expreſsiſsimè nobis faveat; dum ait in materia juris naturæ non latere obiectum, undè deſumitur ſpecies actus, etiam in genere moris: tamen in eo, quod ſubdit, quod in ignorantia juris naturæ latet contrarietas ad virtutem, & legem; videtur nobis contradicere, tùm quia jam ſupponit dari ignorantiam juris naturæ: tùm etiam quia dicit in ea latere contrarietatem ad legem: ex quo infertur manifeſtè, quod actus ille in ſua ſpecie cognitus ex proprio obiecto, non ſit in mente agentis actualiter cognitus, ut præceptus, vel prohibitus, ſicut uſque adhuc conati ſumus oſtendere; alioquin non lateret eius contrarietas ad legem; ut dicit Caietanus. malè igitur allegatur ad confirmandum intentum noſtrum.

506 Sed ſi benè attendatur quò collimet intentio noſtra, & tota doctrina ſuperiùs tradita, apparebit nos cum Caietano convenire: neque enim nos intendimus nullo prorsùs modo dari poſſe ignorantiam juris naturæ; ſed tantùm eam negamus eſſe poſſe invincibilem. quare cũ dicebamus ſuprà, omnes humanos actus, ex hoc ipſo, quod ſupponuntur cogniti ab agente ex proprio ſuo obiecto in ſua ſpecie ſecundùm eſſe phiſicum, fieri actu cognitos in eius mente, ut imperatos, ſive ut præceptos, aut prohibitos, aut indifferentes, per eius actum intellectus practici, qui dicitur imperium; atque ſic formaliter per eius conceptum, ſeu verbum practicum indè naturaliter formatum per modum imperii, transferri ad genus moris, dependenter ab ipſomet verbo tamquàm à lege naturæ in ipſo conſiſtente; qui antea ſupponebantur purè materialiter ſub lege, ſeu tamquam materia illius, eiuſque fundamentum proximum, & immediatum, exigens per ſe in homine talem conceptum naturaliter indè formandum, ut ſic in ipſo participetur lex æterna in mente Dei exiſtens, atque ab æterno eiuſmodi actus imperans; voluimus exprimere, & expreſſimus de facto modum connaturalem hominis procedendi circa actus ſuos: quod ſi ab eiuſmodi modo interdùm deficiat, impeditus ab aliqua paſſione: quâ, & cuius impetu aliò intellectum ſuum practicum divertens, eiuſmodi debitum modum ſibi connaturalem prætereat; procul dubio a tali conceptu deficiet, & juxta concupiſcentiam ſuam incedens, oppoſitum conceptum formabit, videlicet faciendum eſſe actum illum æternæ legi contrarium, non obſtante quod illum in propria ſpecie cognoſcat ex proprio obiecto nullatenus latente, undè re vera deſumitur eius ſpecies etiam in genere moris; & tunc ſcienter feretur in actum illum, qui re vera eſt legi contrarius, non tamen illum volet directè ut contrarium, quia eiuſmodi contrarietatem minimè advertit, quantumvis eam in promptu eſſet ex propria ſua natura advertere, ſi vellet proprium intellectum practicum modo ſibi connaturali, omni paſſione poſtpoſita, applicare; atque ideò per ipſum ſtat, quod non videat, & non formet ſibi conceptum debitum de tali actu aliàs ſibi cognito ex obiecto, & non latente in propria eius ſpecie, & quod non habeat illum naturaliter actu cognitum, ut præceptum, ſeu prohibitum: ex quo evadit utique ignorans, ſed ignorantiâ vincibili, & non invincibili; quod erat intentum à nobis unicè probandum.

507 Conſtat autem ex dictis, quod unuſquiſque de quolibet actu ſuo humano, ſi de illo ſecum conſulat, prout tenetur, ſemel cognita eius ſpecie ex proprio obiecto in genere phiſico, cum ſua phiſica habitudine ad debitum aliquem finem juxta eiuſdem naturæ inclinationem, non poteſt naturaliter per actum ſui intellectus practici aliter diſponere, & ordinare, niſi prout exigit eius habitudo phiſica ad talem finem à natura intentum, & naturaliter appetitum; quia inditum eſt à natura, ut intellectus ſeu ratio practica, cuius eſt naturale munus humanos actus dirigere, ſecundùm veritatem practicam judicet, hoc eſt conformiter ad appetitum finis; quod eſt dicere: juxta ipſam eiuſdem actus phiſicam habitudinem ad talem finem; nec poteſt alium conceptum, ſeu verbum practicum per eius diſpoſitionem, ſeu per actum eius imperii formare, niſi ex propria concupiſcentia, & paſſione, indè divertatur ad oppoſitum; qui enim poſt proprias concupiſcentias vadit, non diſcutit habitudinem operis ad debitum finem; ſed præterit illam, utpotè præoccupatus vehementer in ſui ipſius prava habitudine ad obiectum concupitum; conſtat enim,

enim, quod qui v. g. ſinit carnis illecebris trahi, vix cogitat de fine, quem natura in eo opere intendit, & de habitudine debita talis operis ad dictum finem; ſed totus eſt abſorptus in habitudine ſui ad ſuum concupitum; non quod ipſum lateat debitus finis naturæ, aut phiſica habitudo ſui operis ad talem finem; ſed quia ad illam non attendit; quam ſi attenderet, & ſecundum illam ſecum conſuleret de actu ſuo, profectò non poſſet naturaliter niſi ſecundum illam judicare, & ſibi imperare; & ſic in promtu ei eſſet, & connaturale formare ſibi debitum conceptum, & verbum illud practicum per modum imperii, in quo lex naturæ conſiſtit, & dicitur nobis indita veluti in radice; quatenus inditum eſt nobis, ut præſuppoſitis ſpeciebus actuum humanorum, tale verbum formemus in nobis. & ſi ab hoc deficit homo, nonniſi ex propria paſſione deficere poteſt; ac per conſequens, ſi errat agendo; ſi actum ſuum non habet actu cognitum ut præceptum, vel prohibitum; ſi legem ignorat, & contrarietatem ſui actus ad legem non videt; dum ſpeciem actus ex proprio eius obiecto cognoſcit; non invincibiliter ignorat; quia in promptu eſt ei; & à natura inditum, ut hæc videat, ſi velit.

§. XV.

Satisfit quibuſdam reſponſionibus, quibus adverſarii conantur doctrinam, & rationes noſtras enervare.

508 OBiicies. doctrina hæc vera ad ſummum eſſe poteſt quoad præcepta juris naturæ primaria, & etiam ſecundaria primariis propinqua, & immediatè connexá; ſeu quod idem eſt, quoad actus illos humanos, qui ex propria ſpecie apparent habere per ſe immediatam, vel ferè immediatam habitudinem ad debitum aliquem finem intentum à natura: cæterùm quoad alia magis remota, verificari nõ poteſt; nam hæc non ita facilè penetrantur quoad eius habitudinem; & interdùm indigent multo, & longo diſcurſu: & non omnes tanto pollent ingenio, ut naturaliter diſcurrendo, aliquando inculpabiliter non deficiant. quis enim dicat rudes homines, & mulierculas, imò & pueros, & puellas à nemine eruditas, tantam perſpicaciam naturaliter omnes habere, ut ſimplici, & inculto rationis uſu, ea omnia, quæ juris naturæ ſunt penetrare facilè poſſint ſine ullo prorſus errore; diſcurrendo ſingula uſque ad ultimos eiuſdem juris apices; æquè ac eruditiſſimus quicumque alius vir, & moralis theologiæ, atque naturalis Ethicæ peritiſſimus? ſunt quippè quoad apices juris naturæ res aliquæ obſcuriſſimæ, quas (inquit P. Cardenas *tract. de probabilit diſp. 15. cap. 9. num. 539.*) vix ipſi Theologi ingenioſi intelligunt. Et ibidem fatetur ſe vidiſſe multos indoctos putaſſe licitum mendacium pro vita hominis tuenda, aut pro fama nobilis fœminæ retinenda; idque ita firmiter credidiſſe, ut nulla in eis fuerit diſpoſitio ad dubitandum. Et *in addit. ad diſputat. 11. num. 19.* de aliquibus Doctis refert, quod ſuſtinuerint delectationes moroſas internas non eſſe peccata læthalia. *Et tract. 1. de probabilit. diſp. 15. cap. 4. n. 399.* impugnans Vincentium Baronium ait: *Licet de primis ſyndereſeos principiis, & clarioribus punctis decalogi non poſſit eſſe ignorantia invincibilis; at de multis aliis practicabilibus eſſe poſſe ignorantiam, ideſt defectum certitudinis, qui ſcientia vinci non poſſit, certiſſimum eſt: vel dicat mihi Vincentius, an ego poſſim, & ex quo principio certò cognoſcere, quæ pars vera ſit in ea quæſtione: an jure naturali tenear ad reſtitutionem damni, quod cum ſola culpa veniali intuli?* Ita P. Cardenas contra nos.

509 Reſpondeo his & ſimilibus emphaticis & ampulloſis verbis, extollentibus nativi juris apices, & inextricabiles difficultates, nihil penitùs probari. quandoquidèm jus naturæ vires naturalis luminis quantùcumque inculti nullatenùs excedit; neque quid habet in humanis actibus velatum, ſemel iis in ſua ſpecie cognitis, quod & pueri, & puellæ, ſi ad perfectum rationis uſum pervenerint, non poſſint, ſi velint ſecùm conſulere, à ſemetipſis pervadere abſq; ullo extrinſeco magiſterio; quia unicuique præſto eſt intùs doctrix magiſtra natura, ipſum videlicet naturale lumen, cui inditum eſt, & finem primo intuitu inſpicere, quò natura quemlibet ſuo pondere inclinat, efficitque ut bonum ſibi conveniens appetere; & actuum habitudinem ad illum, in eorum ſpecie ſemel cognita ſecundum ſuum eſſe phiſicum importatam, protinùs videre, & veluti ipſiuſmet naturæ ſtylo in eis inſculptam legere, nullo prorſùs interpoſito velamine, niſi quod fortè deforis obtexerit paſſio aliqua, vel pravus affectus propriæ concupiſcentiæ, quæ in cauſa eſt, ut agens homo ſæpè ſæpius negligat intueri, id quod aliàs ſe ſe legendum offert ante oculos poſitum. Eſt enim id, quod agens confert, ut phraſi utar Philophi 3. *Ethic. cap. 2.* ſicut vidimus ſupra, cuius ignorantia ut ibidem dicit D. Thomas commentando dictum textum, non cauſat involuntarium; quia *ignorantia huiuſmodi* (inquit) *non poteſt homini habenti uſum rationis provenire, niſi ex negligentiâ.* quare ad hæc cognoſcenda, quæ homo confert; nempè, ut exponit ibid. D. Thomas, quæ agit homo videndo in propria ſpecie quid agat, ſimplex, & purus uſus rationis ſufficit per D. Thomam. ubi igitur ſunt juris apices obſcuriſſimi, qui vel à viris doctis difficilè reſolvi poſſunt? non poteſt circa huiuſmodi actus homini habenti uſum rationis ignorantia provenire, proclamat D. Thomas ex Philoſopho, niſi ex negligentiâ: ſupple; quia negligit conſiderare, quod videt ſe agere: & moderni Probabiliſtæ exaggerant, quod vix ipſi Theologi ingenioſi poſſint intelligere?

510 Quod verò P. Cardenas viderit multos indoctos putaſſe licitum mendacium pro vitâ hominis tuendâ aut famâ nobilis mulieris: nihil refert. hoc enim illis contingebat, quia plus juſto affectus proprii paſſione detinebantur erga proximum ſuum: Cæterùm perſpicuum erat eis illud in ſe mendacium eſſe, & in ratione mendacii adhuc perſiſtere, etiam accedente optimâ ipſorum eiuſmodi finis extrinſeci intentione. Cur ergo ad finem intrinſecum operis operati non attendebant, & habitudinem illius ex propria ſpecie ad debitum finem naturæ? jam hoc totum erat eis cognitum: ſciebant enim mentiri ex proprio obiecto, & in ſpecie ſuâ, eſſe intrinſecè actum phiſicè deordinatum, & veracitati contrarium, in quam utique natura hominis inclinat; & abhorret oppoſitum, per quod omnis humana ſocietas infringitur, & extinguitur; ita ut nemo velit quod ſibi alius mentiatur. Ut quid ad hoc non attendebant; ſed aliò vertebant conſiderationem ſuam? finem utique ex parte agentis optimum habebant, & juxta quoque inclinationem naturæ: ſed actus proprii ad talem finem ineptitudinem, ſeu inconvenientiam in ipſa ſua intrinſeca deordinatione involutam, & ſe tenentem ex parte actus, non conſiderabant: quare? niſi quia plus juſto erga proximum afficiebantur? optimum eſt vitam proximi, & famam tueri, & juri naturæ conſentaneum; ſed, eiuſdem juris ordine ſervato. Ordo autem eius eſt, ut ſic uni fini juxta inclinationem naturæ attendatur, ut alteri fini eiuſdem naturæ non præiudicetur. Et hunc ipſum ordinem ſervare eſt præcipuus finis humanæ naturæ, & unicuique inditus juxta inclinationem quam quilibet naturaliter habet ad ſingula facienda ad menſuram rectæ rationis. quis autem ignorat ad menſuram rectæ rationis eſſe, ſic uni alieni debito, & optimo fini naturæ attendere, quod alteri non præiudicetur? quis non videt inordinatum eſſe, & contra rationem, unum quærere; & alterum eiuſdem naturæ finem prorsùs contemnere? plus juxto certè foret, quam natura rationalis patiatur. Et hoc ipſum neminem latere poteſt, cum ſit ipſiſſimum primum principium in ordine ſpecialis, & characteriſticæ inclinationis hominis, in quantùm homo eſt; ſitq; bonum præcipuum rationalis naturæ, in omnibus juxta ordinem rectæ rationis vivere. ſubindeque in omnibus perquirendum, & oppoſitum vitandum, neminem latere poteſt. Et idem dicimus proportionaliter de illis nominatis Doctis à Patre Cardenas, qui delectationes moroſas internas læthalia peccata eſſe negabant, quorum ſententia expuncta fuit, ut ibid. refert idem P. Cardenas. Illis enim procul dubio ignotum non erat, eiuſmodi delectationes præter limites matrimonii, de obiecto læthaliter malo eſſe, & phiſicè deordinato à debito fine naturæ. Sed hoc non attendebant, aliò ſe vertentes, quò ſcilicet eos propria concupiſcentia trahebat pravi finis, quicumque ille fuerit; puta ſive affectæ laudis in opinando, & complacentiæ in populis, quibus vana, & laxiora placeat; ſive eiuſdem illecebroſæ voluptatis, aut ſimilis cuiuſque generis ipſorum finis ipſos rapientis.

511 Quoad illud deuique quod P. Cardenas à Baronio petit, ut dicat: an poſſit, & ex quo principio agnoſci, quæ pars vera ſit illius quæſiti: an ſcilicet jure naturali teneatur quis ad reſtitutionem damni, quod cum ſola culpa veniali intulit. Dico quod interrogatio illa de reſolutione eiuſmodi quæſtionis, nec Baronio, nec nobis nocet; quantumcumque ſupponatur eſſe in ſe difficillimæ reſolutionis: quia quæſtio illa ſicet proponatur in terminis juris naturæ à P. Cardenas: re vera tamen non eſt ſimplex quæſtio juris, ſed mixta; nempè juris ſimul, & facti. Et tota difficultas in ea reſolvenda oritur ex parte quæſtionis facti, non juris. Nos autem non negamus factum quandoque latere, & poſſe in illo contingere ignorantiam, etiam invincibilem; ſicut cum quis præmiſſa debita diligentia putans occidere feram, committit homicidium materialiter, tunc enim iſte talis factum ipſum, quod agit, nempè homicidium, ignorat; quia no videt ſpeciem ſui actus, eo quod latet obiectum; unde ſpeciem ſumit, nempè homo, quem interficit; & invincibiliter ignorat, ſuppoſitâ debitâ diligentiâ, quia non per ipſum ſtat, quod non videat. Negamus tamen ignorantiam juris naturæ invincibilem, quia per nos ſtat quod illud ignoremus, cum optimè poſſimus ex ſpecie proprii actus ſemel cognitâ ad illud devenire, ut dictum eſt.

512 Quod autem quæſtio illa ſit mixta, nempè ſimul juris, & facti; & difficultas tota ſe teneat ex parte quæſtionis facti, & non juris; facilè manifeſtatur per diſcretionem unius ab alia. Cum enim quæritur: An cum ſola culpa veniali inferens alicui damnum, teneatur ad reſtitutionem? duæ quæſtiones interveniunt; altera præſuppoſitivè, & eſt quæſtio juris: altera verò formaliter, & eſt quæſtio facti: Prima eſt, an inferens formaliter damnum teneatur ad reſtitutionem? Secunda eſt, an inferens damnum cum ſola culpa veniali inferat illud formaliter? Et prima quæ præſuppoſitivè ſe habet ad ſecundam, eſt quæſtio juris, & facillimæ reſolutionis, ita ut nemo ſit, qui non ſtatim illam reſolvat affirmativè; quia unicuique eſt per ſe notum, quod qui formaliter, hoc eſt voluntariè, infert damnum, ad reſtitutionem tenetur. At ſecunda, quæ in prædicto quæſito formaliter agitatur, eſt quæſtio facti, & difficilis; quia non facilè conſtat, ſi qui cum culpa veniali infert damnum, illud inferat formaliter, aut materialiter; ſeu quod idem eſt, aliquo modo voluntariè, an omninò involuntariè: quia oportet factum examinare, an ſcilicet in culpa illa veniali ſit talis negligentia, quæ faciat, quod per ipſum ſteterit, quod damnum non

prævi-

Digitized by Google

prævíderit,& evitaverit:an verò talis negligentia non fuerit: ex hoc enim pendet reſolutio eiuſmodi quæſtionis; ſicut ex hoc pendet reſolvere, an occidens hominem putans occidere feram, ſit formaliter homicida, ita ut illi homicidium imputetur, vel non. & hoc difficile eſt, quia de facto nihil dictat natura, cum poſſit utroque modo contingere. Et quidem quod in præfato quæſito ſint duæ illæ quæſtiones, una præſuppoſitivè ſe habens & juris; Altera verò formaliter & facti; maximè conſtat ex varia deciſione Doctorum, qui dum variè reſolvunt, etiam conveniunt ſimul, & diſcrepant: nam qui dicunt non teneri ad reſtitutionem, id tenent, quia putant non cenſeri formaliter cauſam damni ſubſecuti: qui verò dicunt teneri, putant eſſe verè formaliter cauſam illius, & in hoc diſcrepant: Conveniunt autem implicitè in una conditionali præſuppoſitâ, ſeu cauſali, quaſi ſic dicentes: Si inferens damnum eſt formaliter inferens illud: vel, quia inferens damnum eſt formaliter inferens illud, tenetur; aliter non tenetur. hæc autem convenientia, & diſcrepantia non poſſunt eſſe reſpectu unius, & eiuſdem quæſtionis; impoſſibile enim eſt quod per reſolutionem in qua conveniunt, reſpondeant eidem quæſtioni in cuius reſolutione diſcrepant: ergo ubi conveniunt reſolvunt unam; & ubi diſcrepant reſolvunt alteram: dum igitur conveniunt in illâ conditionali, ſeu cauſali præſuppoſitâ, quod ſcilicet, ſi; vel quia, inferens damnum eſt formaliter inferens illud, tenetur ad reſtitutionem, reſolvunt quæſtionem illam, an inferens damnum teneatur, quæ eſt quæſtio juris; & huic univocè reſpondent affirmativè: dum verò diſcrepant in inferente damnum cum ſola culpa veniali, reſolvunt alteram, nempè an inferens damnum cum ſola culpa veniali, ſit formaliter inferens illud, quæ eſt quæſtio facti; & huic variè reſpondent, aliqui negando, aliqui affirmando: ac propterea poſtea concludunt juxta ſuam reſolutionem affirmativam, vel negativam facti, per applicationem alterius reſolutionis conditionalis, ſeu cauſalis præſuppoſitæ, quod tenetur, vel non tenetur ad reſtitutionem; quaſi applicando reſolutionem quæſtionis juris ad factum ipſum variè ab ipſis judicatum. ex quo patet quod tota difficultas, & diſcrepantia Doctorum in quæſtione propoſitâ non eſt ex parte juris, ſed tantùm ex parte facti. In jure enim conveniunt, quod qui eſt verè, & formalis damnificator, tenetur. diſcrepant verò in facto, quia aliqui cenſent non eſſe formalem damnificantem, qui cum ſola culpa veniali damnificat, quia damnum non prævidit in ea levi culpa, nec per ipſum ſtetit, quod non præviderit: Alii verò credunt per ipſum ſtetiſſe, hoc ipſo quod levi culpæ voluntariè operam dedit, quia tenebatur vel à levi culpa abſtinere, à qua dum non abſtinuit, cenſetur in ea voluiſſe virtualiter quidquid indè ſucceſſit. quare ſi convenirent in diſcuſſione facti, nulla eſſet inter eos diſſenſio.

513 Sed hoc opus, hic labor Doctorum eſt, factum diſcutiendo convenire, & juxta veritatem reſolvere, quod utique natura non dictat, & indiget ſpeciali diſcurſu, & accurata ponderatione facti cùm eius collatione ad damnum, quod indè contingit præter intentionem agentis; cum ei ſupponatur latens, & occultum, & non præviſum, neque volitum in ſeipſo: de hoc enim quæſtio procedit, & non de prævidente damnum, ac ſcienter illud inferente: & ideò eſt difficilis reſolutionis non ſolùm reſpectu ipſius agentis; ſed etiam, & maximè reſpectu Doctorum: nam agens licet videat actum, quem agit cum aliqua levi culpa, puta quia videt v. g. ſe otiosè, & ex animi levitate, ignem virgulto arido, & inutili, admovere in campis; non tamen agnoſcit in hoc ſui facto ſpeciem incendii arborum utilium, quod indè præter eius intentionem, & per accidens cauſaliter contingit cum gravi damno alicuius poſſeſſoris; quia hoc ei erat obiectum latens, & occultum; ac propterea agit cum ignorantia facti; non minùs, ac qui hominem interimit volens transfigere feram. ſed poſt caſum nequit facilè reſolvere, ſi ſit eius voluntati imputandum incendium illud, quod procul dubio actualiter non prævidit, quando virgulto illi ad otium ignem admovit; ad hoc enim dignoſcendum opus eſt magno diſcurſu, & ponderatione ſui actus otioſi in individuo cum collatione ad damnum poſtea ſubſecutum ſecundùm omnes eius circumſtantias ſingulares, quæ interdùm vel ipſum agentem latere poſſunt; & non eſt omnium eas accuratiſſimè ponderare. & multò magis difficilè redditur Doctoribus reſolvere generatim ſeu in abſtracto caſum damni illati ex culpa levi ut ſic; quia ignorantia facti etiam aliqualiter culpabilis, cum non ſemper eodem modo omnibus contingat, ac propterea aliquando excuſet ab illato damno, & aliquando non; ideò redditur difficilioris reſolutionis ob varietatem eiuſdem facti aliqualiter culpabilis uno, vel altero modo; quod oportet conſiderari, & diſcerni ſecundum diverſam eius collationem in individuo in ratione culpæ ad damnum, quod ſubſequitur in uno, & in altero caſu ſingulari. Cæterùm facto benè diſcuſſo, & reſoluto, quod qua culpabile fuit, verè influxerit, vel non, in damnum illud; ita ut maneat uſque ad ultimum apicem reſoluta quæſtio facti; ſtatim & ſponte ſua ſe ſe offert jus naturæ perſpicuum, & manifeſtum de obligatione, vel deobligatione damni reſarciendi. Igitur tota difficultas eſt in inquirendo veritatem facti: veritas autem juris de ſe eſt unicuique quantumcumque rudi perſpicua, & manifeſta.

514 Ut verò doctrina hæc magis conſtet, multùm prodeſt reſpondere Patri Cardenas punctualiter aſſignando ei principia, ex quibus certò cognoſci poſſit, quæ pars vera ſit in ea quæſtione, quam proponit, dicens: *an jure natu-*

naturali tenear ad reſtitutionem damni, quod cum ſola culpa veniali intuli? & dico quod pars vera ex duobus principiis certò cognoſcitur: altero nempè juris, quod eſt omnibus per ſe notum, & manifeſtum; puta reſarciendum eſſe damnum à voluntariè illud inferente: altero autem facti, puta quod in tali caſu, ego illud voluntariè intulerim; quod tamen non eſt ita manifeſtum, quando non infertur voluntariè directè; ſed ſolum indirectè, ſeù virtualiter, & in cauſa, ſicut contingit in propoſita quæſtione. & ideò ſi quæ difficultas eſt, tota eſt ex parte facti, ita ut ſi hoc cognoſcatur, cognita certò ſit quæ pars ſit vera in dicta quæſtione.

515 Et ſi curioſè hîc quis interroget, qualiter reſolvenda ſit in caſu propoſito quæſtio facti, ut determinatè reſolvatur de obligatione reſtituendi, vel non? Dico, quod licet hoc ad præſens inſtitutum non ſpectet; nihilominùs, ut curioſæ petitioni ſatisfaciam, fiet hoc perſpicuum perquirendo, ſi culpa illa venialis, quam poſui, fuerit cauſa ignorationis damni: nam ſi ita fuit, jam ex culpa mea ignoravi; ac propterea non excuſor à damno reſarciendo, quantumvis damnum ignoraverim; quia in hoc ipſo, quod ignoravi, culpabilis ſum; & per me fuit, quod ignoravi, cum tamen ſcire potuerim, & obligatus eram: ſi verò non ita fuit, tunc purè materialiter damnum intuli, utpotè mihi ignoratum, & taliter ignoratum, quod nec poteram ſcire; ac proindè licet in aliqua culpa aliundè fuerim, non tamen in culpa fui formaliter, ut inferens damnum, cum illud nec prævideriṁ, nec potuerim prævidere.

516 Pro citius maiori intelligentia eſt ſciendum, quod actus, ex quo ſubſequitur damnum, dupliciter poteſt eſſe culpabilis, & illicitus: uno modo in ſeipſo abſolutè conſideratus, præciſo quocumque reſpectu ad damnum, quod ſubſequitur, quatenùs ſcilicet in ſeipſo eſt mihi illicitus, ſive mortaliter, ſive venialiter; ſed nullam connexionem habet cum damno, quod poſtea ſubſequitur, quia ex natura ſua illud nullo modo præcontinet, ſed ſolùm per accidens & purè contingenter cum illo coniungitur; & tunc culpa talis actus, ſive mortalis in ſe, ſive venialis, omninò impertinenter ſe habet ad dãnum ſubſequens, nec poteſt mihi reddere illud aliqualiter voluntarium, nec directè, nec indirectè, & virtualiter, quãtumvis culpa illius actus ſit mihi directè voluntaria, quia in illa nullo modo prævideri poteſt contingentia damni ſubſequentis, ac per conſequens nullo modo damnum illud poteſt eſſe mihi voluntarium; nihil enim poteſt eſſe volitum, quin ſit aliquo modo præcognitum ſaltem indirectè, & virtualiter in ſuâ causâ. Alio modo dicitur actus illicitus relativè ad damnum ſubſequens, quatenùs ſcilicet in ſe periculoſus eſt, & præcontinet ſaltèm in eâ circumſtantiâ, in quâ fit, periculum illius damni, ita ut prudenter hîc, & nunc, poſſit, & debeat judicari, quod indè damnum immineat; & nihilominus illum præcipitanter, & inconſideratè ago, atque ideò ex negligentia debitæ conſiderationis damnum non prævideo, quod tamen in actu illo talis conditionis tenebar prævidere; & de facto prævidiſſem, ſi conſideraſſem; ac per conſequens per me ſtetit, quod non præviderim; & tunc actus ille, etiamſi in ſe abſolutè conſideratus culpa levis, vel nulla ſit; per ordinem tamen ad damnum, quod in ea circumſtantia conſiderare debebam, evadit mortalis, vel venialis, proportionaliter ad damnum, quod poteram, & tenebar prævidere, ratione negligentiæ, cum quâ illum ago, & quæ eſt cauſa ignorationis damni mortalis, vel venialis, in actu illo præcontenti; ac per conſequens damnum illud poſtea ſubſecutum, mihi ut voluntarium tribui debet; quia ex propriâ negligentiâ voluntariâ illud ignoravi. Et tunc hoc mihi certè cognito poſt caſum per debitam diſcuſſionem facti, certò agnoſco me ad reſtitutionem teneri. quare quæſtio iſta facti non ex facto ipſo, ſeu actu in ſe culpabili, & illicito, abſolutè reſolvenda eſt; ſed quatenùs culpabiliter facto relativè ad damnum ignoratum, & non præviſom; hoc eſt quatenùs facto cum culpa negligentiæ in prævidendo, & præcavendo illud. quæ quidèm culpa, ſi ſemel intervenit, numquam poteſt eſſe levis reſpectu damni notabilis, quia judicanda eſt ad menſuram damni, per ordinem ad quod eſt commiſſa negligentia. Ex quo fit quod malè proponitur quæſtio illa de damno illato cum veniali, ſeu levi culpa; quia ſic eſt de ſubiecto non ſupponente, non enim eſt poſſibile inferri aliquando damnum notabile cum levi, ſeu veniali negligentiæ culpâ; niſi fortè qui ſic quæſtionem illam proponunt, intelligant non de culpa negligentiæ, ſed de culpa ipſius actus in ſeipſo conſiderati, qui per ſe ſit venialis; ſed jam dixi quod talis culpa ſivè venialis ſit, ſive mortalis, ſivè etiam nulla, impertinenter ſe habet ad damnum, & non facit ad rem; nihil enim refert ad propoſitum, quod agens det operam rei in ſeipſa licitæ, vel illicitæ, mortali, vel veniali; ſi in ea agenda nulla ſit culpabilis negligentia in ordine ad prævidendum, & præcavendum periculum imminentis damni; quia tunc damnum ſubſequens ſemper evadit invincibiliter ignoratum, & omninò involuntarium; ac per conſequens ſine obligatione reſarciendi illud; quia hoc onus oritur ex illatione damni aliqualiter voluntariâ, ſaltem indirectè, & non ex illatione omninò caſuali, & per accidens cõtingente ad actum aliquem quantumcumque in ſeipſo culpabilem: quia talis illatio damni, cum nullo modo in tali actu culpabili ſit præviſa, imò nec præviſibilis, eo quod purè contingenter cum illo coniungitur, nulla præſuppoſitâ connexione periculi, non eſt agenti imputabilis: quemadmodùm Auguſtinus, ut alibi diximus, non imputa-

vit

Digitized by Google

vit Judæ peccatum inceſtus cum Thamar eius Socru, quamvis ille tunc dederit operam rei mortaliter illicitæ, nempè fornicationi; quia illam citra ſui negligentiam, ſcortum eſſe credidit.

517 Atque hinc conſtat perperam aliquos diſtinguere in quæſtione propoſitâ de negligentiâ gravi, & levi; ſeu ut alii dicunt, lata, levi, & leviſſima; quaſi quod ſit poſſibilis negligentia venialis reſpectu damni notabilis præcavendi: quia licet negligentia hæc habere poſſit ſuos gradus, & eſſe maior, & minor; numquam tamen venialis eſſe poteſt, ſi ſit vera negligentia culpabilis, hoc eſt ſi importet defectum diligentiæ debitæ juxta naturam actus exercendi in tali circumſtantiâ, in quâ ſit; quia talis negligentia menſuratur tamquam à propriâ menſurâ ab ipſo periculo, ſeu damno neglecto; & interdùm ulterius à lege poſitiva taxante modum diligentiæ, ut quod depoſitum v. g. pecuniæ publicæ ſit tali, & tali modo cuſtodiendum. Dixi (ſi ſit vera negligentia) quia aliqui ſolent etiam negligentiam appellare defectum alicuius diligentiæ ſupererogatoriæ, quam interdùm adhibent quidam extremè delicati in negotiis ſuis, quæ re vera non eſt diligentia debita, ſed ſuperflua; ſatis eſt enim quod fiat diligentia regulariter ſolita, & proportionata negotio exercendo humano modo, ſeu modo rationabili, & prudenti; & non requiritur illa, quæ regulariter cenſetur affectata, excedens, & ſuperflua atque inutilis; licet per accidens in aliquo caſu raro interdùm juvet, ut conſtat in acceſſu Jacob ad Liam, in quo certè ſi fuiſſet talis irregularis, & ſuperflua diligentia, procul dubio juvaſſet; puta ſi acceſſiſſet admoto lumine; & tamen omiſſio luminis in Jacob nulla negligentia fuit, neque culpa venialis, eo quod non erat regulariter debita. Sed hæc obiter dicta ſint occaſione deſumpta à quæſtione illa, cui opus fuit pro Baronio reſpondere, & Patri Cardenas ſatisfacere, ut ſic magis appareret nullam ibi eſſe difficultatem juris, ſed totam, & magnam eſſe ex parte ſolius facti.

§. XVI.

Oſtenditur in omnibus ferè quæſtionibus juris naturæ, quæ difficultatem habent apud Doctores, ita ut in varios ſenſus dividantur, difficultatem oriri ex aliquâ permixtâ quæſtione facti, & non ex eo quod jus naturæ ibi lateat.

518 Quod in præcedenti quæſtione advertimus, meritò iterum inculcamus, nam in multis, & ferè in omnibus aliis perdifficilibus quæſtionibus evenit, quæ in terminis juris naturalis proponi ſolent; cum tamen re vera mixtæ ſint ex quæſtione juris & facti; atque ideò perdifficiles videntur; ſed tota difficultas ſemper ſe tenet ex parte facti, quod eſt valdè notandum; nam multi in hoc labuntur, & propterea credunt circa jus naturæ verſari graviſſimas, & ſubtiliſſimas difficultates, cum tamen nullæ ſint, ſi jus naturæ in ſeipſo, & a factorum involucris expeditum conſideretur, ut benè conſideranti patebit. Ita profectò contingit in variis quæſtionibus agitari ſolitis, & controverti à Doctoribus de uſura in mutuo, & de juſtitia, & iniuſtitia in aliis contractibus, qui per jus naturæ regulari debent.

519 Unde in contractu mutui planum eſt id, quod juris naturæ eſt, & omnibus per ſe manifeſtum, ſemel cognitâ ſpecie ipſius actus mutuationis; nam qui mutuat pecuniam ſuam, illam tradit, ut eâ mutuatarius utatur, & poſtmodùm reſtituat; quod utique juſtum eſt; non enim eam donat abſolutè, ſed donat ſervando ſibi jus repetendi; ſeu quod idem eſt, abdicat à ſe jus poſſidendi eam ad tempus, quo elapſo, vult iterum reſtitui in ſuo jure poſſeſſionis; juſtum eſt autem unicuique reddere jus ſuum, ac proindè tenetur mutuatarius illud reddere. At ſolvere quid ultra ſortem, quo jure obligabitur? aut quo jure mutuans illud exiget? Juſtitia enim ex naturâ ſuâ æqualitatem arithmeticam poſcit, ut tantum quis reddat, quantum accepit per ſe loquendo; ergo plus exigere per ſe contra juſtitiam eſt; & hoc jus naturæ omnibus dictat manifeſtè: atque ideò qui centum dedit, centum poteſt, & non plus exigere; quia non plus dedit, quam centum: & in centum datis non poteſt aliud jus fundari, quàm ad centum. In quo igitur jus ad plus fundatur? numquid in uſu eorumdem centum? at uſus non eſt quid diſtinctum, ſeu pretio diſtincto dignum a centum; quia uſus centum non plus valet utenti, vel mutuanti, quàm centum; nec aliquid minuit mutuanti, qui à ſe talem uſum ad tempus abdicavit, eo quod ſupponitur eo tempore nihil ei deperire per non uſum illius pecuniæ, quæ aliàs in capſa erat mortua ſervanda; & ſine ullo fructu, ut pro nunc ſupponitur. Imò indè uſura dicitur, quia uſus pretio diſtincto venditur, quod re vera non habet diſtinctum à ſorte ſeu pecuniâ ipsâ mutuatâ; quæ enim unico uſu conſumuntur, cuiuſmodi eſt pecunia, non habent valorem uſus à ſeipſis diſtinctum; nam qui utitur centum, præter centum, quo utitur, nihil ſibi acquirit. quod certò nemo non videt, quare unicuique uſum rationis habenti naturali lumine conſtat, quod pretium centum aureorum adæquatè centum aureorum pretio compenſatur; & quod ſi plus exigatur ab eo, qui accepit; procul dubio gravatur in hoc ipſo, quod cogitur ſupra id quod acceperat, adiungere de ſuo ſine ullâ causâ. quis enim hoc non videat quantumcumque rudis, & indoctus? Videt phiſicè, & ad ſenſum in manu ſua ſibi pecuniam augeri de alieno, pro quo nihil dederat; & non videbit ære alieno gravari ſibi nullo titulo debito? quis hoc dicat? ergo id quod ju-

ris eſt in mutuo neminem latet. & tamen plures circa mutuum controvertuntur difficultates, & torquentur ingenia in iis decidendis, ita ut vix Theologi, & Canoniſtæ poſſint certò ſtabilire, quando contractus ſit, vel non ſit uſurarius. Undè hoc, niſi quia ex variis factis hominum involutis difficultates emergunt in dignoſcendo, ubi ſit purus, & ſimplex contractus mutui; & ubi ſit ſimul interveniens contractus alius lucrativus? omnes agnoſcunt, & fatentur ex mutuo lucrum eſſe uſurarium: ſed diſcrepant, & dividuntur Doctores in controverſiis uſuræ, aliis affirmantibus, aliis negantibus lucrum in caſibus controverſis eſſe ex mutuo. ergo in factis hominum dignoſcendis, ſi ſcilicet hoc, vel illud factum ſit purum mutuum, vel cum alio contractu mixtum tota difficultas verſatur.

520 In cuius ſignum eſt quod in quocumque contractu, de quo diſputatur apud Doctores ſit ne uſurarius? qui partem affirmativam ſuſtinent, per factum reſpondent, dicendo: ibi lucrum exigi ex vi mutui; & laborant in hoc probando, reiicientes alios titulos tamquam fictos. & qui partem negativam tuentur, ſimiliter per factum reſpondent, dicendo: ibi lucrum non exigi ex vi mutui; & laborant in hoc probando, oſtendentes alios titulos aliorum contractuum tamquàm veros, puta damni emergentis, lucri ceſſantis, periculi, gratitudinis, aſſecurationis, & ſimilium; omnes tamen conveniunt, quod non ex mutuatâ pecuniâ, quod eſt id quod juris naturæ eſt, & de quo nemo dubitat. Recurſus verò ad alios titulos facit, & ſignificat, quod agens ideſt mutuans aliud facit ab hoc, quod eſt exigere ex pecuniâ mutuatâ; quod conſtat ad factum pertinere. Sed quia notitia facti non facilè haberi poteſt ab omnibus, ideò dividuntur Doctores, aliis factum illud diſtinctum à mutuo verum exiſtimantibus: aliis verò econtrà id falſum, & fictum eſſe credentibus.

521 Et propterea Doctores accuratè procedentes, ubi agnoſcunt factum eſſe poſſibile, ſicut eſt in caſu damni emergentis, vel lucri ceſſantis; conditionatè reſolvunt; quod ſi verè ſit damnum emergens, vel lucrum ceſſans, licitè poteſt exigi ultra ſortem compenſatio damni, vel lucri ceſſantis: aliter non. Ubi verò factum judicant omninò fictum, & impoſſibile, ſicut eſt in titulo periculi ipſi mutuo intrinſeci; vel aſſecurationis, quaſi factæ ab ipſomet mutuante; vel gratitudinis, aut ſimilis; abſolutè reſolvunt eſſe uſuram. quia eiuſmodi tituli hoc ipſo quod ficti judicantur, & impoſſibiles, non addunt aliud verum factum à mutuo, ſed relinquunt eiuſmodi exigentiam ultra ſortem verè eſſe ex mutuo, ac per conſequens uſurariam. Cæterùm ſi quis ex eiuſmodi titulis poteſt interdùm verificari, & defacto verificatur, ſicut aliquando verificatur titulus gratitudinis, puta quando mutuatarius verè vult gratuitâ donatione mutuus aliquod donare mutuanti, poteſt utique iſte ſuſcipere, ſicut quicumque alius donatarius; non enim ex hoc quod dedit mutuum, evadit deterioris conditionis, quàm alii, qui mutuum non dederunt, & tamen poſſunt eſſe gratuiti donatarii; ſed exigere numquam poteſt, quia exigere idem eſt, ac cogere, ad dandum, quod non ſtat cum donatione gratuitâ & amoroſâ.

522 Hoc autem quod dictum eſt de uſura in contractu mutui, proportionaliter procedit in omnibus aliis contractibus circa eorum juſtitiam, vel iniuſtitiam. In omnibus enim id quod juris eſt, ſine controverſiâ eſt, omnibus notum, & manifeſtum: ſed innumeræ difficultates, quæ de illis agitantur ſemper ad quæſtionem facti pertinent. Undè in contractu emptionis, & venditionis, ad quem ferè omnes contractus juſtitiæ commutativæ reduci poſſunt; puta cenſus, qui in emptione, & venditione annui fructus alicuius prædii, vel alterius rei fructiferæ conſiſtit: locationis, qui in emptione, & venditioni uſus alicuius rei poſt uſum permanentis, puta domus, equi, & ſimilium: & ſimiliter conductionis operum perſonalium: & aſſecurationis, qui in emptione, & venditione quadam iuris contra tertium ſe obligantem ad pecuniæ, ſeu mercis indemnitatem ſervandam: cambii, qui in emptione, & venditione laboris, & induſtriæ campſoris in permutandis, & transferendis pecuniis in commodum campſuarii; & ſimilium contractuum alicuius permutationis, ſivè nominatorum, ſivè innominatorum, qui omnes ad contractum cuiuſdam certæ emptionis, & venditionis videntur reduci ex D. Thoma *in 4. diſt. 25. q. 3. a. 3.* ubi habet: *Quod emptio vel venditio conſiſtit non ſolùm in datione, & acceptione pecuniæ; ſed omnium eorum, quorum poteſt pretium numiſmate menſurari.* In contractu (inquam reaſſumendo) emptionis, & venditionis, ac per conſequens in omnibus prædictis, qui ad illum reducuntur, id quod juris naturæ eſt, & omnibus notum, eſt quod ſervanda ſit æqualitas inter rem, & pretium, quo res illa verè emitur, & venditur. In hoc enim tota eorum juſtitia, & rectitudo conſiſtit, quod procul dubio nominem latere poteſt. Sed infinitæ ferè difficultates de huiuſmodi contractibus moventur apud Doctores ex parte facti; nam huiuſmodi factis ſæpè ſæpius permiſcetur fraus, & dolus; puta ex parte rei emptæ, vel venditæ, quod ſit ficta, & nullo modo exiſtens; vel quod ſit alia quoad ſubſtantiam ab eâ, quæ apparet; vel quod ſit quoad qualitatem vitiata. Et ex parte pretii, quod non ſit juſtm. Et ſimiliter ex parte voluntatis contrahentium, puta quod ſit emptio, vel venditio ficta, exterior, & apparens tantum, ut ementito titulo emptionis, & venditionis, indè aliqui indebitum lucrum ſuſcipiant, & extoqueant. quæ omnia, cum ſint latentia, & occulta, torquent ingenia Docto-

rum

Digitized by Google

tum circa ipſorum veritatem indagandam: atque ideò circa ea multi decipiuntur, & propterea dividuntur in oppoſitas ſententias; ut videre eſt in ipſorum reſolutionibus; in quibus ſi benè conſiderentnr, manifeſtè apparet, quod tota ipſorum diſcordia procedit ex varietate factorum ab eisdem conſiderata; dum ea conantur oſtendere nunc infecta, nunc verò purgata ab einſmodi fraudibus, & dolis. Ergò omnes Doctorum ſpeculationes, & ſubtilitates non ad id, quod juris eſt, decidendum requiruntur; ſed ad occultas, & ſubtiliſſimas factorum fraudes detegendas: quibus detectis in promptu eſt quid juris in illis judicare.

523 Denique idem evenit in materia omnium aliarum virtutum; id enim, quod in eis eſt juris naturæ, omnibus apparet; ſed difficultates emergunt ex parte facti. Sic enim in materia temperantiæ v. g. Nemo eſt, qui naturali lumine non agnoſcat recidendas eſſe omnes ſuperfluitates ſive in potu, ſive in cibo, ſive in aliis ſenſuum oblectamentis; nec deſiſtendum eſſe à neceſſariis ad naturam ſive proprii individui, ſive ſpeciei. Sed in factis dignoſcendis, ſi ſcilicet ad menſuram ſint; an per defectum, vel per exceſſum, à debitâ menſurâ exorbitent; hoc opus, hic labor eſt. & ſic de infinitis aliis exemplis, quæ ſi velimus omnia percurrere, numquàm erit finis. Sed quærant, & perquirant adverſarii, ſi aliquod exemplum pro ſe reperire poſſint, in quo præcisâ dificultate, & obſcuritate facti, videatur latere jus naturæ. Ubi ergo ſunt ultimi apices? ubi juris naturæ difficultates obſcuriſſimæ, quas vel ipſi Theologi ingenioſi vix intelligere poſſunt? eas palam proferant, ſi habent.

524 Sed dices: ſi jus naturæ interdùm, & multotiès, imò ſæpè ſæpiùs factorum involucris implicatur, adeò ut in iſtis fiat difficile etiam viris doctis de illo reſolvere: quid refert eſſe in ſeipſo clarum, & manifeſtū? jā enim perindè ſe habet reſpectu agentis, ac ſi eſſet in ſeipſo obſcurum, & cognitu difficillimum; ac per conſequens poterit tunc agens eius ignorantiâ excuſari. ergo idem per diverſa.

525 Reſpondeo negando conſequentiam: quia tricæ illæ, & involucra factorum ab ipſomet agente proveniunt, qui ambulans poſt concupiſcentias ſuas, & proprias paſſiones, fraudes, & dolos ſubtiliſſimos adinvenit, ut ad proprios fines indebitos, puta mundi commoditates, & turpia lucra vehementer concupita, pertingat: atque ideò ſuis paſſionibus obcæcatus, facta propria, ſuaſque ipſas adinventiones non expendit, ut debet; nec eas ad jus naturæ collatas conſiderat; ſed ex ea facie tantùm, qua ad fines ſuæ concupiſcentiæ conducunt, poſtpoſitâ omni juris inſpectione; ac propterea tenebris ignorantiæ ſeipſum involvit interpoſito velo propriæ paſſionis; vel ut ita dicam, ſitarum quoque adinventionum offuſo pulvere, eò magis caligat, quò eas ad concupitos fines ſtudioſiùs nititur cribrare. Conſtat enim in avaro v. g. quod mille artes quærit augendi pecuniam ſuam; & ſciens non poſſe ex mutuatâ pecuniâ lucrum exigere, quærit mutuando novos, & fictos titulos; eoſque, à quocumque audiat, plauſibus ſtatim ſuſcipit, & excipit cum gaudio; & quò magis eos ſibi favorabiles videt, veriores judicat, & promptiùs atque tenaciùs illis adhæret. Sed hoc judicium voluptatis eſt, ut phraſi Hieronymi utar ſcribentis contra Jovinianum. ubi enim voluptas trahit, mens facilè caligat, & veriora credit, quæ magis placent, quantumcumque ea cogitet, & recogitet; quia & voluptas ipſa trahens eâdem quoque ſuarum adinvētionum recogitatione multoties ampliùs creſcit in ſic affectatè cogitante. Unde mens eius infatuatur, ita ut non videat doloſas adinventiones ſuas, & fraudes, quas contra legem facit; non quia legem ignoret, ſed quia affectatè ſtudet à lege ſibi manifeſtâ ſuis adinventionibus declinare, quibus ſibi legem tegit, ita ut ampliùs eam non videat; quam profectò ſemper videret, ſi per huiuſmodi circuitus à facie illius non declinaret: atque ideò ex propriâ culpâ eſt quod eam non ampliùs videt, quia vult ire in adinventionibus ſuis poſt propriam concupiſcentiam, & paſſionem ſuam. Et dum per huiuſmodi adinventiones ſibi blandiendo promittit à lege excuſari, mentitur ſibi eius iniquitas in mente ſuâ, eo quod vult ibi de facto metere, ubi non ſeminavit. Hoc autem quod ſub exemplo avari dictum eſt, proportionaliter procedit in aliis quibuſcumque vitioſè agentibus, qui in factis propriis decipiuntur.

526 Et idem eſt dicendum de quibuſdam Doctoribus quæſtiones facti examinantibus: iſti enim non rarò huiuſmodi adinventiones, & doloſa facta aſſumunt defendere ſuis ſophiſticis, & apparentibus rationibus; id quod faciunt ſæpè ſæpiùs adhuc propter proprias paſſiones, & concupiſcentias ſuas, puta inanis gloriæ, quam affectant apud populos habere, quos vident novitatnm, vel licentioſæ libertatis amatores; vel etiam ut & ipſi quoque licentioliùs vivant, aut alia paſſione ducti, quâ inducuntur etiam ad aliorum paſſiones tranſire, & eorum perſonas inducere, atque facta, & inventiones illorum tueri, ita ut cum illis cæci effecti ſponte ſe ſe exhibeant cæcorum Ductores, atque ideò vanis, & falſis doctrinis illorum cauſas ſtudeant defenſare. Undè non mirum videri debet, quod in eiſdem factis diſcutiendis hallucinentur, & decipiantur, quia eadem paſſione correpti, eodem pulvere ea cribrando offunduntur; & legem naturæ, quam aliàs apertiſſimè in ſeipſa norunt, ampliùs non vident in ſuis adinventionibus involutam. Quod certè nō obſcurè indicavit, de eis fortè loquens Eccleſiaſtes *cap. 7.* dum ait: *Solummodò hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum; & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus. quis ta-*

lis

lis ut ſapiens eſt? & quis cognovit ſolutionem verbi? Quaſi voluerit dicere: hoc unum ſcio, quod Deus fecit hominem naturâ ſuâ rectum, rectitudine animi (ut exponit Caietanus) quod idem eſt ac per jus naturæ, quo ſolùm poteſt animus hominis fieri naturaliter rectus. Et ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus; hoc eſt (ut exponit idem Caietanus) multas quærendo vivendi rationes declinantes à vero hominis bono: quod idem eſt ac declinando per adinventiones ſuas, & formalitates, à naturali lumine ſeu jure naturæ, illud permiſcendo, ac confundendo, & cælando, atque ſibi occultando ſuis infinitis quæſtionibus, ac quæſitis rationibus, quibus ſe miſcuit, & voluntariè involvit juxta concupiſcentias ſuas. Ita ut ſic involutus non ampliùs ſapiens ſit, ſed evadat ignorans, & inſipiens, neſciens ſolvere involucra ſua, quibus irretitur. Et ideò ſubdit: *Quis talis ut ſapiens eſt?* Hoc eſt, quis talis ſemetipſum involvens, ut ſapiens eſt, habendus? Et non potiùs ut ignorans? *Et quis cognovit ſolutionem verbi?* Hoc eſt, & quis talis ſic involutus cognovit, ſeù ſcivit umquàm ſolvere verbum ſuum, quod tunc ignoranter produxit, decidendo ſcilicet contra jus naturæ? quaſi vellit dicere: nemo poterit ſic involutus agnoſcere ignorantiam, & deceptionem ſuam, in qua ſemetipſum conſtituit adinventionibus ſuis. Sed totum hoc ex propriâ culpâ ſibi accidit, ut cōſtat ex dictis; atque ideò excuſari non poſſunt ab errore ſuo, qui ſic procedunt.

527 Fateor tamen non omnes Doctores ſic procedere, multi enim omni paſſione poſtpoſitâ, ſincerè aliorum adinventiones examinandas aſſumunt, & nihilominùs in illis perſcrutandis deficiunt, & errant, quia illas non poſſunt plenè penetrare; & præcipuè ubi facta ambigua ſunt, & poſſunt aliquando veritatem habere: ut conſtat de damno emergente, vel lucro ceſſante in mutuo, quæ interdum in caſibus particularibus ſunt veri tituli, interdùm verò ſunt ficti, & commentitii; atque ideò non eſt facile ea in particulari judicare in cauſâ alienâ. At agentibus ipſis hæc ignota eſſe non poſſunt, ſi ſcire velint. quod dico quia multi ex Doctorum conſilio iis titulis in mutuo utuntur, vel alio ſimili, dicto vulgariter (intereſſe) cum tamen ipſi re vera nullum intereſſe patiantur: neque hoc aperiunt conſultoribus ſuis, ſed lucri cupidi percontantur ab eis, nùm aliquid poſſint ex mutuata pecunia aliquo titulo ultra ſortem ſumere? & audientes ab illis poſſe accipere lucrum ceſſans, vel intereſſe; nihil aliud interrogando, gaudentes diſcedunt ab eis, eo quod audierint aliquo modo poſſe accipere: ſed hi profectò non excuſantur. Interdùm verò etiam ipſimet agentes facta propria penetrare non poſſunt, eo quod ſunt ſibi penitùs occulta ſine ullâ ſuâ culpâ, ut contingit in iis actibus, quibus eis manet velatum obiectum, ac propterea tunc eis latet jus naturæ in eiſdem actibus involutum: & tunc procul dubio excuſantur ex ignorantia facti, in quo ſolùm materialiter, & per accidens agunt contra jus naturæ, quod licet in ſeipſo agnoſcant, & ſciant, in illis tamen factis involutum non vident, nec per ipſos ſtat quod non videant, ſed quia eis latet ipſa ſpecies facti: ſicut accidit Jacob dum bona fide acceſſit ad Liam credens eſſe Rachelem; in quo facto phiſicè, & materialiter loquendo, Jacob contra jus naturæ egit, quia ad non ſuam acceſſit re vera, quod eſt contra jus naturæ, ſed ibi jus naturæ læſum non apparebat, quia erat involutum in actu illo apparenter coniugali ex obiecto putato bona fide coniuge ſuà.

528 Ex quibus manet ſufficientiſſimè demonſtratum, quod nullæ ſint controverſiæ verè, & propriè ad jus naturæ in ſeipſo conſideratum ſpectantes; ſed omnes quæſtiones, & difficultates ſemper ſe tenent ex parte facti, quatenùs in multis, & ferè infinitis factis juxta varias hominum adinventiones vivendi, & operandi, ſic jus naturæ, alias in ſe manifeſtum, involvitur & implicatur, ut non ampliùs appareat; atque ideò ſi eiuſmodi adinventiones ſunt quoquo modo ipſis agentibus imputabiles, eo quod in iis excogitandis fraudes, & dolos ponunt juxta proprias concupiſcentias, poſt quas plerumque abeunt; aut in adinventionibus aliorum detegendis culpabilem negligentiam committunt; aut denique in ipſis factorum circumſtantiis contingentibus, & accidentalibus ſeu fortuitis, quibus interdùm eadem facta velantur, & non ſinunt in propria ſpecie cognoſci, ſimilem culpabilem negligentiam ponunt; tunc procul dubio, licet jus naturæ ibi involutum non penetrent; non excuſantur; quia tunc non invincibiliter ignorant, quia per eorum culpam, & per ipſos ſtat quod propria facta non videant, nec detegant ibi jus naturæ ſibi alias manifeſtum. Si verò facta propria ignorent, eo quod illa citra omnem ipſorum culpam velantur, & non apparent in propria ſpecie, eo quod eorum obiectum latet; tunc procul dubio excuſantur ex ignorantia facti, quo ſolùm materialiter agunt contra jus naturæ ibi involutum; ut conſtat in Jacob, qui acceſſit ad non ſuam, & non penetravit adinventionem eorum, qui illam ei ſuppoſuerunt fraudulenter atque ideo non cognovit factum, & jus naturæ ibi involutum de non accedendo ad non ſuam, quantumvis ei tale jus fuerit in ſe ipſo aliàs manifeſtum. Et idem eſt de configente hominem, quem reputat feram, & ſimilius poſt adhibitam diligentiam.

Proba-

§. XVII.

Probatur ulteriùs principalis concluſio negans ignorantiam invincibilem juris naturæ.

529 Præterea iterùm probatur concluſio noſtra, quod ſcilicet jus naturæ quoad ſingula eius præcepta, & adæquatè ſumptum, non poſſit invincibiliter ignorari. nam jus naturæ, totum quantum eſt, jus naturæ eſt; ergo totum quantum eſt, eſt homini naturaliter inditum ab Authore naturæ, eo modo, quo expoſuimus, & dicitur naturaliter inditum: quatenùs ſcilicet inditum eſt nobis, ut illud ſolo naturali lumine agnoſcamus. Undè D. Thomas 1.2.*q.*90.*a.*4.*ad* 1. dicit:quod *Promulgatio legis naturæ eſt ex hoc ipſo, quod Deus eam mentibus hominum inſeruit naturaliter cognoſcendam*. Ergo ſi jus naturæ ſupponitur omnibus hominibus naturaliter inditum, ac per conſequens omnibus hoc ipſo promulgatum, quod eſt omnibus inſertum, ut naturaliter cognoſcendum: procul dubio, totum quantum eſt, ſupponitur omnibus promulgatum; ita ut neminem poſſit invincibiliter latere. quod enim invincibiliter latet, non poteſt homo, nec tenetur ſcire, neque ſupponitur ei promulgatum. ergo aut dicendum eſt, quod Deus non totum quantum eſt inſeruit mentibus hominum, ut naturaliter cognoſcendum; nec totum quantum eſt illis medio lumine naturaliter indito promulgavit: aut quod non totum quantum eſt, ſit verè jus naturæ in omnibus hominibus: vel denique quod totum quantum eſt, non poſſit invincibiliter ignorari. Cum igitur prima duo abſurda ſint; oportet quod tertium ſit veriſſimum; & adeò certum, quantum certum eſt totum jus naturæ eſſe jus naturæ. Et hinc eſt quod Pſalmiſta *pſal.* 4. quaſi redarguendo eos, qui excuſationes in peccatis contra jus naturæ prætendunt prætextu ignorantiæ: primò ex parte Dei præcipit omnibus opera recta dicens: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino.* Sacrificium enim juſtitiæ, nihil aliud eſt, quàm oblatio rectorum operum. & poſtea ſubdit: *Multi dicunt: quis oſtendit nobis bona?* hoc eſt opera recta? quaſi per hoc oſtendens multos prætendere excuſationem ignorantiæ. quos tamen immediatè ſe convertens ad Deum, accuſat, dicens: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. quaſi voluerit dicere: Domine ne hos excuſes, quia lumen habent à te inditum, quo recta opera ſibi facienda naturaliter videant: non eis deficit lumen, ſed ipſi ſibi claudunt oculos, & tenebris ſe involvunt, ut legem tuam ſanctam non videant, quæ in promptu eſt eis, ſi ad inventionibus concupiſcentiæ ſuæ non ſe elongant ab eâ. Ergo jus naturæ non poteſt invincibiliter ignorari, ſed ab unoquoque uſum rationis habente poteſt totaliter, & adæquatè, ſciri ſolo naturali lumine ſibi prælucente, cui naturaliter inditum eſt illud agnoſcere.

530 Neque per hoc quod dicimus totaliter, & adæquatè, ſciri poſſe ab unoquoque uſum rationis habente; intendimus in eius cognitione rudes homines, & mulierculas, & pueros, ac puellas eruditiſſimis viris æquare; ſicut ſupra *num.* 508. contra nos inſtabant contrarii. Nam viri docti, & eruditi altiori notitiâ, quæ juris naturæ ſunt, attingunt; videlicet, definiendo, dividendo, atque rationibus ſpecialibus demonſtrando, ſeu ſubtiliter illud ſignatè ſpeculãdo, & cum methodo doctrinali; ad quod procul dubio non pertingunt rudes, & indocti. atque ideò nulla eſt iſtorum cum illis comparatio, aut æqualitas: Iſtis enim ſolùm datum eſt à natura totum utique jus naturæ attingere, ſed craſſa minerva, & pro quanto naturalis ratio nudè ſumpta, & nullis ſcientiæ regulis adiuta, naturaliter diſcurrere poteſt: quemadmodùm in aliis materiis videmus ruſticos plura ſcire, quæ ad Philoſophos pertinent, ſed non modo philoſophico.

531 Quod ſi moleſtè quis replicet dicens: experientia in contrarium eſt. Experimur enim plura, quæ juris naturæ ſunt, ab aliquibus penitùs ignorari; adeò ut nulla ſit eis vel leviſſima ſuſpicio de eiuſmodi operum malitia. Sic nonnulli nihil ſuſpicati ſunt de malitia fornicationis. Et plerique rudes, & viri idiotæ crediderunt ſibi licuiſſe mentiri, ne aliquem ad necem proderent. Imò quæſtio eſt inter Theologos de actibus indifferentibus in individuo, quos D. Thomas negat; ſed eos, niſi ex fine agentis determinentur ad hoc, ut boni evadant, otioſos judicat, & malos de jure naturæ: Alii verò eos affirmant in ſua indifferentia permanere, ac per conſequens non fieri malos de jure naturæ. Et ſic de multis aliis quæſtionibus.

532 Ad hanc experientiam reſpondeo, ſicut ſupra dictum eſt, quod iſti tales utique errant, & ignorant jus naturæ, ſed non invincibiliter: quia ex prava aliqua ipſorum diſpoſitione, in qua ſe voluntariè conſtituerunt, provenit, quod in eiuſmodi factis erreut, & jus naturæ, aliàs ſibi in ſe manifeſtum, in illis non videant. Omnes enim vident non eſſe bonum proli eſſe ex fornicario concubitu; omnes agnoſcunt fieri illi indè iniuriam, quam nemo ſibi vellet fieri; & ſi proles antequàm fieret, poſſet, utique eiuſmodi iniuriæ reſiſteret, ſicut poſt factum ſibi cognitum, in hoc ipſo ſibi diſplicet, erubeſcit, & conquæritur de parentibus ſuis; quia videt indè per ſe fuiſſe debitæ educationis ſorte privatam. Sed hoc quod omnes agnoſcunt, dum fornicantur, in proprio facto non advertunt; quia factum ipſum ex parte tantùm conſiderant, hoc eſt prout ad propriam concupiſcentiam explendam conducit, & non ex qua parte reſpicit prolem, & bonum prolis; cum tamen actus ipſe per ſe ad bonum huius ſit à natura ordinatus. atque ideò à cognitione juris

naturæ deficiunt à propriâ concupiſcentiâ excæcati. Et idem eſt de illis, qui credunt licitè mentiri pro vita alterius tuenda, ut ſupra diximus, quia jam agnoſcunt per ſe malum eſſe mentiri, & deordinatum: ſed hoc ipſum in eo caſu malum eſſe non vident, quia plus juſto, & ſuperfluè afficiuntur erga proximum. Et ſimile eſt de Theologis illis, qui actus indifferentes in individuo admittunt, quos procul dubio otioſos agnoſcunt, utpotè omni recto rationis ordine carentes ad debitum aliquem finem; ac proindè eſſe irrationabiliter deliberatè volitos; quid enim evidentiùs defectuoſum in agente ex ductu rationis agnoſci poteſt, quam hoc quod eſt ſine ulla prorsùs ratione aliquid agere? aut quis non videat ſine ulla prorsùs ratione fieri, quod agitur ſine recto, & debito fine? Numquid hoc ignorare poſſunt allegati Theologi? Profectò hoc ſciunt, & nullatenùs ignorant; & hoc ipſum jus naturæ eſt: ſed non conſiderant illud, dum eiuſmodi doctrinam oppoſitam docent, quia luxuriâ ingenii proprii adacti, vel aliâ pravâ, ſeu vanâ affectione, in vanas, & affectatas ſententias declinant, elongantes ſe a veritate ſibi alias manifeſtâ, ut præfixum ſibi vanitatis finem aſſequantur. quibus meritò id Pſalmiſtæ aptari poteſt: *Filii hominum uſque quò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium pſal. 4.*

533 Et ampliùs confirmatur totum hoc contra adverſarios ad hominem. Adverſarii enim fatentur, quod præcepta primaria juris naturæ ignorari invincibiliter non poſſunt, cujuſmodi v.g. eſt primum illud principium (quod tibi non vis, alteri ne feceris.) dicunt namque hoc præceptum eſſe omnibus per ſe notum, & non poſſe invincibiliter ignorari. Et optimè quidem dicunt. At nos nihilominùs experimur pleroſque interdùm aliis facere, quod ſibi fieri diſpliceret; & in hoc ipſo, quod aliis faciunt, nullatenùs agnoſcere tale juris naturæ præceptum primarium, contra quod agunt. Numquid proindè dici poteſt, quod in huiuſmodi proprio facto illud invincibiliter ignorent? profectò non poſſunt Adverſarii hoc dicere; alioquin ſibi contradicerent. Ergo ex eo quod experiuntur plura, quæ juris naturæ ſunt, ab aliquibus penitùs ignorari, adeò ut nulla ſit eis vel leviſſima ſuſpicio de ſuorum actuum malitiâ; non benè arguunt ea invincibiliter ignorari. Sicut enim plerique interdùm contra primarium illud præceptum, quod optimè naturaliter agnoſcunt, aliquid aliis faciunt in praxi, quod ſibi fieri diſpliceret; & in tali facto illud idem primum principium, ſeu præceptum, in contrarium obſtare, minimè advertunt, ex propria paſſione, ut ſupponitur: ita & in aliis factis contra præcepta ſecundaria, quantumcumque immediatè connexa cum primis, id ipſum contingere poteſt, & faciliùs.

534 Quod ſi nobis huiuſmodi experientiam negent Adverſarij reſpectu illius præcepti primarii ſeu primi principii; quaſi quod falſum ſit, pleroſque aliis facere, quod ſibi fieri diſpliceret; & ibi non agnoſcere contra illud præceptum agere; ſed quod potiùs velint ſcienter, & ex certa malitia peccare. Sciant ſe & veritati contradicere, & Auguſtino, & D. Thomæ, imò & Apoſtolo Paulo. Veritati quidem, quia videtur omninò moraliter impoſſibile, quod quidquid mali quis alteri facit, ſemper ex certâ malitiâ, & ſcienter omninò illud agat, & numquam actualiter ignoret, maximè ignorantiâ vincibili, de quâ hic loquimur. Auguſtino autem; quia videtur manifeſtè oppoſitum inſinuare, dum *conc. 25. in ſpal.* 118. ait: *nullus eſt, qui faciat alteri iniuriam, niſi qui fieri ſibi nolit. & in hoc tranſgreditur naturæ legem, quam non ſinitur ignorare.* ſubaudi: (*invincibiliter.*) nam vincibiliter ignorari poſſe, ex aliis locis eiuſdem Sancti Doctoris manifeſtè habetur. & ideò hic in caſu inferentis alteri iniuriam, diximus ab eo inſinuari, quod cum ignorantiâ illius primi præcepti alteri iniuriam inferat, quæ ſi ſibi fieret, diſpliceret. Sed quidquid ſit de hoc; id certiſſimum eſt quod D. Thomæ, & Apoſtolo contradicunt; quia D. Thomas 1. 2. *q. 94. a. 6.* ut ſupra alibi retulimus, dicit, quod lex naturæ licet quantùm ad prima principia communia non poſſit a cordibus hominum deleri in univerſali: *deletur tamen in particulari operabili, ſecundùm quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem.* ergo manifeſtè intendit, quod aliqui in ſuo agibili particulari, propter propriam paſſionem ſic impediuntur à cognitione legis naturæ, ut etiam ipſamet prima principia ſeu præcepta multoties ignorent, ignorantiâ tamen ſemper vincibili. ergo negari non poteſt, quod quis multoties iniuriam alteri facit, quam ſibi fieri diſpliceret, nec tamen agnoſcit tunc ſe contra primum illud præceptum, aliàs ſibi per ſe notum, agere, juxta doctrinam D. Thomæ. Præterea hoc ipſum D. Thomas ibidem probat ex Apoſtolo *ad Rom.* 1. dicens, & exemplificans: *Sicut apud quoſdam non reputabantur peccata latrocinia, vel etiam vitia contra naturam*, ut dicit Apoſtolus *ad Rom.* 1. ut videre eſt apud ipſum *d. 1. 2. q. 94. a. 6. in corp.* conſtat autem, quod nemo vellet contra ſe fieri latrocinia, vel ſimilia damna; ſed illa ſi ſibi fierent, mala eſſe cognoſceret, & diſplicerent; & tamen D. Thomas ex Apoſtolo affirmat, quoſdam non reputaſſe ea eſſe peccata. ergo experientia, quam adduximus, negari non poteſt; & nihilominus in eâ agitur de illo præcepto primario per ſe omnibus noto, & circa quod fatentur Adverſarii non dari ignorantiam invincibilem. ergo ex ſimili experientiâ circa alia præcepta ſecundaria, non benè arguunt invincibilem ignorantiam contra nos.

535 Quarè errant multi, & valdè quidem errant, dùm credunt, quod ubi nulla dubitatio,

tio, aut ſuſpicio occurrit agenti, non poſſit ei malitia ſui actus imputari, eo quod (inquiunt) quod eſt penitùs ignotum, non poteſt eſſe voluntarium. Errant quidèm; quia quod eſt ignotum, eo modo eſt involuntarium, quo contingit eſſe ignotum, puta formaliter, vel virtualiter, & in cauſa: ita ut ſi quid ſit formaliter, & in ſeipſo ignotum, at virtualiter, & in ſua cauſa cognitum; ſit etiam formaliter, & in ſeipſo, ſeù directè non volitum; cum quo tamen ſtat quod ſit virtualiter, & in ſua cauſa, ſeù indirectè voluntarium. Et ita profectò accidit in caſu juris naturæ, cum non eſt formaliter cognitum in proprio facto involutum ex propria paſſione, ſeu voluntariâ concupiſcentiâ, quæ eſt cauſa ignorandi ibi id, quod alias eſt per ſe notum: quia qui malè aliquod concupiſcit, videt utique obiectum ſibi concupitum in propria ſpecie, puta homicidium, furtum, mendacium, vel ſimile, in quo virtualiter videtur moralis eius malitia indè emergens, eo quod ibi videtur phiſicè fieri alteri, quod ſibi diſpliceret; ſuper quo fundatur naturaliter dictamen illud juris naturæ, non eſſe tale quid alteri faciendum: quod eſt formaliſſimè ipſiſſimum primum principium, ſeu præceptum primarium juris conſtituens factum illud in genere moris, ut oſtendimus ſupra. quod ſi illud formaliter non advertat, ut juris præceptum, parùm refert; ſatis enim eſt virtualiter cognitum in ſua illa phiſica deordinatione proprii actus. Alioquin oporteret per quamcumque ignorantiam quantumvis craſſam, & vincibilem, in qua procul dubio non videtur directè, & formaliter ipſum malum morale, ſeu peccatum in ſeipſo, omnes excuſare, quod nullus admittit.

536 Et confirmatur magis hoc exemplo Sauli, qui perſequendo Eccleſiam Dei, verè Blasphemus fuit, & Perſecutor, & Cõtumelioſus, ut ipſemet de ſe teſtatur; & tamen id ignorans fecit in incredulitate, ut ipſe dicit 1. *ad Timoth.* 1. nihil de malitia ſui actus ſuſpicando; quinimò credens ſe obſequium præſtare Deo ex zelo Judaiſmi ut fatetur *ad Gal.* 1. dicens: *Quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos Coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.* Atque ideo zelum Dei exiſtimabat quidquid agebat in incredulitate. & tamen ignorantia illa in ipſo vincibilis, & culpabilis fuit, ipſo teſtante. Ergo nihil refert quod quis nihil ſuſpicetur de malitia ſui actus, ſi tamen illum in propria ſpecie videt, & vult, & ibi poteſt ſufficienter malitiam videre, diſcutiendo ſicut debet ex proprio obiecto actum ſuum. Videbat autem Saulus in propria ſpecie perſecutionis ſuæ actum ex proprio obiecto, quod erat Jeſus, quem ipſe perſequebatur, & qui ſatis fuerat manifeſtatus Salvator Mundi, & Meſſias tanto tempore à Judæis deſideratus, utpotè in quo de ipſo impletæ fuerant ſcripturæ, ita ut neminem ſcripturas perſcrutantem latere poſſit. ac propterea ex zelo Judaiſmi tenebatur videre de verbo veritatis, quod non fecit, & ideò ignoravit utique ignorantiâ culpabili, ita ut non potuerit excuſari.

537 Neque hæc ponderatio ex cerebro meo credi debet, ſed D. Bernardi in Epiſt. ad Ugonem de S. Victore, ubi loquens de ignorantia, & etiam de illa, quam nulla erroris ſuſpicio, aut conſcientiæ remorſus præcedit, Pauli factum adducit in exemplum, & melliflué de ſuo more expendit, ſic dicens: *Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergo peccavit Saulus, quod perſecutus eſt Eccleſiam Dei, quoniã quidèm ignorans hoc fecit manens in incredulitate. Benè itaque faciebat, quod erat Blaſphemus, & Perſecutor, & Contumelioſus: quod erat ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos Domini: In hoc ipſo quidèm abundanter æmulator exiſtens paternarum ſuarum traditionum. non ergo debuit dicere: miſericordiam conſecutus ſum: ſed mercedem recepi. quippè quem ignorantia peccato reddebat immunem; inſuper & æmulatio remunerabilem indicabat.* Ecce lector Bernardi ponderationem: Paulum debuiſſe dici mercede dignum; ſi eius ignorantia a peccato ipſum reddidiſſet immunem, quia ex zelo paternarum traditionum id agebat. Et ex hoc conſtat nihil malitiæ ſuſpicatum fuiſſe in opere ſuo; quinimò multum bonæ, & ſanctæ æmulationis, ex errore, & ignorantiâ ſuâ. & tamen non proindè immunis a peccato fuit, alioquin dicendus foret mercedem potiùs recepiſſe, & non miſericordiam conſecutus, ut arguit Bernardus.

§. XVIII.

Eadem concluſio denique iterum firmatur & concludenter ex D. Thoma.

538 DEnique ut finem quæſtioni huic de ignorantia juris naturæ imponamus, non moleſtum videri debet concludere hic totum intentum noſtrum cum D. Thoma, ut qui ab eius doctrina incæpimus illud oſtendere; & in medio ferè ſemper eadem uſi fuerimus, adhuc per ipſius doctrinam in fine totum concludamus ex quodam eius textu meo videri irrefragabili. quærit igitur D. Thomas 1. 2. *q.* 94. *a.* 4. *Utrum lex naturæ ſit una apud omnes?* Et ſub hoc quæſito comprehendit duas difficultates reſolvendas; unam ſcilicet de unitate veritatis ſeu rectitudinis eius; hoc eſt, an ſemper ſit una, & eadem veritas, ſeu rectitudo eorum, quæ ipſa dictat; ita ut in omnibus ſemper idem dictet ſecundùm veritatem indefectibiliter, & non poſſit eius dictamen aliquando à rectitudine deficere? Alteram verò de unitate eius quoad notitiam; hoc eſt, an rectum, quod dictat, ſit uno, eodemque modo ab om-

nibus

nibus cognitum? Et quidem, quod has duas difficultates quærat D. Thomas ſub præfato titulo, conſtat ex corpore articuli, ubi utramque difficultatem de facto reſolvit. Ex quo fit, quod ſi D. Thomas reſolvit hanc ſecundam affirmativè, concludendo, quod lex naturæ tùm quoad prima eius principia, tùm etiam quoad ſuas concluſiones, una, eademque eſt in omnibus quoad ſui cognitionem; non maneat ampliùs locus dubitandi de mente D. Thomæ, quod lex naturæ à nemine poſſit invincibiliter ignorari; quia jam affirmat eam eſſe unam, eamdemque in tota ſua latitudine ab omnibus cognitam, & naturaliter ſcitam. Audiamus ergo eius reſolutionem, ut cum ipſo tandèm intentum noſtrum indubitanter, & ipſo manifeſtè, ac palàm loquente, concludamus.

539 D. Thomas itaque in corpore præfati articuli utramque difficultatem ſimul diſcutiendo, videtur in progreſſu ſui diſcurſus primo aſpectu inter diſcurrendum contra nos ſentire. (quod hìc adverto, ut non quis indè decipiatur) at in fine ſui diſcurſus, ubi concludit, & quæſtionem reſolvit; ſi benè conſideretur, manifeſtè, & expreſſiſsimis, ac rotundis verbis concluſionem noſtram docet. Diſcurrit ergo ſic: *Dicendum quod, ſicut ſupra dictum eſt; ad legem naturæ pertinent ea, ad quæ homo naturaliter inclinatur; inter quæ homini proprium eſt, ut inclinetur ad agendum ſecundum rationem: Ad rationem autem pertinet ex communibus ad propria procedere, ut patet ex 1. Phiſic. aliter tamen circa hoc ſe habet ratio ſpeculativa, & aliter practica. quia enim ratio ſpeculativa præcipuè negotiatur circa neceſſaria, quæ impoſſibile eſt aliter ſe habere, abſque aliquo defectu invenitur veritas in concluſionibus propriis, ſicut & in principiis communibus: Sed ratio practica negotiatur circa contingentia, in quibus ſunt operationes humanæ: Et ideò ſi in communibus ſit aliqua neceſſitas; quantò magis ad propria deſcenditur, tantò magis invenitur defectus.*

540 Ubi ut vides, lector, præmittit D. Thomas in introductione huius ſui diſcurſus doctrinam de his, quæ pertinent ad legem naturæ: & dicit quod ſunt ea, ad quæ homo naturaliter inclinatur. Et inter hæc aſſignat id quod eſt magis proprium homini, & cui omnes eius inferiores inclinationes ſubduntur, tamquàm per illud regulandæ; & eſt inclinatio ad agendum omnia ſecundùm rationem. Hoc autèm poſito, explicat quomodo homo procedat, juxta hanc inclinationem, ad agendum omnia ſecundùm rationem: & dicit, quod ad rationem pertinet ex communibus ad propria procedere, ut patet *ex 1. Phiſicor.* hoc eſt, ex principiis ad concluſiones. Tunc verò aſſignat differentiam rationis ſpeculativæ, & rationis practicæ, & rationem eiuſmodi differentiæ aſſignat; & dicit, quod licet utraque procedat ex principiis ad concluſiones ſuas cognoſcendas; tamen quia ex parte materiæ, circa quam una, aut altera negotiatur, eſt aliqua differentia, quatenùs nempè ratio ſpeculativa negotiatur circa neceſſaria; ratio verò practica circa ſingularia contingentia, in quibus ſunt humanæ operationes: ideò non utrique eodem modo contingunt concluſiones illatæ ex primis principiis ſemper veræ, neceſſariæ, certæ, & indefectibiles; ſed vario modo; ita ut rationi ſpeculativæ contingant ſemper concluſiones neceſſariæ; rationi autem practicæ licet ut in plurimum contingant concluſiones certæ, & veriſſimæ; aliquando verò in aliquibus circumſtantiis particularibus evadunt defectibiles à ſua veritate, & rectitudine univerſali.

541 Ex qua doctrinâ præmiſsâ D. Thomas proſequendo ſuum diſcurſum, infert hoc modo conſequentiam ſuam, videlicet: *Sic igitur in ſpeculativis eſt eadem veritas apud omnes tàm in principiis, quàm in concluſionibus: licet veritas non apud omnes cognoſcatur in concluſionibus; ſed ſolùm in principiis, quæ dicuntur communes conceptiones. In operativis autem non eſt eadem veritas, vel rectitudo practica apud omnes, quantum ad propria* (hoc eſt, quantùm ad concluſiones) *ſed ſolùm quantùm ad communia* (hoc eſt, quantùm ad principia) *& apud illos, apud quos eſt eadem rectitudo in propriis. ſeu concluſionibus non eſt æqualiter omnibus nota.* Ex quibus verbis apparet quod D. Thomas concludit rationem ſpeculativam in hoc differre à ratione practica, quod ſcilicet ratio ſpeculativa habeat & principia, & concluſiones ſuas neceſſarias, ſemper veras, atque ſemper indefectibiles: Ratio autem practica habeat utique ſua principia neceſſaria, & ſemper vera; attamen non ſemper habet concluſiones ſuas veras, & indefectibiles; ac propterea communia, ſeu principia ſemper ſunt recta; at propria, ſeu concluſiones illatæ ex principiis, quæ ſunt ſpecialia præcepta juris naturæ, non ſunt ſemper, & univerſaliter recta; ſed poſſunt ob contingentes circumſtantias in aliquo caſu à rectitudine, ſeu quod idem eſt, à veritate practica deficere. Et ſic conſtat, quod ratio ſpeculativa, & practica differunt in ſuis concluſionibus ſecundùm earum veritatem; quia illa habet veritatem univerſaliter veram, & neceſſariam, atque indefectibilem: hæc verò aliquando defectibilem, ita ut non ſit in omnibus ſemper, & univerſaliter vera. Sed tamen conveniunt in hoc quod veritas, quam utraque habet in concluſionibus ſuis, non eſt æqualiter omnibus nota, ſicut eſt nota veritas principiorum; ſed à pleriſque ignoratur. (Et in hoc D. Thomas, ut ſupra animadverti, videtur nobis contrarius, attenta ſuperficie literæ, dum dicit: quod veritas concluſionum rationis practicæ non eſt omnibus æqualiter nota) ut conſtat ex eius diſcurſu.

542 Undè poſt præfatum diſcurſum idem D. Thomas, quaſi per modum corollarii ſuam præ-

præfatam doctrinam repetens, ſic concludit dicens: *Sic igitur patet, quod quantum ad communia principia rationis ſive ſpeculativæ, ſive practicæ, eſt eadem veritas ſeu rectitudo apud omnes, & æqualiter nota. quantùm verò ad proprias concluſiones rationis ſpeculativæ eſt eadem veritas apud omnes, non tamen æqualiter omnibus nota. Apud omnes enim verum eſt, quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis; quamvis hoc non ſit omnibus notum. Sed quantùm ad proprias concluſiones rationis practicæ, nec eſt eadem veritas, ſeu rectitudo apud omnes: nec etiam apud quos eſt eadem, eſt æqualiter nota*. Ecce differentiam, & convenientiam rationis practicæ, & ſpeculativæ, repetitam per modum corollarii à D. Thoma circa utriuſque concluſiones: Differentiam, inquam, quoad veritatem earum penès defectibilitatem, & indefectibilitatem: Convenientiam verò quoad nõ eſſe æqualiter omnibus notam. Sed circa principia omninò conveniunt, & quoad indefectibilem veritatem, & quoad notitiam æqualem in omnibus. Et ut totum hoc magis explicaret D. Thomas ſub exemplo in ipſa ratione practica, ſic ibidem ſubiunxit dicens: *Apud omnes enim hoc rectum eſt, & verum, ut ſecundum rationem agatur*. (ecce principium rationis practicæ univerſaliter rectum, & verum, & apud omnes notum) *ex hoc autem principio*, ſubiungit, *ſequitur quaſi concluſio propria, quod depoſita ſint reddenda: & hoc quidem ut in pluribus verum eſt; ſed poteſt in aliquo caſu contingere, ut ſit damnoſum, & per conſequens irrationabile, ſi depoſita reddantur; puta ſi aliquis petat ad impugnandam patriam* (ecce defectibilitatem veritatis ſeu rectitudinis talis concluſionis, quæ non eſt in omni caſu univerſaliter vera ob contingentiam circumſtantiæ particularis de impugnatione patriæ) *& hoc*, ſubiungit D. Thomas, *tanto magis invenitur deficere, quanto magis ad particularia deſcenditur; puta, ſi dicatur quod depoſita ſunt reddenda cum tali cautione, vel tali modo; quanto enim plures conditiones particulares opponuntur, tanto pluribus modis poterit deficere, ut non ſit rectum vel in reddendo, vel non reddendo*. ecce variabilitatem huius concluſionis, ſeu præcepti ſecundarii, & illati ex illo principio veriſſimo univerſali; quod ſcilicet in omnibus ſecundùm rationem agatur: ex hoc enim infertur, quod depoſita ſint reddenda; quod eſt præceptum ſecundarium, & deductum ut concluſio propria; quæ tamen licet veriſſima ſit, ut in plurimùm; aliquandò tamen in aliquo caſu particulari ob aliquam circumſtantiam contingentem non eſt vera; quia evadit irrationabilis, & contra rectam rationem, quatenùs evadit damnoſum reddere, ut in caſu, quo petatur depoſitum ad impugnandam patriam: vel in caſu, quo præceſſerint pacta reddendi illud cum tali, vel tali cautione: quia tunc ſi ſine tali cautione reddatur, contra pactionis fidelitatem redderetur, quod irrationabile eſſet. Et hæc de doctrina D. Thomæ quantum ad unitatem legis naturæ, prout in ſe, vera eſt, & recta neceſſariò, & infallibiliter, quoad eius prima principia, ſeu præcepta primaria; fallibiliter autem, ſeu defectibiliter à ſua veritate, & rectitudine quoad concluſiones, ſeu propria, & præcepta ſecundaria; ut dicit Divus Thomas, & patet ex ipſiuſmet expoſitione.

543 Quantum verò ad unitatem eius quoad notitiam ſuæ rectitudinis, ſeu quoad eſſe omnibus æqualiter notam, conſtat ex eadem doctrinâ traditâ D. Thomæ, eam eſſe æqualiter omnibus notam quoad principia, ſeu præcepta primaria; non tamen quoad concluſiones, ſeu propria, & præcepta ſecundaria. Et in hoc videtur ſuperficialiter eſſe nobis contrarius, ut dixi: ſed re vera contrarius non eſt, ſed omninò pro nobis, ſi benè attendatur, quid tandem ex toto ſuo præfato diſcurſu concludat reſpondendo propoſitæ quæſtioni: nam licet dicat in præfato diſcurſu quod non ſit reſpectu concluſionum una in omnibus quoad notitiam; ſeu quod idem eſt, quod non ſit omnibus æqualiter nota eius veritas, & rectitudo circa concluſiones; ac per conſequens quod eius concluſiones aliquando ab aliquibus ignorentur; non tamen dicit quod ignorantur invincibiliter, & ſine hominis culpa; ſed ſemper vincibiliter, & culpabiliter ex hominis paſſione, quâ voluntariè ſe tenebris ignorantiæ involvit. quod eſt ipſiſſima doctrina, quam nos docemus. Non enim nos abſolutè ignorantiam juris naturæ quoad eius concluſiones negamus; ſed ignorantiam invincibilem, & inculpabilem, quæ non procedit ex aliquâ noſtrâ voluntariâ paſſione, & negligentiâ, quam utique ſemper vincere poſſumus, ſi velimus. Hunc autem eſſe germanum ſenſum D. Thomæ in præfato toto ſuo diſcurſu manifeſtiſſimè apparet ex eius concluſione finali reſponſivâ ſuo quæſito, quâ abſolutè concludit legem naturæ eſſe unam in omnibus, & omnibus notam quoad ſua principia: quoad concluſiones autem licet non omnibus æqualiter notam dicat; id tamen expreſsè dicit *provenire propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex paſſione, ſeu ex mala conſuetudine, ſeu ex mala habitudine naturæ*. quid clarius?

544 Attendamus igitureius verba, quibus concludendo ex præfato diſcurſu quæſtionem finaliter reſolvit; ſic enim dicit in fine corporis eiuſdem Articuli: *Sic igitur dicendum eſt, quod lex naturæ quantùm ad prima principia communia eſt eadem apud omnes, & ſecundùm rectitudinem, & ſecundum notitiam: Sed quantùm ad quædam propria, quæ ſunt quaſi concluſiones principiorum communium, eſt eadem apud omnes etiam ut in pluribus, & ſecundum rectitudinem, & ſecundùm notitiam: ſed ut in paucioribus poteſt deficere, & quantum ad rectitudinem propter aliqua impedimenta; ſicut*

etiam naturæ generabiles, & corruptibiles deficiunt ut in paucioribus propter impedimenta; & etiam quantum ad notitiam: & hoc (nota lector) *propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex paſſione ſeu ex mala conſuetudine, ſeu ex mala habitudine naturæ: ſicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen ſit expreſsè contra legem naturæ, ut refert Julius Cæſar in lib. de bello gallico.* Hæc D. Thomas.

545 Ecce quomodo ſemper D. Thomas affirmat legem naturæ unam eſſe in omnibus, tam quoad principia, quàm quoad concluſiones quantùm ad eius rectitudinem, & veritatem in ſeipſa; & etiam quantùm ad notitiam ſe tenentem ex parte noſtri; niſi eius rectitudo deficiat in aliquibus caſibus propter impedimenta circumſtantiarũ contingentiũ, & ſingulariũ, ut in exemplo de reſtituendo depoſito; quia tunc ipſamet lex in ſeipſa variat, quod pertinet ad unitatem, vel diverſitatem legis in ſeipſa, ſeu quoad eius veritatem, & rectitudinem in ſe, quæ eſt alia quæſtio diſtincta ab eius notitiâ. Cæterùm quantum ad eius notitiam dicit etiam eſſe ſemper unam in omnibus, ſeu unam æqualiter omnibus notam; niſi eius notitia deficiat in aliquibus, ex hoc quod habent rationem depravatam ex paſſione, ſeu ex mala conſuetudine, ſeu ex mala habitudine naturæ. quæ ad defectum voluntarium, & culpabilem pertinent: Neque aliam exceptionem ponit D. Thomas: Et per hoc reſolvit quæſtionem de unitate legis naturæ quoad eius notitiam, vel ignorantiam ex parte noſtri. Ergo ex D. Thoma expreſsè concluditur quod nulla ſit ignorantia invincibilis juris naturæ non ſolùm quoad eius principia, ſed etiam quoad eius concluſiones, ac per conſequens ſecundùm ſe totam, & adæquatè ſumptam in tota ſua latitudine, & extenſione.

546 Ex qua D. Thomæ doctrina collectivè ſumpta ſic breviter formatur ratio pro noſtra concluſione: lex naturæ adæquatè ſumpta, & prout includit omnia ſua præcepta, ſive ut principia, ſive ut concluſiones, eſt una, & eadem apud omnes quantùm ad eius notitiam ex D. Thoma, niſi ratio ſupponatur in aliquo depravata ex paſſione propria ipſius, vel ex prava conſuetudine, aut mala eius naturæ habitudine; ut conſtat ex præcitato textu D. Thomæ. Ergo nulla eius ignorantia ex D. Thoma poteſt eſſe invincibilis, & inculpabilis. Antecedens eſt ipſiſſima doctrina D. Thomæ. Conſequentia ſequitur, quia quidquid eſt per ſe omnibus æqualiter notum, niſi per accidens ex proprio voluntario defectu aliquis habeat circa illud rationem ſuam depravatam, puta ex propria paſſione, vel ex prava conſuetudine, aut mala habitudine naturæ, non poteſt ab aliquo ignorari niſi culpabiliter, & vincibiliter; quia ipſe eſt ſibi cauſa ignorantiæ ſuæ per propriam paſſionem, quà ſe ab illius notitia aliò divertit; vel per pravam ſui conſuetudinem; aut malam habitudinem naturæ, à qua poteſt, & tenetur ſe continere; & non ſe illi tradere, & illecebris eius, abiens poſt illas cæco modo, præcipitanter, ac ſine fræno. Inde enim eſt quod non videt, quod alias probè videret evidenter, & manifeſtè. Moderet igitur homo paſſiones ſuas, concupiſcentias ſuas, pravas conſuetudines ſuas, & habitudines ſeu inclinationes naturales ſenſualitatis ſuæ, ita ut nulla ſe interponat eiuſmodi alicuius pravæ affectionis caligo; & videat, ſi poſſit præterire vel jota unum a lege naturæ, quin ei per ipſum naturale lumen ſibi inditum, protinùs non affulgeat. Certè hoc eſt quod ſemper, & ubique docet D. Thomas, ſemper ſibi concors, & ubique conſtans in doctrinâ ſuâ, ut ex hoc, & variis aliis locis ſuperiùs allegatis videri poteſt.

547 Conſtat igitur concluſio noſtra ex D. Thoma nobis palam, & ſolidis verbis loquente ac dicente: *Lex naturæ quantum ad prima principia communia eſt eadem apud omnes, & ſecundùm rectitudinem, & ſecundum notitiam.* Et iterum; *Sed quantum ad quædam propria, quæ ſunt quaſi concluſiones principiorum communium, eſt eadẽ apud omnes etiam, ut in pluribus, & ſecundùm rectitudinem, & ſecundùm notitiam.* Et iterum; *Sed ut in paucioribus, poteſt deficere, & quantùm ad rectitudinem propter aliqua impedimenta* (jam ab ipſomet explicata) *& etiam quantùm ad notitiam.* Sed propter quid accidit poſſe deficere quatum ad notitiam? *propter hoc* (inquit) *quod aliqui habent depravatam rationem ex paſſione ſeu ex mala conſuetudine, ſeu ex mala habitudine naturæ.* Quid clariùs? Ubique unam, ubique eamdem eſſe apud omnes quoad ſui notitiam, proclamat legem naturæ; & ſi quando apud quoſdam notitia eius deficit; id dicit provenire, propter hoc quod aliqui habent depravatam rationem ex paſſione, ex prava conſuetudine, ex prava habitudine naturali ſuæ ſenſualitatis. Depravatam ergo rationem eorum accuſat, & utique voluntariè depravatam; quia voluntariè homines ſe tradunt paſſionibus ſuis, voluntariè aſſueſcunt pravis cõſuetudinibus, & voluntariè pravas habitudines ſuas affectant, & ſenſualitates; quas tamen fræno rationis ſubiicere deberent, & ſubiugare; & non ſinere ab illis in præceps trahi earum jam captos amore; inde enim ſe ignorantiæ tenebris involvunt, quia cæcus amor velatos tenet oculos, quòcumque ierit. ergo culpabiliter, & vincibiliter tantùm accidit poſſe legis naturæ notitiam aliquibus deficere: Invincibiliter verò numquam juxta mentem D. Thomæ.

Satiſfie

§. XIX.

Satisfit nonnullis rationibus in oppoſitum quorumdam adhuc fluctuantium circa veritatem concluſionis noſtræ, etiam ex noſtris, inter quos videtur eſſe Magiſter Paſſerinus.

548 SCio, his omnibus adhùc non obſtantibus, aliquos non poſſe noſtræ huic ſententiæ acquieſcere: Durum enim eis videtur ſententiam adeò rigidam, & generaliter proferre, ut numquàm ignorantiæ juris naturæ ſit aliquis indulgentiæ locus; præſertim cum videant imbecillitatem hominum etiam circa plures veritates naturales diſcurrentium, ſeque in iis ſæpè ſæpiùs decipientium, & in errores varios decliuantium: atque ideò humana quadam compaſſione adacti oppoſitam ſententiam ſibi ſuadere tentant ſuis variis rationibus; vel ſaltem noſtram ſuis dubitationibus infirmare. Inter quos ex noſtris videtur eſſe Magiſter Petrus Paſſerinus Theologus, & Canoniſta, nulli fortè ex Doctoribus noſtri temporis ſecundus: qui certè de more ſuo accuratiſſimè quæſtionem hanc de ignorantia juris naturæ examinat. Et licet multùm rigori noſtro accedat, illum tamen videtur quodammodò remittere. Undè operæ pretium duxi eius doctrinam adducere, & rationes eius hic referre, ut iis ſeu admiſſis, ſeu reiectis, ex qua parte videtur ſe opponere, aut de rigore remittere, indè magis ſententia noſtra ſolidetur.

549 Præfatus Doctor itaque *in lib. 1. Sexti Decretal. cap.* Ut animarum 2. *de conſtit. q. 1. a. 10. pag.* 114. *à num.* 198. *uſq. ad* 224. ex profeſſo hanc quæſtionem movet, & reſolvit, hoc ordine ſervato; videlicet: Primò citat pro utraque parte Doctores, a quibus citandis abſtineo, quia eos nos ſupra ſufficienter allegavimus. Secundò præmittit quamdam diſtinctionem præambulam ad ſuam deciſionem faciendam. Tertiò ponit deciſionem ſuam generalem, quod ſcilicet propriè, & rigoroſè loquendo non datur error contra legem naturæ invincibilis. Quartò videtur ab hac deciſione aliqualiter recedere; admittendo, quod poſſit dari alicuius præcepti naturalis error probabilis, qui ſi dicatur invincibilis, non vult (inquit) de voce contendere. Quintò deſcendit ad particularia præcepta juris naturæ, & refert pro eis varias opiniones. Sextò pro ſua deciſione de eiuſmodi præceptis in particulari præmittit duo principia ex D. Thoma deſumpta. Septimò de illis reſolvit, in quibus reſolvendis non videtur nimis ſibi conſtans, ſed aliquantulùm varius. Octavo quaſi miſſis omnibus varietatibus, dicit confusè id unum verum eſſe, quod lex naturæ in omnibus ſuis præceptis non eſt noſtræ imbecillitati adeò clara, ut non ſit expoſita diſputationi, & ita ut propterea non ſint dabiles opiniones probabiles. Nono concludit per quamdam regulam, quando ignorantia, & de quibus præceptis juris naturæ ſit invincibilis, vel vincibilis. quæ omnia oportet hìc diſtinctè expendere, eo quod inde ſpero fore, ut magis eluceſcat veritas reſolutionis noſtræ.

550 Omiſſis ergo Doctoribus quos primò refert pro utraque parte. Incipiamus à diſtinctione, quam ſecundo loco affert; dicit enim diſtinguendum eſſe de ignorantia, & inconſideratione, & optimè: Nam & nos ſupra adhùc illam ab hac diſtinximus cum Caietano. Inconſideratio enim contingere poteſt circa ea, quæ ſcimus, quatenùs in aliquo facto memoria non excitatur ad id quod ſcimus recolendum: & quæſtio hìc de ignorantia procedit, & non de inconſideratione, ut ſupra nos etiam adnotavimus. Ulteriùs diſtinguit ignorantiam in privativam, & pravæ diſpoſitionis: Prima eſt pura privatio ſcientiæ: Secunda verò eſt cum actu poſitivo ſcientiæ oppoſito, hoc eſt cum poſitivo errore: quæ quidem diſtinctio veriſſima eſt. De ignorantia autem privativa dicit, quod poteſt invincibiliter contingere in materia juris naturalis per aliquod tempus. quod probat ſic: quia quod per diſcurſum, & inveſtigationem, & ex plurium ſingularium experientiâ cognoſcitur, tale eſt, quod in tempore antequam diſcurſus compleatur, neceſſariò ignoratur: & exemplum eſt (inquit) de Dei exiſtentia, cuius cognitio per effectus acquiritur, & ad hoc opus eſt tempore, ut quis priùs cognitione ſuâ effectus percurrat, & indè ad causæ primæ cognitionem perveniat. quod cōfirmat ex D. Thoma 1. p. q. 1. ubi ex hoc probat neceſſarium fuiſſe, & eſſe, quod homo quod hæc inſtruatur per fidem, & revelationem divinam; quia aliàs a paucis, & per longum tempus, & cum mixtione errorum cognoſcerentur ea, quæ de Dei exiſtentia, & unitate, &c. naturaliter cognoſci poſſunt. Ergo ex vi cognitionis naturalis, ſtat quod per aliquod tempus invincibiliter ignorentur, per puram privationem, ſeu carentiam ſcientiæ ſimilium veritatum. In quo videtur efficaciter contra reſolutionem noſtram urgere.

551 Ad hoc autem dico nullatenus per eiuſmodi rationem probari ignorantiam privativam invincibilem juris naturalis per aliquod tempus. quia quod tale eſt, ut Author iſte dicit, quod cognoſci non poteſt niſi per diſcurſum, & inveſtigationem ex plurium ſingularium experientiâ, ad quam opus eſt aliquo tempore; ac proindè pro eo tempore, antequam diſcurſus compleatur, neceſſe eſt ignorari; non facit pro eo tempore antecedente ignorantiam privativam, ſed potiùs negativam, ſive puram neſcientiam; quia facit carentiam ſcientiæ in ſubiecto inepto, & incapaci: Neque pro eo tempore, quod neſcitur, ad jus naturæ formaliter pertinere poteſt; ſed purè materialiter; eo ferè modo, quo accidit in pueris ante uſum rationis. Sicut enim in pueris non habentibus uſum

Digitized by Google

uſum rationis toto eo tempore antecedente non dicuntur propriè habere ignorantiam privativam juris naturæ; nec pro tunc pro eis dicitur jus naturæ formaliter urgere, quia inepti ſunt, & incapaces tùm ſcientiæ, tùm & ſubiectionis ad ipſum jus naturæ ob defectum uſus rationis. Ita etiam in quocumque incipiente habere uſum rationis non poterit incipere ignoratia privativa juris naturæ, & ſubiectio ad illud, antequam in ipſo diſcurſus inceptus compleatur; ac proindè dato quod ad eiuſmodi diſcurſum opus ſit longo tempore; non eſt pro tunc talis ignorantia dicenda privativa, ſed pura neſcientia, ſicut in infante ante eius uſum rationis: & ratio huius eſt, quia eiuſmodi diſcurſus eſt ipſiſſimus uſus rationis neceſſariò prærequiſitus naturaliter ad eiuſmodi ſcientiam talis materiæ, & ſubiectionem juris prout circa illam verſatur. quid enim eſt uſus rationis, niſi applicatio rationis ad diſcurrendum? Si igitur cum quis primò poteſt applicare rationem ſuam ad diſcurrendum, non negligit illam applicare, ſed de facto applicat, & incipit ſuum diſcurſum, percurrendo, veluti præmiſſas, prævias quaſdam cognitiones à ſenſibili experientia naturaliter dependentes, & quas impoſſibile eſt, ut Author iſte ſupponit, habere niſi poſt longum tempus, ac propterea non poteſt niſi poſt longum tempus diſcurſum perficere, jam non eſt in ſua poteſtate completè applicare rationem ſuam ad inferendum, ac per conſequens dicitur non habere completè uſum rationis niſi poſt dictum tempus; & tamen completè uſus rationis præſupponi debet ad capacitatem ſcientiæ juris, & ſubiectionis ad illud. Dixi autem (dato quod ad eiuſmodi diſcurſum opus ſit longo tempore) quia pro modo de hoc contendere nolo; ſatis enim eſt mihi, quod ſi opus fuerit tali tempore, totum tale tempus ad ipſum uſum rationis pertinebit, & non ad aliquam durationem poſt uſum rationis quaſi præſuppoſitum, ſicut præſupponi oporteret.

552 Ad exemplum verò, quod affert de Dei exiſtentiâ, dico primò non requiri tempus ad formandum debitum diſcurſum, & concludendum illam ex vi ſolius naturalis luminis, ubi primùm homo ad uſum rationis pervenerit; hoc eſt, ad hoc quod eſt, poſſe à ſeipſo diſcurrere per propriam ratiocinationem naturalem: quia licet ad hoc prærequiratur cognitio quædam experimentalis Creaturarum, hæc tamen ſemper præſupponitur acquiſita per ipſas creaturas ſenſibiliter unicuique cognitas toto tempore præcedente ad tale poſſe indè ratiocinari; ſeu quod idem eſt, ad ipſum uſum rationis; ac per conſequens cum primò quis ad poſſe ratiocinari pervenit, ſtatim & immediatè poteſt indè in inſtanti ſaltem morali, ſi non phiſico, diſcurſum ſuum complere, & Dei exiſtentiam concludere: ſic enim inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, ſemel intellecta, facilè conſpiciuntur. quod utique videtur expreſsè fateri, quaſi ſibi minùs conſtans, Idemmet Paſſerinus ex D. Thoma. dum *n.* 208. in fine, revocans quod dixerat de impubere filio idolatræ, vel athei, ſubdit: *Verùm quia ex D. Thoma impubes tenetur in primo inſtanti uſus rationis ſe convertere in Deum; ideò nec in impubere eſt invincibilis, aut probabilis ignorantia veri Dei, ſi ſufficienter excitatus ex rerum cognitione, & ordine, non inquirat*. Ex quo jam patet ipſum fateri, poſſe impuberem in primo inſtanti uſus rationis diſcurſum ſuum completè formare de unius veri Dei exiſtentiâ; quod antea negaverat de filio idolatræ, vel athei: ſed poſtea revocavit, ex eo quia D. Thomas docuerit impuberem teneri in primo inſtanti uſus rationis ſe convertere in Deum; ac per conſequens ſuppoſuerit poſſe in eo primo inſtanti ſufficienter formare ſuum diſcurſum de unius veri Dei exiſtentiâ, ſi ſufficienter fuerit excitatus ex rerum cognitione, & ordine. Et cum excitatio hæc ſupponat cognitionem ipſam experimentalem rerum creatarum, & ordinis earum, quæ per ipſum haberi non poteſt niſi cum tempore; oportet dicere, quod habeatur tempore præcedente ad inſtans illud primum uſus rationis, ſicut paulo ante dicebamus. Ergo ipſe tandem velit, nolit, firmat quod nos docemus, videlicet non requiri tempus ad formandum diſcurſum de unius veri Dei exiſtentiâ, ubi primò homo pertingit ad uſum rationis; quia jam pro eo inſtanti ſupponitur cum cognitione illa creaturarum experimentali temporis præcedentis. Vel dico 2. quod ſi hæc non ſupponitur, ſed tunc incipit haberi, & opus eſt tempore, ut habeatur; totum tale tempus ad ipſum uſum rationis pertinebit, ut dixi; ita ut homo in inſtanti terminativo talis temporis dicatur habere uſum rationis in ordine ad cognitionem unius veri Dei, & tunc incipiet juri naturæ de cognoſcendo, & colendo uno vero Deo ſubiici, & non antea. quod ſi tunc neglexerit hoc facere, non erit ignorantia invincibilis.

553 Ad confirmationem autem, quam adducebat ex D. Thoma 1. *p. q.* 1. ubi dicit D. Thomas: ideò fuiſſe neceſſarium hominem per fidem inſtrui etiam quoad hæc, quæ naturaliter de Deo ſciri poſſunt; quia alias a paucis, & poſt longum tempus, & cum mixtione errorum, cognoſcerentur. Reſpondeo indè nihil contra nos probari: nam licet veriſſimum ſit, quod pauci, & poſt longum tempus, & cum mixtione errorum, quæ Dei ſunt, cognoſcerent; & ad hæc inconvenientia recidenda opus ſit ſacra doctrina, & inſtrui homines per divinam revelationem: non tamen indè ſequitur, quod qui errarent ex vi proprii luminis naturalis, aut tardarent veritatem agnoſcere, haberent errorem, aut ignorantiam invincibilem: hoc enim ex doctrina illa D. Thomæ non ſequitur. Stat enim quod homines non adiuti per inſtructionem extrinſecam, ignorent, & errent circa ea, quæ à ſeipſis poſſunt, & tenentur ſcire; circa

quæ

quæ non errarent, ſi ab aliquo inſtruerentur: & tamen eorum ignorantia vincibilis ſit, & culpabilis; quia per ipſorum negligentiam eſt, quod per ſe non inquirant, quæ a ſeipſis poſſunt, & debent invenire. Undè eis dicitur doctrina exterior neceſſaria, non ſimpliciter, & abſolutè; ſed potiùs ex ſuppoſitione, ſuppoſita nimirùm vecordia, & negligentia ipſorum in inquirendo.

554 Loquendo verò de ignorantia pravæ diſpoſitionis, ſeu de errore, quæ eſt aliud membrum ſuæ diſtinctionis; dicit Author iſte, quod non poteſt eſſe invincibilis, aut probabilis reſpectu juris naturæ. ut videre eſt apud ipſum *dicto loc. cit. num.* 201. *& duobus ſequentibus*. Sed neque in hoc videtur firmiter ſtare: nam primò dicit, quod ſupponendum eſt, quod errans jam ſit excitatus ad cognoſcendam veritatem ex parte obiecti; quia habet ſaltem conceptum quid nominis illius. *Qui enim* (inquit) *negat Deum, ſcit quid nominis Dei. Undè ſi vult uti ſcientia univerſali ad excludendum errorem, id poteſt facere.* quænam autem ſit ſcientia hæc univerſalis, quâ, ſi vult, uti poteſt ad excludendum errorem, non explicat: exiſtimo autem eſſe cognitionem ipſam experimentalem creaturarum, qua quiſquis videt quamlibet creaturam non eſſe à ſe, ſed ab alio, & ab alio, ordine quodam: Suppoſito enim quod quis excitetur ex parte obiecti ad cognoſcendam veritatem, de exiſtentiâ Dei, per hoc quod ſcit quid nominis illius; puta per hoc quod ſcit quid nominis Dei, quem negat, (ſignificat enim hoc nomen, Deus, primam omnium rerum cauſam, primum ens, primum bonum, à quo omnia entia, & omnia bona ſunt, ipſe verò à nullo eſt) hoc namque eſt, quod negat, qui illum negat; hoc, inquam, ſuppoſito, quod ſcilicet a tali obiecto, quoad quid nominis ſibi cognito, & ab ipſo negato, excitetur ad cognoſcendam veritatem; facilè poterit ex præfata univerſali cognitione experimentali ad id devenire, quod re vera ſit aliqua prima cauſa, primum ens, & primum bonum ab alio independens, cum non poſſit dependentiam, quam videt univerſaliter omnium rerum protrahere in infinitum. ex quo ſuppoſito præfatus Author optimè diſcurrendo ſubiungit: *Et ex univerſali ſcientia principiorum legis habet maiorem recti ſyllogiſmi practici*; (quæ in hoc ſpeciali puncto huius legis de tenendo uno Deo, eſſet hæc, videlicet: In rerum omnium dependentia ab alio, tandem tenenda eſt aliqua prima cauſa, à qua res iſtæ omnes primò dependeant.) *& ex notitia obiecti* (excitantis, & ſibi cogniti, quoad quid nominis, puta Dei) *habet*, inquit, *undè ſub maiori ſubſumat minorem*; (quæ eſſet hæc, puta: Sed hæc prima cauſa eſt Deus.) *& ſic contra errorem concludit*: ecce quomodo præfatus Author probat eiuſmodi errorem naturaliter vincibilem. & optimè quidem. & in hoc nobiſcum convenit. Poſtea verò ſubiungit: *Verum poteſt interdùm contingere, quod quis non ſit plenè excitatus ad cognitionem alicuius circumſtantiæ conſiſtentis in facto; ac per conſequens quod poſſit illam invincibiliter ignorare.* Et in hoc, pro quanto generaliter tangit circũſtantiam individualem facti latentem, non diſcrepat à nobis. dicendo: *quod poſſit illam invincibiliter ignorare*; quia etiam nos hoc admiſimus, ut conſtat in exemplo Jacob ſupra adducto de eius acceſſu ad Liam, credendo eſſe *Rebeccam, ſed tunc non eſt error juris, niſi materialiter, re vera tamen eſt error facti, de cuius ignorantia invincibili non eſt controverſia, quod poſſit dari.

* Rachelem

555 Poſt hæc procedit ad probandum errorem juris naturæ non poſſe eſſe probabilem ut ibidem conſtat. ſubiungit enim ſic: *Secundò præſupponendum eſt, quod ad hoc ut error ſit probabilis, non ſufficit, quod non habeatur demonſtratio veritatis. ſed requiritur, quod habeatur medium probabile, quo poſſit determinari prudenter ad aſſenſum illius; alioquin potiùs deberet manere ſuſpenſus, quàm irrationabiliter aſſentiri: quare quamvis poſſit contingere, quod quis non habeat demonſtrationem alicuius præcepti naturalis; valdè tamen difficile eſt, quod quis habeat motivum verè probabile, per quod probetur error, ſeu oppoſitũ talis præcepti.* Ecce quomodo errorem probabilem juris naturæ recuſat. Sed tamen non conſtanter, & firmiter; quia non dicit eſſe impoſſibile, ſed valdè difficile. Sed quidquid ſit de eius probabilitate, quam hìc difficilem appellat: Id ſemper verum eſt, quod eſto poſſit eſſe probabilis, non tamen invincibilis, & inculpabilis ex Doctrina ipſius: quia immediatè poſt numero ſequente 202. concludit ſic: *His itaque præmiſſis dicendum, quod propriè, & rigoroſè loquendo non datur error contra legem naturæ invincibilis.* Ergo in puncto controverſiæ nobiſcum convenit. Nos enim hìc de probabilitate eiuſmodi erroris non curamus, ſed id quod prætendimus eſt, non poſſe eſſe invincibilem. quod utique ipſe ibidem fatetur, & probat dupliciter ibidem: & primò, *quia nullum naturale*, inquit, *eſt impoſſibile: Scientia verò tam ſpeculativa, quàm practica de obiecto naturali eſt naturalis homini. ergo &c.* ſecundò, *quia quilibet*, inquit, *ſyllogiſmi practici habet maiorem naturaliter notam; quia pro maiori ſerviunt principia juris naturæ univerſalia omnibus notiſſima: minorem verò ſubminiſtraut obiecta ſenſibus pervia. ac per conſequens intellectus habet parata principia.* Et in hoc ad noſtram ſententiam accedit.

556 Sed vix hoc profert, quod incipit in partem oppoſitam declinare; nam ſequenti *n.* 203. ſubiungit dicens: *Quod nihilominus alicuius præcepti naturalis dari poteſt error probabilis.* & probat, *quia dantur præcepta naturalia, quorum connexio ad principia non eſt evidens, & explicita; ſed implicita, & latens, &*

ex circumſtantiis accidentalibus in particulari facto redditur ambigua: Undè circa huiuſmodi etiam inter pios, & doctos dantur oppoſitæ opiniones. At dicat Pater Paſſerinus: quænam ſunt hæc præcepra naturalia, quorum connexio ad principia non eſt evidens, & explicita; ſed implicita, & latens? dum enim hæc non aſſignat: ea negabo. & dicat: undè provenit, quod eorum connexio ad principia ſit latens? ſi dicat, ſicut videtur dicere; ex circumſtantiis accidentalibus in particulari facto: id libenter admittam; at indè non emergit error, & ignorantia juris, ſed facti; ut ſuperiùs oſtendi; de quo procul dubio etiam inter pios, & Doctos dantur oppoſitæ opiniones, ut etiam ſupra monſtravi. ac proinde ſi erit error probabilis, erit probabilitas facti potiùs, & non juris, ſi rigorosè loqui velimus. Et denique etiam ſi talis probabilitas eſſet juris; numquid talis error probabilis erit invincibilis? Si hoc dicat; jam ſibi contradicit; quia numero præcedente concluſerat, *quod propriè, & rigorosè loquendo non datur error contra legem naturæ invincibilis.* Sed videamus re vera quid ille de hoc dicat: Proſequitur ipſe ſic: *Et licet*, inquit, *ex ſic opinantibus alter erret: error tamen talis eſt probabilis. quod ſi talis error probabilis dicatur moraliter invincibilis, non contendo de voce: ſed conſidero, quod alter veritatem attingit, & vincit errorem. non eſt ergo impoſſibile*, inquit, *errorem ibi vincere; licet in alio error non ſit improbabilis.* Ecce quomodo abſolutè vincibilem illum exiſtimat.

557 Et videtur ulteriùs hoc ipſum magis confirmare; dum immediatè poſt animadvertit; quod ex quo ſic admittit errorem probabilem, non intendit admittere, quod poſſit in hac materia quis eligere quam partem maluerit abſque alia inquiſitione; *hoc enim*, ait; *falſum eſt, quia quiſque tenetur facere quod in ſe eſt, ut veritatem inveniat.* Ecce quomodo non admittit poſſe aliquem quam partem maluerit eligere, ac per conſequens tutum non eſſe eligendo errorem illum probabilem: ſed quare? ſi eſſet error invincibilis ſaltem moraliter; quis dicat non poſſe aliquem illum tutò eligere? Numquid error, & ignorantia moraliter invincibilis non excuſat? Janſenianum eſt hoc. ergo ipſe ſupponit adhuc in ſua probabilitate eſſe vincibilem. Et nihilominùs per ea, quæ ſubdit, videtur eiuſmodi errorem probabilem invincibilem fateri; ait enim tandem, *quod ſi denique aliquam partem veram putet, illam bona fide eligendo, poterit eam ſequi, quia tunc error erit probabilis.* Ecce eius inconſtantiam. miror equidem de tanti viri methodo tam confuſa, & parùm ſibi conſtante, dum de ignorantia juris naturæ generatim docet. quod quidem exiſtimo ei provenisse, quia & litera D. Thomæ, & veritas ipſa ex unâ eum urgebat; ex altera verò animus naturâ ſuâ indulgentior interius reluctabat.

558 Sed attendamus illum deſcendentem ad particularia præcepta. Hic Author itaque *num.* 204. tangendo ſpecialia præcepta juris naturæ contenta in decalogo, & extra, refert varias Doctorum opiniones hinc indè inter ſe oppoſitas, quæ videri poſſunt apud ipſum. Nos enim brevitatis gratia illas omittimus, quia veritatis doctrinam quærimus, & non varios dicendi modos Doctorum. Cum igitur ipſe doctrinam ſpecialiter ventilandam aſſumat, attendamus qualiter circa eam ſtabiliendam procedat deſcendendo ad particularia.

559 Ipſe igitur *num.* 206. duo principia ex D. Thoma ad hanc rem notanda præmittit. Et primum eſt *in 4. diſt. 27. q. 2. a. 2.* Ubi D. Thomas affert triplicem ſtatum rationis humanæ. Primus eſt, inquit, in quo homo nec intelligit per ſe, nec poteſt capere ab alio. Secundus eſt, in quo homo poteſt capere ab alio, non tamen per ſe. Tertius eſt, in quo poteſt à ſeipſo ratiocinari, & capere. Et primum habet homo in infantia uſque ad finem primi ſeptennii circiter. Secundus incipit circa finem primi ſeptennii, & durat circiter uſque ad finem ſecundi ſeptennii. Tertius denique incipit circa finem ſecundi ſeptennii quantum ad ſua perſonalia: quantùm verò ad alia extrinſeca incipit circa finem tertii ſeptennii. *Hinc*, inquit Pater Paſſerinus, *relicto primo ſtatu, in quo homo non eſt capax peccati, dicendum eſt de reliquis.* atque ideò diſtinguit in hominibus duplicem ſtatum, impubertatis ſcilicet, & pubertatis. Et de impuberibus dicit poſſe in eis dari pro aliquo tempore ignorantiam probabilem alicuius præcepti decalogi, ſi eorum parentes ibi errent; *Quia negari non poteſt*, inquit, *quin reſpectu impuberum probabilis non ſit doctrina parentum. tunc enim ſunt in ſtatu, in quo poſſunt capere ab aliis, non autem à ſe*; ac per conſequens ea capiunt, quæ a parētibus, vel aliis accipiunt, etiam ſi ſint errores; neque enim poſſunt eos a ſeipſis vincere, cum ſupponantur huius incapaces.

560 Certè videtur hæc reſolutio cum ſua probatione primò aſpectu efficaciter urgere contra doctrinam noſtram, quà numquam admittimus ignorantiam probabilem invincibilem juris naturæ. Verùm ſi benè conſideretur, nec minimùm contra nos urget: nam nos dicimus, & ſemper diximus cum D. Thoma, quod homini habenti uſum rationis non poteſt ignorantia juris naturæ invincibiliter provenire. Nomine autem uſus rationis intelligimus hoc, quod eſt, poſſe hominem a ſeipſo circa res naturaliter ratiocinari præſuppoſitis ſpeciebus obiectorum: & non intelligimus puram, & nudam capacitatem ſuſcipiendi ſpecies obiectorum, ſeu uſum ſimplicis apprehenſionis, abſque capacitate eas connectendi, & combinandi, atque ex illis deducendi: qui enim ſic ſimpliciter ſpecies accipiunt, & nondùm poſſunt eas combinare, ſunt veluti Pſittaci non habentes uſum rationis. quare peto de iſtis impube-

puberibus: vel ſunt capaces combinandi, vel non? ſi ſecundum: jam non ſumus in caſu de habentibus uſum rationis. Si primum ergo non ſunt in illo ſtatu, in quo ſupponuntur: & ſic ratio aſſumpta pro ignorantia tunc invincibili non valet, quia falſum ſupponit.

561 Sed dicet P. Paſſerinus: Impuberes non ſupponuntur incapaces peccati, ac per conſequens ſupponuntur habere uſum rationis, ſine quo peccatum ſtare non poteſt: & nihilominus D. Thomas *loco cit.* eos collocat in ſecundo ſtatu, in quo poſſunt capere ab alio, & non à ſe. ergo cum hoc quod eſt poſſe capere ab alio, & non intelligere à ſe tantùm, ſtat uſus rationis. cum igitur tunc non poſſint impuberes ignorantiam, ſeu errorem acceptum ab alio per ſeipsos vincere, jam erit error, & ignorantia invincibilis, etiam poſt uſum rationis.

562 Ad hoc reſpondeo adnotando quod uſus rationis in nobis gradatim acquiritur, & ſucceſſivè, non totus ſimul, & in inſtanti: Undè incipit utique regulariter circa finem primi ſeptennii, ſed valdè debilis; & paulatim convaleſcit, & creſcit; undè poteſt utique homo circa ſeptennium incipere aliquantulum ratiocinari, & aliquid defacto ratiocinatur, præſertim adiutus ad ratiocinandum à ſuis inſtructoribus, à quibus impuberes capiunt quidquid eis traditur de doctrina, & ideò poſſunt fieri doli, & peccati capaces pro gradu ſui uſus rationis ad culpam ſufficiente: ſed non proindè dicuntur habere perfectè uſum rationis, ita ut poſſint ſingula combinare, & ratiocinari de omnibus, & maximè de quibus nihil acceperunt, aut erroneè fuerunt inſtructi: & propterea collocantur à D. Thoma in ſecundo ſtatu; cum quo ſtat quod non habeant uſum rationis abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſecundum quid; & magis, ac minùs, pro minori, vel maiori acceſſu ad tertium ſtatum; & pro varietate materiæ ratiocinandæ juxta ſpecies ab aliis acceptas: de quo quidem non poteſt aliquid omninò certum determinari; neque in omnibus uno, eodemque modo id evenit, ſed variè, & in quibuſdam citiùs, in quibusdam tardiùs, pro variis corporum diſpoſitionibus, & organorum. Id autem unum circa hoc certiſſimum eſſe debet, quod pro quanto naturaliter de uſu rationis deficiunt, & non ex propria negligentiâ, aut paſſione; pro tanto quidem dicendi ſunt uſum rationis nullatenùs habere; & ſi indè aliquid ignorent, vel errent, invincibiliter errant, vel ignorant ex defectu uſus rationis: & talis ignorantia, vel potiùs neſcientia ex defectu potentiæ eſt, & non ex parte juris naturæ, quaſi ſit obiectum per ſe latens, & invincibiliter ignorabile ab habente uſum rationis; quod eſt id, quod nos in præſenti negamus.

563 An autem in impubere contingat talis defectus naturalis potentiæ circa ſpecialia præcepta decalogi, circa quæ præcipuè erroneè inſtituuntur à parentibus ſuis, nolo hìc contendere: quia difficile eſt hoc determinare; pertinet enim hoc ad quæſtionem facti ipſius naturæ, quid ſcilicet natura ipſa in unoquoque individuo efficiat, vel in quo deficiat. quod ad nos utique non ſpectat. Spectat autem ad nos determinare quod ſi non ſit defectus eiuſmodi potentiæ; ſeu quod idem eſt, ſi non ſit defectus uſus rationis, ignorãtia cõſequens ad uſũ rationis præſuppoſitum non erit invincibilis. Et hoc eſt quod perpetuò docemus in materia juris naturæ. exiſtimo tamen in impubere huiuſmodi contingere poſſe defectum potentiæ, ſeu uſus rationis, præcipuè circa aliqua, de quibus fuit erroneè inſtructus; & maximè ſi ſit proximior infantiæ, quam pubertati, quia tunc eius potentia, ſeu ratio, habet uſum nimis debilem, & non ſatis expeditum ad combinandum ſpecies, ut poſſit acceptum errorem vincere. Unde ſi iſte ſit filius idolatræ vel athei, & de idolatria, vel atheiſmo erroneè inſtructus, fortè non poterit errorem vincere ex defectu potentiæ, ſeu uſus rationis deficientis, & non valentis adhuc circa hæc ratiocinari.

564 Sed audiamus Patrem Paſſerinum expreſſiùs de ſingulis præceptis Decalogi diſcurrentem. Poſtquam Author iſte *num. cit.* 206. dixerat facile eſſe, ut in impuberibus ſit pro aliquo tempore probabilis ignorantia, etiam alicuius præcepti Decalogi; ſi eorum parentes ibi errent; quia negari non poteſt quin reſpectu impuberum probabilis non ſit doctrina parentum. (Et nomine probabilis ignorantiæ intelligit invincibilem, ut conſtat per id quod ſubdit *num. ſequenti* 207. 208. & 209.) ſubdit enim *dicto num.* 207. *Et nihilominus præceptum honorandi parentes eſt adeò clarum, ut ſit impoſſibilis ignorantia invincibilis in impuberibus, etiam ſi in hoc eorum parentes errent. quod ſolùm limitat, niſi quis nutritus in ſylvis nec parentes ſciat, quæ eſt ignorantia facti, ſeu entis*. Ex quo patet quod quantùm ad hoc præceptum non admittit ignorantiam invincibilem, nec probabilem; & meritò quidem, quia cognitis parentibus ratio practica, quantumcumque debilis ratiocinationis, poteſt ad id ſtatim pertingere ex ipſamet inclinatione naturæ ad id excitante. Si verò quis nec parentes ſciat, tunc procul dubio nec tale debitum ſcire poteſt, impoſſibilis enim eſt ſcientia aliqua de ſubiecto non ſupponente.

565 De primo autem præcepto Decalogi loquendo *num.* 208. præmittit ſemper eſſe diſtinguendum de ignorantia exiſtentiæ, ſeu entis, quæ, inquit, ſimilis eſt ignorantiæ facti, & de ignorantia juris, cuiuſmodi eſt ignorantia de colendo Deo, vel de honorandis parentibus. quo præmiſſo, dicit poſſe in filio idolatræ vel athei eſſe ad tempus ignorantiam invincibilem de colendo uno Deo. quod & nos ſupra admiſimus in impubere, quandiù in eo ſit defectus potentiæ, ſeu talis gradus uſus rationis, qui fuerit ad id neceſſarius, & non aliter. Sed im-

immediatè poſt videtur præfatus Author hoc ipſum revocare motus ex doctrina illa D. Thomæ quod puer in primo inſtanti uſus rationis tenetur ſe convertere in Deum. Undè ſubiungit: *Verùm quia ex D.Thoma impubes tenetur in primo inſtanti uſus rationis ſe convertere in Deum; Ideo nec in impubere*, inquit, *eſt invincibilis, aut probabilis ignorantia veri Dei, ſi ſufficienter excitatus ex rerum cognitione, & ordine non inquirat*, quod & nos etiam amplectimur, ſi ſupponatur impubes ſic excitatus; quia tunc non poteſt in eo ſupponi defectus potentiæ, ſeu gradus uſus rationis ad id neceſſarius; ſemel enim ac eſt capax ita excitari, eſt quoque capax ſuper id ratiocinari. Et hæc eſt ſolida ratio, quâ moveor ad hoc ipſum afferendum; & non doctrina illa D. Thomæ, undè ipſe movetur: quia doctrina D. Thomæ de debito ſe convertendi in Deum eſt abſolutè, & ſimpliciter ſemper verificanda in primo inſtanti uſus rationis, quantumcumque debilis, & inſufficientis ad cognitionem unius veri Dei; quemadmodùm ab ipſo D. Thoma abſolutè, & ſimpliciter docetur pro tali primo inſtanti quarè non eſt præfata doctrina D. Thomæ intelligenda de converſione explicita in unum verum Deum; quia ſic non ſemper eſt poſſibilis in primo inſtanti, cum primo incipit impubes habere uſum rationis, niſi tunc inſtructus ſit de Deo uno explicitè: ſed debet intelligi de converſione in Deum implicitè, quæ habetur per hoc quod puer tunc in primo inſtanti deliberet de benè, & rectè vivendo ſecundùm rationem, hoc eſt de bono proſequendo, & declinando a malo, ad quod utique ſufficiens eſt primus gradus uſus rationis, ut optimè alii exponunt cum Caietano 1. 2. q. 89. a. 6.

566 Proſequendo autem præfatus Author ad reliqua præcepta Decalogi, de malitia homicidii, dicit quod eſt multùm evidens, ac per conſequens non poteſt invincibiliter ignorari: quod utique veriſſimum eſt. Tum verò diſtinguit de impubere, quod vel inter pios parentes, aut tutores vivit, vel inter erroribus imbutos. ſi primum; dicit quod tenetur recurrere ad illos, motus ex notitia principiorum, *quæ ei*, inquit, *non deeſt*; ſi tamen ſibi ſola non ſufficit. Si verò ſecundùm: dicit quod decipi poſſunt impuberes, imò etiam puberes; *& ideo*, inquit, *non eſt mirum, ſi tunc ſit in eis ignorantia invincibilis, vel probabilis*. Sed hoc admitti non debet de puberibus; quia jam ſupponuntur eſſe in tertio ſtatu, quando poſſunt circa perſonalia ratiocinari à ſeipſis: Imò neque de impuberibus, ſi ſupponantur moti ex notitia principiorum, ut ipſe dicit; quia ſi ſunt capaces talis motionis, ſunt etiam capaces ratiocinationis circa eamdem materiam; principia enim non poſſunt movere ad indagandum concluſiones, quin ſupponant in ſubiecto capacitatem ad ratiocinandum: imò hoc ipſum quod eſt moveri, ex principiis ad indagandum, ratiocinari eſt, quod utique videtur quodammodò fateri Author iſte immediatè per hoc quod ibidem ſubdit: *Quæ tamen* (ignorantia) *etiam vincibilis iudicari poterit, & improbabilis, ſpectatis circumſtantiis rei, ingenio, & diſpoſitione impuberis, & excitationibus ad bonum, quas habuit, & circumſtantiis temporis, loci, & perſonarum, & ſynderesi reclamante*. quæ certè omnia ſufficienter ſupponuntur concurrere in caſu, quo impuberes ex principiis moventur ad indagandum de concluſionibus.

567 Poſt hæc affert præfatus Author aliud principium ex D. Thoma 1. 2. q. 94. a. 4. ubi docet, quod principia, ſeu communia juris naturæ, vera utique in pluribus, poſſunt deficere ut in paucioribus, ut conſtat de exemplo adducto ab ipſo D. Thoma de reddendis depoſitis. Sed ibi D. Thomas hæc, non principia, ſeu communia juris naturæ appellat; ſed propria, & quaſi concluſiones, ut ſupra nos vidimus de huiuſmodi loquentes. Sed quidquid ſit de appellatione nominis: Indè Author iſte ita concludit *num*. 211. *Sic ergo dicendum eſt de puberibus impoſſibile eſſe, quod in eis ſit ignorantia probabilis præceptorum Decalogi ſecundùm ſe, & præciſis circumſtantiis; ſed benè contingere poteſt, quod dentur circumſtantiæ apparentes, ut homines probabiliter putent in caſibus particularibus oppoſitum iuris naturæ*. Ex quo conſtat quod Author iſte non admittit in puberibus poſſe contingere ignorantiam probabilem, & à fortiori neque invincibilem de præceptis decalogi ſecundùm ſe, & præciſis circumſtantiis: & in hoc nobiſcum convenit. Sed videtur ſtatim diſcrepare in eo, quod ſubdit contingere poſſe, quod dentur circumſtantiæ apparentes, ut homines probabiliter putent in caſibus particularibus errorem aliquem contra jus naturæ. Verùm ſi ipſe loquitur de circumſtantiis accidentalibus, quæ occultant factum, ita ut ſpecies facti citra agentis negligentiam non agnoſcatur, ſicut accidit Jacob accedenti ad Liam; optimè dicit: & nos cum eo etiam ſentimus; ſed tunc ignorantia eiuſmodi eſt ignorantia facti, non juris. At ſi loquitur de circumſtantiis in ſua ſpecie cognitis quoad factum, fundantibus tamen ſpeciale jus naturæ oppoſitum juri naturæ univerſali; (ſicut accidit in exemplo de reddendis depoſitis, quod eſt jus naturæ univerſale, & regulariter verum; falſum autem in caſu particulari ob circumſtantiam in depoſitante repertam; puta ob circumſtantiam pravæ eius intentionis de patria impugnanda nobis utique cognitæ) non benè loquitur; quia cognita ſemel ſpecie eiuſmodi circumſtantiæ, fit ſtatim naturaliter evidens jus ſpeciale de non reddendo in eo caſu; quia ſtatim apparet irrationabile eſſe illi reddere, eo quod indè conſtat præberi illi occaſionem, & facultatem perdendi patriam, & patriæ parricidium committendi: Undè ignorari non poteſt invincibiliter. Sed ſi ignoratur, id ex aliqua paſſione,

ex

Digitized by Google

vel ſimili culpâ procedit. Et hoc vidimus ſupra ex D. Thoma, qui in eiuſmodi caſibus particularibus dixit jus naturæ non eſſe omnibus æqualiter notum: ſed quare? Audi quare ex eodem D. Thoma: *Et hoc*, inquit, *propter hoc, quod aliqui depravatam habent rationem ex paſſione, vel prava conſuetudine, aut mala habitudine naturæ.* Ecce cauſam talis ignorantiæ culpabilem. Non admittit igitur D. Thomas in eiuſmodi caſibus etiam particularibus ignorantiam probabilem, quæ ſit invincibilis, ſeu inculpabilis, de qua eſt reſolutio noſtra.

568 Præterea præfatus Author *num.* 212. reſumit ſuam diſtinctionem, de qua ſupra diximus, nempè de ignorantia privativè ſumpta, & ignorantia contrariè ſumpta, quæ dicitur error, ſeu ignorantia pravæ diſpoſitionis: & ſavens potiùs nobis concludit generaliter, quod nequit dari error de præceptis Decalogi non ſupinus, & craſſus; quia facilè eorum veritas ex principiis deducitur; nec dari poteſt probabilis ratio de oppoſito.

569 Et infra *num.* 213. addit non excuſari in his puberes per hoc quod alii ſic teneant, & ita eos docuerint patres eorum, aut Principes, vel communitates: cum ab intrinſeco nihil ſit, quod eiuſmodi errores probabiliter ſuadeat, puta quod Deus non ſit; quod homicidium, adulterium, aut furtum ſit rationabile, & ſimilia. Et maximè cum contra quodlibet extrinſecum motivum urgeat ratio fortiſſima ex principiis naturaliter notis. Imò ibidem obiter notat quàm falſum ſit quod authoritas unius, vel alterius Doctoris ſufficiat ad probabilitatem in moralibus: Imò, inquit, nec plurimorum Doctorum, nec Civitatum, nec Regnorum conſenſus, & neque antiquitatis beneplacitum; debent enim attendi motiva intrinſeca: alioquin excuſarentur Pagani, Judæi, Saraceni, & alii. Sic loquitur præfatus Author, ut videri poteſt ibidē.

570 Et *num.* 214. proſequitur ſic dicens: Et ideo in hac parte, ſine exceptione perſonarum, & temporum, dicitur non poſſe dari ignorantiam contrariè ſumptam, ſeu errorem contra præcepta Decalogi ſecundùm ſe ſumpta in aliquo pubere, qui ſit probabilis, & non voluntarius, & vincibilis: cum facilè poſſit quilibet falſitatem agnoſcere. Et licet in impubere, inquit, qui ducitur ab aliis (dicam ego: qui nondùm eſt capax à ſe hæc ratiocinandi, ac proindè non eſt ei adhùc quoad hæc uſus rationis, ut ſupra explicavi) poſſit eſſe error probabilis, non tamen pro toto tempore impubertatis; quia nimis evidens eſt conſequentia, quâ ex lumine vultus Dei in nobis ſignato præcepta Decalogi deducuntur. Vide, lector, quàm conformiter ad reſolutionem noſtram Author iſte loquatur; licet aliquando per totam eiuſmodi ſuam diſcuſſionem viſus fuerit aliqualiter trepidare, atque ideò parùm ſibi conſtans, ut uſque adhuc vidimus.

571 Numerò autem 217. iterùm reaſſumit ſermonem de adiunctis circumſtantiis in particulari caſu, dicens: *Sed ſi loquamur de præceptis Decalogi ratione adiunctæ alicuius circumſtantiæ, & in particulari caſu, poterit dari error probabilis.* At jam hoc ſupra *num.* 567. impugnavi ex D. Thoma, ſi ſit ſermo de circumſtantiis fundantibus ſpeciale jus naturæ in particulari caſu, nobis tamen in propria ſpecie facti ſemel cognitis. Verùm quia hìc nititur Author iſte dictum ſuum probare multis exemplis: ideò oportet, & nos eius exemplis reſpondere.

572 Exempla, quæ adducit ad hoc probandum, ſeu declarandum, hæc ſunt: *Poteſt*, inquit, *v. g. probabiliter ignorari, ſi præceptum naturæ urgeat ad ſubveniendum de bonis propriis patri in gravi aliqua neceſſitate conſtituto, ut dicunt Curiel, & ex eo Martinez de Prado. Et certè*, inquit, *de eo quod eſt, filium non poſſe ingredi religionem, ſi relinquat parentes in gravi neceſſitate, fuerunt diverſæ opiniones: Nam aliqui voluerunt quod poſſit contra communem ſententiam, contra quos diſputavi de ſtat. & off. hominum tom. 3. q. 189. a. 6. num. 11. Sic ergo, & multò magis tempore Gentilitatis potuit dari caſus cum talibus circumſtantiis. Similiter circa præceptum non mentiendi propter aliquod maximum bonum. Et circa legem homicidii Curiel, & Martinez de Prado dicunt poſſe eſſe in aliquo probabilem errorem, quod liceat occidere privata authoritate contemnentem Deum; vel tyrannicè opprimentem Rempublicam; vel ſeipſum in defenſionem caſtitatis; aut alterius virtutis; aut propter bonum publicum.* Et *n.* 218. addit quod idem dicunt alii de furto, videlicet quod poſſit probabiliter credi licere pro gravi neceſſitate propriâ, vel alienâ. Et de pollutione admittit Sanchez in pueris talem ignorantiam cum Palao, Diana, Layman, Bonacina, & Salas apud Martinez de Prado. & de pluralitate uxorum admittit Sotus, Medina, Alvarez, Gregorius, Martinez, & Martinez de Prado. Hæc ſunt eius exempla. quantumvis tandem ipſe fateatur ſe hæc exempla non approbare, ut videri poteſt apud ipſum *n.* 219.

573 Reſpondeo nihilominùs per hæc exempla nullatenus probari quod poſſit dari invincibilis ignorantia de præceptis Decalogi ratione adiunctæ circumſtantiæ fundantis ſpeciale jus naturæ in caſu particulari. Non enim hoc probatur ſufficienter ex eo, quod Doctores ab ipſo relati dicant de aſſignatis materiis juris naturæ cadere poſſe in aliquibus probabilem, & invincibilem ignorantiam: Nam hoc ipſum eſt, quod contra eos id affirmantes, nego: quare niſi mihi idipſum ratione probaverint, eadem facilitate, qua ipſi affirmaverint, ego negabo. Neque probatur ex eo, quod circa eaſdem materias ſunt inter Doctores oppoſitæ opiniones, quaſi indè arguatur eſſe materias in ſe difficiles, & ambiguæ reſolutionis: alioquin in quacumque materia, ubi eſt reperire varia aliquorum placita, oporteret ibi eſſe veram probabilitatem ex

utraque parte,& in unaquâq;errorẽ,& ignorantiam invincibilem: quod tamen nec Author iſte, nec alii facilè admittunt, cum plures Doctores ſæpè ſæpiùs aliquorum opiniones damnent ut omninò improbabiles. Et certè quis neget multos in re etiam certiſſima ex luxuria proprii ingenii in varia ſæpè voluntaria placita declinare? multi quidem, ut ſupra alias dixi, non veritati ſtudent, ſed propriis concupiſcentiis, ſuiſque adinventionibus ſuſtinendis. Non igitur ex varietate opinionum, ſeu Doctorum placitis ſufficienter argui poteſt placitorum probabilitas, aut invincibilitas falſitatis eorum.

574 Sed examinemus exempla ſupra adducta in ſeipſis, & videamus in eorum materia, quæ ſint circumſtantiæ iſtæ adiunctæ, quæ jus naturæ in caſibus particularibus variant, & obnubilant, ita ut poſſit ab aliquibus invincibiliter ignorari. Primum quidem exemplum eſt de quæſtione illa, ſi ſcilicet jus naturæ urgeat ad ſubveniendum de bonis propriis Patri in gravi neceſſitate conſtituto. Sed profectò non video in hoc caſu particulari circumſtantiam aliquam ſpecialem adiunctam, quæ moveat ad dubitandum de aliquo jure universali præſuppoſito, an ratione adiunctæ circumſtantiæ urgeat, vel ceſſet urgere. Video utique in exemplo D. Thomæ de reddendo depoſito, quod ſit jus universale, & verum ut in pluribus; ſicut etiam video circumſtantiam adiunctam in caſu particulari de illo non reddendo in circumſtantia proditionis patriæ. Sed hic non video jus aliquod universale, quod poſſit deficere in caſu propoſito ex cauſa alicuius adiunctæ circumſtantiæ. Non enim eſt de jure naturæ quod filii abſolutè, & universaliter ſubveniant patri; ſed potiùs econtra per ſe loquendo: ut vidimus ſupra; Parentibus enim inditum eſt à naturâ ut educant filios, & non econtra. Undè ſolùm per accidens tenentur, videlicet in caſu, quo pater indigeat, ut explicat D. Thomas 2. 2. *q.* 101. *a.* 2. Addo quod ſi id eſſet regulariter de jure naturæ, à fortiori de jure naturæ eſſet in circumſtantiâ gravis neceſſitatis.

575 Quod ſi dicas ſupponi de jure naturæ in caſu neceſſitatis: ſed quia circumſtantia neceſſitatis in caſibus particularibus variare poteſt, quatenùs neceſſitas poteſt eſſe vel extrema, vel gravis; ideò licet verum ſit, & evidens jus naturæ obligare in extrema neceſſitate; circumſtantia tamen neceſſitatis minoris difficultatem ingerit, & ad dubitandum movet. Si, inquam, ſic dicas, nihil probas: Nam ſi evidens eſt, quod in neceſſitate ſaltem extremâ de jure naturæ teneris; cur non erit evidens, quod & in gravi neceſſitate tenearis? minor neceſſitas ſicut non aufert neceſſitatem, ſed gradum minuit; Ita nec tollit obligationem, ſed ad ſummum diminuit. fateor utique te graviùs inhonorare patrem, ſi extremè indigenti non ſubvenias, quam ſi graviter indigenti: at quod nihil ei detrahas de honore, & pietate illi debitâ, & graviter illi debitâ, cum poſſis; quâ veri ſpecie tibi ſuadere poteris? Dictat ratio, & urgentiſſimè quidem, quod illi ſubvenias in extremis; & nihil urgebit in gravibus neceſſitatibus? Nũquid gravis neceſſitas eadem eſt, ac nulla; vel propè nullam? quis hoc dicat? certè niſi te teneat proprietatis tuæ nimius affectus, aut alia paſſio tegat oculos; ſed ſincerè velis Genitori tuo condigna honoris, & pietatis obſequia exhibere, & ſuſcepta ab eo beneficia recognoſcere, protinùs videbis in eo caſu debitum tuum.

576 Secundum exemplum eſt de volente religionem ingredi relinquendo parentes in gravi neceſſitate. quod licite fieri poſſe nonnulli tenuerunt contra communem ſenſum. Ad hoc autem ſimiliter reſpondeo parum eſſe, quod nonnulli ita ſenſerint; non enim proindè naturale lumen ſuper nos a Deo ſignatum, atque intùs coruſcans evacuant Doctores affectatis ſtudiis ſuis; habent namque, & Doctores quoque, ut ſæpè diximus, errores in concluſionibus ſuis improbabiles, & vincibiles; & multotiès à paſſionibus propriis decepti potiùs, & non quia de ſe res velata ſit, a veritate deviant, & in falſa ſenſa declinant, præſertim qui novitates amãt, & ſapientiæ antiquorum affectant ſe opponere, & contra illos arguere. Cæterùm evidentiſſimum eſt circumſtantiam boni finis extrinſeci, qualis eſt religio, quam quis ingredi intendit, non infringere jus naturæ, quo quis parentibus obligatur neceſſaria ſubvenire in caſu eorum indigentiæ. Patrem ac Matrem pro Deo relinquere, citra jacturam pietatis illis naturaliter debitæ, perfectionis eſt, & rationabile: At pietatis debitum contemnere pro perfectioris ſtatus ſpecie amplectendâ nemo ſenſatus dixerit. quid enim irrationabilius eſſe poteſt, quàm ſe debitæ pietatis contemptorem, & nativi juris, Deo hoſtiam offerre, quaſi illi placituram.

577 Neque dicas tunc jus naturæ ceſſare; non contemni, quia dùm neceſſitas in parentibus perſiſtit; non poteſt in filio debitum pietatis ceſſare ſubveniendi illis; hoc enim debitum juris naturæ ex illorum neceſſitate, & non aliundè emergit. quod ut clariùs percipias, attende diſcrimen inter exemplum D. Thomæ de depoſito reddendo; & exemplum hoc de ſubveniendo parentibus graviter indigentibus; & percipies quare jus illud ceſſet in circumſtantiâ proditionis patriæ; illud verò non ceſſet in circumſtantia religionis aſſumendæ. Ibi enim mutatur materia juſtitiæ: hic verò nõ mutatur materia pietatis. quia ibi materia juſtitiæ eſt jus ad bonum utile depoſitantis, quod juſtum eſt Domino ſuo reddi; at, ſuperveniente circumſtantiâ proditionis patriæ non eſt ei ampliùs bonum illud utile; ſed evadit, ut ita dicam, malum utile Domino ſuo, eo quod perversè vult uti pecuniâ ſuâ: quare dum illi petenti non redditur, non læditur jus illius, quod

habet

habet in pecuniâ ſuâ, quâ poſſit benè uti, ut Dominus; ſed ſolùm aufertur facultas, ut poſſit eâ abuti, ut Proditor; & ſic nulla intervenit iniuſtitia: At hic materia pietatis eadem perſeverat, ſive ſuperveniat, ſive non, circumſtantia Religionis; ita ut ſemper ſit actus pietatis ſubvenire parentibus, etiam ſi fiat a Religioſo Profeſſo. ergo ſi eiuſmodi actus ſecundùm ſe eſt de jure naturæ, etiam ſupervenientе tali circumſtantiâ, non ceſſabit eſſe talis. Undè non debet, nec poteſt licitè omitti ab aliquo, ut religionem ingrediatur; imò ſi jam quis profeſſus ſupponatur, & tunc eius parentes egere incipiant, tenetur adhuc illis ſubvenire, ſalvo tamen obedientiæ ſtatu, pro modo ſibi in eo ſtatu poſſibili, ut docet D. Thomas 2. 2. *q*. 101. *a*. 4. *ad* 4. non obſtante, quod ſit tunc jam mortuus ſæculo.

578 Ad reliqua exempla circa alia præcepta juris naturæ, puta non mentiendi etiam propter quodcumque bonum; non occidendi privatâ authoritate etiam tyrannum, & opprimentem Rempublicam, aut contemnentem Deum; aut ſeipſum in defenſionem caſtitatis, vel alterius virtutis, aut propter bonum publicum: Ad hæc, inquam, eodem modo reſpondeo: quia ob circumſtantiam boni finis ex parte agentis, non variatur materia juris naturæ, ſed actus manet omninò formaliter in ſua ſpecie, ac propterea non poteſt jus naturæ in eiuſmodi circumſtantiis ceſſare; & hoc ipſum evidentiſſimum eſt unicuique ipſam ſpeciem actus conſideranti: quod ſi non conſideret, id ortum habet ex paſſione agentis plus juſto affectantis concupitum illud bonum, quod intendit. Et idem eſt circa præceptum non furandi etiam in circumſtantiâ gravis neceſſitatis, quia hæc non reddit bonum alienum commune, ſicut facit neceſſitas extrema, ſed perſeverat adhuc proprium; atque ideò non mutatur in illâ, ſicut in iſtâ materia juſtitiæ.

579 Circa pollutionem denique, & pluralitatem uxorum, quæ ultimo loco adducuntur, & ſimilia juris naturæ, nulla eſt circumſtantia, quæ poſſit ea cohoneſtare (ut conſtat) in aliquo particulari caſu: & aliàs in ſeipſis ſupra oſtendimus irrationabilitatem eorum ſibi intrinſecam, & per ſe importatam. Undè nullatenùs approbanda ſunt: Sicut & ipſemet P. Paſſerinus ibidem fatetur. Ergo nihil indè contra nos probare poteſt.

580 Quarè perperam ipſe *num*. 220. poſt adducta exempla, quæ non approbat, ſubiungit: *Hæc autem multò magis vera eſſe poſſunt de aliis præceptis remotioribus à primis principiis*. Ex quo infert: *Atque hinc ſunt etiam inter Doctores oppoſita ſententia de indiſſolubilitate matrimonii, quatenùs eſt in officium naturæ; & de unitate uxoris; & de delectatione moroſa; & de repudio ante legem Chriſti*. Ad quæ tamen prout ſunt placita Doctorum, ſatis hîc uſque reſponſum eſt nobis non obeſſe, prout verò in ſeipſis conſiderantur, jam ſupra oſtendimus evidentem eorum malitiam, & deordinationem; cum inclinationes naturales hominis examinabamus.

581 Ad id denique quod ibidem ſubdit, dicens: *Sed quidquid ſit de his opinionibus: hoc verum eſt, quod lex naturæ in omnibus ſuis præceptis non eſt noſtræ imbecillitati adeò clara, ut non ſit expoſita diſputationi; & ita ut propterea non ſint dabiles opiniones probabiles oppoſita*. Ad id, inquam, reſpondeo verum hoc eſſe de lege naturæ, non quidem ſecundùm ſe, & per ſe conſideratâ; ſed per accidens, eo quod ſcilicet eam homines adinventis plurimis formalitatibus pro variis concupiſcentiis ſuis; vel ſupervenientibus variis circumſtantiis ſe tenentibus ex parte facti, & minùs nobis cognitis, veluti quibuſdam caliginibus acceſſoriis obſcurant, & tegunt; ita ut eam ampliùs clarè non videant. Sed indè non invincibiliter ignorant, ut ſupra vidimus; niſi fortè citra eorum paſſionem, & negligentiam veletur ex parte facti ſpecies actus; quo caſu non dicuntur laborare ignorantia juris formaliter, ſed ignorantia facti; ut toties diximus, quæ tunc procul dubio invincibilis eſt.

582 In fine tandem totius huius ſuæ diſcuſſionis præfatus Author *num*. 222. quaſi colligendo ſuam doctrinam, ſic generatim concludit; videlicet, quod de illis tantùm præceptis juris naturæ dari poteſt invincibilis ignorantia, aut probabilis, (hanc enim cum illâ confundit) quæ ſupponunt ens, vel factum, vel circumſtantiam, aut qualitatem entis, cuius poteſt dari ignorantia, aut inconſideratio invincibilis, & probabilis. Et ſic *qui invincibiliter* (inquit) *ignorat Deum eſſe; ignorat præceptum colendi Deum: Et qui invincibiliter ignorat parentes eſſe; ignorat præceptum honorandi parentes: Et qui nutritus in ſylvis ignorat mulieres; ignorat propagationem naturæ per matrimonium, & leges eius: Et qui invincibiliter ignorat hunc, quem credit eſſe lupum, eſſe hominem; non conſiderat, ſed ignorat pro tunc legem prohibentem homicidium*; & ſimilia.

583 Ex quâ quidem ſuâ finali concluſione videtur tandem ferè omninò accedere ad reſolutionem noſtram, quia eiuſmodi invincibilis ignorantia ſic ab ipſo explicata ſolùm materialiter dicitur eſſe juris naturæ; formaliter verò, & rigoroſè loquendo eſt ignorantia facti, quam nos utique admittimus, ut conſtat ex ſuperiùs dictis. Quare licet Author iſte in toto ſuo præcedente diſcurſu videatur trepidans, & varius in negando abſolutè, & totaliter ignorantiam invincibilem juris naturæ; in finali tamen ſua reſolutione re verâ, & de facto illam negat. Cauſa autem trepidandi, & variè loquendi, ni fallor, iu eo ſuit; quia plerumque confudit ignorantiam facti cum illâ juris in exemplis ſuis: & multoties etiam nonnihil umbræ deſumpſit ex Doctoribus variè opinantibus. Cæterùm in-

trin-

trinſecùs ferè evidenter conſtat in eius animo ſediſſe reſolutionem noſtram. Voluimus autem nos totam eius doctrinam hìc adducere, & expendere, ut ſic, ſi quæ ex eius diſcurſu, & aliorum, quos ipſe refert circa hanc materiam, aliqua oriretur dubitatio de reſolutione noſtrâ, penitus amputaretur, & firmum omninò maneret numquam dari poſſe ignorantiam invincibilem juris naturæ, ſemel tamen cognitis actibus humanis in propria ſpecie ex propriis eorum obiectis, à quibus venit homo ſufficienter excitatus, quam quidem excitationem tangit etiam præfatus Author *num.* 223. ubi docet quod ſuppoſita excitatione ex parte obiecti, & circumſtantiarum, ſemper erit vincibilis, ſi quæ ignorantia continget, Atque hæc ſatis de ignorantia juris naturæ.

CAPUT SEPTIMUM.

De Ignorantia juris divini poſitivi,

§. UNICUS.

An ignorantia divini juris poſitivi interdùm excuſet, & quando?

584 Nomine divini juris poſitivi venit hìc lex evangelica, prout continet præcepta fidei, & Sacramentorum. Undè non eſt hìc ſermo de præceptis Decalogi, quia licet hæc ad jus divinum quoque pertineant, quatenùs à Deo poſitivè tradita ſunt Moyſi in tabulis lapideis ſcripta; tamen quia ad jus naturæ etiam pertinent, & taliter, ut etiam ſi non fuiſſent ita tradita, adhuc ſupponerentur nobis præcepta, ſicut antecedenter ſupponebantur ipſo naturæ jure nobis indita; ideò iſtorum ignorantia ad ignorantiam juris naturæ ſpectat, de qua hactenus in præcedente capite dictum eſt. Solùm igitur in præſenti quæritur de ignorantia divini juris quoad reliqua præcepta poſitiva, quæ non ſunt de jure naturæ, ſed ſuperioris ordinis; nempè ordinis ſupernaturalis, cuiuſmodi ſunt præcepta fidei, & Sacramentorum.

585 De jure divino igitur ſic ſumpto dico, quod regulariter loquendo non datur ignorantia invincibilis: licet non ſit impoſſibile aliquando contingere in aliquo caſu raró, & ſingulari. Prima pars huius aſſertionis conſtat, quia regulariter loquendo lex Evangelii ſupponitur adeò promulgata per univerſum orbem, ut ferè impoſſibile ſit aliquem reperire, qui de illa non audierit; cum de Sanctis Apoſtolis ſcriptum ſit, quod *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* In cuius ſignum eſt, quod omnes Sectarii poſitivè reſiſtũt Evangelio, & Chriſti fidei, cui procul dubio non poſſent poſitivè reſiſtere, niſi audiviſſent. Si igitur omnes audierunt, & nunc adhuc aliquo etiam modo audiunt Evangelium, cui de facto reſiſtunt, & ſe opponunt, non poteſt in aliquo ſuæ rationis perfectè compote reperiri eiuſmodi invincibilis ignorantia; etiam ſi fortè alicui non ſit ſufficienter propoſitum, & explicatum, ut prudenter credibile; quia hoc ipſo quod de illo quodammodò audivit, tenetur diligentiam ſuam apponere, & perquirere, ut ſufficienter audiat; alioquin eius negligentiæ imputandum eſt hoc, quod eſt ſibi non ſufficienter proponi; & multò magis ſi reſiſtit. Quare neque Mahometanus, neque Hæbreus, neque ullus alius Sectarius excuſari poteſt à peccato infidelitatis ob ignorantiam Evangelii, quantumvis in propriâ ſectâ natus, educatus, & inſtructus à propriis parentibus, & falſis Doctoribus ſuis. Et ratio mihi hoc efficaciter probans eſt, quia hoc ipſo quod audiunt in propria ſecta ab ipſiſmet maioribus ſuis eius Doctrinæ opponi Eccleſiam Catholicam, tenentur de hac oppoſitione diligenter inquirere, ut videant ne fortè falsâ diſciplinâ fuerint imbuti. Agitur enim de neceſſariis ad ſalutem ſpiritualem, circa quæ ubi quis comperit variè ſentiri, non poteſt prudenter in uno ſenſu quieſcere, niſi priùs inveniat motiva evidentia credibilitatis eius, quod credit, alioquin convincitur imprudenter, & leviter credere; ac propterea ſi erret, ex propria culpa errare.

586 Totum hoc expreſsè docet D. Thomas *quodlib.* 3. *a.* 10. Ubi ſic habet: *In his verò quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicuius magiſtri. In talibus enim ignorantia non excuſat; alioquin immunes à peccato fuiſſent, qui ſecuti ſunt opinionem Arrii, Neſtorii, & aliorũ Hæreſiarcharum. Nec poteſt* (attende Lector) *excuſationem habere propter ſimplicitatem auditorum, ſi in talibus opinionem erroneam ſequantur. In rebus enim dubiis non eſt de facili præſtandus aſſenſus. Quinimò ut Auguſtinus dicit in lib. 3. de doctrina chriſtiana; Conſulere debet quis regulam fidei, quam de ſcripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ authoritate percepit. Qui ergo aſſentit opinioni alicuius magiſtri contra manifeſtum ſcripturæ teſtimonium, ſive contra id quod publicè tenetur ſecundum Eccleſiæ authoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari.* Hæc D. Thomas.

587 In quibus verbis ponderandum eſt quod D. Thomas etiam de plebeis, & idiotis hominibus loquitur, qui in ſimplicitate ſuâ audiunt, & ſuſcipiunt diſciplinam magiſtrorum, & nihilominus eos non excuſat: quia, inquit, conſulere debent diligenter priùs de veritate, & non facilè aſſenſum præſtare. Et ex Auguſtino in hac materiâ debent conſulere regulam fidei, hoc eſt ſcripturas, & Catholicæ Eccleſiæ authoritatem, quam utique audiunt, & percipiunt (etiam ab ipſis ſuis falſis Magiſtris) dogmatibus, ac diſciplinæ ipſorum opponi: debent enim hoc ipſo conſulere, & benè inquirere de illa, contra cuius manifeſtum teſtimonium audiunt à Magiſtris ſuis; alioquin in dubiis,

hoc

Digitized by Google

hoc eſt, in rebus dubitabilibus verſantur, ſtante eiuſmodi Eccleſiæ contrarietate; ac proindè in quibus dubitare debent de ſuſcepta diſciplina, & diligenter inquirere: quod ſi non dubitent, ſed facilè illi præſtent aſſenſum, hoc ipſo imprudenter credunt, & in culpa ſunt ſui proprii erroris.

588 Sed fortaſſis retorquebit quis hoc idem argumentum in Catholicos. Iſti enim ſimiliter audiunt ſibi opponi Lutheranorum, aliorumque ſectariorum Eccleſiam: Numquid ergo in dubiis, ſive in dubitabilibus propterea conſtituuntur; ita ut niſi priùs conſulant, & inquirant de aliis Eccleſiis; imprudenter aſſenſum præſtent Catholicæ Fidei? quis hoc dicat? eſſet hoc Catholicos cogere priùs ad dubitandum in fide ſuſceptâ, quàm aſſentiant. Quod procul dubio abſurdum eſt, & pias aures offendit. Ergo argumentum hoc nimis probat, & plùs quàm intendit, ac propterea non concludit.

589 Reſpondeo ad hoc, retorſionem iſtam in Catholicos nullius roboris eſſe ob diſcriminis diſparitatem, quod inter eos intereſt, & ſectarios. Et diſcriminis huius radix eſt ipſamet veritas Catholicæ Fidei, & falſitas cuiuſcumque ſectæ. Ex veritate enim fidei catholicæ oritur, quod poſſit unicuique proponi, ut prudenter credenda, cum evidentibus ſcilicet motivis ſuæ credibilitatis, quæ ipſi aſſiſtunt, & deficiunt aliis: In eâ enim ſemel propoſitâ apparet una facies eloquiorum caſtorum, & undequaque immaculata, quæ nulla ex parte falſitatis redargui poſſit; ac per conſequens, quæ digna ſit, ut prudenter credatur; ac proindè ſemel integrè propoſita affert ſecum evidenter motiva omnia ſufficientia, ut quiſque prudentiſſimus inclinetur ad credendum; & ideò ſupponitur prudentiſſimè ſuſcepta, & non ex levitate cordis. Undè non oportet ulteriùs de eâ ſic ſuſceptâ aliquid indagare: Imprudenter enim eſt dubitare ampliùs, & aſſenſum ſuſpendere ab ea fide, cui quis ſemel prudentiſſimè aſſenſum præbuit: Cum enim fides ſit de rebus argumentum non apparentibus, non indiget ulteriori indagine, quam quod videatur eſſe de rebus ſic benè contextis undequaque, ut dignæ ſint, quæ prudenter credi poſſint: Et in hoc ſita eſt tota evidentia credibilitatis. At fides ſectariorum, quia in ſe falſa eſt, hanc credibilitatis evidentiam in ſe habere non poteſt, deficit namque ei illa una facies eloquiorum caſtorum, quæ nulla ex parte falſitatis redargui poſſit; ac per conſequens deficit ei hoc, quod eſt, eſſe dignam, ut prudenter credatur: Et ideò non ſupponitur prudenter ſuſcepta, ſed potius ex animi levitate, & imprudenter: & propterea eſt in ea locus, & ratio prudenter dubitandi; quod ſi quis non dubitet, & ulteriùs non procedat ad indagandum de veritate, eius imprudentiæ, & culpæ protinùs imputabitur; quia jam hoc ipſo leviter, & imprudenter credit.

590 Quod ſi quis interroget: undè poſſunt ſectarii evidenter deprchendere de ſuâ ſectâ, quod non ſit digna, quæ prudenter credi poſſit, ut ſic videant ſe leviter credidiſſe? Reſpondeo id optimè ſcire poſſe, ſi velint ex propriis dogmatibus. Vel faciliùs omnes generatim ex uno tantùm capite unicuique evidentiſſimo, videlicet ex perſonali teſtimonio Patriarcharum ſuorum. Nullus enim ſive Lutheranus, ſive Calviniſta, ſive alius Sectarius Lutherum, vel Calvinum, aut alium, cuius ſe Sectarium profitetur, ignorat. Ex hoc autem, ſi reflectat, ſtatim manifeſtè videt ſuſpectam originem ſuam, & ſe de verâ Dei Eccleſiâ eſſe reciſum, in quâ ipſe oriundus erat; in quâ ſcilicet eius Parens, & Patriarcha, ſive Lutherus, ſive Calvinus, aut alius, natus fuit, educatus, & inſtructus, atque ad tempus obediens; & à quâ poſtmodum per nova ſua adinventa dogmata receſſit, & apoſtatavit, atque ideò ab eadem condemnatus fuit.

591 Hæc profectò, quæ nullatenùs latere poſſunt, ſi ſecum Sectarius expenderet, videret luce pluſquàm meridianâ ſuæ Eccleſiæ falſitatem, eo quod nova doceat, quæ prior illa, & vera Eccleſia, non docuerat; imò quæ noviter adinventa damnavit. Et idem eſt de Mahomete, aut alio quocumque capite alicuius ſectæ, quæ determinato aliquo tempore incepit contra doctrinam præcedentis fidei, ſeù prioris Eccleſiæ, quæ veriſſima neceſſario præſupponitur; & demonſtratur ſequenti hoc diſcurſu: nam fides præcedens ſeu prior Eccleſia, vel ſupponitur vera, & infallibilis; vel falſa, & defectibilis. Si primum dicatur; jam ſubſequens convincitur manifeſtè falſa hoc ipſo, quod priori veræ opponitur. Si ſecundum; ergo vel ſubſequens reaſſumit, aut complet veritatem alicuius præcedentis veræ: vel nullius. ſi primum jam non noviter incohat dogmata ſua, ſed illa cum vera continuat; ſeu complet, quæ complenda erant; ſicut fuit lex Chriſti cum lege veteri, & ideò vera eſt: quod non verificatur de aliquâ ſectâ. Si nullius: ergo vel nullam ſupponitur præceſſiſſe veram, vel aliquam: Primum dici non poteſt, nam repugnat divinæ providentiæ, quod Deus pro ſuo vero cultu non providerit mundo de aliquâ verâ Eccleſiâ per tot ſæcula præcedentia. Ergo dicendum eſt ſecundum nempe aliquam præceſſiſſe veram, & infallibilem: cum igitur nova incipiens non reaſſumat illam, ſed ſit illi contraria, oportet eſſe falſam, præcipuè ſi à præcedente infallibili veniat expreſſè damnata. Ergo unuſquiſque Sectarius in promptu habet, unde poſſit evidenter agnoſcere ſectam ſuam indignam eſſe, quæ prudenter credatur. Et id apertiſſimè videbit, niſi fortè negligat quæ, & cui credidit, conſiderare; & tunc eius negligentiæ imputabitur qui cæco modo, & leviter credidit quæ, & cui, non debebat. Si enim prudenter proceſſiſſet, vidiſſet utique ſe in rebus verſari nedum du-

bius ſeù prudenter dubitabilibus; ſed maximè incredibilibus, quibus ut ait D. Thomas *loc. ſupra cit.* non eſt facilè præſtandus aſſenſus.

592 Non ſic autem eſt de Catholicis, nam iſti verè Chriſtum ut ſuum legitimum caput ſequuntur in lege veteri per tot antecedentia ſæcula promiſſū, & expreſſiſſimè quoad omnia, quæ de eo per tot Sanctos Profetas prædicta fuerant, declaratum; & ab initio mundi etiam ipſi Adæ revelatum; qui legem penitùs implevit, adeò ut jota unum, aut unus apex non præterierit à lege; qui & Pontificem Petrum ſui Vicarium iuſtituit, ut Eccleſiæ ſuæ præſideret, & perpetuò ſucceſſivè duraturum in ſucceſſoribus eius. Ridiculum enim eſt dicere, quod munus inſtituti Vicariatus debuerit in Petro extingui, conſtat enim eſſe Eccleſiæ neceſſarium; niſi enim neceſſarium fuiſſet, fruſtra ab initio fuiſſet a Chriſto Domino inſtitutum: Si verò neceſſarium, ergo Eccleſiæ proviſum fuit perpetuò duraturum, atque ideò ſemper, & ab initio continuatum fuit; & etiam per tot tempora antecedentia ad ipſos Hæreſiarchas, qui ab obedientia Summi Pontificis ſe ſubtraxerunt, blaſphemantes contra eiuſmodi ſucceſſionem Petri, quam uſque ad ſua tempora continuatam pacificè invenerant, & numquam interruptam, aut interrumpendam, non obſtantibus tot ſubortis adverſus eam tempeſtatibus.

593 Quare Catholici dum Pontificem fortè aliqua myſteria fidei noviter declarantem ſequuntur, non privatum hominem ſequuntur, ſed publicâ, & Chriſti Domini poteſtate, atque infallibilitate pollentem ex ipſamet Chriſti Domini inſtitutione. Nam Petri Sedes, & Tribunal, ab ipſomet Chriſto Domino immediatè eſt cum omnimoda infallibilitate ſtabilitum, ut numquam deficiat fides eius; ubi ad idem munus Petri ſucceſſivè ſedent Pontifices Summi, ne Chriſti Eccleſia ſupremo viſibili capite ſibi neceſſario, quod Chriſtus ipſe inſtituit, eſſet deſtituta. Sunt ergo Pontifices Summi ad Tribunal Eccleſiæ, & ſedem Petri aſſumpti à Chriſto, ſicut Petrus. At Hæreſiarchæ tale quid nec verè, nec apparenter quidem fundare poſſunt. Videant ergo Sectarii, ſi hoc ipſo quod Sectarii ſunt, de falſitate ſuæ ſectæ convincuntur. Cur quid ſunt non cogitant, ut videant quales ſint. Sunt ſequaces eorum, qui ſupremum Eccleſiæ munus, proponendi ſcilicet veritates fidei, ſibi falsò uſurparunt; quod Chriſtus ſoli Petro, eiuſque ſucceſſoribus dedit; non ipſis, qui nec Petrus, nec Petri Succeſſores fuerunt. Unde igitur ſibi infallibilitatem veritatis arrogant, quam nec Petri Succeſſoribus tribuendam eſſe proclamant? qua veri ſpecie credi poteſt voluiſſe Chriſtum per ipſos providere Eccleſiæ ſuæ, ſi noluit per Succeſſores in ſede Petri? numquid ipſos Chriſtus aliquando mittendos promiſit Eccleſiæ ſuæ: ſicut eam dixerat Petro ſuper hanc Petram ædificandam? & qua ſoliditate Eccleſiæ ſuæ ædificium erexiſſet ſupra Petram Petri, qui erat brevi moriturus, ſi in ea noluiſſet alios fore ſucceſſores? oſtendant ubi poſt Petrum ipſos ſe miſſurum promiſerit, ut errores corrigerent infallibilitate ſuâ ſucceſſivè quovis tempore emergentes: & quæ ſigna pro ipſis dederit, ut tamquam ab ipſo miſſi reciperentur, & non fieret ipſorum cū Pſeudomiſſis confuſio. Dum enim hæc oſtendere non poſſunt, quâ ſoliditate credi poſſunt veraces Eccleſiæ Reformatores? aut quâ ſolidâ petrâ ædificavit Chriſtus Eccleſiam ſuam, ut adverſùs eam portæ inferi non prævalerent? Hinc ergo, (iterum dico) videant ſectarii, dum ſe iſtorum ſequaces agnoſcunt, quales ſint: tales profectò, qui leviſſimè credunt, quæ indigna prorsùs ſunt, ut prudenter credi poſſint, & non conſiderant: in incredibilibus verſantur, & imprudentiſſimè credunt: in promptu habent, unde hoc videant, & negligunt videre, atque ideò ex propriâ culpâ ignorant; cum alias optimè ſciant, unde ſui primi Magiſtri venerint, & quod à priore, & verâ Eccleſiâ declinaverint, temerè præſumentes illam corrigere, à quâ, & in quâ nati erant corrigendi, quos proinde meritò tamquam rebelles contumaces, & membra putrida de ſuo gremio ſegregavit.

594 Eâdem ratione exiſtimo minus poſſe excuſari Catholicos ab ignorantia myſteriorum fidei; quia hoc ipſo, quod quis Catholicus eſt, ad ea, quæ Catholici hominis ſunt, teneri, vel ipſo naturali lumine debet agnoſcere. Ratio enim ipſa dictat unicuique, quæ ſui proprii ſtatus ſunt, ſcire debere; quæ etiam facilè ſcire poteſt, inſtructores quærendo inter Catholicos. Negligentia quippè nimis culpabilis eſt, Catholicum non quærere, quid ſit eſſe Catholicum, qualem ſe profitetur. Addo quod neque excuſaretur, ſi unum ſolum inſtructorem adiret, puta Parochum, a quo fortè contingeret falsò inſtrui, cum facilè poſſet plures audire; nam unius teſtimonio contentari in re tam neceſſaria, non eſt prudens, & ſufficiens diligentia veritatis inquirendæ, cum facile poſſit in illâ confirmari a pluribus, ſi velit; & ad hoc tenetur, ut non ſuæ negligentiæ aliquis error imputetur. Unde non acquieſco illis, qui ruſticum excuſant falsò ab aliquo iuſtructum in fide, ſi inter Catholicos paſſim ſibi obvios commoratur. Veritatem enim tanti momenti, & neceſſitatis, oportet diligētiùs, & accuratiùs perquirere, quam ab uno, qui facilè credi poteſt poſſe deficere in inſtruendo; alioquin inſufficientis diligentiæ meritò redargui poteſt, & ipſi error ad culpam imputari, qui tam parvo ſtudio, & levi curâ, ſeum committit, quo procul dubio in aliis temporaneæ vitæ neceſſariis contentus non foret.

595 Secunda pars noſtræ aſſertionis principalis, quod ſcilicet non ſit impoſſibilis ignorantia invincibilis fidei in aliquo caſu raro, & ſin-

Digitized by Google

ſingulari, conſtat; quia poſſibile eſt aliquos nihil audiviſſe de fide, ut dicit D. Thomas de nutritis in ſylvis, & ſimilibus. Iſti enim non repugnant fidei: Neque in ſe principium aliquod habent perveniendi ad notitiam illius, vel inquirendi illam. Undè ſunt Infideles purè negativè; & non privativè, vel contrariè; In quo perficitur peccatum infidelitatis, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 10. a. 1. atque ideò à peccato infidelitatis propter eiuſmodi ignorantiam excuſantur, quatenùs nihil audierunt. Unde Dominus Joan. 15. dicit: *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*, nempè infidelitatis; quia fides ex auditu; ac propterea qui nihil audierunt, redditur eis fides impoſſibilis, & eius ignorantia inculpabilis. Quare in eiuſmodi hominibus non eſt peccatum infidelitas, ſed pœna peccati, ut loquitur D. Thomas, ſive originalis, ſive actualis; atque ideò damnantur non propter infidelitatem, ſed propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt. Si tamen faciant quod in ſe eſt, Dominus ei ſecundum ſuam miſericordiam providebit de inſtructore fidei, ſicut miſit Petrum Cornelio *Actuum* 10. Et Paulum Macedonibus *act.* 16. Ita D. Thomas pluribus in locis.

596 Eſt tamen hic pro complemento Doctrinæ ſuperiùs traditæ cautè advertendum, quod ignorantia fidei, quam diximus regulariter non poſſe eſſe invincibilem, neque etiam in rudibus, & viris ſimplicibus, intelligenda eſt quoad myſteria fidei univerſaliter ab omnibus explicitè credenda; & non quoad omnia, quæ in Sacra Scriptura ſunt, & ad fidem pertinent de ſecundario, & acceſſoriè; vel quaſi de ſecundario, puta quæ pertinent ad perfectam explicationem, & intelligentiam primariorum; quia ad hæc non omnes tenentur pervenire, & explicitè credere; ſed ſatis eſt quod credantur implicitè, quatenùs quis in præparatione animi promptus eſt ea omnia credere explicitè, ſi ſciret ad fidem pertinere; & de facto credit ea omnia implicitè, per hoc quod credit primaria myſteria, eo modo, quo illa fides catholica explicat, & quæcumque alia, quæ Catholica Eccleſia credit. Nam ut docet D. Thomas 2. 2. q. 2. a. 5. & 6. Non omnes tenentur omnia, quæ fidei ſunt quomodocumque, explicitè credere; hoc enim ſolùm ad maiores pertinet, qui debent alios inſtruere; non autem ad minores, & ſimplices; Iſtis enim ſatis eſt ſi quærant ſcire, & non negligant fidem explicitam communiter credendorum; Cætera verò ſolùm implicitè. Quare quoad hæc ſi contingat eos ex ſimplicitate errare, vel falsò inſtrui, & decipi, non eis imputabitur ad culpam, quia non tenentur ad fidem eorum explicitam, neque aliquando ſunt eorum capaces: Undè quoad ſubtilitates fidei non ſunt neceſſariò inſtruendi, neque examinandi, ut ibidem docet D. Thomas ad ſecundum, niſi fortè conſtet eos in iis deceptos fuiſſe, quod valdè notandum eſt, nam fides explicita non æqualiter neceſſaria eſt in omnibus. Doctrina autem ſeu aſſertio noſtra ſupra fuit de communiter credendis explicitè, quorum fides neceſſaria eſt omnibus nedùm neceſſitate præcepti, ſed etiam medii ad ſalutem.

CAPUT OCTAVUM.

De Ignorantia poſitivi juris humani.

§. UNICUS.

An ignorantia humani juris ſit interdùm invincibilis, ac proindè totaliter excuſet à peccato, & quando.

597 Nomine juris poſitivi humani hìc intendimus jus Canonicum, & civile; & de utroque ſimul quærimus, an eius ignorantia aliquando excuſet. & licet ſub jure poſitivo humano poſſit quoque venire jus gentium, de eo tamen hìc non loquimur; quia jus gentium potiùs eſt cum naturali jure computandum; non quod ſit omninò idem cum illo; ſed quia adeò eſt illi propinquum, ut ſecundùm quid etiam naturale dicatur; nec poteſt eſſe minùs per ſe notum, quàm ipſum jus naturale, cum ſit univerſis gentibus, & hominibus communiſſimum. Ad cuius maiorem intelligentiam ſciendum eſt ex D. Thoma 2. 2. q. 57. a. 3. quod jus ſumptum pro lege, ſicut in præſenti illud accipimus, habet pro ſuo obiecto, & fine, id quod æquum, & juſtum eſt, quod etiam jus appellari ſolet: quælibet enim lex jus aliquod, ſeu juſtum, & quod æquum eſt, intendit. Ex quo fit, quod jus, ſeu juſtum, quod tale eſt ex naturâ ſuâ, ac proindè jus, ſeu juſtum naturale optimè dicitur, ad legem naturalem pertinet. Dicitur autem jus, ſeu juſtum naturale (ut exponit D. Thomas *loc. cit.*) id, quod ex ſui naturâ eſt adæquatum, vel commenſuratum alteri: hoc autem (ſubiungit D. Thomas) poteſt contingere dupliciter. Uno modo ſecundùm abſolutam ſui conſiderationem: ſicut maſculus ex ſui ratione habet commenſurationem ad fœminam, ut ex eâ generet: & parens ad filium, ut eum nutriat. Alio modo, aliquid eſt naturaliter alteri commenſuratum, non ſecundùm abſolutam ſui rationem; ſed ſecundùm aliquid, quod ex ipſo ſequitur, ſicut eſt v. g. proprietas poſſeſſionum. Si enim conſideretur iſte ager abſolutè, non habet naturaliter, undè magis ſit huius, quam illius: ſed potiùs habet abſolutè quod ex ſe factus ſit propter homines ad eorum uſum, & neceſſitatem, ſicut quæcumque alia ſimilia creata à Deo ad talem finem: ex quo de jure naturæ omnia dicuntur eſſe communia. At ex hac naturali communitate videtur ſequi aliquod inconveniens contra eumdem finem a Deo Authore naturæ intentum; niſi per naturalem rationem humanam introducatur proprietas poſſeſſionum; quia ſi ager nulli eſt appropriatus, jam nullius curæ ſeu culturæ

ſub-

ſubiiceretur, & indè fieret inutilis ſingulis hominibus; & ſi ab aliquo colatur, ut fiat utilis, & alter ſuperveniat, ut fructu rei jam communis utatur, quam cultor ſibi prætendit, pax protinùs turbatur. Atque ideò ſi ſecundùm hoc, quod indè ſequitur, huiuſmodi ager conſideretur; & per reſpectum ad opportunitatem colendi, & ad pacificum uſum agri, ſecundùm hoc habet conſecutivè, etiam naturaliter, quamdam commenſurationem ad hoc, quod ſit unius potiùs, & non alterius; & præſertim creſcente hominum multitudine. & hæc eſt proprietas, quæ utique jus quoddam, ſeu juſtum aliquod naturale eſt, non quidem abſolutè, ſed ſecundùm quid, hoc eſt ſecundum quod ex agro abſolutè ratione ſui, ut nulli appropriato, priùs conſiderato, hoc ſequitur, quod dictum eſt; & ſic pertinet ad legem, ſeu jus gentium. Et in hoc jus gentium recedit à jure illo naturali abſolutè ſumpto de communitate rerum.

598 Et hinc infert D. Thomas, quod quia abſolutè apprehendere aliquid, non ſolùm convenit homini; ſed etiam aliis animalibus: ideò jus quod dicitur naturale ſecundùm primum modum, ideſt abſolutè, commune eſt nobis, & aliis animalibus. A jure autem naturali ſic dicto recedit jus gentium, ut Juriſconſultus dicit, quia illud omnibus animalibus; hoc ſolùm hominibus inter ſe commune eſt. Et quia conſiderare aliquid, comparando ad id, quod ex ipſo ſequitur, eſt proprium rationis; ideò hoc idem eſt naturale homini ſecundùm rationem naturalem, quæ hoc dictat. Et ideò dicit Caius Juris conſultus in digeſto *vet. lib. 1. tit. 1. l. 1. Quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes homines, & gentes cuſtoditur, vocaturque jus gentium.* Et ex hoc etiam apparet, quod jus gẽtium, omninò communiſſimum eſt, & ſuo modo naturaliter conſtitutum, non per poſitivam aliquam inſtitutionem, quaſi ex communi gentium condicto, vel ab aliquo Supremo Legiſlatore, ſicut aliæ leges poſitivæ, non enim omnes gentes umquam convenerunt, aut aliquis ſupremus Princeps illud inſtituit; ſed per rationem naturalem conſiderantem res, comparando eas ad id, quod ex ipſis ſequitur; quod utique etiam naturale eſt, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ut dictum eſt. Undè D. Thomas *loc. cit. ad* 3. dicit: *Quod quia ea, quæ ſunt juris gentium naturalis ratio dictat, utpotè ex propinquo habentia æquitatem: indè eſt, quod non indigent aliqua ſpeciali inſtitutione; ſed ipſa naturalis ratio ea inſtituit.* Intellige, juxta ipſarum rerum naturalem exigentiam, non abſolutè, & ſimpliciter; ſed quatenus comparativè conſiderantur ad id, quod ex ipſis ſequitur. Ex quo naturaliter exigunt aliter determinari ab eſſe ſuo naturali abſolutè ſumpto, & ab iſto transferri ad aliud genus juris naturalis veluti ſecundarii, & ſubſequentis ad conſiderationem illam comparativam hominibus neceſſariam, ut ſic evadant commenſurata humanæ neceſſitati, & utilitati omnium ad convivendum humano modo. quã quidem determinationem jus naturale abſolutè ſumptum in ſe non habet; ſed neque illam excludit, quaſi ſibi contrariam; ſed permittit, imò exigit ſibi ſuperaddi in hominibus per naturalẽ rationem ipſorum; adeò ut omnes nationes gentium, ſine ullo præſuppoſito poſitivo jure, per praxim, & conſuetudinem ſuam ad ea devenerint naturali ductu rationis communiter. Quare idem judicium eſt de jure gentium, quod de jure ipſo naturæ, quoad hoc, quod nequeat invincibiliter ignorari. Atque ideò hìc ſolùm de jure canonico, & civili inquirimus; De quo non eſt tanta difficultas inter Doctores in admittendo eius ignorantiam invincibilem, & totaliter excuſantem; ut mox oſtendam.

599 De jure igitur Eccleſiaſtico, ſeu Canonico, & civili (dicebam) non eſt tanta difficultas; certum enim eſt de utroque dari poſſe ignorantiam invincibilem, etiam quoad ea, quæ ad uniuſcuiuſque proprium ſtatum ſpecialiter pertinent. Nihil enim prohibet, quod quis etiam ſufficiente adhibitâ diligentiâ ad ea ſcienda, quæ ad proprium ſtatum pertinent, non poſſit ad omnium quæ de tali ſtatu ſancita ſunt Canonico jure, vel civili, notitiam pervenire. Si quis igitur pro ſuo poſſe diligentiam adhibeat, & nihilominus legem non inveniat, nec motivum habeat ſufficiens de illa ſaltem prudenter dubitandi, erit huic ſcientia impoſſibilis, & ignorantia prorsùs inculpabilis.

600 Dixi (ſi pro ſuo poſſe diligentiam adhibeat) quia alioquin in cauſa erit ignorantiæ ſuæ, & culpam non effugiet. Et prætereà dixĩ (nec motivum habeat ſufficiens de illa prudenter dubitandi) quia alioquin non manet à lege ſolutus ex vi ignorantiæ ſuæ, ſeù ex deficientia certæ ſcientiæ: lex enim ſub tali motivo jam quodammodò ſaltem ſuboſcurè ei affulget, & ſe aliqualiter manifeſtat. Neque per hoc quod indè dubia eſt, dubitatio vim habet auferendi illi facultatem, & efficaciam obligandi, ſi re vera in ſeipſa exiſtat & obliget; cum potiùs econtrà vim habeat ad obligandum etiam legi, quæ non eſt, ſi dubitetur eſſe; ut ſupra diximus de operante cum conſcientia dubia, & fatentur communiter Doctores. Si igitur defectus ſcientiæ ſeu ignorantia legis, quæ non eſt, non excuſat dubitantem de exiſtentia illius; multò minùs excuſabit ignorantia legis re vera exiſtentis, & ſufficienter moventis ad prudenter dubitandum ſaltem, & timendum de ipſa in quantum exiſtente. Tunc enim ignorantia illa, ſeù defectus certæ ſcientiæ, invincibilis eſſe non poteſt; quia non totaliter privat cognitione legis re vera exiſtentis, ſed ſolùm privat cognitione tali, & tantâ, quæ ſit ſcientia; aut etiam, quæ ſit opinio; non autem quæ ſaltem ſit motus intellectus in æquilibrio ad utramque partem, & dicitur dubitatio, ſeu ſuſpenſio judicii, præſertim ſi prudens ſit, &

orta

Digitized by Google

orta ex ipſa lege obiectivè exhibente motiva dubitandi: nam tunc licet ſuſpendatur judicium, habetur tamen apprehenſio ſaltem exiſtentiæ eius ex parte, pro quanto ſcilicet eſt pro illa aliquod prudens motivum, licet ex parte oppoſita urgeat alia ratio etiam prudens; & talis apprehenſio aliqualis cognitio eſt legis aliàs in ſe exiſtentis, quæ ſatis eſt ad reddendam vincibilem ignorantiam legis, non quidem per ſcientiam; quia jam ſupponimus hanc haberi non poſſe: ſed per electionem tutioris partis, ut alibi dicemus infra: alioquin talis ignorantia fiet agenti voluntaria, & affectata, dum potiùs affectat pro ſuo commodo ſequi partem negativam, quàm affirmativam pro lege exiſtente; ex quo convincitur exiſtentem legem ſuo modo contemnere, quia voluntariè id agit, quod videt contingere poſſe eſſe contra legem, quod idem eſt, ac velle illud agere, etiam ſi fortè ſit lege prohibitum, quam ex parte apprehendit exiſtentem, & non priùs certificatus procedit ad agendum.

601 Ex quo patet quàm falsò aliqui exiſtiment, quod ignorantia, quæ non vincitur per certam ſcientiam, hoc ipſo ſit invincibilis, & inculpabilis; atque ideo dicunt, quod ubi eſt ſufficiens ratio dubitandi de lege; ſi factâ diligentiâ, adhuc lex in dubio perſiſtat; ſatis ſit agenti, quod dubium deponat, & ſic tutò agat; quia etiamſi (inquiunt) lex in ſe obſtet, excuſabitur ob invincibilem ignorantiam, eo quod non conſtat ei evidenter de lege. Patet, inquam, quia iſti æquivocant in hoc, quod credunt idem eſſe ignorantiam vinci, ac totaliter vinci: & inſuper idem eſſe ignorantiam vinci, ac vinci per ſcientiam: & tamen utrumque falſum eſt. Ad cuius evidentiam ſciendum eſt quod omnis cognitio ignorantiæ opponitur: ac per conſequens, cum in cognitione ſit reperire latitudinem graduum; ita ut una cognitio ſit maior alia; oportet quod proportionaliter in ignorantia ſit & ſua graduum latitudo, ut una ſit etiam maior, vel minor aliâ: privationes enim formarum habentium latitudinem, habent etiam conſequenter eamdem latitudinem formarum, quibus privant. Undè quia morbus importat privationem ſanitatis, quæ latitudinem habet, unus æger dicitur infirmior alio; & idem infirmus dicitur nunc magis, nunc minùs infirmus: & morbus ipſe dicitur vinci ſucceſſivè per ſucceſſivos gradus maioris valetudinis, uſquequò per perfectam totaliter vincatur. Sic igitur in propoſito, qui nullam prorsùs notitiam habet de lege, dicitur totaliter ignorans de exiſtentia illius: qui verò motivum habet prudens apprehendendi ex parte exiſtentiam illius, incipit aliquam cognitionem habere, per quam incipit vincere totalem illam ignorantiam, & dicitur minùs ignorans, quàm ille qui nec motivum habebat ſuſpicandi de illa; vel quàm ipſemet pro tempore præcedente, quando nec tale motivum habebat; quia nunc ſaltèm concipit aliqualiter exiſtentiam illius, licet de illa non affirmet, quã tamen antea nullo modo ſuſpicabatur. Quod ſi pertingat poſtea ad judicium, ſeu aſſenſum opinativum, jam dicitur proficere in cognitione, & magis vincere ignorantiam, quia vincit ſuſpenſionem judicii, quam antea habebat: & denique ſi pervenit ad ſcientiam, vincit totaliter omnem ignorantiam, quia vincit etiam formidinem opinionis, quam antea habebat, per certitudinem ſcientiæ. Ex quo ſit quod qui prorsùs nullam notitiam habet de lege, itaut nec de illa poſſit ſuſpicari, dicitur totaliter ignorans, & maximè ſi ex nullâ eius negligentiâ id procedat; & tunc talis totalis ignorantia eſt prorſus invincibilis, & inculpabilis. At ſi poſtmodum ei occurrat ratio ſufficiens prudenter dubitandi de legis exiſtentiâ, jam prior illa totalis ignorantia incipit eſſe ſaltem ex parte vincibilis per quamdam ſcilicet incohationem notitiæ illius ex tali motivo habitam, quãtumvis nondùm poſſit de illa affirmare quod exiſtat, vel non exiſtat; atque ideò tenetur dubitare; quod ſi nolit dubitare, in hoc ipſo, quod non dubitat, convincitur culpabilis; quia non facit, quod tenetur facere; ac propterea evadit illa ſua prior totalis ignorantia aliqualiter vincibilis, & culpabilis, quatenùs poterat, & tenebatur legem ſub dubio, ſeù ut dubiam, cognoſcere, & non fecit: & ſic ſucceſſivè, ſi ei occurrat ratio probabilis, & magis probabilis, uſque ad ſcientiam, per quam vincitur totaliter, & perfectè. Ergo ſuppoſito ſaltèm aliquo motivo prudenter dubitandi de exiſtentia legis, non poteſt dici totaliter invincibilis ignorantia legis, etiamſi non poſſit totaliter, & perfectè vinci per ſcientiam; quia poteſt, & debet vinci per minores, & inferiores cognitiones, quæ ſufficiunt, ut lex non ſervata imputetur ad culpam: & hoc intelligendum eſt de vincibilitate ignorantiæ viâ cognitionis.

602 Cæterum præter hanc, eſt etiam alia via vincendi ignorantiam, ad quam unuſquiſque tenetur, ſuppoſito ſufficiente motivo prudenter dubitandi de exiſtentia legis, videlicet via tutioris electionis; nam prudens illa apprehenſio legis, quæ debet conſequi ad tale motivum prudens, obligat unumquemque ad eligendam partem tutiorem pro lege exiſtente, alioquin convinceretur velle jam agere, etiamſi lex obſtet in contrarium, quod procul dubio culpabile eſt. Ergo ſuppoſito motivo illo ex parte legis prudenter dubitandi de eius exiſtentia, ignorantia legis numquàm eſt invincibilis, & inculpabilis, quantumvis non poſſit totaliter, & perfectè vinci per ſcientiam.

603 Neque dicas hoc verum eſſe perſiſtente dubio in agente, ex vi illius motivi, ipſi provenienté: at ſi agens ex alio motivo pro parte oppoſitâ, deponit tale dubium, tutò tunc poterit uti propria libertate; nec poterit dici velle tunc agere id, quod agit, etiam ſi lex obſtet

in contrarium: ſed potiùs dicitur velle ſic agere, quia non videt ſibi legem obſtare. Ne, unquam, hoc dicas, quia non poteſt ei prodeſſe hæc ſua depoſitio dubii, quod ipſi ex ſufficiente motivo prudenter ſuboritur, vel ſuboriri debet de exiſtentia legis; nam ejuſmodi depoſitio dubii poteſt ei auferre ad ſummum obligationem ortam ex parte conſcientiæ; non autem poteſt eum ſolvere ab obligatione legis, ſi hæc re vera exiſtit, & ipſi jam aliqualiter, & ex parte ſaltem, exiſtens apparet. Hic enim de excuſatione a lege in ſe exiſtente, & verè obligante, ex vi ignorantiæ loquimur; & non de excuſatione à lege exiſtimata ex vi conſcientiæ. Excuſatio namque à lege exiſtimatâ ſufficienter haberi poteſt per depoſitionem conſcientiæ, quia lex exiſtimata à ſola conſcientia eam exiſtimante, ſeu de eà dubitante, pendet. At lex verè exiſtens econtra, non a conſcientia pendet, ſed potiùs conſcientia dependet à lege, cui debet conformari, ſemel ac aliqualiter apparet exiſtens; alioquin verè contra veram legem agit ex voluntaria depoſitione illius aliqualis apparentiæ, atque ideò culpabiliter, non enim aliud requiritur ad culpam, quàm quod quis aliquo modo voluntariè contra legem agat, ſaltem virtualiter, quod conſtat in præſenti caſu contingere.

604 Colligitur ergo ex dictis non excuſare ignorantiam juris canonici, ſi contingat de eo prudenter dubitare ex aliquo motivo; aut etiam probabiliter judicare, quod non exiſtat, ſeù quod non liget in aliquo caſu, quaſi non ſe extendat ad illum, niſi agens priùs certificetur; quia error, ſi contingat, non eſt omninò invincibilis, & inculpabilis; ſed vincibilis, ſaltem per electionem tutioris partis; ſi non per ſcientiam. Poteſt tamen, & de facto excuſat a quanto, quia ignorantia, quæcumque ea ſit, ſemper ſaltem diminuit rationem voluntarii, ac propterea quando eſt vincibilis, licet non excuſet totaliter, excuſat tamen à quanto, ut loquitur D. Thomas, & nos ſupra explicavimus. Certum enim eſt quod ignorans minùs graviter peccat, quam qui peccat ſcienter. At ſi citra omnem culpabilem negligentiam nulla prorsùs notitia de tali jure habeatur, ita ut nec de eo prudenter dubitari poſſit, tunc ejus ignorantia erit prorsùs invincibilis, & inculpabilis, & agens totaliter excuſabitur.

605 Hinc verò ad aliqua ſpecialiùs deſcendendo, dico, quod licet veriſſimum ſit, ut dixi, poſſe circa utrumque jus humanum contingere ignorantiam invincibilem, quatenùs ſcilicet citra omnem negligentiam agentis interdùm nec lex detegitur, nec ſufficiens motivum prudenter dubitandi de ejus exiſtentia offertur: tamen quoad ea, quæ communia ſunt, & faciliora in jure, vix videtur poſſibile, quod alicui contingat ejuſmodi invincibilis ignorantia. Quarè non ſunt excuſandi ruſtici, qui præcepta fidei, aut Eccleſiæ, & ſimilia cuilibet Catholico communia, ignorant. Nam hoc ipſis ſemper ex ipſorum negligentiâ provenit; quia non curant, quæ Catholici ſtatus propria ſunt, quærere: imò nec fortè ad ea interdùm cogitanda vertuntur, nec quidpiam de propria ſpirituali ſalute cogitant: ſed modo quaſi brutali viventes, totam curam, & affectum ſuum impendunt ad ſibi providendum in temporalibus, & ibi totaliter ſiſtunt; quaſi eſca, & potus ſit ipſorum Regnum; quorum proinde juſta damnatio eſt; quia propter eſcam, opus Dei, nempe animam ſuam negligunt, & deſtruunt; proclamante adverſus hujuſmodi Apoſtolo *ad Rom. 14. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei.*

606 Hoc ipſum etiam dico de omnibus aliis, & de unoquoque pro ſuo ſtatu, & officio, quod gerit, proportionaliter, & reſpectivè. Unuſquiſque enim pro ſuo munere debitam diligentiam adhibere debet, quod niſi diligenter efficiat, errando in culpa erit, & ejus ignorantia vincibilis. Quare non excuſantur Parochi, Confeſſarii, Sacerdotes, & alii reſpectivè pro munere ſuo, ſi in jure Eccleſiaſtico pro qua parte ad eos attinet, errent; quia tenentur, & poſſunt regulariter illud ſcire, ſi debitum ſtudium adhibeant, ſicut ex proprio officio tenentur.

607 Neque hoc videri debet onus importabile, ut fortè aliqui credunt, dicentes, quod jus præcipue Canonicum, ſicut & Civile, adeò vaſtum eſt, ut nec viri peritiſſimi illud totum calleant. Fateor enim ita re vera eſſe: At ego non tale onus impono alicui quantumvis eruditiſſimo Viro, ſcilicet ea jura integrè ſciendi; ſed unicuiq; ſciendi ea tantùm, quæ ſibi pro ſuo munere regulariter exercendo neceſſaria, & communia ſunt, quod quidē facile eſt. Sic enim facile eſt, ut dixi, etiam ruſticis ſcire cōmunia præcepta fidei, Sacramenta, præcepta Eccleſiæ, & ſimilia quædam ſibi competentia, & paſſim per praxim omnibus notiſſima, ut v. g. quod injicientes manus violentas in clericum ſint excommunicati; quod non liceat monialium clauſuram frangere, & ſimilia, quæ paſſim audiunt, & vident ab omnibus etiam ſuæ conditionis ſervari, vel timeri. Nulla enim ferè conſtitutio eſt homines hujus generis afficiens, quæ paſſim inter ipſos non facile ſciri poſſit; & maximè ſi pro ejuſmodi, quæ eis competit ſcire, curent pro modulo ſuo inſtructores habere. Similiter facile eſt Clericis, Parochis, Epiſcopis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, pro quibus ferè totum jus Canonicum eſt, unicuique ea tantùm ſcire, quæ pro gradu ſui officii, & dignitatis, regulariter ipſos tangunt. Et ſi quæ eis ſpecialiter occurrant difficiliora, poterunt in caſu opportunè, vel ſpecialiori ſtudio adhibito, vel conſultis Doctoribus indagare. Hoc modo autem nemini eſt onus importabile, ſed unicuique volenti, ac curanti pro ſuo ſtatu, & gradu benè vivere, poſſibile, atque facile.

608 Id verò ſemper ſervandum exiſtimo, quod

quod ubi circa eiuſmodi jura variant Doctores, & diſſidium eſt de licito, vel illicito, quod poteſt in perniciem animarum vergere; ibi oportet, quod agens, aut certificetur per ſcientiam, ſi poterit; aut ignorantiam vincat facto per electionem tutioris partis: alioquin non video quomodo poſſit eiuſmodi legis ignorantia dici in eo invincibilis, & inculpabilis, ut poſſit in foro poli à tranſgreſſione legis excuſari, ſi re vera in ſe exiſtat, & in contrarium obſtet.

CAPUT NONUM.

De Ignorantia facti reſpectu cuiuſcumque juris.

§. UNICUS.

An ignorantia facti reſpectu cuiuſcumque juris ſemper excuſet, & quando non?

609 PRæter ignorantiam juris, de qua hactenùs dictum eſt, datur alia ſpecies ignorantiæ, quæ verſatur circa ſingulares circumſtantias alicuius actus, ſeu facti, adeò ut ex ignorantia dictarum circumſtantiarum decipiatur agens in proprio actu, dum credit ſe agere unum, & tamen alium actum agit, ac propterea vulgariter dicitur ignorantia facti: ſic v. g. venator jaciendo ſagittam in feram, quam inter vepres ſtantem, prout ſibi apparet, ex errore apprehendit, credit ſe feram occidere, occidit autem hominem. Quod ei accidit, quia ignorat in jactu ſagittæ, quam intendit agere in feram, reperiri eam circumſtantiam hominis ibi latentis, atque ideò factum proprium ignorat, nempè quod ſit actus homicidii, cum potiùs judicet illum eſſe ſimplicem occiſionem feræ. Undè dicitur habere ignorantiam facti, non juris; quia non latet eum jus prohibens homicidium; benè tamen ignorat ſe tunc homicidium facere. Similiter quis poſſidet domum jure hæreditatis paternæ, quæ non legitimè à patre poſſidebatur, quod tamen ipſe ignorat; hic dicitur habere ignorantiam facti, quia neſcit poſſeſſionem ſuam eſſe rei alienæ, non enim apparet ei circumſtantia illa alieni dominii ſuper domo, quam poſſidet. Et ſic de aliis. Nunc ergo quæritur an eiuſmodi ignorantia ſemper excuſet?

610 Ad quod reſpondeo hanc ignorantiam regulariter loquendo invincibilem eſſe, ac per conſequens totaliter excuſare. Et ratio huius eſt quia cum in hac ignorantia facti, obiectum (undè factum ſpeciem malitiæ ſumit, & aliud evadit ab eo, quod apparet) ſit regulariter loquendo omninò latens, & occultum agenti, adeo ut neque ſit ipſi prudenter ſuſpicabile, ac per conſequens neque ſit in debito advertendi illud; ideò evadit ipſi factum illud omninò involuntarium in ratione malitiæ, ac proindè inimputabile ad culpam; quia peccatum non eſt, niſi ſit quodammodò ſaltem voluntarium. Quod autem obiectum, ſecundum quod variatur ob aliquam latentem circumſtantiam individualem, ſit agenti omninò latens, & occultum pro nunc ſupponitur; alioquin non eſſet ignorantia facti. quod verò neque ſit regulariter loquendo ipſi agenti prudenter ſuſpicabile, ac per conſequens non teneatur agens de illo inquirere, patet quia circumſtantiæ eiuſmodi individuales, & contingentes nullam connexionem regulariter habent cum ſpecie actus, qui intenditur ab agente, ſed totaliter deforis ſuperveniunt, & caſualiter. Ergo eiuſmodi circumſtantiæ cauſant omninò involuntarium actum illum, alias ex tali circumſtantia materialiter malum. Ergo totaliter excuſat. Undè nullo modo peccavit Jacob accedendo ad Liam, quam credidit eſſe propriam uxorem, cum tamen non eſſet; quia error fuit de circumſtantia perſonæ, ſecundum quam fuit ipſi obiectum omninò latens, & occultum. Neque poterat de hoc prudenter ſuſpicari, atque ideò non tenebatur id advertere, & ſcire, nec diligentiam adhibere, quantumvis potuiſſet, lumine candelæ adhibito, factum detegere; fuerat enim Lia fraudulenter pro *Rebecca, in eum locum introducta ſibi eiuſque coniugi deſtinatum: Ubi procul dubio impertinens, ſuperfluum, & ferè ſuperſtitioſum fuiſſet præter morem, admoto lumine, inquirere, num ſua, vel alia eſſet mulier ibi cubans; imò fortè temerarium fuiſſet ibi eiuſmodi fraudem ſuſpicari, cum locus ille ſupponeretur coniugali fidei unicè conſecratus. Similiter à peccato inceſtus totaliter immunis fuit Judas dum ad Thamar acceſſit Nurum ſuam, quæ depoſitis viduitatis veſtibus, & mutato habitu, atque operto vultu in bivio itineris, quaſi Meretrix perſonata ſedebat; non tamen fuit à fornicatione liber; quia illius, non huius, obiectum ei velabatur, ac proindè non hæc, ſed inceſtus accidit ei ex toto involuntarius, & per conſequens ex toto etiam excuſandus. Quia illius ignorantia fuit ei invincibilis, nam circumſtantiam illam affinitatis in ea muliere perſonata ſcire minimè tenebatur, etiam ſi potuiſſet vultum illi detegendo; quia mutatio illa habitus, & ſeſſio eius in bivio itineris ſatis erat prudenti viro ad nec ſuſpicandum de illa, quod eſſet Nurus ſua, & non potiùs Meretrix, quam ſe figurabat.

* Rachele

611 Nec refert quod tunc Judas dederit operam rei illicitæ, ac proindè videtur ei etiam imputandus inceſtus, non minùs quam jacienti lapidem aut ſagittam, ſi incautè, & illicitè jaciat, imputatur homicidium; communiter enim dicitur, quod danti operam rei illicitæ effectus ſubſecutus tribuitur illi ut voluntarius in cauſa, ſicut Canones reſolvunt in materia irregularitatis ex homicidio caſuali. Non, inquam, refert, nam ignorantia facti, ſeu ex parte rei ignoratæ (ſic enim huiuſmodi ignorantiam appellat D. Thomas 1. 2. q. 76. a. 3.) ideſt non ex defectu, & culpa ignorantis illam, ſed ſine eius culpâ, ut contingit quando quis non tenetur

illius

Digitized by Google

illius rei ſcientiam habere; ideò enim à D. Thoma dicitur, non ignorantia formalis, & ex parte ignorantis, ſed ignorantia materialis, & ex parte materiæ ignoratæ, quia ſine ullâ culpâ, aut negligentiâ agentis, res latens eſt, & occulta; hæc (inquam) non reddit effectum ſubſecutum voluntarium, ſed omninò involuntarium, ſive agens det operam rei licitæ, ſive illicitæ. Nam ut benè advertit Caietanus ibid: *Si dantes operam rei licitæ, & illicitæ, uterque conveniant in ignorantia inculpabili, oportet quod etiam uterque conveniant in ratione involuntarii, quod eſt effectus illius ignorantiæ; & ſolùm diſcrepent in voluntate rei licitæ, vel illicitæ, cui dant operam.* Illud autem quod communiter dictum refert inſtantia, abſolutè negandum eſt ut falsò relatum. Non enim verum eſt, quod communiter dicatur; Danti operam rei illicitæ imputari, ut voluntarium effectum indè caſualiter ſubſecutum; ſi verè caſualiter ſubſequatur ex ignorantiâ inculpabili illius. Neque ſacri Canones hoc umquam dixerunt. Sed dicunt, & volunt, quod dantes operam rei illicitæ, ſi indè caſualiter homicidium contingat, irregularitatem incurrant; quia ſic volunt, non quia homicidium illud, ex hoc præcisè, quod dant operam rei illicitæ, evadat illis voluntarium, & peccatum. Et ita Canones explicant D. Thomas, & Caietanus 2. 2. *q.* 64. *a.* 8. quod ſcilicet intendunt pœnam irregularitatis imponere eiuſmodi dantibus operam rei illicitæ, ſi indè ſubſequatur homicidium, etiam ex ignorantiâ inculpabili, ac per conſequens eis omninò involuntarium, & inimputabile ad culpam.

612 Neque dicas: Pœnæ non imponuntur, niſi propter culpam. Ergo ſi ſacri Canones, ut conſtat *ex decret. diſt.* 50. imponunt pœnam irregularitatis propter homicidium caſuale contingens illis, qui dant operam rei illicitæ, oportet quod eiuſmodi homicidium, hoc ipſo quod ſubſequitur ad opus aliquod illicitum, ſit imputabile ad culpam, ac proindè ſupponatur voluntarium ſaltem in cauſa, nempe in ipſo opere illicito. Non inquam dicas, quia ad hoc ſatis eſt, quod homicidium illud ſit ex præſuppoſito delicto, quantumcumque ipſum homicidium delictum non ſit, nec imputabile, utpotè involuntarium; ſatis enim eſt ſacris Canonibus inſpectio hæc ad pœnam inſligendam. Quantumvis dici etiam poſſet, quod irregularitas iſta rigorosè loquendo, pœna non ſit, ac proindè poſſit ſine ulla culpa imponi, habitâ ſolâ inſpectione homicidii utcumque caſualiter obvenientis. Et hæc doctrina eſt expreſſa mens D. Thomæ *quæſt.* 64. *ſup. cit.* Ubi expreſsè in corpore articuli octavi determinat, homicidium caſuale non eſſe imputabile ad peccatum, quia involuntarium eſt. Et obiiciendo ſibi in 3. argumento hanc eamdem inſtantiam ſub his verbis, videlicet: In decretis *diſt.* 50. *Inducuntur plures Canones, quibus caſualia homicidia puniuntur: ſed pœna non debentur niſi culpæ: ergo ille qui caſualiter hominem occidit, incurrit homicidii reatum.* Ad quod ſic reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod ſecundùm Canones imponitur pœna his, qui caſualiter occidunt dantes operam rei illicitæ; vel non adhibentes diligentiam debitam.* Hæc D. Thomas. Ergo D. Thomas cenſet imponi poſſe pœnam dantibus operam rei illicitæ, ſi indè homicidium caſuale, & involuntarium, atque inimputabile ad culpam conſequatur; ſicut ipſemet docuerat in corpore; & ita de facto ait imponi pœnam à ſacris Canonibus pro tali homicidio conſequente caſualiter ad opus illicitum. Quod eſt dicere: ſufficere ad pœnam, quod homicidium illud ſit ex præſuppoſito delicto, licet ipſum homicidium non ſit ad delictum imputabile, utpotè omnino involuntarium. Quæ eſt ipiſſima noſtra doctrina hîc tradita.

613 Ex quo colligitur quod non ex hoc, quod quis dat operam rei licitæ, vel illicitæ, deſumi debet ratio voluntarii, vel involuntarii in effectu ex ignorantiâ ſubſecuto: ſed ex ipſâmet ignorantiâ; ſi ſcilicet ipſa ignorantia ſit culpabilis, vel inculpabilis; ſeu vincibilis, vel invincibilis. Quare ſi dans operam rei illicitæ, ſicut fuit Judas, dum ad mulierem in bivio ſedentem tamquàm ad ſimplicem meretricem acceſſit, invincibiliter ignoret effectum indè conſequentem, non poterit ei effectus iſte imputari ut voluntarius, & peccatum. Atque ideò excuſatus fuit Judas totaliter ab inceſtu, quantumvis dederit operam rei illicitæ, nempe fornicationi. Et ſimiliter, ſi quis hominem ſcienter percuteret, ignorans tamen eſſe patrem ſuum (exemplum eſt D. Thomæ 1. 2. *q.* 76. *a.* 3.) excuſaretur totaliter à reatu parricidii, & ſolùm eſſet homicida. & licet ibidem dicat D. Thomas de huiuſmodi percutiente, quod non totaliter excuſatur à peccato. Non eſt tamen intelligendus D. Thomas de totalitate parricidii, quia ab hoc, ut dixi, totaliter excuſatur; ſed de totalitate peccati, quod eſt in parricidio. Eſt enim in parricidio peccatum totum quaſi ex duabus partibus conflatum; quia ibi & eſt occiſio hominis, & occiſio talis hominis nempè patris. Et ideò talis percutiens ſcienter hominem, licet excuſetur totaliter ab occiſione talis hominis nempè patris, non tamen excuſatur ab occiſione puri hominis; & quia parricidium utraque parte malitiæ conſtat, ſecundùm quod eſt totum quoddam peccatum, ideò dicit D. Thomas quod non totaliter excuſatur à peccato; intendens per hoc dicere, quod non excuſatur ab eo, ex qua parte eſt purum homicidium; licet totaliter excuſetur ab eo, ex qua parte eſt parricidium. Et hoc, quia ſolam circumſtantiam patris invincibiliter ignorat; Cæterum hominem illum eſſe agnoſcit, & ſcienter dans operam homicidio, illum percutit. Videatur D. Thomas.

614 Econtra verò ſi ignorantia facti non ſit invincibilis, ſed potiùs vincibilis, & culpabilis,

quod

quod interdùm accidere poteſt, quando ſcilicet agens factum ignorat ex negligentiâ ſuâ, quod tunc eſt, quando in caſu tenetur ſcire, ac proindè debet debitam diligentiam adhibere, & non adhibet; Tunc ſive detur opera rei licitæ, ſive illicitæ, effectus indè ſubſequens tribuitur agenti, ut voluntarius,& imputabilis. Et ita accidit jacienti lapidem, aut ſagittam in locum, ubi eſt periculum hominem lædendi. Eiuſmodi enim jactus lapidis, aut ſagittæ, exigit in agente diligentiam cautionis ratione periculi, quod præſefert, quam ſi ucgligat adhibere, fiet ei indirectè, & in cauſa voluntarium homicidium,ſi indè, etiam ipſo neſciente, ſubſequatur. Atque hinc apparet diſcrimen inter hanc, & ſupra traditam ignorantiam facti. Nam ignorantia inceſtus in Juda, & adulterii in Jacob, ſic velavit obiectum, unde illi actus debebant ſpeciem ſuæ malitiæ ſumere,ut velaverit etiam periculum.In illis enim circumſtantiis nullum apparebat periculum Judæ coeundi cum Nuru ſua, neque Jacob coeundi cum alia à propria uxore;ac proindè non fuit eis obligatio adhibendi diligentiam ad ſciendum, vel præcavendum periculum; & per conſequens eorum ignorantia inculpabilis, & invincibilis fuit, & effectus conſecutus omninò involuntarius. At in jaciente lapidem,aut ſagittam,ignorantia licet velet obiectum homicidii,nempè hominem tranſeuntem; non tamen velat periculum, quod procul dubio ſcire debet, & præcavere; quod niſi faciat, erit eius ignorantia culpabilis, & vincibilis, ac per conſequens homicidium indè proveniens voluntarium, & imputabile.

615 Itaque pro reſolutione caſuum in individuo cum ignorantia facti regula hæc tenenda eſt; quod ſcilicet, ſi in actione,cui agens operam dat, ſive in ſe ea licita ſit, ſive illicita, aliquid periculi ſecundum ſe ex parte ipſius actionis affulgeat; hoc eſt, ſi ſit in ſe moraliter periculoſa, itaut exigat in Viro prudente debitum diligentiæ adhibendæ, ne effectivè periculum illud contingat; & agens negligat diligentiam debitam adhibere, ac proindè effectus pravus, qui prævideri, & præcaveri debebat, ſubſequitur; non poteſt agens ob ſuam facti ignorantiam excuſari, quantumvis non prævîderit effectum illum; eo quod in culpâ eſt ignorantiæ ſuæ,& ex negligentiâ ſuâ non prævidit, quod prævidere tenebatur. Atque ideò jaciens lapidem, aut ſagittam,non adhibitâ debitâ diligentiâ, & cautione, ab homicidio ſubſequente excuſari non poteſt, quantumvis jaciendo ignoret circumſtantiam illam hominis tranſeuntis, & præter eius intentionem, & caſualiter ei contingat homicidium. ſimiliter excuſari non poteſt ebrius à peccato ebrietatis; ſi incautè, & immoderatè vinum bibat; ſicut nec ab aliis peccatis, quæ indè fortè in ipſa ebrietate ipſi contingunt.

616 Si verò agens debitam diligentiam adhibeat; ita ut moraliter,& prudenter cenſeatur non ampliùs periculum inſtare; & nihilominus effectus ſubſequitur; tunc excuſabitur, quia omninò caſualiter, & præter eius culpam accidit caſus;ac proindè ex ignorantiâ ſibi prorſùs inevitabili, & invincibili, cum nullam negligentiam appoſuerit. Atque ideò excuſatur ab homicidio jaciens lapidem debitâ cautione præmiſſâ:& ſimiliter excuſatur à peccato ebrietatis, qui cautè, & moderatè bibit, ſi fortè ob ignoratam generoſitatem vini prævideri non poterat in tam modica, & vix libata quantitate, effectus ebrietatis. Si autem in actione moraliter, & prudenter nulla appareat ſecundum ſe umbra periculi, ac proinde nullum ſit debitum diligentiam adhibendi, tunc ſic bona fide procedens agens excuſatur omninò ab effectu indè caſualiter ſubſecuto.Atque ideo non peccavit Jacob accedens ad Liam, nec Judas fuit inceſtuoſus accedēs ad Thamar,neque eſt Parricida, qui hominem occidit neſciens illum eſſe Patrem, & ſic de mille aliis exemplis.

617 Oportet igitur in ignorantia facti ſēper conſiderare, ſi factum ſit aliquomodo voluntarium, per hoc ſcilicet quod voluntariè ponitur actio de ſe periculoſa, & in qua poteſt & debet periculum prævideri, & ex negligentiâ agentis provenit, quod non prævideatur, tunc enim evadit indirectè volitum, nempè in ipſa actione, tamquam in causâ, factum illud, ſeu effectus, qui ſubſequitur; ac propterea nequit agens ob ignorantiam excuſari ab illo, quia per ipſum ſtat, quod effectus non impediatur, cum poſſit, & debeat; atque ideò ei imputatur ad culpam. Si verò nullo modo ſit voluntarium, quia ſcilicet prævideri non poteſt circumſtantia aliqua periculi in actione illa; tunc procul dubio excuſatur, quia ignorantia eſt invincibilis, & inculpabilis.

CAPUT DECIMUM.

De ratione ſpecifica peccatorum, quæ ex ignorantiâ contingunt, eorumque gravitate.

§. I.

An peccata, quæ ex ignorantiâ fiunt ſint eiuſdem ſpeciei, ac ſi fierent ſcienter.

618 AD hæc quæ hactenùs de ignorantia tùm juris, tùm facti, dicta ſunt, ut dignoſcatur quando ea vincibilis, vel invincibilis ſit, ac proinde ex illa excuſetur, vel non excuſetur agens à culpâ; quod ſatis ſuperque ex ſuperiori doctrina pro variis uniuſcuiuſque ignorantiæ caſibus dignoſci poteſt; una tantùm ſupereſt adiicienda, ac reſolvenda difficultas, videlicet in qua peccati ſpecie ea collocanda ſint, quæ ex vincibili, & culpabili ignorantiâ agenti ad culpam meritò imputantur? an ſcilicet in eadem ſpecie, ac ſi fierent à ſciente? vel potiùs in alia ſpecie? & inſuper, cum ex

ſuperiùs dictis ſupponatur quod ex ignorantia vincibili, licet peccata non poſſint ex toto excuſari, excuſantur tamen à quanto, quia ob ignorantiam huiuſmodi aliquantulùm diminuuntur, videndum eſt in quali gradu diminuta cenſeri debeant? quæ quidem difficultates graviſſimæ ſunt, & difficillimæ reſolutionis, ſed neceſſariæ ad completam huius materiæ doctrinam.

619 Pro reſolutione igitur primæ difficultatis præmitto cum Caietano 1.2.*q*.76.*a*.4. quod ignorantia vincibilis, & culpabilis, ac per conſequens quodammodò voluntaria, duplex eſt: altera ſcilicet, quæ penitùs uſu rationis privat, cuiuſmodi eſt ignorantia, quæ ad ebrietatem, vel amentiam ſubſequitur (de ebrietate, vel amentia loquor, quæ ex propria ipſius agentis voluntariâ culpâ incurritur, alioquin ignorantia ſubſequens nullo modo poſſet dici ipſi voluntaria) altera verò quæ ſolâ ſcientiâ privat eius, quod quis poteſt, & tenetur ſcire, ſed ex propriâ, & culpabili negligentiâ ignorat. Et hæc iterùm duplex eſt, altera ſcilicet juris, & altera facti. Et denique illa juris adhuc eſt duplex, nempè altera eorum, quæ ſunt in ſe, & intrinſecè mala, cuiuſmodi eſt ignorantia juris naturæ; & altera eorum, quæ mala ſunt, quia poſitivo aliquo jure prohibentur. Et de his omnibus procedit difficultas.

620 Dicendum eſt itaque primò, quod ignorantia eorum, quæ ſunt ſecundum ſe, & intrinſecè mala, cuiuſmodi ſunt, quæ jure naturæ prohibentur, relinquit ea omninò eiuſdem ſpeciei, ac ſi fierent à ſciente, & ex certa malitia; ſi tamen ſit ignorantia privans tantùm ſcientiâ, non autem uſu rationis, ſicut accidit in ebriis vel amentibus, de quibus dicam infra. Ratio huius eſt, quia ſunt actus voluntarii in ſeipſis per ſe, & directè intenti ab agente non ſolùm materialiter, ſed etiam formaliter, per converſionem ad obiectum ſibi cognitum, & manifeſtum, undè actus illi ſuam ſpeciem ſumunt; ita ut agens verè formaliter dicatur per ſe, & directè velle, & intendere eamdem ſpeciem actus, puta fornicationis, furti, homicidii, ſicut & agens ex certa ſcientia contra legem; & ſolùm ab iſto differat, quia ipſe ignorat hæc eſſe contraria legi, iſte verò ſcit. At ſpecies peccati non ſumitur ex contrarietate ad legem, ſed ex obiecto per ſe intento, & volito, ſecundum ſe conſiderato; ex hoc enim peccata inter ſe ſpecie differunt, quia obiecta inter ſe formaliter diverſa reſpiciunt; & non ex contrarietate ad legem, in qua omnia conveniunt, ac proindè eſſent omnia eiuſdem ſpeciei, quod falſiſſimum eſt. Requiritur tamen quod obiecta exerceant contrarietatem illam ad legem, quia peccatum illud eſt, quod eſt dictum, vel factū, aut concupitum, & volitum contra legem, ut dicit Auguſtinus; ſed non indè ſuam ſpeciem ſumunt. Contrarietas autem hæc exercetur utique in obiectis illis tùm reſpectu ſcientis, tùm reſpectu illam ignorantis, ſi ex propria culpâ, & quodammodò voluntariè ignorat, ut pro nunc ſuppono reſpectu juris naturæ, id quod ſupra fusè probavi; quia per ipſum eſt, quod eam ſignatè non agnoſcat, ac propterea redditur ei ſuus actus, etiam quâ legi contrarius, voluntarius, & imputabilis ad culpam, quantumvis ab ipſo qua talis ſignatè non agnoſcatur. Semel autem ac ipſi qua talis ut voluntarius, ac per conſequens ut peccatum imputatur, & alias per ſe, & directè, ac ſcienter per converſionem ad proprium obiectum, undè eius ſpecies ſumitur, illum vult, & intendit, erit procul dubio peccatum eius in eadem ſpecie peccati, ac ſi fieret à ſciente, cum quo convenit in ratione obiecti, & actus ab obiecto ſpecificati; uterque enim in idem obiectum ſibi manifeſtè cognitum per ſuum actum tendunt, per ſe, ac directè cognoſcentes, atque intendentes talem ſpeciem actus, puta fornicationis, adulterii, furti, homicidii, &c. Licet ignoranti contrarietatem eius ad legem, & virtutem, non ſit talis actus, in quantum ſic contrarius, formaliter, & per ſe, ac directè voluntarius, ſed ſolùm per accidens, & indirectè, nempe in ipſa volitione illius actus ſpecifici contrarietatem illam exercentis, ab ipſo culpabiliter ignoratam, atque ideò ſibi ut voluntariam imputatam; ex quo manifeſtè ſequitur actum illum eſſe in eo & peccatum, & eiuſdem ſpeciei, ac ſi fieret à ſciente.

621 Dicendum eſt ſecundo, quod ſi ignorantia privat hominem uſu rationis, ut contingit in ebriis, & amentibus, qui tamen ex propriâ culpâ in ebrietatem, & amentiam incurrunt (de his enim loquor) nam in his ipſamet ignorantia voluntaria eſt, non in ſe, & directè, ſed in causâ nempè in ipſâ ebrietate, vel amentiâ, cuius eſt effectus, ac proindè culpabilis, & vincibilis; & ab eventibus, qui indè conſequuntur, non excuſans; quia omnes evadunt ipſi agenti quodammodò voluntarii indirectè, & in causâ, licet non in ſeipſis, & directè; dicendum eſt (inquam) quod eiuſmodi eventus rigorosè loquendo, & ſecundum rigorem Philoſophicum, non ſunt eiuſdem ſpeciei, ac ſi fierent à ſciente; ſed diſtrahuntur à propriis ſpeciebus, & ſpectant ad ſpecies peccatorum, quorum ſunt effectus, ut circumſtantiæ illorum ſpecificè aggravantes. Quare homicidia v.g. adulteria, & ſimilia peccata eiuſmodi ebriorum, vel amentium, rigorosè loquendo non ſunt in ſpecie homicidii, adulterii, & ſimilium, ſicut eſſent, ſi ſcienter fierent; ſed ſunt in ſpecie ebrietatis, vel amentiæ, circumſtantiatæ tamen iis pravis circumſtantiis ſpecificis nempè homicidii, adulterii, & ſimilium. Atque ideò qui peccat ſe inebriando, aut cauſando ſibi amentiam, atque indè ei contingit homicidium vel adulterium, propriè loquendo per ſe, & formaliter, ſolùm peccatum ebrietatis, vel amentiæ voluntariæ committit; ſed ebrietatis, ut ita

dicam,

dicam, homicidiariæ, vel adulterativæ, & non ſimplicis ebrietatis utcumque. quia licet unum ſimplex peccatum ebrietatis faciat, & non plura, illud tamen facit ut circumſtantiatum circumſtantia mutante ſpeciem, ita ut non ſit ebrietas utcumque, ſed ebrietas ut dixi homicidiaria, adulterativa, &c. ſemper tamen in ſpecie ebrietatis, licet gravatæ circumſtantia alterius ſpeciei.

622 Ratio autem huius eſt, quia eventus illi non ſunt in ſeipſis voliti, & intenti, imò in ſeipſis conſiderati neque ſunt actus humani, & in genere moris, cum agens, dum eos agit, uſum rationis non habeat, ac proindè ipſum lateant nedùm obiectum, undè actus propriam ſpeciem ſumunt, ſed etiam ipſimet actus, quos agit, ac per conſequens non poſſunt eſſe in ſua propria ſpecie morali. Sed quia non omninò extrahi poſſunt à ratione voluntarii, & a genere moris, cum ſint in ſua cauſa voluntarii, & culpabiles; voluntarii, inquam, indirectè, tamquam effectus præcontenti, & prævilibiles in illa; ideò ad illius ſpeciem trahi, ac reduci debent tamquam circumſtantia (quid) illius, ut benè docet Caietanus.

623 Dixi autem (rigorosè loquendo, & ſecundum rigorem Philoſophicum) quia Philoſophus etiam moralis ſemper formaliùs, & in rigore Metaphiſico loquitur. Cæterùm ſi cum puris Moralibus, & Canoniſtis loqui velimus; poſſumus eiuſmodi peccata in ſuis propriis ſpeciebus collocare; dicendo, & quod ebrius, vel amens huiuſmodi ſit etiam homicida, adulter, &c. quia Moralis & Canoniſta tùm quæ propriè in aliqua ſpecie ſunt, tùm quæ ad illam reductivè pertinent, facilè eiuſdem ſpeciei omnia eſſe dicit, & affirmat; habet enim unaquæque ars ſuum modum loquendi, alia formaliùs, & diſtinctiùs; alia minùs fotmaliter, & confuſiùs.

624 Dicēdum eſt tertio, quod peccata quæ procedunt ex culpabili ignorantiâ facti: ſicut etiam quæ ſunt ex ignorantia juris poſitivi circa ea, quæ non ſunt intrinſecè, & per ſe mala, ſed ſolùm mala quia jure poſitivo prohibentur; ſimiliter non ſunt rigorosè loquendo in ſuis propriis ſpeciebus, quemadmodùm eſſent, ſi ſcienter fierent. Sed reductivè pertinent vel ad ſpeciem primi peccati, cuius ſunt effectus, tamquàm circumſtantiæ illius, ut dictum eſt de præcedentibus: vel ſi non ſupponatur aliud præcedens peccatum, reductivè pertinent ad proprias ſpecies, non autem per ſe, & formaliter loquendo. Undè qui jaciens ſagittam, non adhibitâ debitâ cautelâ, occidit hominem, vel Patrem; homicidium, vel parricidium, non ſunt peccata in propriis ſpeciebus, ſed reductivè pertinent ad ſpeciem peccati venationis periculosæ vel jactus temerarii, circumſtantiati circumſtantiâ homicidii, vel parricidii, ſimili modo, quo ſupra dictum eſt.

625 Et ratio eſt eadem, quæ ſupra, quia ſcilicet eiuſmodi agenti velatur obiectum homicidii, vel parricidii, neque illud intendit per ſe, & directè loquendo, quod exigeretur, ut ea peccata eſſent per ſe, & formaliter in propria ſpecie; atque ideò reduci debent ad ſpeciem primi peccati, cuius ſunt effectus, & in quo ſunt indirectè volita; omne enim indirectum ad id, quod eſt directè tale, reduci debet; ac propterea peccata indirectè volita ad peccatum per ſe, & directè intentum reducenda ſunt.

626 Similiter qui ex ignorantia juris poſitivi prohibentis aliquid non in ſe malum, puta comeſtionem carnium, vel duplicem refectionem in die jeiunii, præceptum ex tali culpabili ignorantia tranſgreditur, quod in ſciente eſſet peccatum per ſe conſtitutum in ſpecie intemperantiæ ab Eccleſia conſtitutæ; non autem talis ex naturâ ſuâ; non committit peccatum eiuſmodi intemperantiæ, ut propriè, & per ſe ſtans in tali ſpecie, ſed ut ſolùm reductivè ad talem ſpeciem pertinens. Et ratio huius eſt, quia ei velatur obiectum ex ea parte, quâ ab Eccleſia conſtituitur tale; carnes enim, vel cibus bis in die ſumptus non ſunt ex natura ſua obiectum intemperantiæ, ſed fiunt tale ex conſtitutione Eccleſiæ, atque ideò in ratione eiuſmodi obiecti velantur agenti ob ignorantiam dictæ conſtitutionis; ſed quia eius ignorantia ſupponitur pro nunc vincibilis, & culpabilis ob eius negligentiam, ideò indirectè eiuſmodi obiectum fit ei voluntarium in ignorantiâ ſua, non autem in ſeipſo, ac proindè non eſt ab agente per ſe volitum, & intentum, quod exigeretur ad hoc ut peccatum illud eſſet per ſe in ſpecie talis intemperantiæ; ſed nihilominùs ad eamdem ſpeciem reduci debet, ſicut materiale ad ſuum formale, cum præſertim non habeat antecedenter aliam ſpeciem peccati, ad quam reduci poſſit, niſi ſolam negligentiam undè ei provenit ignorantia illa culpabilis, quæ non ponit in numero cum peccato ſubſequente, ut diximus ſupra; imò illa ad iſtud reducitur. Sed hæc potiùs ad ſpeculationem pertinent, quàm ad praxim; atque ideò ſatis eſt quodammodò attigiſſe.

627 Ex dictis autem oritur dubium circa Ignorantiam culpabilem facti, in quâ diximus, quod ſi jaciens v. g. ſagittam, non adhibitâ debitâ diligentiâ, occidat hominem, vel patrem; & idem eſt de culpabiliter ebrio, vel amente; tunc agens eiuſmodi peccatum incurrit gravatum iis circumſtantiis ſpecificis homicidii, parricidii, & ſimilium, quæ illi contingunt. Videtur enim hoc inintelligibile, quod ſcilicet quis uno eodemque ſuo voluntario defectu prorsùs in ſe invariato nunc unam, nunc aliam diverſæ ſpeciei circumſtantiam, nunc nullam incurrat, juxta varietatem unius, vel alterius, aut nullius eventus ſubſequentis caſualiter. Sic enim non eius voluntatis eſſet, ſed fortunæ potiùs gravari ſic, vel ſic, vel nullo modo. Neque ratio illa ſuffragatur, quod hæc ſint quodammodò voluntaria in cauſa; quia non hæc mala tantùm in cauſa præcontinentur, ſed omnia indè evenire

poſſi-

poſſibilia, ac proindè vel erit omnium reus ex voluntate illius cauſæ, etiam ſi non omnia contingant, vel nullius: quia non magis convincitur agens ex voluntaria cauſa ea omnia poſſibilia præcontinente, velle unum, quàm aliud malum, ſive poſtea eveniat de facto, ſive non.

628 Reſpondeo nihilominùs numquàm caſus, aut fortunæ, eſſe quod agens gravetur ſic, vel ſic, aut nulliter; ſed propriæ eius voluntatis, determinatæ tamen ad determinationem cauſæ. Pro cuius intelligentia ſciendum eſt hoc eſſe diſcrimen inter voluntarium in ſe, & directè, & inter voluntarium in cauſa, & indirectè; quod primum eſt ex determinatione voluntatis ſeu intentionis ipſius agentis: Illud enim dicitur in ſe, & directè volitum, quod agens per ſe, & determinatè vult, & intendit, quaſi ſignando illud ſic: volo hoc, volo illud &c. Secundum verò eſt ex determinatione cauſæ, quam agens voluntariè ponit, in qua ſupponitur nullum determinatum periculum prævidere, ſi enim aliquod prævideret determinatè, jam non eſſet ampliùs ignorans; ſed quia incautè, & inconſideratè cauſam illam ponit, qualiſcumque in ſe ſit, ideò dicitur indirectè velle quidquid in causâ illâ, qualiſcumque in ſe eſt, præcontinetur: In illâ autem hìc, & nunc poſitâ ab agente ſolùm eventus ille, qui de facto contingit, determinatè precontinetur, & non alius; quia in cauſa individuali ſolùm hic, vel ille determinatus effectus in individuo hìc, & nunc præcontinetur, & non alii qui cenſentur poſſibiles; iſti enim dicuntur poſſibiles in ordine ad cauſam illam conſideratam in ſua ratione ſpecifica, non autem in ordine ad illam hìc, & nunc, & in individuo poſitam in re ab agente; quia hìc & nunc unus, vel alter determinatus eventus eſt illi poſſibilis, vel potiùs ſuturus, & nullus alius; atque ideò iſte tantùm indirectè, & in causâ poteſt ei attribui, ut voluntarius in volitione illius cauſæ in individuo; vel nullus, ſi nullus in ea hìc, & nunc præcontinetur; quod licet ex defectu præcognitionis, dicatur totum caſualiter reſpectu agentis evenire, in re verò reſpectu cauſæ hìc, & nunc neceſſaria eſt illa determinata coniunctio circumſtantiæ, puta hominis, vel patris hìc, & nunc tranſeuntis, ac propterea ex determinatione cauſæ ſit agenti voluntarius eventus ille determinatus homicidii, vel parricidii, vel nullus; & non alius ex per ſe volitâ causâ hìc & nunc. Undè ex iſtâ ſuâ volitione ille effectus ipſi imputatur, qui neceſſariò cum causâ illâ hìc, & nunc coniungitur, & ita non caſus, & fortunæ eſt ſic, vel ſic gravari, ſed propriæ voluntatis amplectentis cauſam, & indirectè quidquid per ſe hìc, & nunc cum ea connectitur; licet quid per ſe cum ea hìc, & nunc connectatur non conſideret, nec prævideat, ac proindè cum evenerit dicatur ipſi caſuale, & fortuitum.

§. II.

Quantum diminuantur de ſua gravitate peccata, quæ ex ignorantiâ ſiunt.

629 PRo reſolutione denique ſecundæ difficultatis, quantum ſcilicet ignorantia diminuat de gravitate peccati ſubſequentis? Dico quod ignorantia niſi ſit affectata, hoc eſt ita expreſsè in ſe volita, ut liberiùs quis peccet, quæ procul dubio, ex intenſiore affectu ad peccandum procedit, & per conſequens potiùs auget, quam diminuat malitiam, ut ſupra diximus ex D. Thoma. Niſi (inquam) ita ſit, diminuit quidem peccata, quæ illi contingunt, quia non eſt tantus contemptus legis in ignorante, quantus eſt in ſciente, & minùs efficax eſt voluntas ignorantis, quam ſcientis in ordine ad peccata, quæ ſiunt; nam ſciens per ſe, & directè vult illa; ignorans autem non ſic; imò ea nollet, ſi ſciret. Sed quantum diminuat, difficile eſt explicare, quia difficile eſt quantitatem cauſæ dimetiri, ex qua unicè dependet gradus gravitatis illorum. Nihilominùs dico quod primum peccatum quod eſt cauſa eiuſmodi eventuum, diminuit illos de gravitate ipſorum in propria ſpecie, uſque ad menſuram ſuæ gravitatis in ratione cauſæ culpabilis: Ita ut in ebrio v. g. tanta ſit gravitas homicidii indè conſecuti, tracta tamen ad ſpeciem ebrietatis; quanta eſt gravitas ebrietatis in ratione cauſæ culpabilis illius. Et ſic in eo ebrietas ex circumſtantia homicidii gravatur juxta gravitatem peccati ebrietatis, prout cauſa eſt homicidii. Atque ideò ſi homicidium in propriâ ſpecie ſupponatur habere gravitatem ut octo; & ebrietas, quæ eſt cauſa illius, ſupponatur habere gravitatem ut duo: In ebrio circumſtantia homicidii gravabit ebrietatem ut duo, & diminuetur de tota reliqua gravitate ut ſex. Undè ebrietas, quæ in ſe eſſet gravis ut duo, cum circumſtantia homicidii, evaderet in ſpecie talis ebrietatis, ſcilicet ebrietatis homicidiariæ gravis, ut quatuor; & ſic eſſet cum totâ circumſtantia homicidii, minoris gravitatis, quàm ſolum homicidium in propria ſpecie à ſciente commiſſum.

630 Tota hæc doctrina, ne cenſeas lector, quod noſtri arbitrii ſit, ſingularis, & voluntaria. Nam & ratione probatur, & ſanctorum patrum authoritate fulcitur: Auguſtinus enim contra fauſtum *lib.* 22. *cap.* 44. *tom.* 6. dicit de Loth, qui ignorans in ebrietate inceſtum fecit, quod *culpandus eſt, non quantum ille inceſtus, ſed quantum ebrietas meruit*. In quo dicto compendioſè tota hæc doctrina concluditur. Dum enim Aoguſtinus dicit, quod culpandus eſt, non quantum ille inceſtus; diminutio gravitatis culpæ deſignatur. Et dum ſubdit: ſed quantum ebrietas meruit: deſignatur determinata gravitas illius ad menſuram ebrietatis, quæ cauſa fuit culpabilis inceſtus illius: & prætereà quod inceſtus ille non fuerit in propria

ſpecie

ſpecie, ſed in ſpecie ebrietatis circumſtantiatæ, ſeu gravatæ per circumſtantiam inceſtus, hoc ipſo quod inſinuatur, gravari ebrietatem per inceſtum illum ad menſuram gravitatis ipſius ebrietatis. Quid enim eſt dicere quod culpandus eſt Loth de inceſtu non quantum ille inceſtus, ſed quantum meruit ebrietas; niſi quod culpa inceſtus eiuſque gravitas ad ebrietatem eiuſque gravitatem trahitur? Nam ſi ad ſpeciem ebrietatis non traheretur, ſed maneret in propria ſpecie, in ſeipſo ſuam gravitatem haberet, & tantitatem menſurandam; & non in ebrietate; ac per conſequens non benè dixiſſet Auguſtinus: quantum ebrietas meruit. Sed expreſſiùs idipſum docuit D. Thomas 1. 2. *q.* 76. *a.* 4. *ad* 2. juxta intelligentiam, & expoſitionem Caietani ibidem; nam licet ibi D. Thomas videatur in ebrio dicere eſſe duo peccata, ſcilicet ebrietatem, & peccatum ſubſequens. Caietanus tamen exponit, *id intelligendum eſſe ſecundùm ſubiectam materiam; ideſt ſecundum ſe eſſe duo peccata; non quod in ebrio retineant dualitatem, ſed alterum tranſit in circumſtantiam primi.* Hæc Caietanus.

631 Probatur autèm hoc ipſum ratione eiuſdem Caietani: nam eiuſmodi eventus non ſunt in ſe voluntarii, nec peccata; ac proindè diſtrahuntur in ratione culpæ a propriis ſpeciebus. At quia ſunt quodammodò voluntarii, ideſt per accidens, indirectè, & in ſuâ causâ, ideò trahuntur in ratione culpæ ad ſpeciem illius tamquàm circumſtantiæ ſuperadditæ diversæ ſpeciei ad illam. Cum enim peccatum non ſit niſi voluntarium; oportet quod eo pacto aliquod ſit peccatum, quo voluntarium eſt. Illud ergo quod non eſt voluntarium in propriâ ſpecie, & in ſe; ſed in ſpecie alienâ, nempè causæ, in quâ quodammodò, ut conſtat, voluntarium eſt; neque poteſt eſſe peccatum in propriâ ſpecie, benè tamen in ſpecie alienâ, nempè ſuæ causæ. Et ſimiliter, ſicut in ratione culpæ ob dictam rationem diſtrahitur à propriâ ſpecie, & trahitur ad ſpeciem alienam, nempè peccati, quod eſt ſua cauſa; ita diſtrahitur à propria gravitate, & trahitur ad gravitatem illius, addendo ſemetipſum illi tamquam circumſtantiam diversæ ſpeciei ad menſuram gravitatis illius; ita ut ſi illud ſit grave ut duo in propria ſpecie præcisè conſideratum, etiam ut duo dicatur gravatum in ratione circumſtantiæ illius diversæ ſpeciei ſibi ſuperadditæ; ac propterea ſit per ſe homo ille Reus ut duo in propria ſpecie peccati ebrietatis, & per accidens & ratione circumſtantiæ ſuperadditæ Reus homicidii etiam ut duo in uno eodemque peccato formaliter loquendo; quia uno, eodemque actu voluntatis, quo per ſe vult ebrietatem, vult per accidens homicidium ſubſequens tamquam effectum illius: quantumvis materialiter duo actus diverſi ſint, & duo peccata, ſi ſecundum ſe, & materialiter etiam conſiderentur; in quo ſenſu ſæpiùs à D. Thoma duo peccata appellantur: ſed formaliter loquēdo unum ſunt cum circumſtantiâ adjunctâ diversæ ſpeciei. Quemadmodum adulterium v.g. unum peccatum eſt luxuriæ cum circumſtantiâ tamen diversæ ſpeciei, nempè iniuriæ alterius coniugis. Et ſola differentia eſt, quod in adulterio non ſunt materialiter duo actus diverſi, alter luxuriæ, & alter iniuſtitiæ, ſed in uno eodemq; actu materiali exercetur ſimul, & luxuria, & iniuſtitia, ſub uno formali actu voluntatis: in ebrio tamen homicida ſunt materialiter duo actus ebrietatis ſcilicet, & homicidii ſub uno formali actu voluntatis ſe extendente ad utrumque; ad unum tamen per ſe, & directè; & ad alterum indirectè, & per accidens ut dictum eſt.

632 Colligitur denique eſt dictis, quod peccata, quæ contingunt ex ignorantiâ, (ſuppoſito quod ignorantia ſit vincibilis, & culpabilis, & non totaliter excuſans, juxta doctrinam ſuperiùs traditam: ſive maneant in propria ſpecie, ſicut evenit in ignorantiâ juris naturæ; ſive ad aliam ſpeciem reducantur ut circumſtantiæ ſpecificæ illius.) numquam transferuntur de mortali ad veniale, vel de ordine ſuperiori ad inferiorem, ex hoc quod prima culpa ignorantiæ in ſe præcisè conſiderata ſit venialis, & inferioris ordinis. Imò & hoc ipſum falſum eſt, quod ſcilicet contingere poſſit primam culpam ignorantiæ venialem in ſe eſſe, & inferioris ordinis, ſi ſit cauſa alicuius peccati mortalis in ſe, & ſuperioris ordinis quodammodò in ipſa voluntarii, & agenti imputabilis. Nam ſi peccatum ſubſequens in ſe mortale eſt, & ordinis ſuperioris, & agenti ad peccatum imputatur, ut voluntarium indirectè in culpâ illâ primâ, undè provenit ignorantia, evadit hæc hoc ipſo in ſe mortalis, & ordinis ſuperioris ex ipsâ circumſtantiâ ſui effectus in ipsâ voluntarii, & imputabilis; licet quodammodò, & aliquantulum diminuti in ratione gravitatis, ad menſuram illius primæ culpæ, ut ſupra diximus, ob ignorantiam ipſam; ſemper tamen in lineâ peccati mortalis, & ordinis, ſicut eſt peccatum ſubſequens; etiam ſi hoc ad ſpeciem primæ culpæ transferatur, & non maneat in propriâ ſua ſpecie.

633 Undè non admitto in hoc ſententiam Caietani aſſerentis peccatum, ſi ex ignorantiâ culpabibili contingat diſtrahi à propriâ ſpecie, poſſe interdùm transferri de mortali in veniale, & de ordine ſuperiori ad inferiorem. *Quia* (inquit) *circumſtantia non habens propriam ſpeciem, numquàm aggravat in infinitum; numquàm transfert in proprium ordinem. Undè ſi ebrietas* (inquit) *in aliquo ſit peccatum veniale; Homicidium conſequens non faciet peccatum mortale. Et ſimiliter ſi circumſpecta aliqualiter venatio eſt peccatum veniale; homicidium ſequens non faciet peccatum mortale. Et ſi ebrietas, vel venatio ſint peccata levioris ordinis, quàm homicidium; non trahentur*

in ordinem gravitatis homicidii, quamvis aggraventur ex tali effectu. Huc uſque Caietanus 1.2.q. 76.a.4. in fine. Ubi pro ſuâ doctrinâ firmandâ ſe remittit ad doctrinam D. Thomæ q. 88.a.5. In qua D. Thomas videtur docere, quod circumſtantia non poteſt facere de mortali veniale.

634 Sed mihi quidèm doctrina hæc non placet. Neque ei ſuffragatur D. Thomas dicta *q. 88. cit.* Ibi enim D. Thomas diſtinguit de circumſtantiâ, quod duplex ſit, alia ſcilicet, quæ non ſuperaddit actui deformitatem alterius generis, cuiuſmodi eſt diuturnitas, vel protelatio actus venialis; & hæc (inquit) non poteſt facere de veniali mortale. Alia verò quæ ſuperaddit deformitatem alterius generis, prout ſunt circumſtantiæ mutantes ſpeciem; & de hac docet oppoſitum, nempè quod poteſt facere de veniali mortale, & de ordine inferiori transferre ad ordinem ſuperiorem; *quia tunc* (inquit) *accipitur ut differentia ſpecifica actus moralis, & amittit rationem ſimplicis circumſtantiæ*. Conſtat autem quod peccata ſubſequentia ex ignorantia culpabili, etiamſi diſtrahantur à propriis ſpeciebus ad aliam ſpeciem nempè primi peccati, undè provenit ignorantia, ſemper ſuperaddunt ad illud deformitatem diverſi generis; ut patet in ipſis exemplis à Caietano adductis, nam homicidium ſubſequens ad ebrietatem, vel venationem aliqualiter (ut ipſe ait) circumſpectam; quod eſt dicere, non ſufficienter circumſpectam ſicut exigeretur, ſed cum aliquali culpa negligentiæ, ac proindè aliqualiter temerariam, ſuperaddit deformitatem diverſi generis a deformitate ebrietatis, vel venationis temerariæ; ac per conſequens poteſt eas facere peccata mortalia, & transferre ad ordinem ſeu lineam homicidii; ita ut non ſint ampliùs ſimplex ebrietas, vel venatio incauta; ſed ebrietas homicidiaria, & ſimiliter venatio.

635 Ad rationem autem Caietani, quod ſcilicet circumſtantia non habens propriam ſpeciem non aggravat in infinitum, hoc eſt non facit de veniali mortale (ſic enim id intelligitur, ex D. Thoma, qui docet quod mortale quodammodò in infinitum excedit quantitatem venialis.) Et ſimiliter quod numquam transfert in proprium ordinem. Reſpondeo ex D. Thoma *ſupra citato*, id verum eſſe de circumſtantia non habente propriam ſpeciem ex naturâ ſuâ, cuiuſmodi eſt circumſtantia ſimplex temporis, ſeu diuturnitatis, vel aſſiduitatis actus, & ſimiles, quæ non habent propriam deformitatem, quam addere poſſint; non autèm de circumſtantia non habente propriam ſpeciem, per hoc quod per accidens eſt a propria ſpecie diſtracta. Nam hæc non eſt abſolutè non habens propriam ſpeciem, ſed ſecundum quid, quatenùs ſcilicet non eſt per ſe exiſtens ſub eſſe propriæ ſpeciei, nec habet per ſe conſtituere peccatum ſuæ ſpeciei in ſe ipſo completum, & diſtinctum ab omni alio peccato; ſed eſt inexiſtens ſeu inhærens, & per modum adiacentis, alteri peccato alterius ſpeciei, reſpectu cuius ſe habet ut differentia ſpecifica accidentaliter illi ſuperaddita, illudque aggravans per additionem ſuæ malitiæ ſpecificæ, ut ſit in illo, illudque conſtituat in eadem identitate peccati magis gravatum; & nullo modo faciat ex ſe peccatum diſtinctum ab illo: atque ideò dicitur non habere propriam ſpeciem, ſeu non eſſe in ſpecie propria, quia non eſt per ſe & in ſe exiſtens, quaſi peccatum in ſua ſpecie completum, & diſtinctum ab alio; ſed confunditur in alio, & cum illo convenit in unitate eiuſdem peccati, communicando illi ſpeciem malitiæ ſuæ. Ut conſtat in ebrio; ebrius enim per ſe, & eſſentialiter, in ſpecie peccati ebrietatis eſt; accidentaliter verò eſt etiam in ſpecie homicidii, vel adulterii, ſi ea in ebrietate committit; ſed in ipſo hæc non ſunt plura peccata diſtincta, & in propriis ſpeciebus completa; ſed unum tantùm, quod per ſe eſt peccatum ebrietatis, ſed gravatum circumſtantiâ ſpecificâ homicidii, vel adulterii ipſi peccato ebrietatis adiacentium, ſeu inexiſtentium in illo, & non in propriis ſpeciebus.

636 Et confirmatur doctrina hæc manifeſtiſſimis exemplis ex ipſomet Caietano depromptis. Conſtat enim in adulterio, & ſacrilegio, ſpeciebus luxuriæ, quod quia agens non intendit per ſe, & directè iniuriam irrogare illi, cuius uxorem agnoſcit; neque Deo irreverentiam, cui Virginem conſecratam violat; ſed tantùm, & dumtaxat ſuæ concupiſcentiæ ſatisfacere: ideò per ſe, & propriè loquendo, eius peccatum in ſpecie luxuriæ eſt, ſed circumſtantiatum, & gravatum malitia contra juſtitiam, vel religionem: quia licet iniuria illa, vel irreverentia non ſit per ſe, & in ſeipſa intenta, ac propterea non ſit peccatum in propria ſpecie iniuſtitiæ, vel contra religionem, quaſi in ſeipſo completum; nihilominùs non amittit, hoc ipſo quod quodammodò voluntaria eſt nempè indirectè, & in voluntate illius actus libidinoſi per ſe intenti, malitiam, & gravitatem ſui ordinis, ideſt iniuſtitiæ, vel irreverentiæ ſacrilegæ omninò; & quaſi non talis ſit, qualis in ſe eſt; ſed ſolùm veluti ſtatum mutat, vel modum eſſendi, quatenùs non eſt peccatum in ſeipſo exiſtens, ſed inexiſtens alteri peccato in ſpecie libidinis, & tamquam illius circumſtantia transferẽs in illud malitiam ſpecificam ſui ordinis, atque illud aggravans mortaliter in linea iniuſtitiæ, vel irreverentiæ ſacrilegæ, ita ut non ſit ampliùs ſimplex coitus illicitus, ſeu ſimplex fornicatio, ſed fornicatio iniuſta, vel ſacrilega, quæ uno nomine dicitur adulterium, vel ſacrilegium.

637 Neque dicas ideò eiuſmodi coitum mortaliter gravari per circumſtantias illas alterius ordinis, quia actus ille libidinoſus per ſe intentus in ſe mortalis ſupponitur: at ſi ſupponeretur venialis, non poſſet ex circumſtantiis illis

Digitized by Google

illis mortalis evadere. Non (inquam) dicas, nam licet in hoc exemplo datâ illâ hypotheſi impoſſibili, conſequens eſſet verum; nempè quod ſi libido illa ſupponeretur venialis, ex circumſtantiis illis non evaderet mortalis: tamen hoc aliundè proveniret, quia ſcilicet circumſtantiæ illæ iniuſtitiæ, vel irreverentiæ, non ſupponerentur ampliùs in ſe tales, quales ſunt. Et ratio huius eſt, quia iniuria alterius coniugis, vel irreverentia irrogata Deo, ideò in ſe nunc graves moraliter exiſtimantur, quia ex gravi indignitate illius actus formaliter tales conſtituuntur; & non dependent ab illo ſolùm in genere causæ efficientis; ſicut dependet homicidium ab ebrio ex cauſa ebrietatis, vel à ſagittante ex cauſa negligentiæ. Ac propterea ſi per impoſſibile ſupponeretur actus ille libidinoſus in ſe venialis, cum non ampliùs gravem indignitatem redoleret; circumſtantiæ illæ iniuriæ, vel irreverentiæ, non eſſent in ſe ampliùs tales, quales nunc ſunt, ſed leviſſimæ: nam ſi uſus mulieris in ſe venialis eſſet, & levis, circumſtantia illa quod ſcilicet eſſet alterius, moraliter quaſi pro nihilo reputaretur, & nimis levis iniuria haberetur; eſſet namque æquivalenter, ac ſi quis equo, vel veſte alterius ad horam uteretur. Et idem eſſet de irreverentia, ſe haberet enim æquivalenter, ac ſi quis laicus præter munus proprii ſtatus rem ſacram ſimpliciter tangeret. Non ſic autem eſt homicidium, quod ex ignorantia culpabili contingit ebrio, aut venatori, quia iniuſtitia homicidii, ſi ſemel ſupponatur quodammodo voluntaria, & imputabilis in causâ, habet in ſe formaliter quod ſit grave damnum proximi, & mortale, in ſuo ordine iniuſtitiæ, & non fundatur formaliter in ipſo actu ebrietatis, vel venationis, ſed ſolùm ab illo pendet in genere causæ efficientis; ac per conſequens ſi ſemel ab ebrio quodammodo voluntariè, & imputabiliter in actu illo, ebrietatis fiat, non poterit actus ille venialiter culpari ex circumſtantia homicidii, nec poteſt ſub eà ratione, quà eſt indirectè volitio homicidii imputabilis, eſſe levis; quidquid ſit, ſi ſub alia ratione non videatur in ſe gravis; quia hoc ipſo quod volitio homicidii culpabilis eſt, licet non per ſe intenti, redibit actus in naturam ſuæ ſpeciei ſaltem per modum circumſtantiæ afficientis actum ipſum, ita ut agens evadat formaliter reus ebrietatis, vel venationis homicidiariæ, & hoc ipſo mortaliter peccet.

638 Quare cum pace tanti viri (de Caietano loquor, quem ſemper præ ſubtilitate eius ingenii, & eruditione ſuâ ſummopere veneratus ſum) non video, quomodo ſuſtineri poſſit, quod culpa ebrii, aut venatoris leviſſima, & venialis dici poſſit in caſu, quo illi homicidium ſubſequens ob ignorantiam eius, ut voluntarium imputatur, & quodammodò ad culpam, & quod inde homicidium ipſum dicatur evadere veniale. Cum potiùs econtrà ex gravitate homicidii negligentia ipſa culpabilis, ſi ſemel culpabilis ſupponatur, culpa gravis dicenda ſit & mortalis, quale eſt ipſum homicidium jam ſuo modo volitum, & imputatum ad culpam. Quomodo enim levis eſſe poteſt negligentia venatoris, ſi non ſit tanta diligentia, quantam tam grave periculum exigit? Vel clariùs, ſi non ſit tanta, quæ tam grave damnum poſſit involuntarium, & inculpabile reddere? Semel enim, ac damnum adeò grave culpabile, ac voluntarium eſt, quo pacto levis culpa cenſeri poteſt? Videtur namque implicare in terminis, quod quis voluntariè aliquo modo ad grave damnum concurrat, & quod peccet tantùm venialiter.

639 Libentiùs profectò concederem poſſe interdùm contingere quod levis aliqua negligentiuncula ponatur ab agente in ſimili caſu, quæ culpa venialis in ſe ſit; & quod indè homicidium ſubſequens nec voluntarium, nec imputabile ſit; quam quod hoc, ut voluntarium quodammodò, & ad culpam imputetur agenti; & negligentia appoſita, undè voluntarium redditur, & culpabile, ſit levis & venialis, ac leve, & veniale reddat homicidium ipſum. Quemadmodùm D. Thomas *quæſt.* 88. *cit.* videtur de ebrietate expreſsè concedere, quod ex veniali culpa proveniens, nullatenùs imputetur. Verba D. Thomæ ſunt: *De ebrietate verò dicendum eſt, quod ſecundum ſuam rationem habet, quod ſit peccatum mortale. Quod enim homo abſque neceſſitate reddat ſe impotentem ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur, & multa peccata occurrentia vitat, ex ſola voluptate vini, expreſsè contrariatur virtuti. Sed quod ſit peccatum veniale contingit propter ignorantiam quamdam, vel infirmitatem, puta cum homo neſcit virtutem vini, aut propriam debilitatem, undè non putat ſe inebriari: tunc enim non imputatur ei ebrietas ad peccatum, ſed ſola ſuperabundantia potus. Sed quando frequenter inebriatur, non poteſt per hanc ignorantiam excuſari, quin videatur voluntas eius eligere magis pati ebrietatem, quàm abſtinere à vino ſuperfluo; undè redit peccatum ad ſuam naturam.* Hæc D. Thomas.

640 In quibus verbis conſtat, quod D. Thomas primò docet ebrietatem ex naturâ ſuâ eſſe peccatum mortale. Secundò procedit ad explicandum quandò in eà contingat peccari venialiter, ibi: *Sed quod ſit peccatum veniale, contingit propter ignorantiam quamdam, vel infirmitatem; puta cum homo neſcit virtutem vini, aut propriam debilitatem; undè non putat ſe inebriari*. Ubi videtur prima facie dicere, quod ebrietas propter eiuſmodi ignorantiam ſit peccatum veniale. Sed re vera non hoc intendit D. Thomas de ipſa ebrietate formaliter ſumptâ, quæ ſcilicet importat privationem uſus rationis: ſed de ebrietate cauſaliter ſumpta, nempe de cauſa ebrietatis, quæ eſt ipſa potatio vini aliquantulum ſuperflua: ad hanc enim referuntur

verba

Digitized by Google

verba illa: *Sed quod ſit peccatum veniale, contingit propter ignorantiam, vel infirmitatem; puta cum homo neſcit virtutem vini, aut propriam debilitatem; unde non putat ſe inebriari.* Et non referuntur ad ebrietatem formalem. Quod conſtat ex verbis ſubſequentibus, ſubdit enim ibi immediatè ſic: *Tunc enim non imputatur ei ebrietas ad peccatum; ſed ſola ſuperabundantia potus.* Ergo D. Thomas intendit, quod ſola ſuperabundantia potus, quæ eſt ebrietas cauſaliter, imputatur agenti ad peccatum, & de hac dicit, quod ſit venialis, propter ignorantiam ebrietatis ſubſequentis, quatenùs in illâ causâ agens non poteſt prævidere quod ſit inebriandus: de ipsâ verò ebrietate formali, dicit *quod tunc ei non imputatur ad peccatum*. Deindè in caſu quod ebrietas replicetur, ac per hoc non habeat ampliùs locum ignorantia excuſans, dicit *quod ebrietas imputatur*, & potatio illa ſuperflua non eſt ampliùs venialis, ſed mortalis ſicut ipſa ebrietas ſubſequens, *quia* (inquit) *indè redit peccatum ad ſuam naturam*, nempè ebrietatis formalis. Quid clarius dici poterat à D. Thoma? Dum ſuperabundantia potus venialis manet, dicit quod non imputatur ebrietas. Cum verò, non ampliùs excuſante ignorantiâ, ebrietas imputatur; ſuperabundantia illa potus mortalis evadit, quia peccatum redit in ſuam naturam, ut dicit D. Thomas, & ebrietas ex natura ſua peccatum mortale eſt, ut ipſemet docet.

641 Ita igitur proportionaliter dico ego de leviſſima negligentiâ reſpectu homicidii ſubſequentis, & de ebrietate veniali, ſi poſſibilis ſupponatur, quod non admitto; nam vel mortale, vel nullum peccatum eam exiſtimo juxta nunc traditam doctrinam D. Thomæ. Et ratio totius huius doctrinæ eſt, quia in primâ culpâ, undè ignorantia provenit eventus ſubſequentis; ſi levis & venialis ſit in ratione, qua cauſa eſt dictæ ignorantiæ, hoc ipſo omninò velat agenti eventum illum, & periculum eius; ita ut non maneat ampliùs in eo caſu motivum ſufficiens ad prudenter dubitandum de tali periculo, ac per conſequens non poteſt agenti eiuſmodi eventus imputari, ut quodammodò voluntarius, & ad aliquam culpam etiam venialem. Et hoc quidem fortiùs verum oſtenditur ſi conſideretur, quod voluntarium in cauſa, & indirectum ſemper minùs voluntarium eſt quàm cauſa ipſa, in quâ indirectè eſt volitum: cum igitur minimus defectus diligentiæ vix dici poſſit voluntarius, eo quod vix à viris adcuratiſſimis ſit interdùm perceptibilis, & ideò eſt de facto levis, & venialis; Ignorantia, quæ indè ſequitur procul dubio erit omninò involuntaria, atque ideò eventus indè ſubſequens prorsùs involuntarius erit, & inimputabilis. Cæterùm ſi ſemel ſupponatur eventus imputabilis, & quodammodò voluntarius, & alias in ſe ſit gravis, & mortalis; non video quomodò negligentia illa poſſit eſſe levis, & venialis in ratione, quâ cauſa eſt dictæ ignorantiæ. Dico (in ratione, qua cauſa eſt dictæ ignorantiæ) quia de levitate quoad hoc quæſtio procedit; & non de levitate, vel gravitate operis in ſe, ad quod eventus ſubſequitur; quia ut ſupradiximus, etiam qui dat operam rei illicitæ, & mortali, poteſt ignorantiam invincibilem habere de eventu ſubſequente, & ab illo totaliter excuſari, ut diximus de Juda accedente ad Thamar Nurum ſuam. Atque hæc de ignorantia ſatis.

I D E Æ
JURIUM INTERIORIS FORI.
P A R S T E R T I A
D E P R O B A B I L I S M O.

QUi excuſationes quærunt, variis ſæpè ſtudent adinventionibus ſe tueri: & quò eas ſpecioſiores excogitant, eò ſe credunt in agibilibus ſuis prudentiores. Cum igitur ſamiliare ſit hominibus, ut diximus in principio ſecundæ partis, ne ubi legum prævaricatores fuerint, omni prorsùs defenſione deſtituti in judicio deprehendantur, ad excuſationes confugere; & aliàs non omnibus datum ſit induſtriosè illas adinvenire, & fuco alicuius veriſimilitudinis accommodare: Hinc homines inferioris notæ unius ignorantiæ ſcuto ferè ſemper utuntur. Alii verò, utpotè ſagaciores, eiuſmodi ignominiæ titulum fortaſſis erubeſcentes, alterum, ſi tamen alter eſt, qui ſaltem ſpecioſior videatur, ex induſtriâ aſſumunt: Iſque eſt Probabiliſmus, quem Recentiores nonnulli adeò magnifaciunt, ac verborum, rationumque ſuarum circuitu commendant; ut juribus, privilegiiſque ſingularibus vallatum, quibus eius Fori homines pro ſuo libito potiri poſſint, paſſim conentur oſtendere; atque ideò optimam agendorum regulam facilè appellent, ad praxim deducant, ac tutò amplectendum, & indiſcriminatim, aliis proponant. Sed certè tam grandia privilegia undè ei proveniant, aut quis illi conceſſerit, non videò. Meritò igitur tota hæc tertia pars de Probabiliſmo erit, ut quemadmodùm ſupra excuſationes ignorantiæ pro quanto opus fuit depreſſimus; ita & hic Probabiliſmi tam lata, & ampliſſima jura reſtringamus.

C A P U T P R I M U M.

De opinione probabili.

§. I.
Quid ſit opinio Probabilis, & quæ verè talis dicenda ſit?

642 CUm Probabiliſmi nomine nihil aliud veniat, niſi quædam ſpecialis profeſſio Probabilitatis ab aliquibus pro lege ſeu regula agendorum aſſumptæ: ideò ex hoc quod multi profitentur ferè in omnibus agibilibus ſuis juxta probabilitatem opinionum ſe regere, ac regulare, quaſi illa ſit lex, vel regula morum, ſeu norma omnium humanorum actuum, & quam omnes tutò ſequi poſſint, ac debeant: ex hoc, inquam, talem eiuſmodi regulæ ſuſceptionem, ac ſequelam ſeu profeſſionem, Probabiliſmum appellamus, denominatione deſumptâ ab ipsâ probabilitate, quam iſti pro ſua regula profitentur. Cum igitur ita ſit, meritò primò inquirimus: quid ſit opinio verè probabilis, ut poſtea indè poſſit faciliùs conſtare ſi Probabiliſmus talis ſit, qualis à Recentioribus magnificatur; ſeu quod idem eſt, ſi opinio probabilis ſit tuta regula agendorum, ſicut dicunt.

643 Opinio itaque definiri ſolet, quod ſit aſſenſus intellectus in unam partem contradictionis cum formidine partis oppoſitæ. Sic communiter Doctores cum D. Thoma 1. *p.* *q.* 79. *a.* 9. *ad* 4. Ex quo conſtat quid interſit inter dubium, & opinionem: Dubium enim rigorosè ſumptum, quâ præcisè dubium purum eſt, dicit quemdam motum intellectus ſuper utraque parte contradictionis cum æquali formidine unam, vel alteram determinandi, ut ſupra in prima parte explicavimus ex eodem D. Thoma *in* 3. *diſt.* 17. *a.* 4. Non ſic autem opinio, quæ licet non omninò dubitationem excludat, cum eſſentialiter ſecum afferat formidinem alterius partis, imò utriuſque; tamen habet ſufficiens motivum magis ponderandi in unam determinatè, quàm in alteram; atque ideò importat aſſenſum in unam partem, cum formidine tamen, ne fortè ſit vera oppoſita, & non iſta, cui intellectus aſſentitur; huiuſmodi enim eſt diſpoſitio opinantis, ut expreſſit D. Thomas *q.* 14. *de verit.* *a.* 1. & 2. 2. *q.* 1. *a.* 4. *in corp.* Unde non benè aliqui Recentiores adeò contraponunt dubium opinioni, ut velint quod hæc penitùs illud excludat; quandoquidem hoc falſum eſt, ut ſupra vidimus in prima parte.

644 Eſt autem in eiuſmodi definitione opinionis valdè notandum, quod dum dicitur; quod ſit aſſenſus intellectus in unam partem; tacitè ſubintelligitur, quod eiuſmodi aſſenſus ex tali motivo procedere debet, quod faciat obiectum, de quo eſt, ita vero ſimile apparere, ut intellectus cogatur magis ferri in ipſum tàmquàm verum, quam in oppoſitum; quantumvis ex defectu evidentiæ, & certitudinis ſemper cum aliquali formidine oppoſiti: alioquin non erit aſſenſus pertinens ad opinionem; vel veriùs, non erit opinio; quia non erit aſſenſus verè probabilis, ſed temerarius potiùs, qui non

Digitized by Google

tam ex intellectu à ſemetipſo judicante, quàm ex voluntate intellectum applicante procedit; ut paulò inferiùs dicam. Opinio autem non eſt, niſi ſit verè probabilis intellectui opinanti, ſaltem ſecundùm quod ei penſatis omnibus motivis, quæ ipſi occurrunt, apparet. Quare non benè aliqui dieunt opinionem probabilem eam eſſe, quæ aliqua bona ratione fulcitur: Vel quæ munita eſt gravi aliqua ratione, firmâ, & prudente; ſi nomine eiuſmodi rationis intelligant aliquam unam rationem ſolitariè ſumptam in ſeipsâ conſideratam, non obſtante quod aliàs ſint aliæ rationes fortiores, quæ ad alteram partem flectant intellectum: nam in concurſu iſtarum, non habet intellectus ſufficiens motivum judicandi potiùs, ut veram eam partem, in quam ratio illa inducit; quam partem oppoſitam, quò fortiùs rationes iſtæ ipſum trahunt; quantumvis ratio illa in ſeipsâ, & ſolitariè, gravis videatur, bona, firmaque, ac prudens. Si verò per eiuſmodi rationem intelligant motivum adæquatum intellectus, prout ſcilicet comprehendit combinationem eorum omnium, quæ intellectui tunc pro viribus veritatem inquirenti apparent, ſive occurrunt; optimè dicunt.

§. II.

Oſtenditur eumdem intellectum non poſſe ſimul habere opinionem de utraque parte contradictionis.

645 EX data definitione infero eumdem intellectum non poſſe habere ſimul opinionem de utraque parte contradictionis, ita ut v.g. quis ſimul opinetur actum aliquem eſſe, & non eſſe, peccatum. Nam vel rationes unius, & alterius partis, æquè movent intellectum: vel quæ ſunt unius, fortiùs movent; quam quæ ſunt alterius. Si primo modo, intellectus manebit anceps, & dubius, ſuſpendens judicium pro utraque parte. Si verò ſecundo modo, oportet quod magis de una judicet eſſe veram, quàm de alterâ, ſecundùm quod fortiùs movetur ad judicandum de illâ, quam de iſtâ. Non enim intellectus liberè movetur ad judicandum; ſed cogitur ab obiecto, ſecundùm quod ei verum in ſe, vel veroſimilius apparet. Sicut enim quandò evidenter verum agnoſcit, non poteſt in falſum oppoſitum inclinari: ita quando non habet evidentiam veritatis, ſed videt magis habere ſpeciem veri unam partem, quàm alteram; non poteſt in iſtam magis inclinari per aſſenſum ſuum, relictâ illâ veroſimiliore. Et ratio huius eſt, quia intellectus naturâ ſuâ, & neceſſariò fertur in verum, quod eſt propriũ eius obiectũ, & ſuum ſpecificativum: atque ideò in illud naturaliter, & neceſſariò tendit, illudque perpetuò quærit, ut in illo quieſcat; ac propterea inquietus manet, dùm illud non invenit, quaſi exiſtens extra centrum ſuum; & movetur, ac nititur totis viribus ſaltèm illi appropinquari, non minùs quam lapis extra centrum feſtinat naturaliter approximari ad illud; appropinquatur autem intellectus ad verum, magis per veroſimilius, quàm per minus veroſimile, quod minùs habet ſpeciem veri, quàm illud, ergo in illud oportet neceſſariò inclinari per aſſẽſum ſuum, quod ſibi diſcurrenti, ac ratiocinanti videtur habere magis ſpeciem veri juxta efficaciam rationum, quæ fortiùs movent.

646 Quod ſi interdùm videtur aliter judicare; id provenit, quia vel efficaciam rationum fortiùs moventium partis oppoſitæ, quam relinquit, non penetrat: vel quia ex aliquo principio, ſeu motivo extrinſeco, puta ex latente aliquâ paſſione, ſive affectione voluntatis, ſibi ſuadet efficaciam illam, quam videt, eſſe ſibi apparentem, fallacem, & non veram; atque ideò tali ſpecie affectionis, aut paſſionis detentus, non ſinit moveri. Quemadmodùm ſi fidelis forti aliquâ ratione ſibi inſolubili impugnaretur ab hæretico, non ſineret ab illa ratione moveri; ſed in ſide perſiſteret; quia à pia affectione voluntatis erga fidem, detineretur; ex ea enim intellectus formaret ſibi ab extrinſeco hoc principium verum, videlicet quamlibet efficaciam rationum naturalium adverſus fidem eſſe apparentem, fallaeem, & non veram; & propterea non ſineret ab illa moveri. Et ſimiliter qui ex vehementi paſſione odii adverſus inimicum ſupponitur præoccupatus, facilè judicat quidquid ſibi mali, aut calumniæ accidit, ab illo provenire non obſtantibus motivis fortioribus ad oppoſitum judicandum; quia ex prava illâ diſpoſitione voluntatis format ſibi ab extrinſeco hoc principium falſum, ſibi apparens verum ob dictam paſſionem, videlicet motiva illa oppoſita fortiora fallacia eſſe in ſe; atque ideò non ſinit iis moveri. Et idem accidit ei qui erga aliquem eſt malè affectus, atque ideò appetit illi, quod incidat in plura mala, & defectus, ex tali enim prava diſpoſitione facilè, & ex levibus ſignis de illo temerè judicat mala, etiamſi fortiora motiva obſtent in contrarium, ut explicat D. Thomas loquens de judicio temerario 2. 2. *q*.60, *a*.3. cæterùm id perpetuò verum, ac firmiſſimum eſt, quod ubi intellectus de facto aliqua rationum efficacia fortiùs urgetur, non poteſt in eam partem non magis inclinari per aſſenſum ſuum, & aſſentiri oppoſitæ parti, ubi videt rationes debiliores; quia non eſt ei libertas aſſentiendi cui parti voluerit; ſed illi, in quam rationibus magis trahitur ac convincitur, ſi eas ponderet, & non ſit ab earum ponderatione diſtractus, aut impeditus ex aliqua paſſione. Ac per conſequens nũquam poterit debiliorem partem opinari, vel utramque ſimul.

647 Et hoc ipſum dico de opinione probabili probabilitate extrinſecâ, hoc eſt ex teſtimonio, & authoritate Doctorum; non enim quis poteſt habere ſimul de eodem obiecto

duas

duas opiniones oppoſitas, ex hoc quod videt oppoſitos Doctores illas ſuſtinere: nam vel ipſe exiſtimat eos Doctores æqualis ponderis, & authoritatis; & ſic manet anceps, & dubius cui credere: vel alios aliis præfert; & ſic oportet, quod ſentiat cum illis, quos maioris infallibilitatis judicat. Ita enim experimur in omnibus, quæ ad humanam fidem pertinent. Videmus enim quod ſi quæ facta oppoſita nobis referantur; ſemper ea credimus, quæ à veracioribus, & magis notitioſis audimus; nec poſſumus inclinari ad aſſenſum, ſeu fidem oppoſitam. Et ſi relatores æquales fuerint, manemus ſuſpenſi, & dubii; numquam tamen poſſumus utrumque pro vero accipere.

648 Undè malè aliqui dicunt poſſe aliquẽ habere duplicem opinionem oppoſitam ſimul, ac propterea poſſe uti, qua voluerit: eſt namque omninò impoſſibile, quod quis ſimul opinetur idem eſſe, & non eſſe. Sed cauſa deceptionis in iſtis eſt, quia confundunt judicium de opinione, ſeu probabilitate rei, cum ipſâ opinione ſeu probabilitate, vel quod idem eſt, cum ipſo judicio opinativo, ſeu probabili: cum tamen ſint duo judicia valdè inter ſe diverſa. Et ideò cum ſæpè ſæpius ſoleamus dicere, & judicare utramque partem contradictionis eſſe probabilem; vel de utrâque parte eſſe opinionem; credunt eumdem intellectum poſſe ſimul opinari, vel quod idem eſt probabiliter judicare utramque partem contradictionis, quod falſiſſimum eſt; alioquin intellectus ſimul pro vero acciperet idem eſſe, & non eſſe, quod omninò impoſſibile eſt. Sunt itaque duo illa judicia longè inter ſe diverſa utpote de diverſo obiecto; nam judicium opinativum, ſeu opinio, eſt de ipſâ re opinatâ, puta, quod talis actus ſit licitus, vel illicitus. Judicium verò de opinione, ſeu probabilitate rei, non eſt de ipſâ re opinatâ; ſed de opinione, ſeu de ipſa probabilitate rei opinatæ; puta, quod probabile ſit, talem actum eſſe licitum, & probabile ſit eſſe illicitum. Vel quod idem eſt, quod opinio ſit apud Doctores de utroque aſſerto. Unde primum judicium non poteſt eſſe niſi determinatè de una parte contradictionis. Secundum verò poteſt eſſe de utraque probabilitate, ſeu opinione utriuſque partis contradictionis; quia probabilitates ſeu opiniones de utraque parte contradictionis non opponuntur, ſicut opponuntur partes contradictoriæ, de quibus ſunt.

649 Et ratio huius eſt, quia qui judicat utramque partem contradictionis eſſe probabilem, vel de utraque eſſe opinionem, nihil aliud judicat, niſi pro utraque parte eſſe motiva ſufficientia, quibus aliquis intellectus moveatur ad ſuum aſſenſum opinativum unius partis, & alter ad aſſenſum alterius partis, quod poteſt eſſe ſimul verum; quia diverſi intellectus, motiva illa pro modulo ſuo accipientes, dividi poſſunt, & abire in oppoſitas opiniones; unuſquiſque ex ſuis motivis ab obiecto præſtitis, & ſibi apparentibus ſufficientibus; utpotè quæ in ſe fortia ſunt ad movendum. Undè reſpectu ſic judicantis opiniones illæ, ſeu probabilitates oppoſitæ non ſunt in ipſo ſubiectivè, & quaſi in opinante utramque partem contradictionis; ſed obiectivè tantùm, & tamquam in judicante de opinionibus aliorum. At qui judicat opinativè, & probabiliter de re, vel quod idem eſt, qui opinatur de re, judicat ſolùm eam partem, ad quam ex motivis pro modulo ſuo conſideratis, fortiùs trahitur; nec poteſt aliter judicare; quia intellectus non eſt potentia libera in ratiocinando, ſed neceſſitata à ratiocinatione ipſâ; nam licet judicet de motivis oppoſitis, quod fortia ſint, & potentia movere ex ſe aliquem ad aſſenſum; tamen cum judicet ſua eſſe ſibi fortiora, & per ea ſibi videatur magis partem illam appropinquare veritati, in quam naturaliter tendit; non poteſt partem ſuam relinquere, & alteri aſſentiri; neque ſimul utrique; alioquin ſimul accederet, & recederet à veritate, in quam naturali pondere movetur, & unicè tendit. Quod ſi ei videantur motiva utriuſque partis æqualia, & æqualiter ipſum trahant ad aſſenſum, manebit naturaliter immobilis, & ſuſpenſus ab omni motu ſui aſſenſus, atque ideò anceps, & dubius; non minùs quàm lapis æquè undequaque diſtans à centro manet in medio immobilis; ne dùm uno motu ex una parte ad centrum magis accedit, ex altera parte recedat ab illo. Vel non minùs quàm quodlibet mobile undequaque æqualiter tractum evadit immobile.

650 Hæc autem dicta eſſe volumus, & intelligi debere, attentâ naturâ intellectus noſtri ſecundùm ſe præciſè conſiderati, & expeditè procedentis ad exercitium ſuorum actuum. Quod dico, quia ſi voluntas, cuius eſt intellectum ad exercitium ſuorum actuum applicare, velit illum divertere à conſideratione debita rationum, quæ fortiùs movent; & ſolùm velit applicare ad ea motiva præciſè, & ſolitariè, quæ ſibi placuerint. Tunc procul dubio intellectus declinare poteſt in quemlibet aſſenſum quantumcumque debiliorem, & in ſe minùs probabilem, ſecundùm quod in illum fertur à ratione illâ ſolitariâ, cui applicatur; quia tunc impeditur à voluntate à debito modo procedendi; quemadmodum ſupra diximus in caſu quo quis eſt aliquâ paſſione præoccupatus, & ideò non poteſt à fortioribus motivis moveri, & trahi in aliã partẽ, quò aliàs neceſſariò traheretur.

651 Ad quorum omnium maiorem intelligentiam ſciendum eſt, quod probabile dupliciter dici poteſt. Uno modo ſecundùm ſe: alio modo quoad nos. Quemadmodum proportionaliter diximus ex D. Thoma *ſupra num.* 403. de per ſe noto, quod accipi poteſt dupliciter: uno modo ſecundùm ſe: & alio modo quoad nos. Sicut enim ibi, propoſitio per ſe nota ſecundùm ſe dicitur, cuius prædicatum eſt de intrinſecâ ratione ſubiecti; cuiuſmodi v. g. eſt hæc:

homo

homo eſt animal rationale. (& meritò quidem, quia propoſitio, in qua prædicatum eſt de intrinſecâ ratione ſubiecti, hoc ipſo habet rationem per ſe cognoſcendi ipſam in ſeipſa; ratio enim per ſe eſſendi alicuius, eſt quoque ratio per ſe cognoſcendi illud ſecundum ſe, ut de ſe patet.) Et nihilominùs ignoranti definitionem, ſeu rationem intrinſecam hominis, non eſt talis propoſitio per ſe nota quoad ipſum, donec quidditatem hominis ex parte ſubiecti penetret. Ita proportionaliter hìc dicendum eſt de probabili ſecundùm ſe; & quoad nos; pro quanto proportio ſervari poteſt in ratione eſſendi, & cognoſcendi: non enim poteſt hìc omnimoda proportio ſervari ob magnum diſcrimen, quod eſt inter per ſe notum, & probabile; ut nunc ſuppono *ex lib. poſt. in logicis*. Nam per ſe notum dicitur, quod ex propriis, intrinſecis, immediatis, & per ſe principiis cognoſcitur, quæ in ipſo ſubiecto eiuſdem propoſitionis intrinſecè involvuntur: Probabile verò dicitur, quod cognoſcitur ex principiis extraneis, communibus, & veluti adiacentibus, & quaſi deforis appropriatis ſubiecto, ſic tamen cohærentibus, ut ſufficiant ad circumveniendam veritatem, eamque quaſi extrinſecùs capiendam, non tamen penetrandam. Hoc igitur diſcrimine ſuppoſito, proportio ſervatur in hoc; quod ſicut propoſitio per ſe nota ſecundùm ſe eſt illa, quæ intrinſecè, & in ſe habet propriam, & intrinſecam, atque per ſe, & immediatam rationem cognoſcendi, quæ eſt ipſiſſima ratio eſſendi, ſeu conſtituendi rem: Ita propoſitio probabilis ſecundùm ſe eſt illa, quæ habet in ſe rationem cognoſcendi ſibi proportionatam; hoc eſt, quæ habet in ſe tale prædicatum, quale ex parte ſubiecti indicant omnia, & ſingula principia extranea, & communia ipſi ſubiecto adiacentia, illudque undique, & cohærenter circumvenientia, adeò ut appareat indè potiùs tale prædicatum, quàm aliud illi veraciter convenire. Et nihilominùs ignoranti huiuſmodi extraneorum, & communium principiorum combinationem, & cohærentiam, non eſt probabilis quoad ipſum; donec ad illam perveniat.

652 Ex quibus fit, quod non omnes opiniones, quæ circumferuntur, ſunt verè, & propriè ſecundùm ſe probabiles; quantumvis tales à ſuis authoribus appellentur; quod eſt hìc valdè notandum. Et inſuper multæ opiniones verè ſecundùm ſe probabiles, non ſunt quoad nos probabiles; quia in huiuſmodi cohærentiâ attingenda, & combinatione principiorum deficimus; undecumque talis deficientia proveniat, ſive quia multoties non diſputato articulo, vel vix ſuperficialiter diſcuſſo, res reſolvuntur; ut multi ex recentioribus ſolent in ſuis ſententiis, vel potiùs placitis ſtabiliendis procedere, contenti unà, vel alterâ ratiunculâ, aut inani formalitate; ſive ex voluntariâ aliquâ paſſione, quâ multoties adiguntur ad chymericè aliquid opinandum.

§. III.

Ex dictis ſpecialiùs animadvertitur multas exiſtimatas opiniones Doctorum non eſſe verè probabiles, nec inter opiniones verè computandas.

653 EX dictis ergo conſtat, quod multæ opiniones Doctorum non tàm opiniones dicendæ ſunt, quàm pura, & nuda ipſorum placita, utpotè quæ non tàm diſputato articulo ſanciuntur, quàm voluntate ita præmovente, unâ vel alterâ tantùm formalitate inſpectâ, pronunciantur. Quantumvis a ſuis Authoribus opiniones probabiles appellentur, eo quod ſint (ut dicunt) aliqua gravi ratione, firma, ac prudente munitæ. Sed ut dixi, una talis ratio in ſeipſa ſolitariè ſumpta ad opinionem verè in ſe probabilem ſtabiliendam non ſufficit. Stat enim quod ratio aliqua in ſeipſa, & ſolitariè inſpecta interdùm gravis, firma, ac prudens videatur ad inclinandum intellectum ex parte ſuâ in aliquam aſſenſum; & tamen levis ſit, infirma, atque imprudens reſpectivè ad alias fortiores, ac firmiores, magiſque graves, ac prudentes, quas obiectum ipſum manifeſtè ſubminiſtraret, niſi per voluntatem ab earum conſideratione diſtraheretur, ac per conſequens ſe oſtenderet ut aliter in ſe opinabile ab eo, quod per accidens, & ex defectu debitæ conſiderationis eiuſdem, eſt opinatum. Undè quotquot ſunt huius generis opiniones non ſunt verè probabiles, neque cum opinionibus computandæ, quia opinio verè non eſt, quæ non eſt verè probabilis; opinio enim, & opinio probabilis ſynonyma ſunt. Et ea in ſe probabilis dicitur, quæ in ſe, hoc eſt ex parte obiecti benè diſputati, rationes habet magis flectentes intellectum in ipſam, quam in partem oppoſitam. Quemadmodum opinio probabilis quoad nos, ea dicenda eſt, in quam intellectus opinantis benè pro modulo ſuo diſputato articulo, hoc eſt penſatis omnibus rationibus, quas pro ſuo poſſe ratiocinari poteſt, magis inclinatur, atque in aſſenſum eius trahitur. Alioquin neque in ſe, neque quoad nos verè probabilis, aut opinio dicenda eſt.

654 Neque dicas: gravis ratio, firma, ac prudens in ſeipſa non deſinit eſſe talis, per hoc quod aliæ ſint pro parte oppoſita graviores, magiſque firmæ, ac prudentiales, ergo his etiam ſe offerentibus pro parte oppoſitâ, manebit adhùc pars altera in ſe probabilis ex vi illius rationis ſolitariæ in ſe gravis, firmæ, ac prudentialis, quâ intellectus utitur, & cui unicè adhæret. Ac per conſequens erit de ea opinio verè probabilis. Non, inquam, dicas: nam quantumvis ratio illa non deſinat talis eſſe in ſe, qualis erat; tamen aliis rationibus gravioribus, magiſque firmis ſe offerentibus, impeditur ab effectu ſuo inclinandi ſcilicet, ſeu trahendi intellectum in aſſenſum pro ſua parte, cum ab iſtis cogatur fle-

cti

ctì in oppoſitam; non minùs quàm etiam exiſtente in una lance aliquo pondere, impediri videmus ab alio graviore in alia appoſito, ne illa deprimatur; ſed potiùs hæc deprimitur, in quâ eſt pondus gravius; quantumvis pondus illud tale ſit in ſe quoad gravitatem, quale prius erat ſolitariè, & ſufficiens lancem deprimere ex naturâ ſuâ, ſi ſolum perſiſteret. Cæterùm graviore in altera lance poſito, vel etiam æquali pondere; illa non ampliùs deprimetur, ſed elevabitur ab hac alterâ maiori pondere depreſsâ; vel utraque, paritate ponderis impedita, manebit immobilis, & ſuſpenſa. Id quod etiam intellectui oportet contingere in caſu æqualium rationum; quia tunc ſe invicem impedirent ab affectu ſuo, & de neutrâ parte tunc erit opinio, ſed dubium de utrâque: quantumvis utriuſque partis rationes in ſeipſis ſuam ſemper retineant gravitatem, ſive ſimul concurrant, ſive non. Numquam igitur aſſertum aliquod verè inter opiniones còputari debet, aut verè in ſe probabile exiſtimari, niſi benè utrinque librentur rationes, quæ ab obiecto benè conſiderato in ſeipſo emergere poſſunt. Neque quoad nos, niſi eas ſaltem quæ intellectui pro ſuo poſſe inquirenti incidenter occurrunt, benè ponderemus, & expendamus. Alioquin ſi alicui tantùm formalitati innixi, ſive rationi etiam gravi, ab aliis etiam fortioribus ſponte divertimus, potiùs voluntatis noſtræ placitum erit, quam opinio in ſe, vel nobis verè probabilis. Id quod etiã militat de probabilitate extrinſeca, ut dixi.

655 Sed circa hanc extrinſecam probabilitatem, quæ ſcilicet immediatè Doctorum authoritatibus innititur, licet originaliter, & præſuppoſitivè ex eiſdem etiam motivis ſeu rationibus obiecti procedat, quatenùs ſcilicet ſupponimus Doctores ex profeſſo, & benè diſputato articulo, eam partem meritò ſanxiſſe; quam propterea bona fide eligimus, quaſi nobis ab illis ſufficienter opinatam. Circa hanc (inquam) cautè etiam procedendum eſt, ne facilè probabilia quæcumque Doctorum dicta credantur, & cum opinionibus probabilibus computentur: nam nec paucis, nec quibuſcumque etiam in magno numero Doctoribus fidere debemus; multoties enim evenit in aliqua aſſertione plurimos convenire, & multiplicari ſupra numerum aſſertores, ſed non proindè magnificari doctrinam; quia multi alicuius primi novatoris inventum, quod placet, ſpontaneè ſequuntur tamquam oves, & aves, nullatenùs prout expedit diſputato articulo, & radicitùs à ſingulis examinato; ſed turmatim potiùs placitâ novitate illecti, quibuſdam alicuius primi apparentium ratiuncularum formalitatibus contenti, in judicium incidunt propriæ voluptatis; atque indè facile, ſed perperàm, Authorum titulum ſibi uſurpantes, in Doctores, ac Magiſtros plures breviſſimè coacervãtur; cum tamen ipſi non ſint niſi dementiti Diſcipuli à primo illo Novatore corrupti.

656 Verè probabilia igitur hac probabilitate extrinſecâ, ut docet Ariſtoteles 1. *Top. cap. 1. Sunt quæ videntur omnibus, aut pluribus. Vel ſapientibus omnibus, aut pluribus. vel præcipuis, & maximè notis.* Ergo numquam quæ videntur paucis, aut à paucis quibuſdam dicuntur, verè probabilia exiſtimanda ſunt, niſi fortè ſint præcipui, & maximè noti, cuiuſmodi ſolùm cenſeo ſcholarum Principes, puta Ariſtotelem, & ſimiles in Philoſophia, Auguſtinum, Hieronymum, D. Thomam, alioſque SS. Patres, & ſimiles in Theologia. Cæterum ex aliorum authoritate præcisâ, probabilia non dicuntur, niſi talia ſint, quæ omnibus, aut pluribus vera eſſe videntur: vel ſapientibus omnibus, aut pluribus ita apparent judicanda. Ut loquitur Ariſtoteles *loc. cit.* & D. Thomas *opuſc.* 39. in quibus verbis notanda ſunt diligenter propria ipſorum ſignificata, ut ſecundùm proprietatem verborum appareat vera præfati Textus Intelligentia. Ly enim, *omnibus aut pluribus videntur*, propriè ſignificat, quod omnes, vel ſaltèm maior pars omnium hominum ex proprio ſenſu loquentium, ſive ex propria notitia, & quaſi ex certâ ſcientia; & non ex aſſertione alicuius unius, quem ſequuntur ſine propria diſcuſſione, ſic, vel ſic, de illis affirmant. Hoc namque ſonat ly *videntur*, & ly *pluribus, aut omnibus*; nempè quod ſint videntes, non credentes, & quod in ratione videntium pluriſicetur numerus maioris partis, vel omnium. Et eodem modo intelligendum eſt ly, *vel ſapientibus omnibus, aut pluribus*: ſi materia non erit communis, ſed propria ſapientum. Ad hoc enim exiſtimo eiuſmodi diſtinctionem fuiſſe factam, nempè pro varietate materiæ communis, & peuetrabilis ab omnibus; & propriæ a ſolis ſapientibus diſcutiendæ. In utraque tamen exigit Philoſophus, & D. Thomas, quod omnes, vel maior pars ſaltèm, ex proprio ſenſu loquantur ut Authores, vel quaſi Authores, veritatem perquirentes, eamque ex notitia propria talem exiſtimantes: alioquin materialiter tantùm creſceret eorum numerus, & non formaliter, & mille huius generis vix pro uno eſſent computandi. Quæ omnia ſatis ſit hìc breviter adnotaſſe: nam ex profeſſo examinare non placet, cum re verà ad aliam facultatem ſpectent; nec multùm referunt ad inſtitutum noſtrum.

657 His verò prænotatis, celebris (ut cum Recentioribus loquar) at veriùs, moleſta nimis (dico ego) hac noſtra tempeſtate eſt controverſia illa: an ſcilicet licitum ſit operari ſecũdùm opinionem probabilem? vel quod idem eſt, an ſemper licitum ſit ſequi dictamen conſcientiæ formatum ſecundùm probabilitates opinionum; etiamſi contingat aliquando eas ſecundum ſe legibus adverſari? moleſta nimis, inquam, hac noſtra tempeſtate eſt, quia pro utraque parte vexat ingenia ſive ad ædificandum, ſive ad deſtruendum Regnum Dei, ſacrarum ſci-

ſcilicet legum obſervantiam, qua Deus unicè regnat in conſcientiis, & animabus noſtris. Hinc nonnulli nimis probabilitati faventes, ut ei licentiandi quæcumque opera facultatem concilient, totam ferè dialecticam vertunt. Id quod eâ induſtriâ, ni fallor, potiſſimè faciunt: primò, ut videantur paſſim demonſtrare; dùm ſyllogiſmos conſtruunt, ſæpè modos deſignando, & figuras eorum; quaſi ſola forma ſyllogiſtica ad demonſtrandum ſufficiat; cum tamen ſub illa ferè ſemper aſſumant propoſitiones æternæ falſitatis, ut ſuis locis videbimus. Secundò ut fatigent aliorum ingenia in detegendis ipſorum defectibus, quos in logicam committunt; ac proindè laborioſiùs poſſint ab aliis impugnari, dum pro ſtrictiſſimo eiuſmodi defectuum ſcrutinio peragendo coguntur plus juſto, ac diutiùs laborare, atque interim libros eiuſmodi farraginibus inutiliter implere. Tertiò ut a ſemidoctis, dùm minutiſſimas quaſdam artis ſyllogiſticæ regulas ſervatas ſuperficialiter admirantur, faciliùs peritiores haberi, atque ut tales feliciùs amplecti queant in ſententiis ſuis. Faxit Deus, ut falsò hæc judicem, quæ præter morem, quaſi excedendo, ſcribo; quia ſimplices præmonitos opto, ne vagâ ſpecie ſyllogiſticæ artis tandem decipiantur. Ad hanc itaque deceptionem pericoloſiſſimam avertendam cogimur ex profeſſo moleſtiſſimæ huic quæſtioni operam dare, & reliquum noſtræ huius lucubrationis ſtudium ſuper eâ impendere, ut in doctrina ſana quid veri, quidve falſi plerique dixerint, manifeſtiùs appareat. Unde ſit

CAPUT SECUNDUM.

De prætenſo licito uſu opinionum probabilium.

§. I.

Aperitur quid Moderni Probabiliſtæ prætendant de uſu opinionum probabilium in materia morum.

658 IN quacumque materiâ probabilitatibus uti Doctores, nemo non videt. Et in in materia morum vel ipſos Sanctos Patres quandoque variè opinari experientia docet; id quod fortè aliquibus petra ſcandali fuit; ex facto eorum, quaſi irrefragabiliter arguentibus, licitum eſſe in materia morum probabilitates opinionum ſequi; tutumque iis uti ad conſcientiam ſibi formandam, & benè, ac prudenter agendum. At certè quàm malè hoc indè deducant, infrà demonſtrabitur. Pro nunc verò ſatis eſt inconſequentiæ ſuæ eos redarguere, & cauſam deceptionis eorum reddere; quatenùs ſcilicet inter opinari, & agere nihil diſtare crediderunt; cum tamen ea ſint toto cœlo diverſa: Nec una, eademque eſſe poteſt recta ratio utriuſque. Qui enim opinatur, veritatem quærit ex obiecto, & illi ſatagit ſuo judicio conformari, prout ex principiis eiuſdem magis apparet eſſe in ſeipſo; ac proindè cogitur eò ire per aſſenſum ſuum, quò ex principiis fortiùs trahitur. Agens verò non ſic; ſed attendit fini, propter quem unumquodque agens agit, & inde regitur ad agendum; ita ut multoties debeat poſtponere quod veriùs judicat, ſi minùs conducat ad finem; & aliud eligere, quod certiùs ad finem ſuum conducit, quantumvis fortè minùs verum in ſe appareat; ſi velit prudenter agere. Non benè igitur deducitur ex hoc, quod quis aliquid opinatur in ſe verum eſſe; ſtatim illud, etiam eidem opinanti, reddi tutum ad agendum. Fitque hoc totum ſub exemplo pluries repetito manifeſtum. Quis enim neget, quod ſi alicui videnti in ſylvis animal moveri, & ex ſignis fortioribus appareat ad ſenſum veriùs illud eſſe feram, quam hominem, prudenter judicabit potiùs eſſe feram in ſe, quam hominem? imò nec poterit oppoſitum opinari, quia eò cogitur intellectus eius ire ab obiecto ipſo, prout ei ad ſenſum obiicitur per ea ſigna validiora. Et nihilominùs, cum non ſit ſibi omninò certum, quantumvis probabilius, non prudenter opinionem illam eligeret ad agendum, jaciendo ſagittam; ſed teneretur ſe habere, ac ſi veriùs eſſet homo, quod tamen à ſignis opinari non poteſt. Sed undè hoc, niſi quia alia eſt recta ratio opinandi, & alia agendi?

659 Ex his igitur colligo uſum opinionum poſſe dupliciter accipi. Uno modo prout ſiſtit intra proprium genus, cognitionis videlicet purè opinativæ; quatenùs quis volens inquirere de veritate obiecti ſecundùm ſe, de quâ non poteſt habere certam ſcientiam, utitur probabilitate, ſpeculando nimirùm obiectum pro quanto poteſt ex principiis probabilibus, quæ ſibi ex eodem obiecto offeruntur; & ſic neceſſitatur ad aſſenſum illius partis, quæ ex vi eorumdem principiorum videtur ſibi magis vera; nec poteſt, niſi in hoc ſenſu abundare; quia intellectus non eſt potentia libera, ſed neceſſaria, quæ eò neceſſariò fertur, quò fortiùs a principiis trahitur, ut dictum eſt. Et hoc modo acceptus uſus, ſeu ſequela opinionis probabilis, idem eſt, ac ipſam opinari. Et ſic opinari hoc, vel illud, cum non ſit in noſtra poteſtate; ſed neceſſarium, & ſecundùm quod intellectus naturaliter cogitur ab obiecto ſub lumine principiorum magis ad hoc, quàm ad illud; non poteſt dici licitum, vel illicitum, quæ ſunt prædicata ſolùm actus liberi, & non actus naturalis, & neceſſarii. Alio modo uſus, ſeu ſequela opinionum accipitur prout tranſit ad aliud genus, nempè ad genus operationis liberæ, & moralis; quatenùs ſcilicet quis utitur opinionibus probabilibus ad agendum actiones ſuas liberas in genere moris, per hoc quod conformiter ad dictas opiniones operatur, exiſtimans ſic ſe benè regere in actibus ſuis, & licitè operari. Et de hoc uſu hic quærimus, qui cadit ſub libertate no-

Digitized by Google

noſtrà. Qui quidem uſus non reperitur apud Sanctos Patres; imò expreſsè reprobatur, ſicut reprobatur etiam a ſacris Canonibus, ut infra demonſtrabitur.

660 De hoc autem uſu ſecundo modo accepto Recentiores ferè communiter prætendunt omninò licitum eſſe, & in conſcientiæ foro tutum. Verum tamen eſt, quod non omnes unum, eumdemque dicendi modum habent; ſed varium. At in ipsa ſui varietate perpetuò conveniunt in hoc uno, quod ſcilicet probabilitas, ſeu opinio probabilis ſit optima regula agendorum; ac propterea licitum ſit unicuique agere ſecundùm dictamen conſcientiæ, quod ſibi format ex vi opinionis probabilis. Variant tamen, quia nonnulli hoc amplè, & generatim docent, & ſine ulla prorsùs exceptione. Alii verò id affirmant circumſcriptis quibuſdam limitibus, plùs, minusve pro variis reflexionibus ſuis.

661 Quare aliqui univerſaliſſimè dixerunt licitum eſſe ſecundùm opinionem probabilem operari, etiam probabiliore relicta ſub his verbis, videlicet: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſecà, ſive extrinſecà, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*. Sed hæc propoſitio, ut jacet in propriis terminis expuncta fuit ab Innocentio XI. Erat autem antea aliquorum, quos hìc non citamus, ne videamur latam cenſuram Summi Pontificis in eorum faciem retorquere. Id verò ſuper hoc Pontificio Decreto maximè dolendum, & deplorandum eſt, quod multi vanis ſuis interpretationibus conantur illud eludere, ut in priori adhuc ſententia tenaciter perſiſtant; ſicut infra ſuo loco demonſtrabimus.

662 Alii verò non tàm amplè loquuntur, ſed generalem illam aſſertionem de licito uſu opinionis probabilis, relictà probabiliore, & tutiore, admittunt cum quibuſdam tamen cautionibus modificatam; puta, dummodò opinio minùs probabilis non ſit contra communem Theologorum ſenſum; nec Sanctorum Patrum traditioni oppoſita; aut Pontificum, vel Conciliorum Decretis, ſeu Catholicis Dogmatibus in Scriptura Sacra revelatis; & inſuper quod ipſa ſit gravi rationi innixa; nec contra eam ratio aliqua evidens urgeat. Sed conditiones iſtas exiſtimo ferè omnes exigi etiam ab Authoribus primæ ſententiæ, dum in aſſertione ſua apponunt particulam illam: *Modò à probabilitatis finibus non exeatur*. Quia opinio, quæ eſt contra communem ſenſum Theologorum, vel Sanctorum Patrum traditioni oppoſita, aut Pontificum, vel Conciliorum Decretis, vel Sacræ Scripturæ Dogmatibus; aut non alicui gravi rationi innixa; vel denique contra rationem aliquam evidentem, procul dubio adeò tenuis erit, quod a probabilitatis finibus exibit, & cum manifeſtis erroribus digniſſimè computabitur. Undè cautiones iſtæ videntur potiùs ad illudendum appoſitæ, quàm ad licentioſam illam libertatem aliqualiter modificandam. Id quod evidentiùs ex ipſiſmet oſtenditur, dum a propriis ſuis cautionibus poſtea recedunt; quatenùs multi ex ipſis poſt hæc inveniuntur, qui doceant poſſe quemlibet liberè, & licitè uti opinione ſingularis alicuius moderni Doctoris contra communem aliorum ſententiam: vel ſi doctus ſuerit, & rationem aliquam ſibi firmam pro ſe habuerit, ſententiam propriam cæteris omnibus anteferre; & ſimilia. Quod certè primæ cautioni manifeſtè opponitur.

663 Alii verò alias limitationes excogitarunt, eaſque reſpectivè ſervandas in quibuſdam materiis, ubi ſcilicet contingit aliquid agere in ordine ad alterum, qui ex opinione minùs probabili lædi poſſet in bonis ſuis, ſive temporalibus, ſive ſpiritualibus; ut v. g. in materia juſtitiæ, in materia Sacramentaria, & in quibuſdam officiis publicis, & ſimilibus. Atque ideò in materia juſtitiæ dixerunt non licere Judici ſententiam ferre ſecundùm opinionem minùs probabilem relictà tutiore & probabiliori: neque Advocato cauſam patrocinari: neque Parocho Sacramentum Baptiſmi miniſtrare in forma, vel materia minùs probabili, præcipuè extra caſum neceſſitatis: neque denique Medico, & ſimilibus publicis officialibus pharmacum adhibere infirmo, quod minùs probabile eſt conferre ſalutem; & ſimilia agere, quæ in damnum tertii vergere poſſunt. Et rationem ſimilium exceptionum reddunt, quia in huiuſmodi caſibus ſemper ageretur contra juſtitiam, & fidelitatem aliis debitam ex vi cuiuſdam pacti, ſeù conventionis, quæ ſupponitur tacitè, vel expreſsè inita inter huiuſmodi officiales, & Rempublicam, vel ipſasmet perſonas particulares de operando pro ipſis ſecundùm opiniones probabiliores, & tutiores, ſibique favorabiles; alioquin non fideliter agerentur ipſorum negotia, ad quæ illi huiuſmodi officialibus utuntur; & ad quæ eos Reſpublica inſtituit in gratiam populorum; nemo enim, ſive ſit Reſpublica dictos officiales inſtituens, ſive populus ad huiuſmodi inſtitutos recurrens, contentus eſt, quod illi via minùs tutà, minùſque probabili cum damno populorum ſive temporali, ſive ſpirituali procedant in ſuis officiis exercendis.

664 Verùm licèt limitationes iſtæ rectæ ſint, & rationabiles, ac propterea meritò commendandæ; tamen ſi ſolæ, & ſolitariè taxentur, ſicut de facto a ſuis Authoribus ponuntur, ſe ipſas deſtruunt; & doctrinam ipſam, qua taxari videntur, eiſdem ferè rationibus à fundamẽtis evertunt. Attendant ergo Authores iſti, & mecum recogitent limitationes ſuas, & quas pro eis rationes aſſignant. Dicunt in huiuſmodi materiis, quæ ſunt ad alterum, alios lædi in bonis ſuis, ſive ſpiritualibus, ſive temporalibus; ac propterea agi contra legem juſtitiæ, contra legem fidelitatis, contra conventiones, & pacta, expreſsè, vel tacitè inita, & ſimilia

optimè

optimè quidem dicunt. Sed dicant mihi; numquid in aliis quibuſcumque materiis, quæ non ſunt ad alterum, ſed ad ipſos operantes præcisè, nemo læditur in bonis ſuis, ſive ſpiritualibus, ſive temporalibus? numquid contra nullam legem agitur? an fortè omnes leges ad alterum ſunt; & nulla prorſùs alia, quâ ad ſeipſum ſit agens quandoque detentus? profectò ſi opinio probabilis minùs tuta, minuſque probabilis, ſtans pro commodo, & libertate, in ſe falſa reperiatur, procul dubio contra aliquam legem re verâ exiſtentem erit, & actum illum, alias probabiliter exiſtimatum licitum, verè prohibentem: ac per conſequens contra huiuſmodi legem operabitur agens, agendo juxta talem opinionem probabilem. Cur igitur non dicetur agens etiam in hoc contra legem agere, quæ eſt ad ſeipſum; ſicut dicitur in recenſitis materiis agere contra legem ad alterum? & ſi ita eſt, cur non dicetur detrimentum pati in bonis ſpiritualibus ſuis per actum contra legem veram ab ipſo factum juxta ſuam opinionem probabilem falsam? jam enim verè contra legem agit; jam fit prævaricator legis, undè vita ſpiritualis propria pendet, non minùs, quàm vita ſpiritualis aliorum ex miniſtratis Sacramentis. Numquid vita ſpiritualis aliorum pluris eſt, quam propria ab ipſo exiſtimanda? aut ſalus propria ſpiritualis minoris pretii eſt, quã temporalis aliena?

665 Scio in promptu Præfatos Authores reſponſuros nequaquam lædi operantem juxta opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, etiam in ſe falſam, & contra legem, in ſalute propria ſpirituali; quia à formali prævaricatione legis virtute ſuæ opinionis probabilis excuſabitur. At in adminiſtratione Sacramentorum ſecundùm opinionem minùs tutam, minuſque probabilem, ſi præcipuè in ſe ſit falſa, vita ſpiritualis aliena, ideſt Sacramenta ſuſcipientium, peribit; ſicut & vita temporalis infirmi ex Medico pharmacum minùs tutum, minùſque probabile propinante. Sed hæc reſponſio non infringit argumentum noſtrum; imò petit principium: hoc enim eſt, quod argumentum quærit, nempè: cur opinio probabilis in his, quæ ſunt ad ipſum operantem, etiam ſi in ſe ſit falſa, & contra legem, excuſat à prævaricatione formali, & non lædit ſalutem ſpiritualem ipſius; & in his, quæ ſunt ad alterum, eumdem operantem non excuſat, ſed lædit ipſum in ſalute eius ſpirituali? jam utrobique ex parte ſui eodem prorſùs modo formaliter agit, confiſus ſcilicet in probabilitate ſuâ.

666 Recurrere autem ad damnum alienum ſive ſpirituale, ſive temporale, quod indè ſequitur, totaliter impertinens eſt. Nam huiuſmodi damnum alienum, vel accipitur phiſicè, quatenùs ſcilicet re vera Puer v. g. ſecundùm aliquam opinionem probabilem, in ſe falſam, baptizatus perit, & ſalvari non poteſt; & ſimiliter infirmus ex medicamento probabili falſo moritur: vel accipitur moraliter, ut ſcilicet imputabile ad culpam agenti ex opinione probabili. Si primò modo dicatur, jam conſtat eſſe impertinens ad rem noſtram; quia ſic agens diceretur ſolùm phiſicè, & materialiter damnificare, ſicut qui omninò caſualiter occideret hominem etiam exiſtentem in peccato mortali, qui procul dubio periret tàm corporaliter, quam ſpiritualiter; & tamen non proinde ſic phiſicè occidens diceretur peccaſſe; quia culpa damni illati non ſumitur ex damno materialiter illato; ſed ex damno illato formaliter, ſeù ut moraliter imputabili. Si autem dicatur ſecundo modo; ſic oportet, quod conſideretur prout eſt in genere moris, ideſt quatenùs eſt contra legem, quodcumque enim malum phiſicum, niſi ſit contra legem aliquam, non poteſt eſſe malum morale, nec poteſt ad culpam imputari etiã voluntariè agenti illud, quia ubi non eſt lex, nulla eſt prævaricatio: undè peccatum ex Auguſtino dicitur dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam. Ergo ideò qui agit juxta opinionem minùs tutam, minùſque probabilem in his, quæ ſunt ad alterum, non excuſatur à peccato, quia formaliter malum, quod agit, contra legem agit; adeò ut, ſi per impoſſibile idem malum phiſicum contra nullam legem eſſet, agens illud etiam formaliter, nullo modo peccaret. Hoc autem ſuppoſito, jam redit argumentum; nam ſi ideò hic peccat, quia contram legem agit; cur non etiam peccabit, qui aliquid contra legem agit in aliis materiis, quæ non ſunt ad alterum, ſed ad ipſum operantem? cur opinio probabilis etiam in ſe falſa hunc excuſabit, & non illum? uterque enim ex vi opinionis probabilis in ſe falsæ contra legem agit. Ergo limitationes iſtæ, ſi ſolæ, ut dixi, & ſolitariè taxentur pro una ſcilicet, vel altera materia, & non pro omnibus generatim valituræ, ſe ipsas deſtruunt; & doctrinam ipſam ita taxantem eiſdem ferè rationibus a fundamẽtis evertunt; nam eadem ratio militat pro omnibus quibuſcumque materiis, ſive ſint ad alterum, ſive ad ipſum operantem; cum in omnibus aliquid ſemper agatur contra aliquam legem. Ergo vel opinio probabilis, etiam falſa, & contra legem, ſemper excuſabit, & ſic malè taxatur pro iis, quæ ſunt ad alterum: vel numquam, & ſic doctrina iſtorum evaneſcit, & eâdem omninò ratione à fundamentis evertitur.

667 Alii denique diſtinguunt de opinione practicè probabili, & probabili purè ſpeculativè. Et de primâ dicunt abſolutè, & generaliter abſque ulla prorſùs limitatione licitum eſſe câ uti, & ſecundùm illam operari. De ſecundâ verò omninò negant. Quæ verò opinio ſit dicenda practicè probabilis, quæve purè ſpeculativè, explicabitur infra ex ipſorum doctrinâ; non enim omnes uno, eodemque modo illam explicant. Hanc diſtinctionem noviſſimè amplectitur P. Joannes de Cardenas Societatis Jeſu in ſua Chriſi Theologicâ, cum multis aliis; ut infra vide-

videbimus. Id verò non eſt hîc ſilentio prætereundum, quod nonnulli, qui hac diſtinctione utuntur, videntur manifeſtè petere principium; dum nomine opinionis practicè probabilis intelligunt eam, quæ in ſe digna eſt, ut quis illâ licitè uti poſſit, & ſecundùm illam licitè operari. At hoc eſt manifeſtè ſupponere, quod probare tenentur, nempè dari re verâ huiuſmodi opinionem probabilem, etiam in ſe falſam, & contra legem, quæ digna ſit, ut quis juxta illam agendo, licitè, & benè agat; hoc enim eſt, quod nunc controvertitur; & nos negabimus.

668 Præter relatos dicendi modos, eſt quoque & alios apud Doctores modernos reperire; cuiuſmodi eſt modus ille dicendi aliquorum, qui diſtinguunt de opinione certò probabili; & probabiliter probabili, ſeu incertè probabili; & de primâ admittunt licitum uſum; negant verò de ſecundâ. Sed iſti meo videri controverſiam fugiunt; nam id, quod inter Doctores controvertitur hîc, eſt: num licitum ſit juxta probabilitatem opinionum operari? quod quidem quæſitum ſupponit utique opinionum veram probabilitatem. Sed quidquid ſit de hoc, jam iſti conveniunt in admittendo licito uſu opinionum probabilium. Alii tandem pro ſuo quiſque placito variè loquentes, ſive limitando, ſive amplificando facultatem hanc liciti uſus opinionis probabilis, paſſim occurrere poſſunt, & videri ab evolventibus libros de hac re ſcribentium; non enim fas eſt plus temporis in iis referendis terere, & immorari; cum nimis accidentalis ſit ipſorum varietas. Per ſe autem, & eſſentialiter, quotquot ſcholæ probabiliſticæ ſunt, in eo conveniunt, quod omnes plùs, minùſve vim magnam probabilitati tribuunt, & ſingularia quædam jura adverſus leges; ita ut ad eius forum declinantes facilè ab omni culpâ declarentur immunes. Eamque pro optimâ agendorum regulâ aſſignant; ita ut regulatè, & benè, ac prudenter agere dicantur, qui ad illius amuſſim actus ſuos componunt, quantumvis ſecundùm eam agendo, contingat in ſe à legibus multoties declinare. Hæc eſt una & communis prætenſio Probabiliſtarum omnium.

669 Quod autem ſub hac regulâ, & communi ipſorum prætenſione, reſtrictiones aliquas, ſive exceptiones ponant, ſecundùm quod unam, vel alteram inſpectionem, ſive damni ſpiritualis, ſive temporalis fortè indè emergentis ex parte materiæ, circa quam verſatur opinio; aut alterius generis formalitatis ex parte ipſius opinionis, habendam variè arbitrantur; materialis quædam diſcrepatio eſt, & veluti ſuperficialis apparentiæ; ut non videantur in quibuſdam præſertim agibilibus, quæ ſui malitiam ſenſibiliùs præſeferunt, plus nimio conſcientias relaxare. Cæterùm in ſubſtantiali puncto, Probabiliſmi videlicet extollendi, ac magnificandi. (quod formale eſt) omnes conveniunt. Et exceptiones illæ pro varia uniuſcuiuſque inſpectione excogitatæ inconſtantiam potiùs, & fallibitatem regulæ oſtendunt; quàm illam firment, ut ex dicendis infra patebit.

670 Alii verò ex adverſo gravia hinc conſcientiæ pericula prævidentes exiſtimarunt ſe opportunum iis remedium paraturos, ſi multum ab huiuſmodi doctrinâ, & latâ agendorum regulâ, ut ſibi videbatur, conſilio utique prudentiore recederent; & animarum ſaluti conſultiùs providerent. Ac propterea præfatis Authoribus ſe validè opponentes, conati ſunt pro virili oſtendere, nequaquam licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore: licere tamen ſequi minùs tutam, ſi fuerit alterâ tutiore probabilior; etiam ſi contingat illam in ſe eſſe falſam; quia qui quod ſibi ſincerè, & citra omnem paſſionem, & culpam in veritate inquirendâ, videtur probabiliùs verum, eligit, & agit; utique prudenter agit, & bonâ fide illud agit. Ex quo patet, quod iſti jura illa, quæ opinioni probabili alii amplè conceſſerant, ſoli probabiliori tribuunt: & indè meritò Probabilioriſtæ venîunt nuncupati. Verùm licet iſti ſancto utique, ac pio zelo, à præcedentibus longè recedant; non tamen omninò ab eorum regula agendorum ſubſtantialiter declinant: adhuc enim in puncto illo ſubſtantiali continentur, quod .ſ. infra genus probabilitatis agendorum regulã collocant; probabilioritas enim infra idem genus eſt cum aliquo tãtum gradu comparationis ad aliud in eodem genere; quod quidem an ſufficienter dicatur, examinabitur infra. In hac ſententiâ noviſſimè fuit R. P. Thyrſus Gonſalez Societatis Jeſu Præpoſitus Generalis, cum multis aliis, qui ante, & poſt ipſum ſcripſerunt.

671 Jam verò uſque adhuc vidimus quid in hac re directè ſenſerint Probabiliſtæ, quidve de mente ſuâ expreſſerint, palàm nobis in codicibus ſuis loquentes de uſu licito opinionis probabilis: ſicut etiam & quid dixerint Probabilioriſtæ. Ex quo clarè conſtat, quænam ſit illorum ſententia, & quænam iſtorum; & in quo illi inter ſe, vel cum iſtis conveniant, aut diſcrepent. At quia noviſſimè adversùs Probabiliſmi doctrinam tota ferè commota eſt Eccleſia; & non pauci in dies inſurgunt ad eam expugnandam ex omni univerſitate Doctores; id nonnulli huiuſmodi doctrinæ tenaces, nimis ægrè ferentes, calamum acuerunt ad novas quaſdam opinationes ſuas ſuperſeminandas, quas meritò dixerim prætenſiones reflexas; eo quod, ſuper aliorum doctrinâ reflectentes, novum indè ſenſum extorquere prætendunt, quem illi opinati non ſunt, ut ſic expugnatas eorũ ſententias iterùm per aliam viam reaſſumant, & videantur ſtare: ideò que oportet hîc, & modos dicendi iſtorum quoque referre, & prætẽſiones noviſſimas inſinuare, quas poſtmodum ſuis locis opportuniùs impugnabimus.

672 Prætendunt itaque quidam recentiſſi-

Digitized by Google

mi in hac materiâ introducere perfectam quamdam concordiam Catholicorum omnium Doctorum, & Probabiliſtas omnes Catholicos nedùm cum Probabilioriſtis componere; ſed ulteriùs cum communi ſenſu S. Matris Eccleſiæ Catholicæ, & univerſalis; adeò ut, qui Probabiliſtas impugnaverint, videantur Novatores, & de catholica veritate ſuſpecti. Ita quidam P. Joſeph Riccius noviſſimè in ſuo *Fundamento Theologiæ Moralis, ſeu de Conſc, probab. edito Neapoli* 1702. de quo fuſiſſimè videndum eſt infra. Similiter ad eamdem prætenſionem videtur quodammodò accedere P. Paulus Segneri eiuſdem Societatis in quadam ſuâ *Epiſt. ad Illuſtriſſimum quemdam*, ſuppreſſo nomine, *N. N. ſuper materiâ probab.* italico idiomate impreſſâ Coloniæ apud Baltaſſarem Egmond 1703. dum P. 6. dicit, hoc ipſum eſſe, quod antiquitùs in Eccleſiâ perquirebatur ad tutò operandum, nempè probabile, quod nunc perquirunt Probabiliſtæ, & ipſe benè fundatum appellat. Ut meliùs infra videbimus.

673 His omnibus prætenſionibus ex diametro ſe contraponunt alii, qui omnia hæc jura opinioni probabili generatim negant, eamque nullatenus pro tutâ regulâ agendorum agnoſcunt; quinimò eam acriter impugnant, & execrantur. Et in hoc ſenſu videtur ſuprema Theologorum ſummitas expreſſiſſimè abundare, cuiuſmodi eſt Auguſtinus, D. Thomas, aliiſque Sancti Patres, de quibus ſuo loco dicemus. Pro nunc autem ſatis eſt hæc omnia retuliſſe.

§. II.

Recenſentur breviter motiva præcipua Probabiliſtarum, ex uno, vel altero eorum commodiùs, atque opportuniùs deprompta, utpotè uno quaſi pro omnibus abundantiùs loquente.

674 MOtiva Doctorum propugnantium jura Probabilitatis, atque ideo aſſerentium licitum eſſe, & tutum, operari ſecundùm probabilitates opinionum, plura utique ſunt ab eiſdem excogitata, & varia, pro variis eorumdem dicendi modis. Sed ſi benè conſiderentur, & eorum efficacia, ac robur ſummatim attendatur, ad duo hæc principia præcipua reducuntur; videlicet: quia (inquiunt) in opinione probabili relucet prudentia agentis; quandoquidem dum quis juxta opinionem probabilem agit, prudenter agit, & cum certitudine morali de licito operationis ſuæ: idem enim eſt aliquid judicari probabiliter licitum, ac judicari prudenter tale quid licere; & idem eſt prudenter judicari tale, ac moraliter eſſe certò tale; nam moraliter certum communiter dicitur, quod tale eſt judicio prudentum exiſtimatum. Et ulteriùs, quia (& hoc eſt alterum principium) ſi contingat opinionem probabilem eſſe in ſe falſam, involvit in ſe ignorantiam invincibilem, quâ procul dubio agens excuſatur. Ita paſſim omnes Probabiliſtæ, & ad hoc tendunt quæcumque aliæ, quas congerunt, rationes, & principia; cuiuſmodi ſunt plura, quæ ipſi principia extrinſeca, & reflexa appellant, ex quibus probabilitatem reflexam, ut dicunt, ſibi comparant per reflexum quoddam judicium, quod omninò certum prædicant ſaltem ſecundùm certitudinem moralem; ita ut indè ſibi certiſſimum reddi exiſtiment, quod ſint moraliter ſoluti a lege, ſi hæc fortè contra ipſos phiſicè exiſtat; atque indè manere in poſſeſſione ſuæ libertatis, & ad legem minimè teneri, utpotè nondùm ſatis ſibi promulgatam, ſed latentem adhuc, & quaſi in ſcrinio repoſitam ante ſui promulgationem, undè & vim legis amittit ex defectu huiuſmodi conditionis ſibi eſſentialiter requiſitæ ad obligandum; ex quo credunt perſpicuum, & evidens fieri, quod non imprudenter agant, ſed prudentiſſimè, quod ſibi placet pro libertate ſuâ, quia hoc ipſo meritò jure ſuo utuntur, propriæ videlicet libertatis nativo jure ſibi debitæ, donec de lege conſtet; quandiù enim ſic manent, invincibiliter eam ignorant. Hæc eſt ſummatim tota efficacia doctrinæ ſuæ.

675 Sed quia non in omnibus opinionibus contra legem hæc reperiri univocè arbitrantur; ideo ipſimet curarunt variis eas limitibus coercere, prout viſum fuit ipſis magis, vel minùs, in opinionibus circa varias materias circumferri ſolitis, ad prudentiam, & moralem certitudinem accedere, atque per invincibilem ignorantiam, ſi error aliquis ſubrepat, excuſare. Et hinc varias circueunt vias, & dicendi modos, ut vidimus, qui nihil, aut parum inter ſe diſcriminis quoad ſubſtantiam habent: ſicut enim in unum eumdemque finem collimant, ſic ferè per eadem, & parùm diverſa veſtigia incedunt, prout ſibi melior ad eumdem finem ſe ſe explicandi modus occurrit.

676 Inter eos autem præeminet noviſſimè P. Joannes de Cardenas Societatis Jeſu, qui in ſuâ Chriſt. Theolog. ſpecialem tractatum edidit de probabilitate, eamque profuſiore calamo defendit; ita ut nihil ſit in eo, quod ampliùs deſiderari poſſit circa hanc materiam defendendam de aliorum doctrinâ, qui ipſum præceſſerunt; ſed veluti in unum collecta, & profundiore ponderatione digeſta, atque formaliùs explicata, quæcumque ante eum ſparſim alii conſcripſere, videantur in uno ſuo hoc opere operoſiùs elaborata; poſſitque quilibet facilè ſuaderi, omnes nunc per ipſum loqui, ipſumque unum pro omnibus prætenſa probabilitatis jura ſufficienter edicere.

677 Pediſſequus quoque illius facilè videtur noviſſimus alter eiuſdem Societatis Scriptor, alias Apoſtolici nominis communiter, & meritò exiſtimatus; talem enim, & prædicati Evangelii munus, & edita ipſius opera ſatis, ſuperque, commendant; adeò ut hac noſtrâ tempeſtate

Digitized by Google

peſtate nulli, præſertim in Apoſtolico prædicationis officio credatur ſecidus. Is eſt P. Paulus Segneri, qui brevi calamo, quaſi a quodam illuſtriſſimo innominato Antiſtite requiſitus, occaſionem ſumpſit per epiſtolam ſcribendi ſuper probabilitate in materia morum, & partes eius, de ſuo more, ſplendore eloquentiæ ſuæ illuſtrandas, atque amplificandas toto conatu ſuſcepit; ut facilè quotquot non benè capiunt, indè capiantur. Utinam ſicut eleganter, & in ſplendore eloquentiæ forinſecùs admoto; ſic & in luce veritatis interiora velaminis profundiùs penetraſſet. Verborum ornatus, & eloquentia veritatem tegit potiùs, non manifeſtat; ſicut ornatus corporis, ſeu veſtis, quam induit, occultat illud: undè veſtis & tegumentum ſynonyma ſunt. Et quidquid vult, quale ſit, in ſeipſo videri, nudum ſe exhibet intuendum, & ſine veſtimento. Id quod hìc neceſſariò præmonendum cenſui, ut non fiant ſimplices capti in ſermone eloquentiæ tanti viri, & cum eo ſimul decipiantur: facile enim eſt cum viro docto, & inſuper eloquente, ubi ille in ſeipſo decipitur opinando, alios decipi ſimpliciores; & eò vel maximè, quod italicè ſcripſit; ac propterea poteſt eius epiſtola ad manus cuiuslibet viri idiotæ, & indocti, pervenire, atque omnibus indiſcriminatim communicari.

678 Quare ne mireris, lector, quod cum iſtis ſpecialiùs in hac parte videbis me contendere, quaſi aliis eiuſdem ſententiæ ſcriptoribus omninò prætermiſſis. Neque ſuſpiceris ex hoſtili aliquâ paſſione hoc in me procedere: ſed quia quemadmodum in iſtis una, eademque aliorum omnium ſententia ſubſtantialiter feliciori calamo propugnatur: ita dum eâ ex iſtis, quaſi ad hominem arguendo, impugnandam aſſumo, communis illorum omnium cauſa infimul dirimenda judicetur. Ingenuè enim fateor, mihi non homines diſplicere in adinventionibus ſuis; ſed potiùs econtra ſuas adinventiones in eis, ſi veritati non fuerint omninò conſentaneæ. Atque ideò Authores amplector, & veneror: at eorum placita, niſi cohæreant veritati, ſuſtinere non poſſum; nec quieſco, donec illa, ſi mihi poſſibile ſit, fundiciùs evertam; æquè tamen, & indifferenter, à quocumque ea doceantur. Et ſi quandoque ad hominem arguendo, unum, vel alterum frequẽtiùs, & quaſi ex animo impetere præ aliis videar; quia fortè (ut evenit in præſenti) unus, vel alter præ aliis opportuniùs occaſionem præbet, eo quod operoſiùs eamdem cauſam agitaverit; non aliquis in eos depravati animi livor in cauſâ eſt, ſed ipſorum potiùs in ſuo genere mihi probata methodus, & affluentior eorumdem in hac re dicendi copia, quæ me ampliùs urget, & rationes offert pariter operoſiùs impugnandas. Semel enim his reiectis, & expugnatis, ſatis mihi, ſuperque videtur cauſam, pro quâ adſto, numeris omnibus abſolviſſe. Quamobrem jure optimo in præſenti præcipuos huius generis viros, quaſi pro omnibus loquentes, & de hac re feliciori calamo, fusèque ſcribentes ſpecialiter eligendos ſtatui, ut ex ipſis potiſſima Probabiliſtarum fundamenta exciperem, & decantata probabilitatis jura attentiùs audirem, formaliùs atque diſtinctiùs: quibus poſtmodùm benè examinatis, ac penitùs, ut me facturum ſpero, evacuatis; & ipſis ſimul, atque omnibus aliis per ipſos concorditer loquentibus, ſit, & intelligatur à me plenariè ſatisfactum, & communis hæc controverſia numeris omnibus abſoluta. Tales autem citra invidiam credidi prænominatos duos aliorum noviſſimos, videlicet P. Joannem de Cardenas, & P. Paulum Segneri ambos ex Societate Jeſu, quibus in fine adiciam, & tertium, quem ſupra citavi, prætendentem ſpecialiter ſummam quamdam cõcordiam Catholicorum omnium ſuadere, quam nemo uſque adhuc excogitaverat. Iſque eſt P. Joſeph Riccius eiuſdem pariter Societatis, ad cuius ſingulare excogitatum examinandum opus eſt ſpeciali diſcuſſione, quam ad finem operis opportuniùs differendam cenſeo.

CAPUT TERTIUM

De Probabiliſtarum doctrinâ ex modo loquendi utique expeditiore Patris Ioannis de Cardenas deperomptâ.

§. I.
Refertur ſummatim huius Authoris doctrina.

679 Et ſi variè, ut ſupra dictum eſt ſententiam ſuam explicent Probabiliſtæ de uſu licito opinionis probabilis, & variis aliqui eorum limitationibus eam coerceant; noviſſimè tamèn eamdem ferè doctrinam tradens P. Joannes de Cardenas, expeditiorem methodum videtur aſſumere; dum, quaſi reiectis omnibus aliorum limitationibus, generalem ſuam concluſionem ponit, quâ ingenioſiùs, atque expeditiùs limitationes illas amplectitur. Dicit enim abſolutè, ſemper, & ubique licitum eſſe uſum probabilitatis practicæ, ſeu quod idem eſt, opinionis practicè probabilis. Neque hoc dictum ab ipſo ſic abſolutè prolatum aliquâ limitatione indiget; quia ſatis videtur licentioſus ille cuiuslibet opinionis probabilis uſus cohiberi per id, quod opinioni probabili adiicitur particula hæc: dummodò ſit practicè probabilis. Nam ubi cæteri Probabiliſtæ uſum probabilitatis limitandum aliqualiter judicabant, ibi (inquit) non erat probabilitas practica. Audiamus itaque eius verba in *Jua Chriſt Theolog. diſp.* 15. *cap.* 4. *a.* 1. *num.* 154. Ibi enim, reſpondendo ad quoddam argumentum Vincentii Baronii, ſic habet: *Opus eſt utique anxiâ indagine ad cohibendum vagum, & laxiſſimum uſum; non probabilitatis practicæ; ſed*

ſed improbabilitatis, & improbabilium opinionum, quæ ſub probabilitatis larvâ, & pelle ſe protegunt Et num. 160. proſequitur: *Cæterum opiniones practicè probabiles non indigent aliâ metâ, non alio clauſtro, quàm rectâ probabilitatis intelligentiâ: opiniones enim, quæ malè audiunt, & à debita rectitudine exorbitant, eâ infirmitate laborant, quia earum Authores non rectè calluerunt probabilitatis practicæ jura.* Et num. 162. ſubdit: *Sciat ergo Baron nos in hoc tractatu de probabilitate multa oppoſuiſſe clauſtra opinionibus, non quidem probabilibus, ſed improbabilibus quæ inter probabiles audent ſe adnumerare.*

680 Ex quibus conſtat per hunc Authorem, atque omnes alios, qui cum ipſo jura probabilitatis practicæ (ut ipſe loquitur) calluerunt, non veris practicè probabilibus limitationes ab aliis aſſignatas apponendas eſſe, ſed potiùs practicè improbabilibus, quæ tamen inter practicè probabiles à non benè callentibus computabantur. Cæterùm opiniones practicè probabiles nulla indigere limitatione; ſed abſolutè poſſe illis quemlibet licitè uti certum eſſe. Ut reſolutoriè loquitur P. Cardenas, & per ipſum omnes alii Probabiliſtæ, qui probabilitatem practicam cum ipſo calluerunt. Et in idem recidunt virtute ſuarum limitationum cæteri, qui plures opiniones ab uſu licito reiecerunt; licet iſti reiiciendas eas dixerint, non expreſſè ex eo, quod non erant practicè probabiles; ſed ex eo, quod non infra limitationes ſuas ſe continebant; quas tamen P. Cardenas ex hoc ipſo eas dicit non fuiſſe practicè probabiles; ut ex ipſius doctrinâ inferiùs adducenda meliùs apparebit. Unde in idem recidunt cum Patre Cardenas, & ſolùm diſcrepant quoad modum ſe explicandi, magis, vel minùs clarè, magiſque vel minùs expeditè.

681 Præterea ex huius Authoris doctrinâ conſtat, ipſum (& cum ipſo omnes alios jura probabilitatis practicæ callentes) unum dicere, & aliud ſupponere. Supponunt quidem certum eſſe licere ſequi quamlibet opinionem practicè probabilem: unde P. Cardenas abſolutè pronunciat, quod opiniones practicè probabiles non indigent aliâ metâ nec alio clauſtro, quàm rectâ probabilitatis intelligentia; & limitationes, quas alii apponunt, ſicut, & ipſe quoque apponit, ut infra patebit, non practicè probabilibus, inquit, apponendas eſſe, ſed improbabilibus. Dicit autem opiniones, quæ malè audiunt, & à debita rectitudine exorbitant, eâ infirmitate laborare, videlicet improbabilitatis practicæ; & in hoc culpam earum Authoribus tribuit, quatenùs non rectè calluerunt practicæ probabilitatis jura; quaſi velit dicere, quod non benè calluerunt, quas conditiones exigant opiniones practicè probabiles, ut ſint verè tales; de juribus enim earum conſtitutivis hic loquitur, ſeu de legitimis conditionibus earum; & non de juribus ad ipſas, jam conſtitutas tales, conſequentibus, cuiuſmodi ſunt jus excuſandi ab omni culpâ quotquot ſecundùm eas operantur, jus eſſendi regulam optimam agendorum, & prudenter operandi, & ſimilia; hæc enim tamquam certiſſima ſupponit. Atque ideò illis, quibus jura cōſtitutiva deficiunt, ac per cōſequens practicè probabiles non ſunt, apponendas eſſe ſuas limitationes fatetur, ſicut multi optimè fecerunt; & ipſe cum illis apponit, eas recludendo intra ſua clauſtra, ut non foras exeant, & cum practicè probabilibus miſceantur.

682 Tota igitur difficultas per ipſum (ſicut & per omnes alios limitantes) ad hoc reducitur, ut diſtinctè agnoſcantur opiniones practicè probabiles, & ab aliis, quæ non ſunt verè tales ſeparentur. Si enim iſtæ permittantur ſub larva illarum cum illis permiſceri, fiet procul dubio magna confuſio. Atque ideò oportet iſtis limites ſuos, ſeu muros opponere, & in ſuis clauſtris recludere, ne ad illas tranſeant, ut inquit præfatus Author; quod & ipſe cum aliis, benè, & ſatis egiſſe hic affirmat; ut ſic opiniones practicè probabiles, jam aliis omnibus intra ſua ſepta benè concluſis, poſſint apertà fronte, liberè, & ſine permixtionis periculo cum larvatis, divagari; atque nobis omnibus ſe ſe promptiùs offerre, ut ipſis quicumque voluerimus intrepidè utamur. Ergo ipſum (& per ipſum omnes alios) adeamus, ut nos doceat limitationes ſuas, & clauſtra oſtendat, quæ huiuſmodi improbabilibus obſtruxit manus ſua, ut ſic conſtitutiva jura probabilitatis practicæ benè calleamus. Ipſumque ulteriùs rogemus, ut eiuſdem quoque conſequentia jura, adeò a Probabiliſtis commēdata, nobis apertiùs demonſtret, ut calleamus illa, eiſque commodè potiri poſſimus, ſicut & cæteri ea benè callentes. Aſt ego, ut verum fatear, valdè ipſis timeo, ne in larvatam incidant ſecuritatem; quandoquidem huiuſmodi jura, quæ ſe callere dicunt, ſatis videntur de veritate ſuſpecta, ſaltem ex hoc, quod Sanctis Patribus inviſa, atque penitùs ignorata fuere, ut infra ex dicendis patebit.

683 Interim verò ipſum attendamus opinionum practicè improbabilium, à quibus præcaveri oportet, jam nobis clauſtra demonſtrantem. Ea quidem Author iſte ſummatim enumerat *in ſua Chriſi Theologica diſp. 15. cap. 4. a. 1. num.* 163. ubi ait: *Clauſtra improbabilibus opponimus. Primò, dum negamus ex eo, quod una opinio ſit probabilis, oppoſitam inter probabiles eſſe adnumerandam. Vide diſp. 4. Secundò, dum demonſtramus non retineri probabilitatem, quamvis argumenta eius probabiliter ſolvantur. de quo diſp. 3. Tertiò dum oſtendimus non quemlibet Authorem conferre probabilitatem extrinſecam, ſed illum ſolum, qui fuerit omni exceptione maior. De quo conſule diſp. 11. Quartò, dum apertè demonſtramus in multis materiis communem omnium, aut ferè*

omnium

ſtiminus Theologorum comparare ſententiæ omnimodam certitudinem vide diſp. 12. Quintò, diſp. 14. oſtendimus non benè valere à probabilitate ſpeculativâ ad practicam: & praxim ad ſolam practicam probabilitatem limitamus. Sextò, art. ſequen. conſtabit diſtinguendam eſſe duplicem quæſtionem, alterā probabilitatis directæ, & alterā reflexæ: neque à reſolutione quæſtionis directæ, valere ad reſolutionē quæſtionis reflexæ: et in quæſtione directa eſſe poſſe, & ſolere reſolutionē probabilē; & in reflexa reſolutionē omninò certā. Quod in quāplurimis quæſtionibus deſervit ad rectè intelligendam eſſentiā probabilitatis practicæ, quæ aliàs malè intelligitur. Ex cuius defectu quamplures patiuntur æquivocationes nonnulli Theologi in pluribus materiis, in quibus utramque quæſtionem confundunt. Septimò, diſp. 17. oſtendemus multas opiniones favorabiles religioni, cauſæ piæ, & ſimilibus ex principio alio reflexo tranſilire metas probabilitatis, & ad culmen certitudinis evehi. Octavò, in materia juſtitiæ multas opiniones probabiles tranſire in certas ex jure poſſeſſionis legitimæ conſtabit ex diſp. 16. Præterea multis aliis modis probabilitatem limitari, & ad certitudinem ex adiunctâ circumſtantiâ, vel reflexione, evehi, ex toto hoc tract. de probabilit. ſatis conſtat. Denique in toto homine occultæ reperientur opiniones à dignitate probabilitatis expulſæ, dum materia earum ad principia omninò certa reducitur. Hæc Pater Cardenas *loc. cit.* ſummatim. Sed quia dictæ limitationes ſic ſummatim ab ipſo relatæ non ſunt hìc ſatis explicatæ, ideò eas oportet hìc breviter exponere juxta ipſius intelligentiam ex locis eiſdem ab ipſo citatis fideliter depromptam. Ut in paragrafo ſequenti.

§. II.

Exponuntur dictæ limitationes, ſeu clauſtra opinionum improbabilium quibus à practicè probabilibus ſegregantur juxta doctrinam eiuſdem Patris de Cardenas, & aliorum.

684 VT prædictas limitationes, ſeu clauſtra benè percipias, lector, eas ex eodem Authore fideliter exponendas aſſumo, & motiva adhuc ipſius adiiciam. Itaque ſcias, quod prima limitatio jam ſupra inſinuata ab Authore, ponitur ad excludendum de numero opinionum practicè probabilium omnes contradictorias earum, ſi pro iſtis nulla alia ratio probabilis aſſiſtat, niſi quia ſunt contradictoriæ opinionum probabilium. Quæ limitatio meritò inducitur à P. Cardenas contra Caramuelem, qui aiebat, quod data una opinione probabili, hoc ipſo eius contradictoria evadebat probabilis abſque ulla alia ratione pro ſe aſſiſtente. Ex quo inferebat Caramuel, quod ſi ſit probabile aliquod eſſe peccatum, bona eſt hæc conſequentia: ergo probabile eſt non eſſe peccatum. Et indè hæc alia: ergo certum eſt, quod ſi feceris non peccabis; cum certum ſit, non peccare operantem ex opinione probabili. Quare P. Cardenas ex adverſo dicit, & meritò, quod huiuſmodi contradictoriæ opinionum probabilium, non ſunt practicè probabiles poſitivè, per hoc præcisè, quod ſint contradictoriæ earum, cum aliàs nulli gravi fundamento innitantur. Indè enim, ex vi ſcilicet oppoſitionis contradictoriæ ad ſummum poteſt argui quædam probabilitas negativè, hoc eſt quod non appareat improbabilis; ſi namque poſitivè appareret improbabilis, jam illa, cui opponeretur, evaderet certa, & non eſſet cum aliqua formidine partis oppoſitæ, quod eſſentialiter requiritur ad rationem opinionis probabilis. Si igitur illa, cui opponitur, ſupponitur purè probabilis, & non certa, jam eſt cum formidine ſuæ contradictoriæ, ac proindè hæc non apparet evidenter improbabilis, quod eſt eſſe probabilem negativè; nullo modo autem poſitivè; atque ideò extra clauſtra probabilitatis practicæ poni debet; & cum non practicè probabilibus recludi. Id quod communiter alios Auctores ſentire dicit, & probat *diſp. 4. cit. cap.* 2. ex Sanchez, Suarez, Conink, Ferrantino, & Vaſquez.

685 Secunda limitatio eſt ad excludendum plures opiniones erroneas, quarum rationes non poſſunt aliquandò evidenter deſtrui, & ſolvi, ſed ſolùm probabiliter. Quæ etiam limitatio contra eumdem Caramuelem meritò inducitur; qui aiebat opinionem ſemper probabilitatem ſuam retinere, donec earum rationes evidenter ſolverentur. Quod profectò falſiſſimum eſt: Cum ſæpe ſæpius aliquæ opiniones erroneæ ſint, & falſæ, & pro erroneis ac falſis habitæ, & evidenter ac certò ut tales cognitæ, puta vel ex hoc quod oppoſitæ earum evidenter demonſtrentur, vel ab Eccleſia doceantur; & tamen earum rationes ſolùm probabiliter ſolvuntur nō evidenter. Sed non proindè probabiles eſſe poſſunt, cum contradicant aliis evidenter demonſtratis, vel dogmatizatis ab Eccleſia. Atque ideò meritò à P. Cardenas eiiciuntur è clauſtris probabilitatis practicæ, & recluduntur in ſuis.

686 Tertia limitatio eſt ad excludendum opiniones quaſdam ſingulares unius, vel alterius, aut paucorum teſtimonio innixas, contra communem ſenſum; cum tamen ipſi aliàs non ſint talis conditionis, ut ſuo dicto poſſint, quæ dicunt, probabilia reddere, eo quod non ſunt omni exceptione maiores, ut eorum teſtimonio fidere poſſimus, quemadmodùm ad probabilitatem extrinſecam exigitur. Non enim grave, atque firmum fundamentum practicæ probabilitatis eſſe poteſt, unius, aut alterius, vel paucorum authoritas, niſi fortè ſint omni exceptione maiores. Quod ſi quæras, & quis ſit dicendus omni exceptione maior? reſpondet P. Cardenas: is, cui nulla ex quatuor ſequenti-

bus exceptionibus opponi poteſt; videlicet: quod doceat certò falſum: quod levi nitatur fundamento: quod alias varia improbabilia docuerit: & quod ſit merus Summiſta, Compilator, aut Tranſcriptor. Sic explicat, & fusè probat *diſp.* 11. *cap.* 4. 7. & 8. ubi limitationem hanc dicit eſſe ſententiam communem Theologorum, & probat articulis ſequentibus capitis citati.

687 Quarta limitatio eſt ad excludendum opiniones illas, quarum oppoſitæ ut certæ habentur communi judicio prudentum, vel ferè omnium Theologorum in iis materiis, quarum reſolutio dependet omninò à judicio prudentum, tamquam à menſura extrinſeca. Id quod explicat intervenire, quando in materiis ſit parvitas materiæ, aut magnitudo aſſignanda, quæ nulla ratione ſtabiliri poteſt, niſi tantùm judicio prudentum, ut v. g. in furto quæ ſit parvitas materiæ, quæ à mortali excuſat; & ſimiliter in jeiunio, aliiſque ſimilibus. Tunc enim ait, quod determinatio, quæ ut certa communi prudentum judicio habetur, eſt opinio moraliter certa; atque ideò oppoſita non poteſt inter probabiles reputari; ſed debet à clauſtris practicæ probabilitatis excludi. Quare quia in jeiunio naturali ad communionem requiſito communi prudentum judicio non datur parvitas materiæ, oppoſita opinio improbabilis reputanda eſt. Et quia miniſter conficiens ex officio Sacramentum in ſtatu peccati mortalis communi Theologorum judicio cenſetur gravem irreverentiam committere contra Sanctitatem Sacramenti, ſubindeque mortaliter peccare; ſententia oppoſita improbabilis cenſeri debet. Idemque evenire poteſt in iis quæſtionibus, quorum reſolutio omninò pendet à ſignificatione, & uſurpatione vocum ipſius legis: nam ſi lex communi prudentum judicio, aut Theologorum, uno modo interpretatur, erit talis interpretatio moraliter certa; atque ideò opinio oppoſita improbabilis erit. Idemque erit ſi in quæſtione de facto communi Doctorum conſenſu dicatur extare præceptum aliquod, ſive traditionem, aut conſuetudinem obligantem: tùnc enim ſi contra inſurgat opinio aliqua, erit improbabilis reputanda. Et denique hoc ipſum judicandum eſt, ſi communi Theologorum calculo aliqua opinio in ſua probabilitate unanimiter amplectatur, vel reputetur: tùnc enim gravi atque ſufficientiſſimo fundamento id ſtabilitum eſſe pro certo moraliter habendum eſt; ſubindeque oppoſita extra clauſtra practicæ probabilitatis ſiet. Ita P. Cardenas *tota diſp.* 12.

688 Quinta limitatio eſt ad excludendum à practicè probabilibus eas opiniones, quas aliqui deduxerit ex probabilibus ſpeculativis, quæ tamen ex eis malè deducuntur. Quod tùnc contingit quandò vel ſpeculativæ non habent pro obiectu praxim, ſed ſiſtunt in ſola contemplatione obiecti ſpeculabilis; vel ſunt de praxi ut ſic, & in communi, præſcindendo à circumſtantiis, quæ in eiuſdem praxis exercitio quandoque ſuperveniunt. Primi generis exemplum eſt, ut ſi ex hoc quod mihi probabile ſit id quod in ſylva occurrit eſſe feram; deducam; ergo licitum eſt mihi in id figere ſagittam: non eſt bona illatio; nam antecedens eſt ſolùm probabile purè ſpeculativum, cum quo non connectitur conſequens illud practicum licitæ transfixionis eius, quod occurrit; eo quod hæc periculoſa eſt, niſi fiat melior, & debita diligentia veritatis, ſubindeque illicita. Exemplum ſecundi generis eſt, ut ſi ex hoc quod ſit probabile licere judici ſecundùm quamlibet opinionem probabilem judicare; deducam, ergo probabile eſt licere Judici ſic judicare in Regno, ubi fortè lata ſit lex judicandi ſecundum probabiliorem: non enim tenet conſequentia, & conſequens improbabile eſt ex circumſtantia legis municipalis, à qua præſcindebat antecedens. Ita Pater Cardenas *diſp.* 14. *cap.* 2. & *alibi*, ubi exiſtimat à ſe non diſſentire alios Authores; licet quia non ſatis ſe explicant, diſſentire fortaſſis videantur.

§. III.

Proſequuntur aliæ limitationes ſeu clauſtra eiuſdem Authoris.

689 Reliquæ verò aliæ limitationes ſupracitatæ pendent ex intellectu illius doctrinæ, quam ipſe variis in locis adducit, & in qua (inquit) multi Theologi hallucinantur: nempè quod ex reſolutione quæſtionis directæ non valet conſequentia ad reſolutionem quæſtionis reflexæ. Ita *diſp.* 10. *cap.* 2. *à n.* 11. & *ſequentibus*; & *diſp.* 15. *cap.* 4. *art.* 2. & *alibi*. Pro cuius intelligentia eſt advertendum ex doctrina eiuſdem quod ubi de aliqua re non eſt certum quid judicare debeamus, incipimus dubitare, atque indè reſolutionem inquirere, & talis inquiſitio quæſtio appellitur: reſolutio verò qua hoc vel illud judicando reſolvimus, actus judicii ſeu judicium dicitur. Quæſtio autem duplex eſt: altera directa; altera verò reflexa. Directa dicitur quando de aliquo obiecto ſimpliciter, abſolutè, & directè aliquid in ſe quæritur judicandum; puta an ſit licitum, an ſit verum, an ſit probabile? &c. Reflexa verò eſt quando reflectendo ſuper obiecto jam tali, vel tali judicato in quæſtione directa, novum aliquid inquirimus; puta, an ſuppoſito quod hoc vel illud ſit probabile, licitum ſit mihi illud facere? ſit exemplum: quærit venator, an quod ſibi in ſylva occurrit, ſit fera, vel homo? quæſtio directa eſt: & ſi reſolvit probabilius eſſe feram; reſolutio actus directus, ſeu judicium directum eſt. Poſtea verò ſi quærit, an ſuppoſita probabilitate ſui judicii de fera, ſit ſibi licitum in illam telum jacere? quæſtio dicitur reflexa: & quod reſolvit, dicitur actus ſeu judicium

dicium reflexum. Et ſimiliter, ſi quæratur, an hoc vel illud ſit licitum? quæſtio, eiuſque reſolutio directa eſt. Si verò quæratur, an hoc vel illud, quod probabile eſt eſſe licitum, hoc ipſo poſſit licitè fieri ſeu ad praxim deduci? quæſtio, & eius reſolutio reflexa eſt. Quia reflectit ſuper obiecto per directam probabiliter judicato, ſeu ſuper probabilitate judicii directi.

690 Ex quo conſtat (inquit P. Cardenas) quod queſtio reflexa ſemper inquirit de novo obiecto, aut de nova aliqua circumſtantia ſupra directam; ac proindè eſſe queſtionem valdè diverſam ab illa. Valdè enim diverſa quæſtio eſt; an quod venatori occurrit, ſit fera, vel homo? Et an probabiliter opinanti eſſe feram, liceat in illam telum proiicere? Et valdè diverſa quæſtio eſt; an ſit ſententia minùs probabilis domum, de qua litigatur, eſſe Joannis? Et an liceat Iudici ſecundùm hanc minus probabilem pro Ioanne judicare? Et ſic de aliis. Nam in primis directis quæritur de fera vel homine; & de maiori, vel minori probabilitate jurium Ioannis ad domum. In ſecundis verò reflexis quæritur de licita proiectione teli in feram ſolùm probabiliter judicatam: vel de prolatione ſententiæ pro Ioanne, cui minùs probabilia jura aſſiſtunt: quæ obiecta valdè diverſa ſunt, & habent ſecum circumſtantias neceſſariò inſpiciendas, nempè periculi, & damnificationis proximi ſive in vita, ſive in bonis illius, quas niſi Venator, & Iudex inſpiciant, præceps erit eorum judicium, & reſolutio, ac proindè improbabilis practicè: neque eſt per legitimam conſequentiam deducibilis ex reſolutionibus illis directis, quæ de alio omninò obiecto ſunt prorsùs diſparato, & purè ſpeculabili, atque ab omni circumſtantia periculi abſoluto.

691 Atque ideò docet, & benè P. Cardenas non valere conſequentiam à reſolutione quæſtionis directæ ad reſolutionem quæſtionis reflexæ. Niſi fortè (inquit) in queſtione reflexa probatum fuerit novum obiectum, aut circumſtantiam ſupra directam non afferre titulum novæ obligationis inſpiciendæ præter illum, qui affertur in quæſtione directa; tunc enim (inquit) tenet conſequentia; ut ſi v. g. in quæſtione directa reſolvatur probabile eſſe licere variationem officii Canonici, puta ferialis in novem lectionum; tenet conſequentia (ait) ergo licitum eſt eiuſmodi probabilitate uti, quia in hac reflexa non affertur novus titulus alicuius obligationis noviter inſpiciendæ. Hæc eſt doctrina præfati Auctoris ſummatim explicata.

692 Quare ſexta eius limitatio eſt ad excludendum de numero practicè Probabilium reſolutiones reflexas, quas aliqui ex reſolutionibus directis deducunt; cum tamen non ſemper teneat conſequentia ab iſtis ad illas; eo quod illæ ut plurimùm ſint cum circumſtantia aliqua afferente titulum novæ obligationis diligentiùs inſpiciendæ. Non enim poteſt admitti ut practicè probabile, quod liceat Venatori in id, quod ſibi occurrit, ſagittam proiicere, eo quod probabile ſit illud eſſe feram. Neque emptori rem ſolvere de pecunia ad valorem auri, per hoc quod ſit purè probabile eſſe auream: quia reſolutiones iſtæ reflexæ ſuperaddunt ad ſuas directas novum obiectum involvens circumſtantias periculi homicidii, vel furti, à quibus illæ præſcindunt, cum ſint de obiecto purè ſpeculabili, nihil de his periculis concernentes. Neque ab illis ad iſtas bona eſt conſequentia, ut dictum eſt. Quæ quidem limitatio ferè communiter quoad ſubſtantiam ab omnibus admittitur, licet diverſimodè illam doceant: hoc enim ipſum eſt, quod docent, dum probabilitatem limitant in quibuſdam materiis, puta juſtitiæ, religionis, charitatis, & ſimilibus.

693 Septima, & octava limitatio cum reliquis confuſim ſupra ab ipſomet Auctore citatis, ſunt præcedenti affines, & ad excludendas quaſdam reſolutiones reflexas de numero practicè probabilium per alias vias. Undè ſeptima limitatio, prout ab ipſo proponitur, eſt ad excludendum illas reflexas, quarum oppoſitæ ex alio principio reflexo ad culmen (inquit) certitudinis evehuntur; his enim jam certis ex tali principio exiſtentibus, ac præſuppoſitis; illæ tamquam certò falſæ, & malè deductæ ex ſuis directis deprehenduntur, ſuntque propterea ut improbabiles reiiciendæ. Exemplum adducit idem Auctor in materia immunitatis Eccleſiaſticæ: ſi enim in aliquo caſu ſit duplex opinio probabilis directa; una ſcilicet, quæ reſolvat Reum non gaudere immunitate: altera verò oppoſita reſolvat gaudere: Tunc reflexa deducta ex prima, nempè ergo probabile eſt licere Judici, vel ergo licitum eſt Iudici Reum capere, & extrahere ab Eccleſia, non tenet; quia eſt de novo obiecto, nempè de praxi cum circumſtantia afferente titulum novæ obligationis inſpiciendæ, hoc eſt titulum religionis, & reverentiæ Deo debitæ, à qua præſcindit illa directa, quæ eſt de obiecto purè ſpeculabili, ut dictum eſt in præcedente limitatione ſexta. Et inſuper ut improbibilis etiam reiicienda eſt per aliam viam, juxta hanc ſcilicet ſeptimam limitationem, quatenùs ſcilicet reflexa ſibi oppoſita, puta non licere eiuſmodi Reum extrahere, evehitur ad culmen certitudinis ex alio principio reflexo, hoc eſt ex ipſa immunitate, in quantum reflexè conſideratur ut favorabilis religioni, quod certum eſt: & aliàs ſtante regula illa juris in ſexto quod odia reſtringi, favores convenit ampliari: ſit quod eiuſmodi opinio oppoſita illi primæ reflexæ evehatur ad culmen certitudinis, ac per conſequens deiiciat illam de clauſtris practicæ probabilitatis. Ita colligitur ex præfato Auctore *diſp.* 17.

694 Octava limitatio ſimiliter eodem modo ſe habet in materia juſtitiæ, ubi ex jure actualis poſſeſſionis, quaſi ex ſpeciali principio reflexo aliquæ opiniones probabiles tranſeunt in certas, ac proindè deiiciunt ſuas oppoſitas reflexas

flexas à practica probabilitate. Ut ſi excẽpli gratia ſit duplex opinio probabilis directa de jure proprietatis alicuius prædii, altera ſcilicet quæ reſolvat pro Joanne actualiter poſſidente prædiũ illud: Altera verò quæ reſolvat pro Titio, non tamen actu poſſidente. Tunc ſi ex hac ſecunda, nempè, probabile eſt prædium hoc eſſe Titii: inferatur hæc reflexa, ergo probabile eſt licere Titio, vel ergo licitũ eſt Titio de illo diſponere: non tenet conſequentia, ut conſtat ex dictis in ſexta limitatione, & ex ratione tituli novæ obligationis inſpiciendæ ibi allegata: & inſuper eſt ut improbabilis reiicienda ex hac alia via huius octavæ limitationis, quatenùs ſcilicet altera reflexa huic oppoſita tranſit in certam ex principio alio reflexo juxta regulam juris in ſexto, quod nempè melior ſit conditio poſſidentis, ex quo principio reflexa illa oppoſita; ſcilicet (non licet Titio non actualiter poſſidenti de prædio illo diſponere, & Joannem ſpoliare poſſeſſione ſua) evadit moraliter certa, & deiicit alteram reflexam contrariam à practica probabilitate. Id quod in multis aliis materiis proportionaliter evenire poteſt. Pro quibus hæ, & ſimiles limitationes inducuntur a Patre Cardenas, & aliis Authoribus ſive ſub his, ſive ſub aliis terminis, ut conſtat ex doctrina præfati Authoris *diſp.* 16. & alibi in ſua Chriſt Theologica.

§. IV.

Quid, & an benè ad intentum ſuum ex præfatis limitationibus, ſive clauſtris improbabilium opinionum inferant Probabiliſtæ.

695 IAm ſupra *num.* 681. inſinnavi Probabiliſtas ſupponere tamquam certum, quod intendunt, videlicet licitum eſſe ſequi quamlibet opinionem practicè probabilem, ſunt enim plus nimio tenaces in hoc, quod credunt, probabilitatem eſſe optimam regulam agendorum. Sed dicunt non omnes opiniones, quæ circumferuntur, eſſe in ſe practicè probabiles; atque ideo iſtis clauſtra appoſuerunt, ne tranſirent fines ſuos, & cum practicè probabilibus larvatæ miſcerentur: indeque multi jam decepti à probabilitate practica, quaſi a fallaci regulà abhorrerent; cum tamen hæc in ſeipsà certiſſima ſit, & in ea totum ſcandalum ex permixtione improbabilium oriatur. Quare ad totum hoc, quod ipſi ſupponunt, & intendunt, firmiter ſtabiliendum; tota ipſorum cura fuit in huiuſmodi clauſtris, ſive limitibus apponendis. Exiſtimarunt enim, quod factà huiuſmodi diſcretione, maneret regula in ſuà puritate firmiſſima, & intentum ſuum unicuique perſuaſum. Cum igitur nos hactenùs ipſorum clauſtra viderimus, & nihilominùs nondùm eorum ſuppoſitum, ſive intentum, ſatis perſuaſum credimus; oportet diligentiùs hìc examinare, & aliis oſtendere, quid, & an benè ex jam appoſitis clauſtris ad intentum ſuum firmandum inferant Probabiliſtæ? Et quidem quid inferant, clarum eſt: conſtat enim eos inferre probabilitatem practicam eſſe in ſe optimam regulam agendorum, ſi tamen illa in ſua puritate, & rectè intellecta accipiatur; quia illa, inquiunt, nullâ indiget metâ, nulloque clauſtro; & talem eam eſſe certò ſupponunt; ac propterea eſſe univerſaliter, & ſine exceptione, licitum illam ſequi. An autem benè hoc ex clauſtris illis concludant, non tam facilè omnibus apparet, & ideò ſpecialiter examinandum eſt.

696 Antequam autem ad huiuſmodi examen deveniam, non gravabor clauſtra omnia, & limitationes uſque modò traditas commendare; fateor enim ingenuè, clauſtra huiuſmodi optimè fuiſſe à P. Cardenas concinnata, & procul dubio ex præſcriptis aliorum, ante ipſum, limitationibus pro variis materiis, quaſi ex jactis fundamentis eruta, vel ſuperædificata; eaque omnia libenter, & citra omnem invidiam approbo, & commendo. Neque enim in huiuſmodi opinionibus verè practicè probabilibus deſignandis, & diſcernendis, eſt nobis colluctatio cum Probabiliſtis; præſertim cum notio veræ probabilitatis ad aliam facultatem propriè, & per ſe ſpectet, & non ad Theologiam moralem, vel Ethicam, in quà ſumus, ubi oportet potiùs illam præſupponere. Undè non de juribus conſtitutivis opinionis verè probabilis hìc quæſtio noſtra eſt; ſed tota quæſtio verſatur circa jura veræ probabilitatis, jam in ſe talis præſuppoſitæ, ad ipſam conſequentia per ordinem ad praxim, & actiones humanas in genere moris, quæ à Probabiliſtis omnibus ſupra modum extolluntur, & magnificantur, tum ab illis, qui jura illa conſtitutiva præfiniunt ad quoſdam certos limites, cuiuſmodi eſt Pater Cardenas cum multis aliis ante, & poſt ipſum; tum etiam ab aliis, qui nolunt iis limitibus coarctari.

697 Itaque pro modo, ut dixi, deſignatos limites amplector, & clauſtra cum Patre Cardenas meritò opponenda ingenuè fateor, & approbo. Imò quò promptiùs ea ab omnibus teneantur, paucis, & conciſis verbis, in unâ ſimplici deſcriptione opinionum verè practicè probabilium ſingula hìc reſtringo, & dico, quod opiniones practicè probabiles juxta mentem Patris Cardenas, & ſecundùm veritatem, illæ ſolæ ſunt, quæ ex ſolidis rationibus intrinſecis, aut ſaltem ex ſolidorum Doctorum extrinſecis teſtimoniis, directè tandem praxim ipſam concludunt; nec poſſunt aliundè ſufficienter ut falſæ convinci. Ecce clauſtra omnia paucis verbis reſtricta.

698 Declaro ſingula. Per hoc enim quod dico: quæ ex ſolidis rationibus intrinſecis, aut ſaltem ex ſolidorum Doctorum extrinſecis teſtimoniis, directè tandem praxim ipſam concludunt: relegantur e finibus probabilitatis pra-

cticæ

ćticæ omnes illæ opiniones, quæ excluſæ fuerunt per ſex primas limitationes. Nulla enim ex illis eſt, quæ ſit ex ſolidis illis motivis praxim tandem directè concludentibus, ut conſtare poteſt diſcurrenti per ſingulas. Quis enim non videat, non eſſe ſolidum motivum aſſentiendi uni parti, ex hoc quod pars altera ſibi contradictoria ſit probabilis? Vel ex hoc quod eius rationes diſſolvuntur probabiliter; & non evidenter, & demonſtrative; ut volebat Caramuel? Vel ex hoc, quod aſſeratur ab uno, vel altero ſingulari Doctore cuiuſcumque etiam inferioris nominis? Vel in materiâ ſolùm prudentialiter arbitrabili ex hoc, quod ita aliquis ſingulariter arbitretur, etiam contra commune arbitrium omnium prudentum? Vel ex hoc, quod ſpeculatio, quæ nullo modo concernit praxim, ita reſolvat? Vel denique ex hoc, quod reflectatur ſuper aliquâ probabilitate præſcindente ab aliquâ circumſtantiâ; cum tamen pars, cui præſtatur aſſenſus, deducta ad praxim ſecum afferat circumſtantiam illam? Conſtat autem quod uno, vel altero ex his modis procedunt opiniones omnes, quæ primis ſex limitationibus reiectæ ſunt de numero practicè probabilium, & intra clauſtra improbabilium concluſæ. Et denique per id, quod ſubiungo: nec poſſunt aliundè ſufficienter ut falſæ convinci: relegantur reliquæ opiniones, quæ reiectæ fuerunt per reliquas limitationes; nempè omnes reflexæ, quarum oppoſitæ evehuntur ad culmen certitudinis, ut loquitur P. Cardenas, ex aliquo alio principio reflexo; puta, vel tituli favorabilis ex aliquâ lege, vel tituli juridicæ poſſeſſionis, aut alterius ſimilis; ut tangitur in reliquis limitationibus ſupra adductis.

699 Admiſſis igitur clauſtris omnibus, & limitationibus prædictis, utique neceſſariis ad diſcernendas, & ſegregandas opiniones practicè probabiles ab improbabilibus; ac per conſequens ſtabilitis, & benè firmatis juribus conſtitutivis opinionum practicè probabilium, circa quæ nulla eſt nobis cum P. Cardenas, aliiſque Probabiliſtis colluctatio, ut dicebam; videndum eſt nunc de aliis juribus ad opiniones practicè probabiles jam conſtitutas, & verè tales exiſtentes, conſequentibus. De his enim erit tota contentio noſtra. Probabiliſtæ enim ea plus nimio extollunt; nos verò ex adverſo illa acriter impugnabimus. Sed audiamus primò ab ipſis, quænam ſint.

700 Jura hæc inquit, & millies repetit Pater Cardenas cum omnibus aliis Probabiliſtis, ſunt: quod probabilitas practica ſit humanorum actuum optima regula; quodque per eam operationes omnes regulatæ evadant licitæ; quod prudenter agant quicumque illi innixi operãtur; ac proinde quod nullatenùs peccent, etiam ſi contingat aliquid re verâ contra legem agere; & ſimilia effata, quæ paſſim apud Probabiliſtas legimus; & quod plus eſt, tam certa hæc exiſtimant, ut ignorantiæ tribuant de eis dubitare. Unde verò hæc jura, & tàm ampla privilegia ei proveniant, non oſtendunt: exiſtimo tamen quod velint illam hæc jura poſſidere à ſemetipsâ, eſſeque ei innata, & quaſi nativo jure debita. Id quod fundant in quodam certo dictamine reflexo, ab ipſis habito pro quodam primo principio omninò certo, irrefragabili, & per ſe noto. Quod ſi velis, lector, ab ipſis de hoc dictamine doceri: dicunt, illud eſſe quoddam judicium practicum, quo nempè judicamus, licitum eſſe uti quavis opinione practicè probabili. ſic expreſsè ſe explicat P. Cardenas, ut infra ex ipſo diſtinctiùs apparebit; & idipſum dicunt alii Probabiliſtæ. Expende tu interim, & tecum cogita quale in ſe ſit hoc dictamen: quale fontale principium tot jurium probabilitatis practicæ: & diſtingue, ſi potes, jura hæc, quæ ab hoc principio originantur, ab origine ſuâ: diſcerne rem fundatam à fundamento. Per ipſos inter jura probabilitatis practicæ eſt; quod operationes per eam regulatæ evadant licitæ, etiam ſi contingat eas contra legem eſſe: vis rationem huius fundamentalem? in promptu eam reddunt; quia qui operando regulantur opinione practicè probabili, habent hoc judiciũ practicum; nempè, licitum eſſe uti quavis opinione practicè probabili. Et ſi interroges de hoc judicio undè habeat certitudinem ſuam. Reſpondent, quia certum eſt licitum eſſe uti opinione practicè probabili. Hæc eſt ſummatim Probabiliſtarum doctrina; & noviſſimè Patris Joannis de Cardenas, qui præ aliis modo ſcholaſtico, ex profeſſo, & diffuſiſſimè hanc materiam pertractavit. An autem vera in ſe, & ſolida ſit, operoſiùs, & paulatim examinandum eſt per diſcuſſionem omniũ excogitationum ipſorum, quibus conati ſunt illam ſtabilire. Id quod ſpero per ſequentia capita me facturum.

CAPUT QUARTUM.

De juribus probabilitatis practicæ juxta exiſtimationem Recentiorum Probabiliſtarum, ipſorumq; principia.

§. I.

Exponitur dictamen, ſeu judicium reflexum, cui ſupra modum Recentiores cõfidunt ad ſuſtinenda jura practicæ probabilitatis. & qualiter ex illo arguant certitudinem licitæ operationis.

701 Conveniunt quidem Probabiliſtæ omnes in hoc, quod aſſerunt: licitum eſſe uti quacumque opinione practicè probabili: & unanimiter contendunt judicium hoc eſſe moraliter certiſſimum. Quare in eo fundant, & unicè quaſi ſuper lapide fundamentali ſuperædificant decantata illa jura, quæ practicæ probabilitati tribuunt. Sed non omnes circa hoc

videntur uno, eodemque idiomate loqui. Aliqui enim non diſtinguunt de judicio directo, & reflexo; ac propterea videntur abſolutè certitudinem hanc tribuere dicto judicio, ſive reflexè, ſive etiam directè accepto, ita ut videantur admittere certitudinem hanc cuilibet judicio probabili in particulari, quo directè, & immediatè, aliquis opinatur de aliqua praxi, ſive operatione ſpeciali eſſe licitam: quod idem eſt, ac dicere, quod quælibet opinio practicè probabilis habeat immediatè in ſcipsa, & à ſemetipsa certitudinem moralem. Alii verò attendentes, quod tale judicium directum, & immediatum cuiuslibet opinionis non tranſcendit limites ſuæ probabilitatis, utpote quia eſt ipſummet judicium opinionis, cui non poteſt competere hæc certitudo, cum habeat in ſe eſſentialiter adnexam formidinem partis oppoſitæ; excogitarunt non huic, ſed alteri judicio reflexo certitudinem hanc eſſe tribuendam, quo videlicet reflectimus ſuper probabilitate directa cuiuslibet opinionis practicè probabilis, & judicamus illam jam eſſe probabilem, & convenire in ratione probabilis cum omnibus aliis opinionibus, à quibus in ratione judicii probabilis directi omninò diſtinguitur. Atque ideò dicunt, quod per hoc quod directè probabiliter judicamus, quod contractus, A, v. g. ſit licitus; non habemus certitudinem de eſſe licito illius: at per hoc, quod reflexè judicamus, contractum, A, eſſe licitum jam eſſe probabilem, evadimus certi de eſſe licito illius contractus; quia, inquiunt, certum eſt eſſe licitum ſequi opinionem probabilem. Et hanc diſtinctionem nunc ferè omnes Recentiores expreſsè amplexati ſunt, eamque acriter propugnant, & noviſſimè ſatis diffusè P. Joannes de Cardenas *in ſua Chriſi diſp.* 10. *cap.* 2. Franciſcus de Perea *in ſuo Lydio lapide ſect.* 3. *& ſeq.* & alii.

702 Ut autem ex ipſis clariùs appareat, quæ ſit eorum doctrina, & quibus rationibus ab eisdem ſuadeatur, ne videamur nos ex proprio cerebro eam fingere, operæ pretium duximus ex ipſiſmet fideliter eam tranſcribere; atque inde quid nobis erit impugnandum ſtabilire. Et ne per ſingulos divagari cogamur, ſatis erit ſi unus, aut alter loquẽs pro omnibus introducatur, qui fortè pleniùs rẽ tractaverit. Itaque P. Cardenas *diſp.* 10. *cap.* 2. *cit.* intẽdens ibi confuſionẽ ſententiæ Caramuelis tollere, ſic habet: *Pro rei claritate, & præfatæ confuſionis ablatione, præmittenda eſt diſtinctio actus directi, & reflexi; non cuiuſcũque, ſed eius, qui verſatur in materia probabilitatis in omnibus opinionibus practicè probabilibus: v. g. in opinione, quæ aſſerit licitum eſſe abſque mortali variare officium canonicum, mutando officium feriale in quodlibet officium novem lectionum. Iſte actus: licitum eſt abſque mortali variare officium canonicum: dum procedit à principiis condiſtinctis à probabilitate, eſt actus directus. Iſtud verò eſt dictamen reflexum: licita eſt abſque mortali variatio officij canonici, eo quod ſit opinio probabilis. vel licitum eſt uti hac opinione probabili variationis officii canonici. Primus actus directus eſt probabilis; procedit enim ex principiis probabilibus. ſecundus autem reflexus eſt certus: quia certum eſt, quod poſſumus uti quolibet opinione practicè probabili, quod quidem intelligendum eſt modo inferiùs explicando.* (nempe num. 19. & 20.)

703 Dictis autem num. volens hoc explicare ne ait: *Circa quod advertendum eſt primò, non quidquid practicè probabile eſt, eſſe certò, & evidenter licitum; benè tamen, quidquid ſupponitur, vel proponitur ut practicè probabile, eſt certò, & evidenter licitum.* Ita num. 19. cit. & infra num. 20. ſubdit: *Advertendum eſt ſecundò, quod cum dicimus, id quod ſupponitur probabiliter licitum, ex dictamine reflexo eſſe certò, & evidenter licitum: id intelligendum eſſe, dummodo ſupponatur eſſe verum, talem opinionem eſſe probabilem practicè.* Hæc P. Cardenas.

704 Ex quibus locis clarè conſtat præfatum Authorem cum ſuis velle judicium practicum, ſeu dictamen directum in materiâ morum opinativum non eſſe in ſe certum, ſed purè probabile; eo quod (inquit) procedit ex principiis probabilibus: ſicut eſt judicium illud: licitum eſt variare officiũ canonicũ abſque peccato mortali. Procedit enim ex hoc probabili principio; videlicet, quod variatio accidentalis in obſervantia legis, ſeu præcepti, ſervatâ tamen ſubſtantiâ præcepti, non inducit peccatum mortale. Et ex hoc alio etiam probabili; videlicet, quod variatio officii canonici accidentalis eſt, & non ſubſtantialis, cum in omni officio ſalvetur ſubſtantia ſeptem horarum. At dictamen reflexum ſuper hac probabilitate, vult eſſe omninò certum, & evidens; & huiuſmodi dicit eſſe judicium iſtud, nempè; licita eſt variatio officii canonici, eo ipſo quod eſt opinio probabilis: quia hoc judicium procedit ex principiis certis, & evidentibus probabilitatis ut ſic; ut ipſe dicit, & magis ſe explicat infra, ut videbimus.

705 Quare per ipſum ſtat ſimul quod dictamen, ſeu judicium directum non ſit certum, ſed merè probabile: & quod evadat, & fiat omninò certum, & evidens ex dictamine ſeu judicio reflexo ſuper eius probabilitate; ut conſtat ex duplici illa ſuâ advertentiâ dictis *num.* 19. *&* 20. requirit tamen ad hoc, & exigit tantùm, quod ſupponatur, vel proponatur tamquam verè probabile id, quod eſt directè practicè probabile. Quod ſi quæratur ab ipſo: undè habeat hunc tranſitum dictamen illud de probabili, & inevidente in ſe, ad omninò certum, & evidens in reflexione? Reſpondet: quia in judicio reflexo procedit ex principiis certis, & evidentibus; ſi tamen probabilitas practica directa ſit ut talis evidenter cognita; vel evidenter ut talis intellectui proponatur. Et hoc explicat,

cat, & probat *ead. diſp. 10. cap. 7. a. 1.* tribus concluſionibus, quas ponit *num. 69. 70. & 71.*

706 Et prima, quam ponit *num. 69.* hæc eſt: *Quidquid affirmatum in materia morum eſt evidenter probabile, eſt evidenter licitum.* (ſubaudi, ex dictamine reflexo: juxta eius doctrinam.) Probat autem concluſionem hanc hoc ſyllogiſmo, videlicet: *licitum eſt exercere operationem, pro cuius honeſtate ſtat opinio practicè probabilis: Sed operatio, A, talis eſt, ut pro eius honeſtate ſtet opinio practicè probabilis: ergo licitum eſt exercere operationem, A.* & ſubdit: *Suppono maiorem eſſe evidentem, ut oſtendi cap. 6. num. 50. ſi autem opinio relata in minori ſit evidenter probabilis; minor, quæ affirmat illam opinionem eſſe probabilem, eſt evidens. Cum ergo ambæ præmiſſæ ſint evidentes; concluſio, quæ affirmat id eſſe licitum, neceſſariò evadit evidens, ſaltem morali evidentia.* Uſque huc P. Cardenas in primâ ſuâ concluſione. Ubi, ut vides, operatio, A, quæ ſolùm probabiliter judicabatur licita in judicio directo, evadit per dictum Authorem certò, & evidenter licita in reflexo; quia, inquit, in reflexo infertur ex præmiſſis evidentibus; nempè ex maiori illa propoſitione, quæ eſt illud idem dictamen reflexum generale ſuper probabilitate ut ſic; & quam ipſe dicit oſtendiſſe *dicto cap. 6. num. 50.* & ex minori, in quâ refertur probabilitas particularis opinionis, quæ etiam dicitur evidens, ſuppoſitâ evidentiâ talis particularis probabilitatis; prout exponit idem Author.

707 Secunda eius concluſio adducta *num. 70.* eſt hæc: *Non omne, quod eſt practicè probabile, eſt evidenter licitum.* Et probat illam eodem ſyllogiſmo, cum hac tamen differentiâ, quod opinio relata in minori non ſupponitur evidenter probabilis. *Et tunc, in tali ſyllogiſmo* (inquit) *concluſio non poteſt eſſe evidens; nam ſi opinio contenta in minori, non eſt, neque ſupponitur evidenter probabilis, etiam ſi ſit practicè probabilis, jam illa minor, quæ dicit opinionem eſſe probabilem, non eſt evidens: quod ſi illa minor non eſt evidens, neque concluſio, ac per conſequens illud practicè probabile non eſt evidenter licitum in illo judicio reflexo ex defectu evidentiæ illius practicæ probabilitatis relatæ in minori.* Ita præfatus Author in ſua ſecundâ concluſione *num. 70. cit.* Ubi, ut vides operatio v. g. A, quæ probabiliter judicabatur licita in judicio directo, non evadit per dictum Authorem evidenter licita in reflexo ex defectu evidentiæ in minori, quia in minori opinio relata ut probabilis non eſt reſpectu ſyllogizantis evidenter talis, neque ut talis ei proponitur; ac proindè nec concluſio indè deducta eſt evidēs.

708 Tertia concluſio eiuſdem adducta *num. 71.* eſt hæc: *Quoties opinio proponitur ut evidenter probabilis, quidquid ſic probabile eſt* (hoc eſt ſecundùm quod proponitur ut evidenter tale) *eſt evidenter licitum.* Et probat illam hoc ſyllogiſmo, videlicet: *licitum eſt exercere operationem, pro cuius honeſtate proponitur intellectui opinio ut practicè probabilis: ſed pro abſolutione v. g. moribundi, in quo nullum apparet ſignum pœnitentiæ, proponitur meo intellectui opinio ut practicè probabilis: ergo mihi licitum eſt exercere abſolutionem moribundi, in quo nullum apparet ſignum pœnitentiæ. In quo ſyllogiſmo* (inquit P. Cardenas) *maior eſt dictamen practicum evidens, ut conſtat ex ſupradictis: minor etiam eſt evidens; quia licet non ſit evidens eam opinionem eſſe probabilem, eſt tamen mihi evidens, quod ea opinio proponitur mihi ut evidenter probabilis. Cum ergo conſequentia rectè deducatur ex præmiſſis, & præmiſſæ ſint evidentes, concluſio neceſſariò evadit evidens: atque ideò evidens eſt, eam abſolutionem hîc, & nunc eſſe mihi licitam. Et attentè* (inquit) *nota hanc concluſionem, & eius rationem; continet enim Doctrinam, quæ ad multa alia prodeſſe poterit.* huc uſque P. Cardenas. Ubi, ut vides, operatio, quæ probabiliter judicabatur licita in judicio directo, etiam ſi non ſit evidens eius probabilitas practica; ſi tamen intellectui ut talis proponatur, evadit per dictum Authorem evidenter licita in judicio reflexo; quia ſic jam ex præmiſſis evidentibus infertur, ut ipſe exponit.

709 Et ibidem *num. 73.* ex præfatâ doctrinâ deducit reſolvi quæſtionem illam: *An ſcilicet ut licita ſit hîc, & nunc operatio, prærequiratur judicium certum de eius honeſtate? An verò ſufficiat probabile?* Et dicit: *Sufficere judicium probabile, loquendo de directo: requiri verò judicium certum, loquendo de reflexo; quia ex hoc illud evadit certum.* Et ita conciliat Theologos, qui adverſari videntur: ait enim quod *qui dicunt ſufficere judicium probabile, loquuntur de directo probabili ſuffragante tali, vel tali operationi: qui verò poſtulant judicium certum, loquuntur de reflexo.* ita *num. cit.*

710 Hæc autem, quæ nominatim ex P. Cardenas retulimus, ferè ab omnibus aliis jura practicæ probabilitatis defendentibus docentur. Quæ certè, ſive vera ſint, ſive non (quod infra examinabimus) oſtendunt evidentiſſimè, unicum, ac potiſſimum eiuſmodi jurium fundamentum, & veluti primum principium dictorum Authorum, eſſe dictamen illud, ſive judicium practicum reflexum generale (ut ipſi dicunt) explicatum in illa propoſitione maiore prædictorum ſyllogiſmorum: Nempe, *quod licitum eſt uti quavis opinione practicè probabili.* Sub qua veluti ſub quadam maximâ irrefragabili ſubſumunt probabilitates practicas ſuffragantes operationibus particularibus, ſivè directè conſideratas prout ſcilicet ſuffragantur huic, vel illi operationi; quo pacto (inquiunt) ſunt merè probabiles: ſivè reflexè, prout ſcilicet ſub genere practicæ probabilitatis ſupponuntur collocatæ; quo pacto (inquiunt) tranſeunt in evidentes ſaltem evidentiâ morali, virtute illius maximæ, ſeu ge-

neralis

neralis dictaminis reflexi, ſub quo continentur. Atque indè deducunt fieri certò, & evidenter licitas eas omnes, & ſingulas operationes, ſuper quarum probabilitate ſit reflexio; ut conſtat in adductis ſyllogiſmis P. Cardenas pro præfatis ſuis concluſionibus, quas ex induſtriâ attulit ad explicandam vim practicæ probabilitatis. Et indè exiſtimat evidenter, ac demonſtrativè concludere, ex vi probabilitatis practicæ (dummodo hæc evidenter conſtet, vel ſaltem proponatur ut talis intellectui) licitam eſſe quamlibet operationem in particulari exercere: idque certum, & evidens eſſe affirmat, utpotè ex præmiſſis evidentibus deductum. Conſtat autem quod præmiſſæ iſtæ in quolibet ſyllogiſmo ſunt, pro maiori, dictamen illud, ſeu judicium, quod reflexum appellant, nempè: *Licitum eſt exercere operationem, pro cuius honeſtate ſtat opinio practicè probabilis*. Et pro minori, propoſitio continens probabilitatem particularis opinionis. Et præfatus Author in reviſione ſuorum ſyllogiſmorum ſemper repetit, dicendo: *maior eſt dictamen practicum evidens, ut oſtendi cap. 6. num.* 50. ita in reviſione primi ſyllogiſmi: vel *maior eſt dictamen practicum evidens, ut conſtat ex ſupradictis*; ita in reviſione ſecundi, & tertii ſyllogiſmi. Ergo totum tot jurium fundamentum eſt præfatum dictamen, ſeu judicium, per Probabiliſtas exiſtimatum certum, & evidens. quod tamen numquam uſque adhuc tale probaverunt evidenti aliquâ ratione.

711 Quod ſi eis inſtetur; hoc ipſum ad ſummum merè probabile eſſe; non certum, & evidens, cum de facto adhuc probabile cenſeatur oppoſitum huius à pleriſque Doctoribus. Reſpondent, ſicut reſpondet Pater Cardenas, negando aſſumptum; & ad probationem dicunt, oppoſitum eſſe probabile, ſtando in ratione directa cuiuslibet opinionis probabilis in particulari; non autem ſtando in ratione reflexa, quæ reſpicit praxim generaliter opinionis probabilis ut ſic. Ac proindè vult P. Cardenas, ſicut & alii eiuſdem doctrinæ, ſuum illud dictamen practicum reflexum ſemper inconcuſſum eſſe, omninò certum, & evidens: & oppoſitum dicere deteſtatur tamquam certò falſum. Ita *diſp.* 10. *cit. cap.* 6. *n.* 49. in reſponſione ad primam obiectionem.

712 Sed tamen ne videatur hoc, quod ipſe millies repetit, gratis aſſerere, nititur immediatè poſt, illud demonſtrare. Atque ideò *num.* 50. ſequenti (qui eſt locus ſupra citatus, ubi ſe oſtendiſſe maiorem illam affirmat) ſic ait: *Itaque hoc dictamen reflexum, nempè (licitum eſſe uti opinione minùs probabili) cenſeo omninò certum; & hac ſyllogiſtica demonſtratione firmari. Implicat contradictionem, quod quis operetur prudenter, & quod in eâ operatione peccet: ſed qui utitur opinione minùs probabili, operatur prudenter: ergo implicat contradictionem, quod is qui utitur opinione minùs probabili, peccet. Quod ſi maliſ ſyllogiſmum efformare magis confirmatum ad amuſſim dialecticam, nempè in ſecundo modo primæ figuræ, ſic illum potes diſponere: omnis, qui operatur prudenter non peccat: ſed omnis qui utitur opinione minùs probabili, operatur prudenter: ergo omnis, qui utitur opinione minùs probabili, non peccat.* Et *num.* 51. proſequitur dicens: *cuius omnes propoſitiones evidentes ſunt. Conſequentia quidem, cum ſyllogiſmus ſit in ſecundo modo primæ figuræ. Maior ex terminis eſt evidens; implicat enim terminos, qui dicit: operationem illicitam eſſe prudentem; aut operationem prudenter elicitam eſſe peccatum. minor etiam eſt manifeſta; nam opinio, quæ eſt minùs probabilis, verè eſt probabilis; quia ſi non eſt probabilis, non poteſt eſſe minùs probabilis: quod ſi practicè probabilis eſt, ea nititur rationi prudenti; atque adeò qui utitur eâ opinione minùs probabili, utique prudenter operatur, cum operetur prudenti rationi eius opinionis innixus. Vide diſp.* 15. Hæc Pater Cardenas. *ſed diſp.* 15. quò ſe remittit, defendit potiùs ab obiectis, & magnificat hoc dictamen reflexum, non demonſtrat; imò ſupponit, & citat hic fuiſſe demonſtratum. Ecce demonſtrationem; quam auctor iſte magnificat, eo quod ſit in ſecundo modo primæ figuræ, & ex propoſitionibus irrefragabilibus, atque evidentibus. Hanc ipſam paſſim inculcant ferè omnes huius generis Authores, ut Pater Tamburinus, & alii, quaſi per eam actum ſit jam de ſententiâ contraria. Syllogiſmus iſte eſt eorum Achilles, in quo videntur de aliis triumphare; cum tamen re vera nihil habeat dialecticæ demonſtrationis præter delineamenta extrinſeca modi, & figuræ, ſitque a vera demonſtratione proportionaliter diverſus, ſicut figura depicta a ſuo reali Prototypo. Ut demonſtrabo in ſequentibus.

§. II.

Oſtenditur demonſtrationem prædictam Probabiliſtarum eſſe nullius roboris.

713 ET primò ut appareat quanta æquivocatione eiuſmodi ſyllogyſmus laboret, eumdem reaſſumo ad concludendum id, quod alias eſt evidentiſſimè reprobandum; & ſic illum conſtruo: omnis, qui operatur prudenter, non peccat: ſed omnis, qui ſibi in aliquo gravi periculo, ſubtili aliqua fraude, & etiam iniqua calliditate effugium efficax adinvenit, prudenter operatur: ergo omnis, qui ſibi ſic fraudulenter, & iniquè effugium periculi adinvenit, non peccat. Cuius omnes propoſitiones eamdem evidentiam habent, ſicut propoſitiones præcedentis ſyllogiſmi. Conſequentia enim bona eſt, cum ſyllogiſmus ſit in codẽ ſecundo modo primæ figuræ. Maior eſt ipſiſſima præcedentis ſyllogiſmi. Minor verò ſit manifeſta

Digitized by Google

nifeſta teſtimonio Chriſti Domini Lucæ 16. Ubi proponit parabolam de divite habente villicum: qui privatus jam a Domino ſuo munere ſeu officio, quod habebat villicandi, conſtituit ſibi in poſterum providere de mammona iniquitatis cum diſpēdio Domini ſui, ac proindè iniquè, & fraudulenter adverſus Dominum, ut dicit Hieronymus; & tamen dicitur ibi, quod laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet. Et ſubdit ibi Chriſtus Dominus: quod filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. Ergo omnes, qui inter filios hujus ſæculi computantur, & ad eorumdem imitationem iniquè ſibi in aliquo periculo neceſſitatis provident, prudēter operantur ex ipſo Chriſti Domini teſtimonio, ac per conſequens minor illa veriſſima, & certa eſt. Quid reſpondebit P. Cardenas huic ſyllogiſmo in eodem modo primæ figuræ, & omninò ſuo conſimili, cum aliis omnibus, qui eodem modo argumentantur?

714 Crediderim facilè reſponſuros negando minorem. Optimè quidem. Idipſum autem faciam ego ſyllogiſmo ſuo. Sed quid dicent ad minoris negatæ probationem ex Chriſti teſtimonio deſumptam? manifeſtè enim dicitur ibi, quod laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet. Et quod filii hujus ſæculi prudentiores ſint, quam filii lucis. Dicturos exiſtimo, diſtinguendum eſſe de prudentia, & quod non de vera prudentia, quæ eſt virtus, Sacer textus ſit ibi intelligendus. Satis benè, & optimè quidem. Sed patiantur & ipſi, quod ego eamdem diſtinctionem proportionaliter adhibeam probationi ſuæ minoris. Sicut enim data ejuſmodi diſtinctione ab ipſis, corruit demonſtratio mea: ita eadem diſtinctione à me ſibi adhibita, corruet & demonſtratio ſua.

715. Audiant ergo probationis ſuæ minoris æquivocationem maximam; & ſimul accipiant, quâ ſit diſtinctione tollenda, & protinùs videbunt demonſtrationem ſuam cum tota forma ſyllogiſtica ſecundi modi primæ figuræ corruere à fundamentis. Itaque minor ſui ſyllogiſmi omninò neganda eſt, ſicut eam meritò negavit Vincentius Baronius, & alii; eſt namque falſiſſima in ſe; non enim verum eſt, quod quicumque utitur opinione probabili ad agendum, & multò minùs qui utitur minùs probabili, prudenter operatur. Eam tamen Probabiliſtæ conantur oſtendere, & probare ex ipſamet definitione opinionis probabilis, quâ dicitur, quod ſit illa, quæ prudenti rationi innititur. Ex quo deducunt, quod qui ſecundum illam agit, prudenter operatur. Sed certè nimis æquivocè prudentiam ſumunt. Atque ideò ad probationem ſuam diſtinguendum eſt de prudentiâ, & negandum de prudentia virtute, quæ eſt ſimpliciter prudentia, & opponitur peccato: quidquid ſit de prudentiâ alterius generis. Hæc quidem eſt vera, & ſubſtantialis reſponſio ad exiſtimatam illam demonſtrationem illius dictaminis, ſeu judicii reflexi, quo ſcilcet reflectendo ſuper probabilitate judicant, licitum eſſe uti quavis opinione practicè probabili. Dicimus enim tale judicium falſiſſimum eſſe. Et cum illud probant ex hoc quod qui utitur opinione practicè probabili, prudenter operatur; reſpondemus ſimiliter, & hoc quoque eſſe falſiſſimum, loquendo de prudentiâ virtute, cum qua opponitur peccatum. Nec prodeſt eis hoc probare ex definitione opinionis probabilis, quæ rationi prudenti innititur. Quia etiam data eis hac definitione, non probant de prudentiâ virtute; ac proindè corruit eorum demonſtratio, corruit & judicium illud reflexum, cui adeò confidunt. Sed quia totum hoc pendet ex demonſtratione falſitatis illius minoris ſubſumptæ, ſcilicet: quod qui utitur opinione practicè probabili prudenter operatur: & ex oſtenſione inſufficientiæ probationis ejuſdem ex definitione ipſius opinionis probabilis; ideò non ſic perfunctoriè, ſed operosiùs oportet hoc ipſum oſtendere, & ex profeſſo diſcutere, quod faciam capite ſequenti.

CAPUT QUINTUM.

De exiſtimatâ prudentiâ operationis ex opinione practicè probabili regulatæ.

§. I.

An qui operatur juxta opinionem practicè probabilem hoc ipſo prudenter operetur etiam datâ Probabiliſtis eorum definitione opinionis probabilis, quod ſit prudenti rationi innixa.

716 Credunt Probabiliſtæ quaſi ad ſenſum demonſtrare, quod qui juxta opinionem practicè probabilem agit, prudenter operetur. Quia, inquiunt; opinio probabilis ea eſt, quæ prudenti rationi innititur. Ac proindè ejus judicium prudens eſt. Videtur autem ad ſenſum, nempè ad ſonum ipſum terminorum, quos auribus percipimus, quod qui judicio prudente regulatur in actionibus ſuis, prudenter operatur. Quid enim plus deſiderari poterit ad prudentem operationem, quàm quod prudente judicio reguletur? Si ergo opinio practicè probabilis, ut ex definitione ſua conſtat, prudenti rationi innititur, ejuſque judicium prudens ſupponitur, opus eo regulatum non poterit prudens non eſſe. Ergo ſuppoſitâ definitione opinionis probabilis, evidenter ſequitur, quod agere juxta illam ſit prudenter agere. Ex quo manet firmum, & inconcuſſum judicium illud, ſeu dictamen practicum reflexum; nempè licitum eſſe uti quacumque opinione probabili; cum nihil poſſit eſſe magis licitum, quàm prudenter agere; nec certius, quam prudenter agere eſſe licitum. Ecce Probabiliſtarum demonſtrationem à nobis quaſi propriam efficaciſſimè propoſitam. Sed eo fortiùs

Ddd

tiùs ſupereſt nobis onus probandi eam gravi equivocatione laborare, fallacem eſse, & nihil prorsùs concludere.

717 Vincentius Baronius *diſp. 1. ſect. 2. a. 2. §. 2. & 3.* præfatam demonſtrationem enervare nititur, negando illis prædictam opinionis probabilis definitionem, eamque a P. Fabro ad ſuum commodum liberè fabricatam appellat. Negat igitur opinionem probabilem eſſe aſſenſum prudentem, & prudenti rationi innixum, Et quod ibi variis exemplis oſtendit. Et *§. 3.* veram affert definitionem, dicens. *Probabile ergo dicimus, cuius cum de veritate, aut falſitate pro noſtra ignorantiâ, & rei inevidentia, nihil certo nobis conſtet, aliquam veriſimilitudinem habet cui aſſenſum damus formidoloſum, ne fortè falſum ſubſit*. Et benè quidem; nam hæc definitio eadem eſt cum ea, quæ communiter circumfertur apud Shcolaſticos omnes, nempè quod opinio probabilis ſit aſſenſus in determinatam partem cum formidine partis oppoſitæ. Eiuſmodi enim aſſenſus indè provenit, quia pars illa veroſimilis videtur magis, quàm oppoſita; ſed ob eius inevidentiam, non excludit formidinem alterius partis. Uſus autem fuit Baronius communi hac definitione, & verâ, ut expungeret ab ea verbum illud prudentiæ, quod Probabiliſtæ ſuæ definitioni inſerere ex induſtriâ excogitarunt, ut indè aptum ſibi præiacerent fundamentum ad tantam Probabiliſmi ſui molem faciliùs aſtruendam. Sed eos, neque ſuper illo, ſolidè ſuperædificare inferiùs oſtendam.

718 Baronii verò ſuprà traditam definitionem inficiatur P. Cardenas, eamq; *diſp. 15. cap. 7. n. 510.* peſſimam appellat, & contra illam dupliciter inſurgit. Primò, *quia* (inquit) *ſimilitudo veri poteſt latiſſima extenſione ampliari: & ſi quis velit argumentum ſophiſticum ſimile vero appellare, difficile convinces: & multa ſunt evidenter falſa, quæ habent ſpeciem veri. Nec me deterret, quòd Academici ita definirent probabilitatem; cum in materia probabilitatis adeò deliraverint, qualiter videbis apud Auguſtinum in libris contra Academicos. Secundò* (inquit) *nam ſi propriè loquendum eſt, ſola propoſitio falſa poteſt eſſe veroſimilis; cum ſimilitudo non verſetur, niſi inter res realiter diſtinctas: undè opinio quæ à parte rei vera eſt, non eſt ſimilis vero, ſed ipſum verum. Tum ſic: propoſitio probabilis poteſt eſse vera: ergo poteſt eſſe non veroſimilis; cum vera, & veroſimilis realiter diſtinguantur*. Hæc P. Cardenas.

719 Verumtamen quam malè ipſe hanc definitionem peſſimam appellet, ſufficientiſſimè conſtare poteſt ex hoc uno, quod ea ſit D. Bernardi *lib. 15. de conſid. cap. 2.* ubi ſic ait; *Opinio ſolâ veriſimilitudine tuetur; opinio certi nihil habens, verum per veriſimilia quærit potiùs, quàm apprehendit: opinio eſt quaſi pro vero habere aliquid, quod falſū eſſe neſcias.* Quid clarius, aut conformius definitioni baronianæ?

720 Neque, quæ in contrarium affert P. Cardenas, vim ullam habent. Non quidem primum; nam licet ſimilitudo veri poſſit latiſſima extenſione ampliari; ex hoc potiùs confirmatur, quam infirmetur tradita probabilitatis definitio; nam videmus quoque eadem extenſionis latitudine probabilitatem ipſam diffundi. Et ſi quis velit argumentum ſophiſticum ſimile vero appellare; certum eſt, quod difficile convinces, niſi diſſimilitudinem oſtendas: quod idem etiam evenit probabili, quod quoque ſi in ſe falſum fuerit, difficile evinces, niſi improbabilitatem, aut falſitatem demonſtres. Sophiſticum enim, & probabile (ſi hoc in ſe ſit falſum, & illud non appareat, procul dubio confunduntur. Nos enim ſophiſticum dicimus, quod agnoſcimus eſſe falſum: & probabile, quod noſtram cognitionem præterit, ſi fortè in ſe falſum ſit. Si ergo probabile ſit in ſe, & obiectivè falſum, idem erit cum ſophiſtico, quod ſubiectivè, ideſt nobis nondùm falſum apparet. Et ſi ſophiſticum, quod obiectivè, & in ſe ſemper eſt falſum, nobis falſum non apparet, idem erit cum probabili obiectivè, & in ſe falſo.

721 Ad id verò quod ſubdit P. Cardenas, quod ſcilicet multa ſunt evidenter falſa, quæ habent ſpeciem veri. Dico id falſum eſſe reſpectu cuius ſunt evidenter falſa; nam reſpectu huius jam ſpeciem propriam ſuæ falſitatis oſtēdunt. Si verò reſpectu alterius, cui non ſunt evidenter falſa, ſumantur; ſic nihil prohibet poſſe illi eſſe probabilia. Denique ad id quod dicit, quod ipſum non deterreat, quod Academici ita cum Baronio probabilitatem definirent; cum illi in hac materia adeò deliraverint, qualiter videri poteſt apud Auguſt. in lib. contra Academicos. Dico quod ſaltem deterrere eum deberet Bernardus ſupracitatus. Præterquamquod falſum eſt quod in hoc Academici deliraverint, ut infra oſtendam, cum textum Auguſtini a ſe adductum contra ipſum potiùs ſtare demonſtrabo *infra cap. 10. §. 1.*

722 Multò minus autem urget ſecundum eius argumentum deſumptum ex propria ſignificatione illius vocis (veriſimile) quod ſcilicet importet ſimilitudinem ad verum, cum reali tamen diſtinctione ab illo, ac proindè infert competere non poſſe opinioni probabili, ſi in ſe vera ſit: ſed illi ſoli, quæ falſa eſt in ſe. Multò (inquam) minùs urget, quia fallitur in ſignificato illius vocis. Et cauſa deceptionis ei fuit, quia ſumpſit ſignificatum illius vocis, ab eo, undè nomen acceptum eſt; non autem ab eo, ad quod ſignificādum impoſitum fuit. Sciat ergo P. Cardenas, quod licet vero-ſimile, à ſimilitudine ad verum ſit derivatum, quæ utique diſtinctionem importat à vero ipſo, ad quod eſt ſimilitudo alicuius: tamen impoſitum fuit ad ſignificandum id, quod nobis verum apparet, ſive in ſe, & obiectivè verum ſit, ſive falſum: & in hac ſignificatione uſurpatur ab omnibus. Et ſecundùm communem uſurpationem

nem omnium intelligi debet in tali definitione, quo pacto competit omni opinioni probabili, ſive in ſe vera ſit, ſive falſa. Sicut nomine lapidis petram ſubſtantialiter ſignificamus, ad quam ſignificandam fuit tale nomen impoſitum; & non pedis læſionem, undè fuit derivatum. Sed hæc in gratiam Vincentii Baronii dicta ſint, qui de definitione opinionis probabilis voluit cum Probabiliſtis contendere.

723 Ego autem nolo de definitione opinionis contendere cum P. Cardenas, vel aliis Probabiliſtis. Sed iis gratis, & liberaliter concedere volo, quod opinio probabilis ea ſit, quæ rationi prudenti innititur, & prudentem importat aſſenſum. Sed quo genere prudentiæ magnâ indiget diſcuſſione. In hoc enim gravis fit æquivocatio. Ipſi ergo quid ſibi velit ratio illa prudens, cui opinio innititur, exponãt; ipſi dicant quale prudens judicium ſit aſſenſus ille dicendus: aperiant mihi terminorum intelligentiam. Certè non aliam dabunt, quam quod ratio prudens ſit ratio ſufficienter movens intellectum ad aſſenſum: vel ut ipſi dicunt, & in idem redit, quod ſit ratio gravis, & firma; hoc eſt, non levis, quæ facilè ab oppoſitis rationibus diſſolvi poſſit, & quaſi fumus aut mobilis aer quocumque vento impeti; ſed gravis, ac reſiſtens, quæque ſuo pondere potens ſit intellectum flectere ad ita judicandum in materiâ, ubi alias evidentia haberi non poteſt. Neque enim alia via eſt aſſignabilis opportunior, aut efficacior ad judicium de rebus proferendum, quarum evidentia haberi non poteſt: atque ideò per hanc viam prudentiſſime incedit quicumque optat ſincere, ac prudenter de eiuſmodi rebus judicium ferre. Quicumque enim efficaciores, & aptiores vias eligit ad finem intentum, ille prudens dicitur, ut millies repetit D. Thomas. Id ſonat ratio prudens in traditâ definitione. Et prudens judicium, quod ex tali ratione procedit. Non aliam certè uſque adhùc ex Authoribus, quos legerim, intelligentiam arbitror haberi poſſe. Nec meliùs, vel clarius ab ipſis eos terminos explicatos vidi. Totum hoc id eſt, quod inculcant, quod exaggerant, quod amplificant. Verumtamen eo toto adhùc totaliter admiſſo, datiſque cunctis iis conditionibus rationis, ſeu motivi, cui opinio probabilis innititur, nempè gravitate, firmitate, ac reſiſtentiâ adverſus rationes oppoſitas, ſufficientiâ, aptitudine, atque prærogativa efficacioris, & opportunioris viæ ad judicandum de eiuſmodi rebus, quarum evidentia haberi non poteſt, adeò ut prudens veriſſimè dicatur, & ſit quicumque eâ via utitur ad judicandum de iis rebus, prout poſſibile eſt: cum toto hoc non video quomodo ex prudentia huius generis deduci poſſit prudentia operationis in agente ſecundum opinionem probabilem: cum prudentia operationis, quæ peccatum removet, ſit generis longè diverſi ab illâ, ut mox oſtendam ex D. Thoma 2. 2. q. 47. Ubi de virtute prudentiæ ſolidè, & profundè de eius more pertractat.

724 Ne autem te diù ſuſpenſum teneam (mi lector) donec ex D. Thoma concludam hoc quod oſtendendum promitto; paucis verbis latum diſcrimen proponam. Et dico quod prudens judicium opinionis eſt generis opinativi, & non activi: prudens verò judicium operationis debet eſſe generis operativi: quæ ſunt genera longè diverſa. Primum enim eſt de licito, ut ſpeculabili: ſecundùm verò eſt de licito exequibili. Primum eſt judicium ſecundum quid, & non abſolutum; nam eſt judicium de licito cum formidine illiciti: qui enim prudenter opinatur, ſic format judicium ſuum, videlicet dicendo ſic: mihi videtur ex gravibus motivis, quibus impellor, potiùs hoc eſſe licitum, quam illicitum; ſed non poſſum non formidare de oppoſito, quia non mihi evidenter conſtat; atque ideò ſecundùm quod mihi ex rationibus apparet, inclinor non ad certò judicandum, ſed ad opinandum, de licito; quod eſt dicere: ad judicandum cum formidine de illicito. Secundum verò debet eſſe abſolutum: niſi enim aliquid abſolutè judicetur ut licitè agibile, non poteſt prudenter agi, quia jam regularetur judicio prudenter formidante de illicito, ac per conſequens eius executio imprudens eſſet; quia eſſet executio actus judicati periculoſi in genere moris. Vides diſcrimen breviter propoſitum: attendè nunc illud ipſum fusè, ac magis explicandum, atque evidentiùs ex D. Thomæ doctrina demonſtrandum. Pro quo ſit:

§. II.

Præmittitur notitia prudentiæ, & exponitur quanam prudentia inſit judicio probabili; & quod inde nullatenus ſequatur operatio prudens.

725 NOtandum itaque eſt primò ex D. Thoma dicta q. 47. a. 2. quod prudentia non eſt in ratione ſpeculativâ, ſed in ratione practicâ. Id quod probat *ex Philoſ. in ſexto Ethic*: Prudentis enim eſt bene conſiliari: conſilium autem eſt de his, quæ ſunt per nos agenda in ordine ad finem aliquem: ratio autem eorum, que ſunt agenda propter finem, eſt ratio practica.

726 Notandum eſt ſecundo ex eodem ibid: in reſp. ad ſecundum quod prudentia ab aliquibus aliquando largiùs uſurpatur, pro quacumque ſcilicet cognitione humanâ tam ſpeculativa quam practica: & ita interdùm eam ſumpſerunt Ambroſius, & Tullius. In primo enim de offic. dicit Ambroſius: *Quod prudentia in veri inveſtigatione verſatur, & ſcientiæ plenioris infundit cupiditatem*. Re vera tamen cognitio ſpeculativa propriè prudentia non eſt;

eſt; nec ſub prudentiâ cadit. Subdit autem ibid: D. Thomas, quod ipſe actus ſpeculativæ rationis, ſecundùm quod eſt voluntarius, cadit ſub electione, & conſilio, quantum ad ſuum exercitium, & per conſequens cadit ſub ordinatione prudentiæ. Sed quantum ad ſuam ſpeciem, prout comparatur ad ſuum obiectum, quod eſt verum neceſſarium, non poteſt ſub conſilio cadere, nec ſub prudentiâ.

727 Notandum eſt tertio ex eodem *ibid. art. 13. Quod prudentia dicitur tripliciter. Eſt enim quædam prudentia falſa, vel per ſimilitudinem dicta: cum enim prudens ſit, qui benè diſponit ea, quæ ſunt agenda propter aliquem bonum finem: ille qui propter malum finem aliqua diſponit congruentia illi fini, habet falſam prudentiam; in quantum illud, quod accepit pro fine, non eſt verè bonum, ſed ſecundùm ſimilitudinem; ſicut aliquis dicitur bonus latro: hoc enim modo poteſt ſecundùm ſimilitudinem dici prudens latro, qui convenientes vias adinvenit ad latrocinandum. Et huiuſmodi eſt prudentia, de qua Apoſtolus dicit ad Rom. 8. prudentia carnis mors eſt. Secunda autem prudentia eſt quidèm vera, quia adinvenit vias accommodatas ad finem verè bonum: ſed eſt imperfecta duplici ratione. Uno modo, quia illud bonum, quod accipit pro fine, non eſt finis communis totius humanæ vitæ, ſed alicuius ſpecialis negotii, puta cum aliquis adinvenit vias accommodatas ad negotiandum, vel ad navigandum, dicitur prudens Negotiator, vel Nauta. Alio modo quia deficit in principali actu prudentiæ, puta cum aliquis rectè conſiliatur, & benè iudicat etiã de his, quæ pertinẽt ad totam vitam, ſed non efficaciter præcipit. Tertia autem prudentia eſt, & vera, & perfecta, quæ ad bonum finem totius vitæ rectè conſiliatur, judicat, & præcipit. Et hæc ſola dicitur prudentia ſimpliciter, quæ in peccatoribus eſſe non poteſt. Prima autem prudentia eſt in ſolis peccatoribus. Prudentia autem imperfecta eſt communis Bonis & Malis, maximè illa quæ eſt imperfecta propter finem particularem.* huc uſque D. Thomas.

728 Ex his autem deducitur, quod ſola prudentia perfecta, & quæ eſt prudentia ſimpliciter dicta non compatitur cum peccato. Judicium autem opinionis eſto ſit prudens, non poteſt eſſe tale ſecundùm prudentiam perfectam, ſed ad ſummum ſecundùm prudentiam alterius generis, nempè in ſolo genere opinativo; ita ut ſecundum illud poſſit opinans dici prudens opinator; eo ferè modo, quo dicitur prudens negotiator, vel nauta, aut ſimilis; ac proinde opus eiuſmodi generis judicio regulatum non poteſt dici ſic prudenter factum, ut non poſſit coincidere cum peccato, ſicut credunt Probabiliſtæ.

729 Quod autem judicium prudens opinionis non poſſit eſſe tale ſecundùm prudentiam perfectam, oſtenditur ex hoc quod nullo modo coincidit cum judicio prudentiæ perfectæ. Nam ut vidimus ex D. Thoma in ſuperioribus notabilibus, prudentia perfecta, & ſimpliciter dicta eſt in ratione practica, ergo debet judicare de vero practico, & non de vero ſpeculativo. Verum practicum autem, & ſpeculativum ſunt obiecta longè diverſa, ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 57. *a.* 5. ad tertium; nam verum ſpeculativum eſt per conformitatem intellectus ad rem. Verum autem practicum eſt per conformitatem intellectus ad appetitum rectum. judicium autem opinionis eſt de vero ſpeculativo. Ergo judicium opinionis nõ coincidit cum judicio prudentiæ perfectæ. Et nota, quod dum dico, quod non coincidit, non ſolùm intendo dicere, quod non ſit idem cum illo, ſed ulteriùs, quod neque ſub illo interdùm cadere poteſt; ſicut poteſt cadere ſub judicio prudentiæ imperfectæ.

730 Ad cuius evidentiam attendendum eſt ex doctrina D. Thomæ in tertio notabili tranſcripta, quod prudentia perfecta rectè conſiliatur, judicat, & præcipit ad bonum finem totius humanæ vitæ. Quibus verbis compendiosè oſtenditur de quo, quid, & ad quem finem conſilietur, judicet, & præcipiat. De quo: ideſt de operatione in ſingulari hic, & nunc facienda, ut expreſſè idem D. Thomas explicat 2. 2. *q.* 51. *a.* 3. & alibi, & conſtat etiam ex primo notabili, ubi dicitur quod prudentia ſit in ratione practica, ac per conſequens debet de praxi judicare, praxis autem eſt de ſingulari agibili hic & nunc. Quid: ideſt veritatem practicam, quæ conſiſtit in conformitate, non ad rem in ſe, ſed ad appetitum rectum, ſicut expreſſè etiam docet idem D. Thomas 1. 2. *q.* 57. *a.* 5. ad tertium; & conſtat ex dicto tertio notabili, ubi explicatur ad quem finem conſiliatur, judicat, & præcipit; idem enim eſt dicere ad talem bonum finem, ac dicere, ad appetitum rectum, quia appetitus dicitur rectus per finem, quem efficaciter intendit. Ad quem autem finem propriè prudentia judicet; exponit D. Thomas, nempè totius humanæ vitæ. Quis verò ſit finis totius humanæ vitæ inferiùs fusè explicabo; nunc autem breviter dico, eſſe Bonum honeſtum, ſeu Morale generaliter in omnibus humanis actibus à nobis unicè perquirendum. Ergo conſtat ſummatim, quod prudentia perfecta debet conſiliari, judicare, & præcipere quamlibet operationem in ſingulari hic, & nunc agendam conformiter ad finem honeſtè, & moraliter benè vivendi.

731 Præterea, ut plenius de hoc judicio prudentiæ notitia habeatur, ſciendum eſt ex eodem D. Thoma 2. 2. *q.* 51. quod prudentia non reſpicit omnes tres iſtos actus elicitivè, ſcilicet conſiliari, judicare, & præcipere. Sed ſolùm elicitivè ad ipſam pertinet præcipere, ſeu ordinare, & intimare voluntati executionem operis hic, & nunc judicati conformiter ad ſuum finem intentum. Primi autem duo

actus

Digitized by Google

actus ad ipſam pertinent imperativè: elicitivè autem ad alias virtutes ſpectant, quibus prudentia utitur ut ſibi ſubordinatis, quæ propterea dicuntur eius partes quaſi potentiales, ut dicit idem D. Thomas 2.2.q.51.*cit.* Et ſunt Eubulia, Syneſis, & Gnomin. Ad Eubuliam enim pertinet benè conſiliari de mediis aptis ad finem: conſiliari autem, idem eſt, ac inquirere, & invenire plura media, ſeu vias conſequendi finem: quare conſilium ſupponit media iſta ſeu vias non eſſe certas, & determinatas ex natura ſua; ſed indeterminata, incerta, & plura; ubi enim non eſt niſi unum determinatum medium ſeu viam perveniendi ad finem; ibi non opus eſt conſilio. Ad ſyneſim verò pertinet de præconſiliatis, & invẽtis mediis judicare quænam præ aliis ſint fini magis apta, & accommodata. Quod etiam facit, & Gnomin: cum hac tamen differentia, quod illa habet judicare de mediis juxta communes regulas: hæc verò præter regulas communes; quia aliquando expedit in agibilibus media apta ad finem debere eſſe præter vias, & regulas communes, ut docet D. Thomas *dicta q.* 51. *cit. art.* 3. & 4.

732 Quà doctrinâ ſuppoſitâ conſtat, quod prudentia per huiuſmodi virtutes ſibi ſubordinatas præconſiliatur, & invenit diverſa media in ordine ad finem ſuum, & de illis judicat in ſingulari hîc, & nunc, quodnam ſit aptius, & conformius appetitui recto per intentionem talis finis efficaciter intenti. Ubi, ut vides, ſupponitur plura illa media omnia apta in ſe eſſe; ſed nihilominùs opus eſt judicio, & diſcretione, ut unum præ alio habeatur aptum ad finem efficaciter conſequendum; & iſtud hîc, & nunc cadit ſub judicio prudentiæ; quod ſi minùs aptum judicetur, ex hoc præciſè quod cum aptis computatur, non benè judicabitur, & dicetur prudentia deficere. Quare non ſatis eſt prudentiæ, quod hîc, & nunc plura media proponantur utcumque in ſe apta propoſita, ſi alias ſint incerta, & non certò conſtet de eorum conformitate ad finem, ſeu ad appetitum rectum per intentionem finis efficaciter intenti. Sed opus eſt ulteriori diſcretione, & judicio. Opinio autem ad hæc non deſcendit, nam ipſa cum ſit in ratione ſpeculativa non judicat de Praxi in ſingulari hîc, & nunc agendâ, neque de illâ judicat per conformitatem ad finem, ſeu ad appetitum rectum, ſed potiùs per conformitatem ad rem. Opinans enim, ut opinans, quærit, & judicat de aliquâ operatione in ſpecie ſuâ conſideratâ, quod ſit v. g. licita, & apta ad finem benè moraliter vivendi, quatenus ei, ob aliquam gravem, & firmam rationem, ut dicunt Probabiliſtæ, videtur non contrariari ad finem; ac proindè competere illi ſecundum ſe conſideratæ, & per conformitatem intellectus ad rem, ſeu operationem illam, hoc prædicatum liciti, & apti ad finem benè vivendi; vel veriùs, non oppoſiti ad talem finem: hoc enim importat opus illud eſſe licitum, nempè non contradicere fini, & appetitui recto; non tamen conducere ad illum: & hoc ipſum, quod eſt non contradicere, non certò judicare poteſt, ſed cum formidine oppoſiti, quantumvis fortè magis ei videatur, & probabilius non contradicere. Conſtat autem quod hoc judicium non coincidit, neque ſtare poteſt ſub judicio prudentiæ perfectæ cui non ſatis eſt judicare, de operatione ut purè in ſe cognoſcendâ, niſi judicet conformiter ad appetitum rectum; nam non curat de veritate ſpeculativâ, ſed de practica; undè prudens dicitur qui medium eligit aptius ad finem, quem indè appetit aſſequi, etiam ſi realiter contingat à conſecutione finis deficere, quia fallitur in veritate rei in ſe: & imprudens, qui minùs aptum medium eligit, etiam ſi contingat ad finem pervenire, eo quod non elegit conformiter ad appetitum ſuum, quantumvis veritatem rei in ſe attigerit. Ergo judicium opinionis ſi ſit prudens, non erit tamen tale ſecundum virtutem prudentiæ ſimpliciter dictæ, & perfectæ. Poteſt tamen benè dici prudens prudentiâ ſecundùm quid, & imperfecta, hoc eſt in genere opinativo; quia opinans, in tali genere habet pro fine, ipſum opinari; ſeu quod idem eſt, attingere veritatem rei in ſe, ſecundùm quod ei poſſibile eſt, ubi veritas non poteſt evidenter ei apparere; ac proindè dùm opinatur, & judicat ſecundùm quod ipſi ex motivis probabilibus res videtur eſſe, jam judicat conformiter ad appetitum, & finem ſuum; nempè veritatis in ſe attingendæ, etiam ſi contingat à veritate in ſe deficere; ac propterea prudenter agit ad finem ſuum, videlicet cognoſcendi in ſe veritatem, prout ſibi in ſe obiicitur ex principiis ſibi poſſibilibus ſpeculanda, & non prudenter ad finem agendi honeſtè, imò neque hunc finem quærit opinans, ut opinans, finis enim iſte non eſt opinantis, ſed agentis.

§. III.

Confirmatur, & magis explicatur præcedens doctrina.

733 Confirmatur, & oſtenditur hoc ipſum ulteriùs ſic: opinio probabilis, vel conſideratur ſecundùm ſpeciem ſuam, ſeu ſecundùm ſuum eſſe ſpecificum: vel quantum ad ſuum exercitium. Si conſideretur quoad ſuum eſſe ſpecificum; hoc eſt, prout eſt in ſe quædam ſpecies cognitionis ab aliis diſtincta, & ſpecificè diverſa à cognitione v. g. ſcientifica, vel fidei &c. ſic eſt actus quidam rationis ſpeculativæ ſpecificatus neceſſariò à ſuo obiecto, ut ex talibus principiis, nempè probabilibus, cognito: Sicut cognitio ſcientifica ſpecificatur à ſuo obiecto, ut cognito ex principiis demonſtrativis: & cognitio fidei ex teſtimonio dicentis. Et hoc modo non eſt in eo locus prudentiæ; niſi fortè nimis largè velimus quamlibet cognitionem, etiam ſpeculativam, prudentiam appella-

re; ſicut expoſuit D. Thomas ſupra de D. Ambroſio, & Tullio, qui ſic largè aliquandò prudentiam ſumpſerunt. Ut ſupra in ſecundo notabili vidimus. Re vera tamen ut ibidem dicit D. Thomas, actus ſpeculativæ rationis quantùm ad ſuam ſpeciem conſideratus, ſub prudentia cadere non poteſt. Et rationem aſſignat; quia quantum ad ſpeciem ſuam dicit eſſentialiter ordinem ad ſuum obiectum, quod eſt verum neceſſarium, & comparatur ad illud tamquam ad ſuum ſpecificativum, quo pacto non poteſt cadere ſub conſilio, nec ſub prudentiâ; nam prudentia eſt de actibus contingentibus, & liberis, ut expreſsè docet *D.* Thomas 1. 2. *q.* 57. *a.* 5. *ad* 3. & non de neceſſariis. Et in propoſito de vero neceſſario tribuente ſpeciem actui ſpeculativæ rationis conſtat, quod neceſſariò, & eſſentialiter per modum naturæ illum determinat ad talem ſpeciem; ita ut ratio ſpeculativa non poſſit aliam ſpeciem actus elicere, niſi illam, ad quam ex obiecto determinatur, ex obiecto (inquam) formaliter ſumpto, prout ſcilicet ſtat ſub lumine principiorum. Conſtat enim quod ſuppoſito aſſenſu principiorum, ſeu præmiſſarum, neceſſitatur intellectus neceſſitate ſpecificationis ad talem ſpeciem actus, ſeu judicii indè conſequentis, puta affirmantis, vel negantis aliquid de obiecto. Ut patet in judicio concluſionis ſcientificæ. Et idem eſt in judicio concluſionis probabilis, ſeu opinionis, etiam in materia morali, quæ aliàs, ideſt materialiter, practica eſt: nam opinio probabilis, puta quod tale opus ſit licitum, actus rationis purè ſpeculativæ eſt, ſumens ſpeciem ſuam ab ipſo vero probabili, quod ex principiis probabilibus attingit, tamquàm ab obiecto purè ſpeculato, & cognito ſub lumine illorum principiorum, undè deducitur; quod etiam verum neceſſarium eſt ſecundùm quod indè deducitur, adeò ut nullo modo poſſit intellectus ſub illis principiis aliam ſpeciem actus elicere, niſi hanc ſpeciem determinatam, ſcilicet affirmationis, quod ſit opus licitum; & non actus oppoſiti, ſeu negationis eius. Quia ſicut eſſentialiter, & neceſſariò, ac per modum naturæ determinatur intellectus ab obiecto ſub principiis evidentibus ad verum evidens, quod indè ſequitur; ita proportionaliter determinatur ab obiecto ſub principiis probabilibus ad verum probabile, quod deducitur ex illis. Utrobique enim omninò determinatus manet, & neceſſitatus ad talem ſpeciem judicii; cum hoc ſolo diſcrimine, quod ibi neceſſariò judicat verum ut certò, & evidenter verum: hic autem neceſſariò judicat verum, ut probabiliter verum, cum incertitudine, & formidine: opinans enim etiam in materia morali, & practica, de ipſa praxi veritatem in ſe neceſſariam ſpeculandam aſſumit, ſi ſcilicet ſit in ſe licita, vel illicita; alterum enim ex his oportet neceſsariò eſse, & hoc eſt quod perquirit admoto lumine principiorum ſibi poſſibilium, nempè ſive evidentium, ſive probabilium, ubi ei deſunt evidentia; nec poteſt aliter judicare, niſi prout ſub eo lumine videt, vel evidenter, & certo; vel probabiliter, & formidoloſe. Quod dico ad oſtendendum quod opinio etiam moralis, & practicè probabilis (ut à Probabiliſtis nominatur) in ratione ſpeculativa eſt, & actus puræ ſpeculationis, habens pro obiecto verum in ſe, quod eſt verum neceſſarium, quod non cadit ſub conſilio, & electione, nec ſub prudentia, ut expreſsè docet D. Thomas in præmiſſis notabilibus; dicitur autem practicè probabilis obiectivè, & materialiter, quatenùs de ipſa praxi ſeu opere agibili veritatem ſpeculatur: formaliter verò ſpeculativa eſt. Ut conſtat ex dictis, quia modo reſolitivo procedit ſiſtendo in pura contemplatione veritatis. Id quod etiam admittit expreſsè de opinione in materia morali idem P. Cardenas *diſp.* 15. *cap.* 4. *art.* 2. *num.* 187.

734 Et confirmatur ampliùs, quia hoc quod eſt, aliquod opus ſpecificè ſumptum, eſſe, vel non eſſe licitum in ſe, eſt verum quoddam neceſſarium, nedùm neceſſitate conſecutionis ſuppoſito aſſenſu præmiſſarum; ſed etiam abſolutè, & in ſeipſo conſideratum: alterum enim iſtorum neceſſe eſt eſſe; ac per conſequens eſt obiectum ſimpliciter ſpeculabile, non minùs quam quod materia prima ſit, vel non ſit pura potentia: & nullo modo eſt aliquod operabile; quod valdè notandum eſt, & benè diſtinguendum. Aliud enim eſt, quod opus illud ſit aliquod operabile: & aliud quod hoc, quod eſt eſſe licitum, vel non eſſe licitum, ſit aliquod operabile. Primum enim verum eſt: at ſecundum eſt falſiſſimum; quia eſſe licitum, vel non eſſe licitum de tali opere eſt prædicatum neceſſarium æternæ veritatis, ſubindeque eſt verum ſimpliciter ſpeculabile, & nullo modo operabile. Poſſumus quidèm opus illud liberè eligere, vel non eligere, & illud effectivè operari, vel non operari pro noſtro beneplacito, & voluntate: at prædicatum liciti, vel illiciti, non eſt in poteſtate noſtra illi effectivè tribuere, ſeu efficere; ſed oportet quod illi alterum ex his neceſſariò tribuamus cognoſcitivè, ideſt purè ſpeculando, & cognoſcendo quale ex his ei ſit competens, vel non. Atque ideò tale judicium neceſſarium eſt quoad ſpeciem ſuam, & non poteſt cadere ſub electione, & conſilio, neque ſub prudentia, quæ ſolùm eſt de contingentibus liberis, & eligibilibus.

735 Neque dicas cum P. Cardenas, quod cum in opinione probabili non cogatur intellectus evidentiâ veritatis, poteſt ſub illis principiis probabilibus concluſioni non aſſentiri, imò & diſſentiri ab illa, & ex imperio voluntatis flecti in oppoſitam partem. Id quod probat experientiâ nam dum (inquit) *Petrus graviter infenſus eſt Joanni; & ſi Joannes potiatur bonâ famâ de honeſtate operationum; adhùc Petrus erumpit contra Joannem in judicium temerarium de delicto ex imperio voluntatis infenſæ.* Ita Pater Cardenas *diſp.* 15. *cap.* 4. *art.* 7. *num.* 270.

735. Ergo verum, quod perquirit, & reſolvit opinio probabilis, non eſt verum neceſſarium neceſſitans intellectum ad aſſenſum; etiam dum ſtat ſub principiis probabilibus; ſed eſt eligibile, & refutabile ab intellectu pro libito voluntatis ex eius imperio, quod habet in intellectum, quando non cogitur ab evidentia veritatis; adeò ut poſſit etiam judicium oppoſitum eligere. Ergo opinio probabilis cadit ſub electione, & conſilio, ac per conſequens ſub prudentiâ.

736 Ne inquam, hoc dicas: falſum enim eſt, quod intellectus ſtans ſub aſſenſu principiorum probabilium, poſſit non aſſentiri concluſioni ſecundum talem determinatam ſpeciem indè deducibili, ſi tamen ad deducendum applicetur; & multò minùs in aſſenſum oppoſitum flecti ex pura electione, & imperio voluntatis: nam ex illis principiis manet eſſentialiter, & neceſſariò, ac naturaliter determinatus ad talem actum ſpecificum, aſſenſus ſcilicet concluſionis, loquendo de eo quoad ſuam ſpeciem, ut dictum eſt; quidquid ſit quoad eius exercitium. Quoad eius enim exercitium non recuſo, quod poſſit intellectus ex imperio voluntatis poſt aſſenſum præmiſſarum ſuſpendi ab omni alio actu circa idem obiectum; & ad alia cogitanda diverti, & applicari; vel ad nihil aliud ampliùs tunc cogitandum. Quod verificari poteſt non ſolùm in diſcurſu probabili, ſed etiam in demonſtrativo, & ſcientifico. Nihil enim repugnat quod voluntas, cuius eſt intellectum applicare ad ſpeculandum, poſt ſpeculata principia, & aſſenſum eorum, intellectum ab applicatione removeat, ne ampliùs exerceat alium actum ſuum, ac per conſequens nihil deducat. Cæterùm ſi ſinat illum applicatum ad proſequendum diſcurſum ſuum circa idem obiectum, non poteſt voluntas facere imperio ſuo quod aliam ſpeciem actus eliciat, niſi aſſenſus in concluſionem per ſe, & eſſentialiter cum illis principiis connexam, neceſſitatur enim ad hoc ab ipſo obiecto, & vero neceſſario formaliter ſub tali lumine attacto.

737 Ad probationem autem illam ex experientia deſumptam, dico, quod decipitur in duobus. Et primò in hoc, quod credit P. Cardenas in eo caſu Petrum ſtare ſimul ſub aſſenſu bonæ famæ Joannis, ſeu publici teſtimonii, quod aliàs circumfertur de honeſtate operationum illius, & eo utatur tamquàm præmiſſa ſeu principio ſibi vero; & ſub tali aſſenſu præſuppoſito, nihilominùs temerè de illo judicare, eſſe delinquentem. Quod tamen falſum eſt. Sed oportet, quod vel numquàm communi aliorum teſtimonio crediderit, ac proindè numquam aſſenſum præbuit bonæ famæ illius; quia fortè eos omnes putavit deceptos: vel ſi ſupponatur antea credidiſſe, poſtea eum noviſſimè corruptum apprehendens, in novum & oppoſitum aſſenſum erupit. Secundò decipitur in hoc quod credit ex puro imperio voluntatis in judicium illud temerarium erumpere contra Joannem, quod etiam falſum, & impoſſibile eſt. Si enim voluntas tale imperium directum haberet in intellectum, ut ipſe dicit, quoad ſpeciem actuum eius, quando ille non cogitur ab evidentia obiecti, poſſet idem judicium temerarium imperare contra quemlibet etiam amicum ſibi dilectum, ſaltem ad experiendum ſuum imperium ſupra intellectum; quod tamen falſum eſt, & impoſſibile: Quis enim dicat amicum poſſe liberè, & ex puro libito voluntatis judicare de amico probatiſſimæ famæ abſque ullo prorsùs vel leviſſimo ſigno, aut indicio, ſive vero, ſive apparente, judicare quòd ſit impius, latro, homicida, ſacrilegus, & ſimilia. Non ergo ex mero imperio voluntatis judicium illud temerarium procedit, ſed ex motivis nonnullis ſemper ſe tenentibus ex parte intellectus, ſive veris, ſive ſaltem apparentibus, quantumvis leviſſimis, ſed ab intellectu apprehenſis, ut ſufficientibus ex prava diſpoſitione voluntatis. Fateor itaque id ex infensâ voluntate in caſu propoſito ortum habere; non quod ſpeciem eiuſmodi judicii imperet intellectui, & intellectus ad eius imperium tale judicium eliciat; ſed quia dum ipſa infenſa illum applicat ad judicandum, intellectus quoque eius pravitate inficitur, & depravatur; ita ut per quamdam convenientiam ſympathicam, quam naturaliter inter ſe habent potentiæ, evadat vis eius apprehenſiva, & diſcurſiva læſa; ita ut motiva, quæ forte nulla ſunt, vel leviſſima, aut inconnexa, videantur ipſi ſufficientia ad judicandum, & parvula ſæpè feſtuca trabs ingens appareat; non minùs quam ictericus oculus pallida quæque obiecta videt, cum non ſint talia.

738 Explicatur totum hoc optimè ex D. Thoma 2. 2. *q.* 60. *a.* 3. Ubi de ſuſpicione, & judicio temerario ait: *quod contingit ex tribus. Uno quidem modo ex hoc quod aliquis ex ipſo malus eſt: & ex hoc ipſo quaſi conſcius ſuæ malitiæ, faciliùs de aliis malum opinatur*; *ſecundùm illud Eccleſ.* 10. *in via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat. Alio modo ex hoc, quod aliquis malè afficitur ad alterum; cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut iraſcitur, vel invidet ei, ex levibus ſignis opinatur mala de ipſo; quia unuſquiſque faciliter credit, quod appetit. Tertio modo provenit ex longa experientia, undè Philoſ. dicit in* 2. *Reth. quod ſenes ſunt maximè ſuſpicioſi, quia multoties experti ſunt aliorum defectus*. Ecce quomodo D. Thomas numquàm ex puro imperio voluntatis; ſed ex motivis, levibus quidem, ſed intra lineam intellectus exiſtentibus, docet judicium temerarium provenire. Nam in primo modo dicit, quod ex hoc quod quis eſt conſcius ſuæ malitiæ, indè procedit ad malè opinandum de aliis: ecce motivum intellectus, non eſt imperium voluntatis, ſed ſuæ malitiæ cognitio: nam quaſi ab exemplo ex malitiâ ſuâ arguit malitiam aliorum:

quod licet leviſſimum, & fallax argumentum ſit, argumentum tamen eſt; idque ſibi ſufficiens videtur, quia in ipſo intellectus quoquè depravatus eſt. Similiter in ſecundo modo, ubi expreſsè ex levibus ſignis, ait D. Thomas, intellectum procedere, quaſi tamen ſibi ſufficientibus ex malà illà affectione voluntatis adversùs illum, de quo judicat. Et idem evenit in tertio modo; ubi ex longà experientia multorum, quaſi per quamdam inductionem ex multis, quos quis malos expertus eſt, ad aliquem malè judicandum procedit; cum enim intellectus ex hoc, quod per longam experientiam multorum malitiam deprehendit, aſſueſcat mala judicare, quodammodò depravatur in ferendis judiciis de malis, atque ideò indè quaſi per ſufficiens motivum judicat arguendo ex malitià conſuetà aliorum malitiam alicuius.

739 Ex quibus omnibus conſtat non poſſe voluntatem ſuo imperio directo intellectum flectere in aliquod judicium, quantum ad eius ſpeciem; quia actus judicii quoad ſuam ſpeciem eſt eſſentialiter ex obiecto formaliter ſumpto, ideſt prout ſtat ſub lumine ſuorum principiorum ſive evidentium, ſive probabilium: & nullo modo poteſt eſſe ex imperio directo voluntatis ſupra intellectum; quia nullum tale directum imperium habere poteſt voluntas in illum. Et ſimiliter ob eamdem cauſam neque poteſt voluntas ſuo imperio directo intellectum impedire ab aſſenſu concluſionis quoad ſuam ſpeciem, ſuppoſito aſſenſu principiorum, etiam ubi non cogitur evidentià veritatis, ſicut eſt in aſſenſu opinionis probabilis; quia aſsenſus ille, ſeu judicium opinionis eodem modo ſpecificatur, & eſsentialiter pendet quantùm ad ſpeciem ſuam ex obiecto ſeu vero probabili, ut ſtante ſub lumine ſuorum principiorum probabilium; ita ut ſuppoſito iſtorum aſsenſu probabili; ſeu quod idem eſt, ſuppoſità veritate probabili iſtorum, non poſſit intellectus non judicare ut probabiliter verum, quod indè benè deducitur, quantumcumque conaretur voluntas à ſpecie talis judicii intellectum impedire.

740 Poſse autem ab hoc impedire, & in oppoſitum judicium flectere indirectè, ſicut explicat P. Cardenas *loc. cit. num.* 269. non recuſo. Sed hoc non obſtat contra me. Nam ut ipſè ibi exponit, id fit per hoc quod voluntas facit, quod intellectus non attendat ad vim argumentorum, quæ ad aſsenſum alicuius partis conducunt: vel quia facit, ut intellectus quærat rationes alias, quæ ſaltem apparenter maiorem faciant probabilitatem pro parte oppoſità: vel denique quia facit, ut intellectus magis attendat ad rationes alterius partis, ratione cuius maioris attentionis prædictæ rationes videantur intellectui probabiliores. Sed in his omnibus modis manifestè apparet, quod totum imperium voluntatis reſpectu intellectus eſt circa exercitium ſuorum actuum, non quantum ad ſpeciem eorum. Idem enim eſt dicere, quod facit, ut intellectus non attendat vim argumentorum unius partis; & quod attendat ad querendum rationes fortiores pro altera parte; vel quod magis attendat has, vel illas: ac dicere, quod applicat intellectum ut ſe exerçeat in cōſideratione iſtorum, & non illorum argumentorum: vel quod ſe exerceat in inveniendis rationibus, ſi quæ ſint, pro una parte; & non in cōſideratione rationū, quæ ſunt pro altera parte: quod totum ad exercitium pertinet, non ad ſpeciem actuum; quod ego libenter admitto. Et licet ad varias voluntarias applicationes intellectus factas a voluntate, ſequantur variæ ſpecies actuum intellectus; non proindè tamen iſtæ ſpecies quoad rationem ſuam ſpecificam à voluntate ſunt, & quaſi liberæ, & voluntariæ; ſed ſunt ſemper neceſsariæ, & eſsentialiter determinatæ ab ipſo obiecto ſeu vero ab intellectu cognito ſub lumine illorum principiorum, ad quæ intellectus applicatur conſideranda; & ſolùm ſunt à voluntate quantum ad exercitium. Uno verbo, dico, quod à voluntate ſolùm eſt, quod intellectus judicet potiùs de hoc, quam de illo obiecto, vel potius de his principiis, quam de illis: at quod judicium de hoc, vel illo obiecto; vel de his, aut illis principiis, ſit huius vel illius ſpeciei, puta quod ſit judicium affirmativum, vel negativum, totum ab obiecto eſt, quia verum neceſſarium eſt, & nullo modo liberum. Numquam ergo voluntas poteſt in intellectum agere circa ſpecies actuum eius: ſed ſemper intellectus actus ſuos illius ſpeciei neceſſariò habebit, prout præſtabunt obiecta, circa quæ applicatus fuerit a voluntate; ſive talia obiecta ſint principia, & rationes inferendi, ſive ſit concluſio conſequens ex illis, ſive ſit ipſa formalis connexio conſequētis cum principiis; omnia enim hæc, & unumquodque eorum, eſt quid neceſſarium ſuo modo neceſſitans, ac ſpecificans eſſentialiter actum intellectus ſibi correſpondentem; & nullo modo voluntatis imperio ſubordinatur. Impoſſibile enim eſt, quod voluntas ſuo imperio faciat, quod intellectus videat principia probabilia, & illis non præbeat aſſenſum tamquàm probabiliter veris: vel quod videat eorum connexionem cum concluſione, & quod non judicet ea eſſe connexa, vel quod non deducat concluſionem, eique non aſſentiatur ut probabiliter veræ, quod totum pertinet ad ſpecies actuum. Sed quia ſpecies iſtæ quoad exercitium & exiſtentiam ipſorum pendent à voluntate ut applicante ipſum intellectum ad obiecti conſiderationem, ideò impediri poſſunt utiquè indirectè ab illà, & de facto impediuntur hoc ipſo, quod voluntas nolit applicare intellectum ad hoc, vel illud, ſed potiùs ad aliud obiectum, vel nullum. Et hoc contingere poteſt etiam in ſcientia, non ſolùm in opinione, quantumvis in ſcientia ſit etiam prærogativa evidentiæ. Undè ex hoc dominio indirecto voluntatis ſu-

pra

pra actus intellectus, non ſequitur, quod judicium opinionis non ſit neceſſarium quoad ſuam ſpeciem, ſed ſolùm quod non ſit neceſſarium quoad ſuum exercitium, ſeu quoad ſuam exiſtẽtiam. Atq; ideò nullo modo poteſt opinio cadere ſub electione, & conſilio, nec ſub prudentiâ, ſi conſideretur quantum ad ſpeciem ſuam, quod erat intentum principale probandum à nobis.

741 Si verò conſideretur opinio quoad ſuum exercitium, ſic utique pertinet ad rationem practicam, & cadere poteſt ſub electione, & conſilio, & conſequenter ſub prudentiâ. Sicut etiam hoc modo, ideſt quoad exercitium, cadere poteſt ſub conſilio, & electione, atque ſub prudentiâ ipſamet ſcientia, poſſum enim ex pura voluntate applicari ad probabilitatem quærendam unius partis, & non alterius; applicando ad hunc finem intellectum meum ad ſpeculandas rationes, quæ ad eam conducant, & non alias: ut v. g. quia video circa materiam primam verſari duas opiniones, alteram, quæ illi concedit propriam exiſtentiam; alteram verò, quæ illi eam negat: poſſum ex conſilio eligere defendere ſecundam, & applicari ad illam defendendam, ſpeculando rationes, quæ huic faveant, & ſolvant oppoſitas: & tunc dicor prudenter agere in ordine ad finem eiuſmodi probabilitatis tuendæ. Sicut & prudenter dicor agere hoc ipſum eligendo, dum hoc eligo ex conſilio ad alium finem, puta ad exercendum ingenium, vel aliud ſimile. Quod dico, quia conſilium, & prudentia ſunt de agendis propter finem, non autem de ipſo fine. Et idem evenit de opinione morali; idemque etiam de ſcientia: Poſſum enim etiam in materia ſcibili ex pura voluntate applicari ad quærendam concluſionem aliquam, ut mathematicè demonſtrandam, & non phiſicè; vel econtra: applicando ſcilicet ad hunc finem intellectum ad ſpeculandum principia mathematica, & non phiſica; vel econtra. Et ſic de aliis. Hæc omnia enim quoad exercitium ſub conſilio, & electione cadunt, & ſub prudentia; & à voluntate dependent ſic vel ſic intellectum applicante ad obiecta, ad quæ voluerit: at quoad ſpeciem ſuam, ſeu quoad ſuam eſsentiam non pendent à voluntate, ſed potiùs & unicè ab ipſis obiectis formaliter ſumptis, quibus intellectus applicatur, ut ſupra explicatum eſt. At hoc modo conſiderata, nempè quoad exercitium, licet ſub prudentia cadant, non tamen ſub perfecta prudentia ſunt, quæ eſt virtus, & prudentia ſimpliciter dicta, cui repugnat peccatum; ſed imperfecta, & ſecundum quid, hoc eſt per ordinem ad particularem finem, & non per ordinem ad finem communem totius humanæ vitæ, in quem tendit prudentia perfecta. Qui enim voluntariè vult ſuſtinere hanc potius opinionem probabilem, quàm illam; dum applicatur ad rationes, quæ huic potiùs faveant, & ſolvant rationes partis oppoſitæ, dicitur utique prudenter agere in hoc, quod potiùs has rationes conſiderandas aſsumit, quàm alias, quia ſic accommodatiores vias invenit ad talem opinionem ſuſtinendam, quod eſt finis ab ipſo intentus: & ſimiliter prudenter dicitur agere in hoc ipſo, quod talem opinionem ſuſtinendam aſſumit, ſi hoc ex conſilio, & electione facit ad alium finem, puta vel ad exercendum ingenium: vel (ut ſiſtamus in materia morali) ad ſe eximendum à lege, ad favendum ſuo commodo, & libertati, & ſimiles alios fines. Sed hæc prudentia non eſt prudentia ſimpliciter dicta, & virtuoſa; ſed ſecundùm quid nempe in genere particularis finis; non autem per ordinem ad communem finem totius humanæ vitæ, ad quem unicè reſpicit prudentia ſimpliciter, quæ eſt virtus, & cui repugnat peccatum; ut ſupra ex D. Thoma adnotavimus; ut conſtat, finis enim exercendi ingenium; aut conſulendi proprio commodo, & libertati, & ſimiles, ſunt fines particules.

§. IV.

Iterum magis explicatur doctrina præcedens.

742 QUod ſi velis (lector) totam doctrinam ſuperiùs traditam quaſi ad ſenſum demonſtratam, eam tibi ſic ampliùs claram proponam. Suppone primò, quod utique veriſſimum eſt, prudentiam (quæcunque illa ſit) nõ eſſe de fine, ſed de agendis propter finem, ut millies repetit D. Thomas in ſuâ ſummâ. Et ideò definitur, quod ſit recta ratio agibilium; quâ ſcilicet agens agendo regulari debet; cum enim omne agens agat propter finem, oportet quod in agendo, hoc eſt in agibilibus ſuis, quæ agenda ſunt propter finem, reguletur per prudentiam; & conſequenter prudentia non eſt de ipſo fine, ſed de agendis propter finem. Et ſi ſit de agendis propter fines particulares præſcindentes à bonitate, vel malitiâ morali, erit prudentia ſecundùm quid, & imperfecta, in tali ſcilicet determinato genere negotii, ſeu materiæ, circa quam verſatur. Et cum tali prudentia interdùm coniungitur peccatum, & interdùm non; hoc ipſo enim quod finis preſcindit à bonitate vel malitia, poteſt ei utrumque accidere. Et ideo D. Thomas de hac prudentiâ dixit, ut vidimus ſupra, quod poteſt eſse, & in bonis, & in malis. Si verò ſit de agendis propter fines determinatè malos; erit prudentia falſa, quam D. Thomas ait eſse in ſolis peccatoribus. Si denique ſit de agendis ſaltem ultimatè propter finem honeſtum, nempè ad benè moraliter vivendum, quod eſt finis communis totius humanæ vitæ, quatenùs tota vita hominis, hoc eſt omnes actus humani debent in hoc convenire, quod ſint honeſti, & moraliter boni; & ideo ratio honeſti, & boni moralis dicitur finis communis omnium agendorum ab homine

Digitized by Google

etiam propter fines particulares, ſaltem ultimatè, quia in his etiam relucere debet ratio honeſti, & boni moralis: tunc erit prudentia ſimpliciter dicta & virtus, cum qua peccatum ſtare non poteſt.

743 Suppoſito autem hoc, quod prudentia ſit de agendis propter finem, ſequitur manifeſtè, quod debet conſiliari, & judicare de eiuſmodi agendis. Sed agenda propter finem quid ſignificant? diſcute benè (lector) eorum ſignificatum: & invenies quod ſignificant media, quibus agens uti debet ad finem efficaciter conſequendum. Ergo judicium prudentiæ eſt de quibus mediis agens uti debeat ad finem conſequendum; quod eſt dicere: quæ media potiùs applicare debeat hic, & nunc ad talem finem. Non igitur judicat prudentia de mediis qualia in ſe ſint, hoc enim ad rationem ſpeculativam pertinet judicare, quæ ſpeculatur veritates rerum in ſe: ſed judicat quænam hic, & nunc ex eis applicanda ſint pro fine intento; & ideò non curat de veritate eorum intrinſecâ, ſed potiùs de eorum conformitate ad appetitum (nempe voluntatem) rectum per intentionem finis; nam hæc conformitas prodeſt opportuno uſui ſeu applicationi mediorum pro fine efficaciter conſequendo. Quapropter diximus ſupra, quod judicium prudentiæ eſt de veritate practica, quæ in huiuſmodi conformitate conſiſtit. Et hinc eſt, quod aliquando prudentia ſtat cum falſitate ſpeculativa rei: & econtra veritas rei cum imprudentiâ. Ut ſi agens v. g. hìc, & nunc judicet iis mediis utendum, quæ apparent omninò conformia appetitui ſuo, hoc eſt omninò conducentia hic, & nunc ad finem, quem appetit efficaciter aſsequi; & tamen in ſe talia non ſunt, ſed decipitur, & finem propterea non aſſequitur; nihilominùs dicitur prudens, & prudenter judicaſse, atque etiam prudenter egiſse; quia judicavit conformiter ſecundùm quod apparebat. Econtra verò ſi judicet quis iis mediis uti, quæ apparent minùs conducere ad finem ſuum, & illa in ſe opportuna ſint, ita ut verè ad finem intentum conducant, ac propterea de facto illum aſſequatur; dicitur imprudens, & imprudenter judicaſſe, & egiſſe; quia non ſecundùm quod appetebat conformiter judicavit; quantumvis eius judicium in ſe verum fuerit. Undè, finis aſſecutio non eius prudentiæ tribueretur, ſed fortunæ.

744 Eiuſmodi exempla habemus in Negotiatoribus. Experimur enim quod multoties prudens Negotiator prævidens v. g. ex multis circumſtantiis futuram penuriam frumentorum, frumenta ſua conſervat, ut vendat poſtea tempore penuriæ altiori pretio, & magnum lucrum indè reportet; & nihilominùs ex accidente ſuperveniente, quod prævideri non poteſt, puta quia ex longinquis partibus incidenter magna copia frumentorum tempore, quo penuria expectabatur, illuc aſportatur, accidit frumenta viliori pretio vendi; undè Negotiator loco lucri cogitur jacturam pati: & tamen non poteſt iſte talis de imprudentiâ argui in eo, quod frumentum ſuum reſervaverat eo tempore vendendum; quia hoc erat ſecundùm apparentiam conforme appetitui ſuo recto per intentionem lucri, quod quærebat, licet rem falsò ſecundùm ſe judicaverit. Econtra verò imprudens Negotiator diceretur, qui eamdem penuriam moraliter prævidendo, nihilominus frumenta ſua prævenderet pretio currente; quia non judicaret conformiter ad appetitum ſuum augendi lucrum, quod ſupponitur finis intentus à Negotiatore; & tamen iſte verum in ſe attingeret, & lucrum inde reportaret, quod primus amiſerat. Undè hoc? niſi quia aliundè regitur judicium prudentiæ à judicio veritatis in ſe? illud enim regitur, & deſumitur ex conformitate medii ſecundùm quod apparet magis conducere ad finem hìc & nunc efficaciter intentum: iſtud verò ex conformitate ad obiectum, ſicut eſt in ſe. Illud eſt de utilitate rei ad finem attentis circumſtantiis negotii ſingularibus: iſtud eſt de veritate rei præſcindendo à fine, & circumſtantiis quibuſcumque; atque ideò ſunt formaliter de diverſo obiecto. Illud perficit rationem practicam: iſtud rationem ſpeculativam. Illud non curat falli circa obiectum, dummodò non fraudetur à fine: iſtud totum eſt ad obiectum cognoſcendum ſecundùm prædicata, quæ magis videntur ſibi ſecundùm veritatem tribuenda, & nihil reſpicit de aſſecutione finis, ſi indè habeatur, vel non. Et hoc pertinet ad ſcientiam, vel opinionem: illud vero ad prudentiam. Vide diſcrimen. Scientia, vel opinio inquirit, & judicat an res in ſe ſit, vel non ſit talis? puta (in propoſito) an operatio ſit in ſe licita, vel non? & non inquirit, nec judicat, an ſit in praxi agenda, vel potiùs ab eâ abſtinendum? prudentia verò econtra inquirit, & judicat an ſit agenda, vel potiùs ab ea abſtinendum; non obſtante judicio opinionis de eius eſſe licito? non enim prudentia utitur immediatâ cognitione, & judicio ſpeculativo ſciētiæ, vel opinionis, quæ ſunt in ratione ſpeculativa, ut alibi diximus ex D. Thoma, ſed utitur cognitione, & judicio practico ſpectante ad alias virtutes cognoſcitivas practicas ei proximè inſervientes ad præconſiliandum, & judicandum de agibilibus non in ſe ipſis abſolutè conſideratis, ſed reſpectivè, & per ordinem ad finem intentum ab agente. Neque ſemper coincidunt judicium etiam de licito ſpeculativum, & practicum; præſertim quando ſpeculativum non eſt certum, ſicut eſt illud ſciētiæ; ſed eſt incertum, & cum formidine, ſicut eſt opinativum. Undè poſt judicium ſpeculativum adhuc ſupereſt agenti onus ulteriùs inquirendi per judicium practicum de agibilibus ſuis. Et licet cum ſcientifico ſemper coincidant materialiter, & identicè; non tamen formaliter; quapropter ſemper opus eſt judicio practico,

ctico,

Digitized by Google

ctico, ut diximus in prima parte de conſcientia: nam licet utramque materialiter judicent de licito; formaliter verò ſunt diverſa, quia ſcientificum judicat de licito abſolutè & in ſe, ut purè cognito ſecundùm prædicata ſibi cõpetentia: practicum verò judicat de licito reſpective, & per ordinem ad finem intentum, & aſſequendum ab agente, & tamquàm eligibili ab ipſo propter finem. At opinativum per ſe neque materialiter, & identicè coincidit; quia multoties quod eſt opinativè licitum non eſt prudenter judicandum eligibile; imò veriùs numquam, ob periculi formidinem ei eſſentialiter adnexam, ratione cuius non poteſt judicari conformiter ad appetitum agentis rectum per efficacem intentionem finis, ſicut exigitur ad judicium practicum, quo regitur prudentia.

745 Sed dices: Judicium opinionis probabilis in materia morali eſt de licito in ſe, juxta traditam doctrinam. Sed judicium de licito in ſe ſemper eſt utile, & conforme ad appetitum rectum agentis in ordine ad finem benè vivendi moraliter, qui eſt finis communis totius humanæ vitæ. Qui enim eligit id, quod in ſe licitum judicatur, utitur medio conformi ad finem benè vivendi moraliter; ac per conſequens judicium opinionis practicè probabilis de licito ſemper coincidit ſaltem materialiter, & identicè cum judicio prudentiæ, & numquam opponitur illi; quod ſatis eſt ut dicatur prudens ſaltem identicè, & materialiter.

746 Reſpondeo dupliciter, & primò dico licitum in ſe, & ut tale judicatum, eſſe utique ſemper utile, & conforme ad appetitum rectũ agentis in ordine ad finem benè vivendi moraliter, ſi judicium ſit certum, ita ut agens cognoſcat illud eſſe certò licitum; quia tunc poteſt optimè per judicium practicum judicari ut eligibile ſecundùm prudentiam, & prudenter eligi, utpotè tale judicatum per hoc judicium practicum, quod ad prudentiam pertinet, & quo in agendo debet agens proximè regulari: non autem ſi judicium ſit incertum, & formidoloſum, ſicut eſt judicium opinionis probabilis; quia tunc non poteſt per judicium practicum prudentiæ approbari ut tale, & judicari ut eligibile quaſi conforme ad appetitum agentis in ordine ad finem benè vivendi moraliter. Et ratio huius eſt, quia licitum probabile eſt cum formidine oppoſiti; quod eſt dicere: ſic eſt judicatum licitum, ut ſimul timeatur, ne fortè ſit illicitum: conſtat autem quod licito cum tali formidine judicato, ne fortè ſit illicitum, nemo poteſt practice, & prudenter judicare utendum eſse ad finem efficaciter intentum benè vivendi moraliter; non enim ſecundùm prudentiam judicari poteſt utile, & eligibile propter conſecutionem finis medium aliquod, quod affert ſecum periculum evertendi finem; & præcipuè ſi ſit in promptu medium aliud ſine tali periculo.

747 Nec valet dicere cum Probabiliſtis, hoc verum eſſe, ſi formido illa non deponitur; at ſi illa deponatur, poterit optimè prudenter judicari ut eligibile. Non, inquam valet; nam hoc ipſum magis imprudens eſt. Si enim opinio probabilis per ipſos benè fundata, & gravi, ac prudenti rationi innixa, licitum judicat, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed cum formidine ne fortè ſit illicitum: quâ prudenti ratione poterit formido illa deponi? ratio prudens opinionis probabilis non ſufficit ad judicandum ſine formidine; nam ſi ſufficeret, non formidanter opinio judicaret: & prudentia operationis, per ipſos ex huiuſmodi prudenti ratione originata, erit ſine formidine? quis hoc dicat? quomodo igitur poterit operatio per opinionem cum formidine ne ſit illicita prudenter judicata, poſtea per judicium practicum prudentiæ judicari ſine ullo periculo, ad finem benè vivendi moraliter, eligibilis? ſed de hoc alibi iterùm redibit ſermo. Pro nunc verò id ſolùm velim attendas lector, & tecum mente recogites, nimirùm prætenſam demonſtrationem Patris Cardenas de certitudine illius ſui judicii reflexi in circulum verti cum toto ſuo ſecundo modo perfecto primæ figuræ ſyllogiſticæ: probat enim judicium illud reflexũ, puta (licitum eſt ſequi opinionem practicè probabilem) eſſe omninò certum, & evidens, ex eo quod prudenter, qui ſequitur illam, operatur: Et poſtea probat prudenter illum operari, ex eo quod ſequitur opinionem practicè probabilem, quæ ſupponitur judicium prudẽs, utpotè prudenti rationi innixum. At prudenter, & licitè operari ferè ſynonyma ſunt; undè ipſe dicit, & meritò, ridiculum eſſe aliquem dici prudenter operari, & peccare; vel quod idem eſt, non licitè operari. Dum igitur ipſe probat judicium illud reflexum (licitum eſt ſequi opinionem practicè probabilem) certum eſſe, & evidens, quia qui illam ſequitur, benè, licitè, & prudenter operatur, cum hæc ferè ſynonyma ſupponantur; & poſtea probat illum prudenter operari; ex eo quod ſequitur opinionem practicè probabilem, quæ adhuc ſynonymè idem eſt, ac judicium prudens utpotè prudenti rationi innixum: jam vertitur in circulum, & quaſi per gyrum intentum ſuum probat ex eo, quod ipſi manet adhùc probandum; & nihilominùs prætendit demonſtrare (ut dicit) in ſecundo modo perfecto ſyllogiſtico primæ figuræ. At nos de formâ ſyllogiſticâ tantùm non curamus, quia minorem falſam eſſe dicimus, nec probatam hactenùs videmus.

748 Reſpondeo ſecundò, & meliùs, ad replicam illam principalem, & dico quod licitum in ſe, & ut tale judicatum, numquam eſt utile, & prudenter eligibile ad finem benè vivendi moraliter; ac propterea numquam poteſt, rigoroſè loquendo, agens dici prudenter operari ad talem finem, dum quod eſt licitum, & ut tale etiam veriſſimè judicatum, ſequitur, & opera-

tur ad talem finem conſequendum; quia numquam eſt medium poſitivè conducẽs ad illum: ſed ad ſummum dici poteſt utile negativè; quatenùs ſcilicet, qui eo utitur, non agit contra dictum finem, nempè benè vivendi moraliter, ſeu quod idem eſt, non agit contra bonum honeſtum, quod eſt finis communis totius humanæ vitæ intentus efficaciter a prudentia virtute, ut diximus ex D. Thoma; ac per conſequens non poteſt agens dici tunc prudenter agere ſecundùm illam prudentiam, quæ eſt virtus, & cui peccatum repugnat, de quà hìc prætendit P. Cardenas, dum ex repugnantia peccati ad prudentiam format ſibi argumentum ad probandum intentum ſuum, ut conſtat in eo, quod dicit; ridiculum eſſe prudenter agentem peccare, aut peccatum eſſe prudens; hoc enim de ſolâ prudentia virtute verificatur, non de alio genere prudentiæ; nam alias ut loquitur D. Thomas, poteſt etiam latro dici prudens, & nihilominùs ſurando peccat. Qui ergo prudenter agit ſecundum prudentiam, quæ eſt virtus, oportet quod illud eligat, quod poſitivè conducit ad finem virtutis prudentiæ, quæ in toto homine, ideſt in omnibus actibus totius humanæ vitæ, bonum honeſtum intendit, quod tantùm & dumtaxat in ſolis actibus virtutum reperitur, & per actus virtutum eſt aſſequibile; non autem per actus, & operationes licitas, quæ licet bono honeſto non contradicant, non tamen poſſunt ad illud conducere; ac propterea qui quod eſt licitum eligit, non prudenter agit ſecundùm prudentiam virtutem, quia non tendit in bonum honeſtũ, quod virtus prudentiæ quærit; ſed bonum alterius generis, in ordine ad quod poteſt utique dici prudens, ſed ſecundùm aliud genus prudentiæ, ſecundùm quod poteſt aliquis in aliis agibilibus dici prudens, ut prudens Negotiator, prudens Navigator, &c. Quarè judicium opinionis probabilis de licito in ſe numquam coincidere poteſt cum judicio prudentiæ ſimpliciter dictæ, quæ eſt virtus, neque materialiter, & identicè: ſed vel contrariè, vel ſaltem diſparatè ſe habet ad iſtud: contrariè quidem ratione periculi imbibiti in eius formidine de illicito: diſparatè verò ſi ſupponatur verè licitum eſſe, quod ita judicatur; quia etiã hoc ſuppoſito, non eſt de medio poſitivè conducente ad finem prudentiæ virtutis.

749 Poteſt autem totum hoc ampliùs manifeſtari per exempla prudentiæ alterius generis à prudentia virtute. Conſtat enim in prudente Negotiatore quod omnes eius operationes, quæ non faciunt contra negotium ſuum, ac per conſequens optimè judicari poſſunt, & certò ſibi liberè licere citra offenſionem ſuæ negotiationis, & citra omnem jacturam lucri à ſe in ſuâ negotiatione efficaciter intenti; non poſſe dici prudenter judicatas tales per prudentiam in genere negotiationis: nam judicium huius prudentiæ debet eſſe, & eſt tantùm de agendis, quæ ſunt media poſitivè conducentia ad negotium, & lucrum, quod eſt finis unicus negotiationis, & ex quo tamquam ex fine per ſe, & efficaciter intento, agens regi debet à prudentia huiuſmodi generis in omnibus operationibus ſuis ad negotiationem ſpectantibus; & non de aliis quantumcumque licitis agibilibus citra læſionem lucri, & quæ diſparatè ſe habent ad lucrũ, & finem negotiationis. Ridiculũ enim eſſet dicere, quod Negotiator in hoc ipſo, quod v.g. comederet, & biberet, aut deambularet, vel dormiret, & ſimiles operationes exerceret, quas liberè poſſet agere citra læſionem negotiationis ſuæ, & ſine periculo alicuius jacturæ; prudenter ageret negotium ſuum; aut quod prudentia in genere negotiativo de his operationibus judicaret tamquam de conferentibus ad finem benè lucrandi, qui eſt unicè intentus à prudentia iſtiuſmodi infra genus negotii; cum huiuſmodi operationes nullam connexionem, nullamque conformitatem habeant cum appetitu lucri in negotiatione intenti, ſed omninò diſparatè ſe habeant per ordinem ad talem finem. Quare ſi huiuſmodi operationes ſint prudenter judicatæ, non per judicium prudentiæ in genere negotii erunt judicatæ, ſed per judicium prudentiæ alterius generis, ad quod ſcilicet per ſe, & poſitivè illæ conducunt; puta in genere vitæ liberæ, commodæ, delitioſæ, & huiuſmodi. Sicut igitur omnes operationes, quæ omninò diſparatæ, & impertinentes ſunt ad negotiationem, & lucrum, quod Negotiator intendit, non ſunt Negotiatori incongruæ, ſed poſſunt ab eo congruenter, & licitè, & etiam prudenter fieri; & tamen non pertinent ad prudentiam negotiationis; nec per eas dicitur Negotiator prudenter agere in genere negotii; quantumvis poſſit prudens dici in alio genere, quia per eas nihil agit pro, vel contra finem negotiationis ſuæ: Ita, & ex eadem ratione omnes operationes in ſe licitæ, & ut tales judicatæ, non pertinent ad prudentiam, quæ eſt virtus, & prudentia ſimpliciter dicta; neque per eas dicitur agens prudenter agere in genere huiuſmodi prudentiæ, quia per eas nihil agit pro, vel contra bonum honeſtum, quod eſt finis eius; ſed omnino præter illum. Undè ſi prudens dicitur, talis erit in alio genere prudentiæ, quæ erit prudentia ſecundùm quid, & particularis, ſecundùm quod eſt finis, in quem illæ ſpecialiter conducunt: unuſquiſque etiam dum congruè, & conformiter agit ad aliquem finem, dicitur in eo genere prudens: Quare prudentia agentis ex fine operis propriè dignoſcenda eſt; quia eo genere prudentiæ dici poteſt prudens, in cuius finem per opus ſuum intendit ſe conducere.

750 Ex quo colligitur, quod eum quod licitũ eſt, non ad bonum honeſtum, vel clariùs, non ad bonum virtutis conducat, quod eſt finis totius humanæ vitæ, & intentus à prudentia, quæ eſt virtus, ut docet D. Thomas, ſicut ſu-

pra

pra vidimus; ſed potius ab bonum utile, ſeu commodum temporale privatum uniuſcuiuſque agentis, puta ad bonum propriæ libertatis, ut conſtat ex proprio vocabulo; (hoc enim ſonat licitum in genere moris, nempè quaſi licentiatum à lege, ut illud poſſit unuſquiſque agere pro ſuo beneplacito, & libertate, quaſi ab omni lege ſolutus, eo quod opus illud nullâ lege præcipitur, aut prohibetur; ſed permittitur uniuſcuiuſque libertati agendum, vel non agendum, tamquam id, quod nulli legi, aut virtuti opponitur: ſicut neque ab aliqua virtute, vel lege exigitur; ſed veluti omninò extraneum ſe habet in ordine ad illas, & penitùs diſparatum, impertinens, & indifferens) conſequenter non ad prudentiam virtutem pertinet, ſed alteriùs generis. Qui ergo licitum quærit, non legi, aut virtuti conſulit; ſed propriæ libertati, & commodo; & hùc propriè tendit, & intendit tamquam proprium finem; & non in finem, ſeu bonum aliquod honeſtum virtutis, & legis, ad quod nullo modo opus tale conducit. Ergo ſi prudenter illud ſibi judicat agendum, & prudenter illud agit; id totum ad prudentiam quamdam imperfectam pertinet in genere vitæ commodæ, & liberæ, quò finaliter tendit; & non ad prudentiam ſimpliciter dictam, & quæ eſt virtus unicè bonum honeſtum intendens, cui peccatum repugnat

751 Vide ergo lector quale ſit judicium prudens opinionis practicè probabilis de licito in materia morum. Vide in quo genere prudentiæ, qui illam ſequitur, dicatur prudenter agere. Vide ſi huiuſmodi prudentiæ (de quâ, ut vidimus, dixit D. Thomas reperiri poſſe & in bonis, & in malis) ſit repugnans peccatum. Vide ſi ſit ampliùs ridiculum, quod qui ſic prudenter agit, aliquando peccet; quando ſcilicet contingit eius opinionem practicè probabilem in ſe eſſe falſam. Vide ſi tunc tale genus prudentiæ poſſit dici incompatibile cum peccato. Vide qualem moralem certitudinem de non peccando indè ſibi acquirat judicium illud reflexum. Vide tandem qualis ſit demonſtratio illa adeò commendata in ſecundo modo perfecto primæ figuræ conſtructo ex illis præmiſſis continentibus repugnantiam peccati cum prudentiâ in maiori; & connexionem prudentiæ cum operatione ex vi opinionis practicè probabilis in minori, etiam evidenter cognitæ, vel ut talis intellectui propoſitæ; ut P. Cardenas dixit. Hæc vide, & diligenter tecum expende, & eris inter me, & Authorem illum Arbiter, Judexque veritatis.

§. V.

Dilucidatur magis tota præcedens doctrina: Et exponitur quot modis ſe habere poſſit opinans ex parte ſuæ intentionis in opinando; & indè oſtenditur quo genere prudentiæ, dum opinatur re verâ procedat.

752 VT ex huc uſque dictis, prolixè quidem, ſed neceſſariò præmiſſis, appareat diſtinctiùs de judicio opinionis probabilis, an, & qualiter dici poſſit prudens, & quo genere prudentiæ; eſt ulteriùs ſemper præ oculis habenda doctrina illa D. Thomæ de his, quæ poſſunt, vel non poſſunt cadere ſub conſilio, & prudentiâ: & inde opus eſt videre quo pacto opinio practicè probabilis de licito in genere moris, poſſit ſub conſilio cadere, & ſub prudentiâ: & poſtmodùm de eâ determinare ſub quo genere prudentiæ.

753 Pro cuius dilucidatione ſciendum eſt, quod opinans in materia morum aliquam operationem eſſe licitam, hoc ipſo quod ita probabiliter judicat, procul dubio aliquam ſpeciem operationis exercet, ipſum videlicet judicium opinativum; eſt namque hoc tale judicium ſpecies quædam operationis intellectualis, & actualiter facta ſeu exercita ab intellectu. Atque ideò in huiuſmodi judicio duo ſunt cõſideranda, videlicet ſpecies talis operationis, & exercitium eiuſdem. Species eius eſt, quod ſit eſſentialiter tale determinatum judicium de tali obiecto, puta judicium affirmans de tali operatione, quod ſit licita: per hoc enim conſtituitur eſſentialiter in ratione judicii talis ſpecificè diverſi ab omni alio judicio; judicare enim aliquid eſſe licitum, eſt quædam determinata ſpecies judicii contradiſtincta ab omni alio judicio. Exercitium autem eius eſt per hoc, quod tale judicium ponatur actualiter in eſſe, & fiat de facto exiſtens. Eſt autem inter hæc duo multum diſcriminis; nam ſi conſideratur tale judicium quoad ſuum exercitium, ſic dependet à voluntate, & eſt actio quædam libera cadens ſub conſilio, & ſub electione, ac per conſequens ſub prudentiâ: quod enim intellectus exerceat hic, & nunc talem actum judicii, & judicet de facto de tali obiecto, ex imperio voluntatis eſt applicantis hic, & nunc intellectum ad judicandum de illo v. g. de aliqua operatione, ſi in ſe licita ſit, vel illicita: quia unicuique liberum eſt, ſi velit, vel nolit de illâ ſpeculari, & videre qualis re verâ in ſe ſit: nec umquam de illâ quis ſpeculabitur, niſi conſultò priùs eligat, & velit de facto ſpeculari de illâ qualis ſit, motus procul dubio ex aliquo proprio fine. Ex quo fit quod ſpeculatio, & judicium, quod indè formatur, dicatur meritò cadere ſub voluntate, ſub conſilio, ſub electione, & prudentiâ quoad eius tamen exercitium. At, ſi conſideretur quoad ipſius eſſe ſpecificum, ſeu quoad ſpeciem ipſius judicii; puta quod ſit po-

tiùs judicium affirmativum de licito, quàm negativum; & reſolvat operationem illam eſſe licitam, & non potiùs eſſe illicitam: hoc non eſt liberum, nec a voluntate pendet, nec poteſt ſub conſilio, & electione cadere, nec ſub prudentiâ; ſed eſt neceſſarium, & pendet neceſſariò ab obiecto, tamquam a quo ſuam ſpeciem ſumit ſicut, & quicumque alius actus; ut enim dicunt Philoſophi; actus omnes ſpecificantur ab obiectis, ſeù per ordinem ad illa. Quare non eſt in noſtra poteſtate opinari de aliquo obiecto, quod volumus; ſed cogimur de unoquoque ſic judicare, ſecundùm quod ipſum ſe obiicit nobis in ſe formaliter cognoſcendum ſub lumine ſuorum principiorum. Ex quo fit quod huiuſmodi judicium quoad ſuum eſſe ſpecificum non poteſt dici prudens, vel imprudens, quia non poteſt cadere ſub electione voluntaria, & eſſe de genere eligibilium; prudentia autem non eſt, niſi de eligibilibus propter finem.

754 Supereſt itaque ex his dicendum, quod judicium iſtud poſſit tantummodò dici prudens quoad eius exercitium, quatenùs ſcilicet conſultò quæritur ab aliquo ut habendum à ſuo intellectu ad aliquem finem, ut eo ſemel facto ab intellectu, cuius eſt de obiecto judicare quale in ſe ſit, vel non ſit, uti poſſit, & prudenter eligere ad ſuum finem, quem aſſequi intendit, ſi erit tamen judicio practico prudentiæ judicatum conforme appetitui ſuo, ita ut videatur ad finem, quem appetit, benè conducere. Et tunc judicium illud opinativum poterit dici prudens, non quidem in ſua ſpecie conſideratum, prout eſt in ſe cognitio quædam obiecti affirmativa v.g. de licito, ſed prout eius exercitium, ſeu poſitio eius in eſſe fuit volita, & electa ut conformis, & conducens ad ſuum finem; ac propterea erit utique prudens in quantum tamen volitum, electum, & utile judicatum ad talem finem, ſed eo genere prudentiæ, cuius erit finis propter quem fuerit utile judicatum. Si igitur benè attendatur quis ſit finis, quò opinans tendit per eiuſmodi judicium opinativum, protinùs apparebit quo genere prudentiæ id erit prudens.

755 Pro quo adnotandum eſt, quod multipliciter poteſt opinans in materia morali ſe habere ex parte intentionis: Nam vel intendit ſimpliciter indagare veritatem in ſe, & nihil aliud, ſed ibi quieſcere: vel intendit ex ſuo beneplacito unam opinionem præ alia ſuſtinere, aut utramq; problematicè, ad exercendum ingenium, ſive ad ſui ingenii oſtentationem: vel intendit per illam ad praxim devenire, & indè licitè operari, aut quid ſimile. Si primum, conſtat jam tunc eius finem eſſe verum in ſe, quod eſt verum neceſſarium, & purè ſpeculabile ſub ratione veri. At ſub ratione finis eſt quoddam bonum appetibile, atque ideò movet voluntatem ad præconſiliandum de mediis, & judicandum quibus uti debeat ad ſui conſecutionem; atque ideò voluntas imperat rationi practicæ, cuius eſt proprium munus præconſiliari, & judicare de agendis propter finem: Ratio autem practica tunc judicat tali fini aſſequendo, & appetitui per huiuſmodi intentionem recto, nihil utilius eſſe, vel conformius, quam uti ratiocinatione, & judicio ſpeculativæ rationis; ex quo fit quod voluntas hanc eligit applicandam, & applicat effectivè ad talem finem, atque ideò prudenter agit, ſic agendo. Ubi ut vides, judicium prudentiæ non eſt ipſummet judicium ſpeculativæ rationis ſcientificum, vel opinativum; ſed aliud longè diverſum, & practicum; & habet pro obiecto praxim, hoc eſt, uſum, ſeu applicationem, & exercitium judicii ſpeculativi, quatenus de hoc judicat eſſe utendum tamquam medio utili ad verum in ſe aſſequendum, quod eſt finis opinantis: Ipſum verò judicium ſpeculativum ſive ſcientificum, ſive opinativum dicitur prudens, quatenùs ſecundum ſuum exercitium eſt judicatum utile, & conforme ad finem per tale judicium practicum prudentiæ, quo pacto ſe habet ut opus practicè agendum & exequendum, ſeu ut medium, & bonum utile ad finem; & non ut verum in ſe, & ſpeculabile, ſic enim eſt obiectum ſpeculativæ rationis tribuens ſpeciem judicio ſpeculativo, ſive ſcientiæ, ſive opinionis. Undè conſtat quod judicium opinionis ſolùm dici poteſt prudens, quatenùs judicatum utile per judicium prudentiæ practicum, ac per conſequens coforme ad appetitum rectum per eiuſmodi finis intentionem, ſed eo genere prudentiæ, cuius eſt ipſe finis ultimatè intentus. Cum igitur finis iſte ſit particularis, eſt namque bonum particulare potentiæ cognoſcitivæ, eiuſque perfectivum; nam potentia cognoſcitiva per cognitionem veritatis in ſe perficitur, & ad hanc unicè tendit tamquam ad proprium bonum, in quo quieſcit; undè non ſe ingerit cum honeſtate ſeu bonitate morali operationum, quæ eſt finis communis totius humanæ vitæ; conſequenter ſi prudens dici poteſt, erit prudens prudentiâ ſecundùm quid, & imperfecta, ideſt in genere purè cognoſcitivo, & non ſimpliciter dicta, & virtuoſa, cui repugnat peccatum.

756 Vel ſecundò intendit opinans unam opinionem præ alia ſuſtinere, vel utramque problematicè ex proprio beneplacito ad finem exercendi ingenium, aut ad ſui oſtentationem. Et tunc voluntas recta ab huiuſmodi finis intentione applicat eodem modo rationem practicam, ut judicet de mediis utendis ad talem finem, & conformibus ſuo appetitui: ſed ratio practica, licet ſimili modo judicet utendum eſſe ratiocinatione, & judicio ſpeculativæ rationis, non tamen ea utendum eſſe judicat abſolutè, & ſimpliciter, ſeu adæquatè, & totaliter; ſed ex parte, puta applicando rationem ſpeculativam ad ſpecialem conſiderationem eorum motivorum, quæ illi parti favent, quam vult ſuſtinere,

cum

eum præciſione ab aliis quæ favere poſſint parti oppoſitæ; quia eiuſmodi partialis conſideratio eſt medium utile ad talem finem; & non illa totalis, quæ potiùs conducit ad unam determinatam partem, quæ videtur vera in ſe; quàm ad unam, vel alteram pro beneplacito opinantis. Ex quo fit quod voluntas tale medium eligit, & ſic applicat rationem ſpeculativam, ut ſe exerceat potiùs in his, quam aliis rationibus conſiderandis, & quod indè ratiocinetur, & deducat, & non ex aliis principiis; quia uſus & exercitium ſpeciale eiuſmodi ratiocinationis eſt medium utile ad talem finem, & conforme tali appetitui opinantis. Et tunc tale judicium opinativum dici poteſt prudens, quatenùs ſecundum ſuum exercitium cadit ſub conſilio, & judicio rationis practicæ judicantis illud utile, & conforme tali fini, & appetitui recto per finem, & ſub electione voluntatis in talem finem tendentis: ſed eo genere prudentiæ, cuius eſt ipſe finis, nempe in genere, ut ita dicam, exercitativo, ſeu oſtentativo proprii ingenii, quod ita opinans ultimatè intendit.

757 Vel denique intendit opinans indè ad praxim devenire operationis licitæ judicatæ, & ſic licitè operari. Et tunc eodem modo conſtat, quod ex conſilio, & judicio rationis practicæ judicantis (ut ſupra) utendum eſſe exercitio ſpecialis ratiocinationis, & judicii ſpeculativæ rationis, tamquam medio utili judicato, & conformi tali appetitui liberè operandi tale opus, poſtquàm fuerit tali induſtriâ tamquam licitum judicatum per eiuſmodi ſpecialem applicationem inadæquatam ſpeculativæ rationis mox explicatam: vel fortè etiam per adæquatam, & abſolutam applicationem eiuſdem, quatenùs indè abſolute & ſimpliciter reſultat judicium de licito juxta intentionem opinantis: tunc, inquam, conſtat quod poteſt tale judicium opinionis dici prudens, ſed eo genere prudentiæ, cuius eſt ipſe finis, in quem ultimatè tendit huiuſmodi opinans: nam ſive velit ex proprio beneplacito opinionem de licito ſuſtinere, ut licitè inde operetur: ſivè velit abſolutè, & adequatâ conſideratione opinari, ita ut ſi reſultet judicium de licito, inde intendat licitè operari; ſemper tale judicium, ſi ſit prudens; non erit, juxta explicatam doctrinam, niſi prudens dicendus eodem genere prudentiæ, quo finis. Et cum finis ſit libertas ſeu licentia operandi pro ſuo commodo, conſequenter prudens dici poterit in genere vitæ liberæ, licentioſæ, & commodæ; non autem in genere honeſtatis, ſeu vitæ moraliter bonæ, quò tendit prudentiâ ſimpliciter dicta, & virtuoſâ, cui repugnat peccatum. Quod eſt ſpecialiter adnotandum, nam eſſe licitum quod opinio de operatione aliqua judicat, non poteſt aliud importare, neque aliud re vera ſonat, niſi quod talis operatio ſit judicata non mala, non prohibita, atque ideò liberum ſit unicuique illam agere, & ſit omnibus pro ſuo beneplacito ampla licentia, & facultas illam faciendi, ſi, & quandocumque voluerit. Sed tale judicium, ſicut & operatio judicata, non poteſt eſſe utile ad alium finem, niſi ad liberè, & cum omni amplâ licentiâ operandum tale genus operationis; ergo non poteſt cadere ſuo conſilio, & judicio alterius prudentiæ, niſi eius, quæ judicat de mediis utilibus ſeu de utendis pro conſequendo fine libertatis, & licentiæ operandi operationem illam. Sed hæc eſt prudentia ſecundum quid, & imperfecta nempè ſecundum finem particularem propriæ libertatis, & commodi; non autem ſecundùm communem finem totius humanæ vitæ, vivendi ſcilicet honeſtè, & benè moraliter in omnibus, & ſingulis humanis actibus; quò unicè tendit prudentia ſimpliciter dicta, & virtuoſa, cui repugnat peccatum.

758 Neque credendum eſt (& in hoc fortè multi decipiuntur) quod licitum idem ſit, quod honeſtum, & bonum morale: & quod eadem ſit intentio licitè operandi, & honeſtè: aut quod idem ſit finis eius qui intendit operari licitè, & qui honeſte ſeu benè moraliter. In plus enim extenditur licitum, quam honeſtum: nam omne honeſtum, & bonum morale, eſt licitum; ſed non omne licitum eſt bonum morale, ſeu honeſtum. Unde qui habet pro fine vivere licitè, hoc eſt admittere operationes ſecũdum ſe licitas, non habet communem finem vivendi in omnibus ſuis actibus honeſte; quia multæ operationes ſecundum ſe, & in propria ſpecie licitæ, non ſunt honeſtæ ſeu moraliter bonæ, ſed indifferentes; bonæ autem, vel malæ in individuo pro diverſitate finis, ad quẽ agens eas aſſumit, ut nunc ex doctrina D. Thomæ alibi ſuppono.

759 Hæc quidèm omnia ſi advertiſſent Probabiliſtæ, non multum fidiſſent prudentiæ ſuæ practicæ probabilitatis. Nec tam facile deducerent prudenter quemlibet operari, dùm ſecundùm opinionem practicè probabilem operatur; ſubindèque nec peccare; eo quod implicat, inquiunt, contradictionem eum peccare, qui prudenter operatur. Dum enim ita argumentantur in iſtam incidunt æquivocationem, & propterea nil concludunt: etenim arguunt a judicio probabili opinionis (quod utique prudens dici poteſt aliquo genere prudentiæ, non quidem ſecundum quod eſt formaliter talis ſpecies judicii per ordinem ad ſuũ obiectum conſtituta; benè tamen ſecundùm quod tale judicium cadit ſub conſilio, & judicio prudentiæ, hoc eſt quatenùs præconſulitur, & judicatur per rationem practicam, quod ſit exercitè eo utendum tamquam medio utili, & conformi ad finem aliquem, puta vel ad quærendam veritatem, vel ad ingenium oſtentandum, vel ad operandum juxta illud, ut ſuperius explicatum eſt, quod eſt cadere ſub prudentia alicuius dictorum generum eiuſmodi finium particularium) ad judicium pruden-

tiæ

tiæ ſimpliciter dictæ, & virtuosæ; cum tamen illud ſit ab iſto nedùm formaliter longe diverſum; ſed neque materialiter poſſit ſub iſto cadere, cum non ſit ab iſto judicabile tamquam utile, & conforme ad communem finem totius humanæ vitæ, ſecundùm quem eſt prudentia ſimpliciter dicta, & virtuoſa; atque ideò tranſitum faciunt de prudentia ſecundum quid, & imperfecta, ad prudentiam perfectam, & ſimpliciter dictam. Sed ex illa hæc perperam deducitur: apparet autem deduci, quia utraque in voce prudentiæ æquivocantur; re vera tamen ſunt valde diverſæ.

760 Et quidem diverſitas earum ſatis eſt ſuperiùs explicata, & iterùm hic exponitur: nam prudentia illa ſub qua cadere poteſt judicium opinionis probabilis etiam in materia morali eſt in determinato genere alicuius ſpecialis vitæ: Prudentia verò ſimpliciter dicta eſt in toto genere vitæ humanæ. Undè ſi probabilitas ſeu judicium probabile ſit quæſitum, & eligatur ab aliquo ad finem perquirendi veritatem in ſe, eo modo quo poſſibile eſt perquiri in materiis, ubi evidentia haberi non poteſt; ſic tota prudentia opinionis ſiſtit in genere vitæ intellectivæ: quærere enim verum eo modo, quo meliùs inveniri poteſt, eſt ſpeciale negotium intellectus ſpeculativi; ac proinde qui principiis probabilibus benè ſpeculatis utitur ad perquirendum verum, quod non poteſt demonſtrative invenire, prudenter ad illud utitur judicio probabili ex illis principiis deducto, quia procedit per accommodatiores vias ad huiuſmodi verum perquirendum, quod eſt ſpecialis finis intellectivæ vitæ tunc ab eiuſmodi opinante ultimatè intentus; hoc enim eſt quod tunc agens intendit, quod ſcilicet ſuus intellectus verum aſſequatur efficaciori modo, quo poteſt. Et hoc procedit, quando quis ſincerè hoc intendit. Si verò non ſincerè intendit veritatem aſſequi, ſed ex proprio beneplacito aſſumit partem aliquam determinatè ſuſtinere ad exercendum ingenium, vel ad ſui oſtentationem; atque ideò ſe applicat ad conſiderandum ſpecialiter rationes pro ea parte, earumque vim totaliter penetrando ex facie illâ præſertim, qua apparere poſſunt veroſimiliores, & aptiores ad eam partem deducendam, diſſimulando pondus rationum oppoſitarum, vel iſtas tergiverſationibus repellendo, & ſimiles induſtrias agendo, ut reſultet judicium illud; tunc etiam prudens erit; ſed in alio genere eiuſdem vitæ intellectivæ, nempe in negotio ſpeciali exercendi ingenium: vel in genere oſtentoſæ vitæ in ſpeciali materiâ, puta in materiâ ſingularis, & peregrini ingenii, quod vult oſtentare; non tamen in negotio perquirendi veritatem. Si denique ſit quæſita probabilitas opinionis, ut eligatur ad operandum pro ſuo commodo, & libertate; prudens quoque dici poterit judicium illud opinionis, eo quod intendens agere pro ſuo commodo, & libertate, benè judicat per rationem practicam eſſe eo judicio probabili utendum; ſic enim conformiter judicat commodo, & libertati ſuæ, ac ſuo appetitui per eiuſmodi finis intentionem recto; ſed in alio ſpeciali genere vitæ humanæ, nempe commodæ, liberæ, & licentioſæ: numquam autem in communi genere totius humanæ vitæ; ac per conſequens numquam in genere prudentiæ ſimpliter dictæ, & virtuoſæ, cui repugnat peccatum. Ex quo fit, quod qui ſecundum eiuſmodi prudentiam, quæ in uſu probabilitatis reſidere poteſt, operatur, non poteſt dici quod prudenter operetur abſolutè, & ſecundum prudentiam ſimpliciter dictam, & virtuoſam, ſed ſecundum aliquam ſpecialem, & imperfectam prudentiam, cum qua ſæpe ſæpius ſtat, & componi poteſt peccatum. Undè nulla eſt conſequentia illa: ergo qui operatur ſecundùm opinionem probabilem, prudenter, & ſine peccato operatur, eo quod ex prudente judicio opinionis probabilis operatur. Nam judicium opinionis probabilis ad ſummum prudens dici poteſt in genere prudentiæ imperfectæ, ſecundum finem ſcilicet alicuius particularis vitæ, puta intellectivæ; vel commodè, & liberè operativæ: non autem ſecundùm communem finem totius vitæ humanæ, ſicut exigitur ad prudentiam ſimpliciter dictam, quæ ſola peccatum removet ab omni operatione,

§. VI.

Exponitur finis proprius prudentiæ virtutis: Et indè nullo modo eam ineſſe opinioni probabili, & operationi per eam regulatæ iterum concluditur.

761 PErcontaberis hic lector. Et quinam eſt communis iſte finis totius humanæ vitæ, per ordinem ad quem de agendis judicat virtus prudentiæ ſimpliciter dictæ? Reſpondeo eum eſſe, ad quem collimare debent omnes actus humani, qui ſcilicet ex deliberatione voluntatis procedunt, quo pacto in linea moris ſunt. Cum enim iſti omnes in hoc conveniant, quod à voluntate ſint ſaltem imperati, conſequenter præter finem proprium, quem ſinguli habent ex propriis obiectis potentiarum, a quibus eliciuntur; debent etiam a voluntate, eiuſque obiecto, communem quemdam finem ſortiri, ex quo ad moralem ordinem transferuntur: non enim poſſunt in ſeipſis conſiderati boni, vel mali moraliter dici; niſi in quantum voluntarii ſunt: In ſeipſis enim ſolùm bonitatem, & perfectionem phiſicam obtinent à propriis obiectis: Per hoc enim quod intellectus v. g. verum attingit, dicitur ipſe, & eius actus bonus, & perfectus phiſicè, quia adeptus eſt ſuum proprium bonum, & finem, undè totam ſuam perfectionem habet; Bonum enim, & finis vitæ intellectivæ verum eſt, in quo intellectus ſiſtit, & quieſcit. Et ſimile eſt de ſenſibus, per hoc quod

quod unuſquiſque pervenit ad ſuum ſenſibile. At prout ſunt voluntarii, & ad ordinem moralem tranſlati, aliò tendere debent, & ad altiorem finem collimare ſibi communiter a voluntate præſtitutum, videlicet ad bonum moris; quod tunc aſſequuntur, quando exercentur cum ſubiectione ad regulas morum, ſeu quod idem eſt, ad leges; hæ enim ſunt regulæ morum. Voluntas enim ut principium morale (ſic enim hic illam accipio) tendit tamquam in proprium finem in bonum honeſtum ſeu morale, ſeu quod idem eſt, in bonum ut ſubiectum regulis morum: & hunc finem ſuo imperio præſcribit omnibus aliis actibus aliarum potentiarum, qui deliberatè ſiunt, qui proindè dicitur finis communis totius humanæ vitæ; quatenùs communis eſt omnibus aliis potentiis, quibus voluntas imperat, ut agant, ſicut etiam & ſibimet reſpectu actuum, quos ipſa à ſe elicit. Sunt enim omnes potentiæ, & actus earum quaſi partes quædam humanæ vitæ, quæ unitim adintegrāt totam vitam humanam. Communis ergo finis totius humanæ vitæ nihil aliud eſt, niſi hoc quod eſt actus humanos debere eſſe ſubiectos regulis morum, & fieri ſecundum regulas honeſtatis, quod idem eſt ac fieri conformiter ad ſacras leges.

762 Ex quo conſtat id, quod toties replicatum eſt, & iterùm replico, quia multùm refert id fixum mente tenere; nempè quod judicium opinionis probabilis de licito alicuius operationis, ſi conſideretur quoad ſpeciem ſuam nullo modo dici poteſt prudens; quia ſic non eſt actus voluntarius, ſed neceſſarius; nec cadere poteſt ſub conſilio, & electione, neque ſub prudentiâ virtute, neque enim eius ſpecies, puta quod ſit judicium affirmativum de licito, & non negativum, ſit per conformitatem ad aliquam regulam morum, & dependenter ab aliquo Canone ſive naturæ, ſive divino, aut humano; ſed per conformitatem potiùs intellectus cum re in ſe obiectivè conſideratâ, ut ſtante ſub lumine principiorum, ſub quo ita in ſe eſse videtur, et non voluntariè ſit; et ex quo intellectus cogitur ad affirmandum potiùs, et non negandum. Si verò conſideretur quoad eius exercitium, quo pacto utique voluntarium eſt, tunc oportet videre ad quem finem illud imperet fieri voluntas, et quò per illud ratio tendat, ſeu ad quid eo utatur; & ad quid ratio practica judicet, ac præcipiat voluntati eo eſse utendum. Conſtat autem quod non poteſt ratio practica benè judicare quod ſit eo utendum ad finem benè moraliter vivendi, & ſecundum legem; nam cum non ſtet pro lege, ſed pro commodo, & libertate, non eſt conforme appetitui recto, & regulato per intentionem ſubiiciendi ſe legibus in tali operatione; ſed potius per intentionem eximendi ſe ab illis, & manendi in propria libertate, & licentiâ operandi, prout agens voluerit. Ergo non poteſt dici quod voluntas imperet illud exerceri, & fieri ad communem finem totius humanæ vitæ, ſeu ad finem benè vivendi moraliter, et cum ſubiectione ad leges, quod eſt finis prudentiæ ſimpliciter dictæ; ſed potiùs ad finem particularem vivendi cum ſua libertate, et commodè; et ſic erit prudens ſecundum prudentiam imperfectam, et in genere vitæ liberæ, commodæ, et licentioſæ. Et ſi illud imperet ad finem ſimpliciter perquirendi veritatem in ſe eo meliori modo, quo poteſt in materiâ illâ, ubi nequit evidentia haberi: vel ad finem exercendi ingenium: erit ſimiliter prudens in tali genere finis, ut dictum eſt ſupra: numquàm tamen in genere prudentiæ ſimpliciter dictæ, & virtuoſæ, cui peccatum repugnat, ut hactenùs oſtenſum eſt.

763 Et ſi quis ex parte probabiliſtarum replicet, quod iudicium opinionis probabilis de licito alicuius operationis ſit per ordinem ad communem finem totius humanæ vitæ, & per ordinem ad regulas morum, et leges: nam idem eſt judicare de aliquo opere eſse licitum, ac judicare tale opus ſic ſe habere ad leges, et regulas morum, et ad finem benè, et honeſtè vivendi, ut non deviet ab illis, imò ſit cum ſubiectione ad illas, à quibus ſaltem permiſſum judicatur: hoc enim quod eſt judicari eſſe licitum, & permiſſum a legibus, & regulis morum, importat judicari cum ſubiectione ad licentiam, & permiſſionem earum: ac per conſequens erit judicium prudens ſecundum prudentiam ſimpliciter dictam, & virtuoſam, attingens hoc quod eſt eſſe conforme, & ſubiectum regulis morum, & legibus, quod eſt finis communis totius humanæ vitæ. Si quis (inquam) ſic replicet: Dico quod in hoc ipſo magnâ æquivocatione laborat, atq; ideò fallitur.

764 Ad cuius evidentiam ſciendum eſt, quod licet licitum non ſit intelligibile, niſi per ordinē ad leges, & regulas morum; idem enim eſt opus aliquod eſſe licitum, ac eſſe permiſſum a legibus, quæ ſunt regulæ morum; ac propterea oporteat idem quoque eſſe judicare de aliquo opere eſſe licitum, ac de illo judicare per ordinem, & ſubiectionem ad leges: tamen hoc ipſum quod eſt judicare per ordinem, & ſubiectionem ad leges, non uno, & eodem modo ſe habet reſpectu ſcientiæ, & opinionis; ac reſpectu prudentiæ. Undè ex hoc quod iudicium opinionis probabilis de licito ſit per ordinem, & ſubiectionem ad leges, & regulas morum; non benè infertur, quod coincidat ſaltem materialiter, et identicè cum iudicio prudentiæ virtutis, et quod proindè dici poſſit verè prudens ſecundùm perfectam prudentiâ, et virtuoſam; et ſit ad finem benè vivendi moraliter, et honeſtè; ſeù ad finem communem totius humanæ vitæ, ſicut eſt ipſum iudicium prudentiæ virtutis. Et ratio huius malæ conſequentiæ eſt, quia cum unum, et alterum iudicium cōveniant in voce, nempè in hoc quod utrumque dicitur fieri per ordinem, et ſubiectionem ad leges; ideò confunduntur, et cre-

duntur ſaltem materialiter, et identicè convenire; quod tamen eſt falſum, præſertim de judicio opinativo, quidquid ſit de ſcientifico.

765 Ut autem falſitas hæc fiat manifeſta, oportet utriuſque diſcrimen aſſignare. Dico itaque quod duobus modis poteſt opus aliquod iudicari licitum per ordinem, et ſubiectionem ad leges. Primò perquirendo, et ſpeculando ipſum opus, qualiter in ſe, et ſecundùm rei veritatem ſe habeat in ordine ad leges, et quomodò ſubiiciatur illis; hoc eſt an re verà prohibeatur, vel licentietur, ſeu permittatur ab illis; itaut opus illud relatum ad leges obiiciatur intellectui ut obiectum purè in ſe ſpeculabile, & judicandum ſecundùm quod veraciter videtur eſſe in ſe ſub lumine ſuorum principiorum, præſcindendo ab intentione, & voluntate agentis; & ſic tale judicium pertinet ad rationem ſpeculativam, & eſt proprium ſcientiæ, vel opinionis, quæ in parte ſpeculativâ ſunt, quæ tantùm, & dumtaxat habet reſpicere, et expendere merita obiecti, & ſecundum illa neceſſariò iudicare, nullo habito reſpectu ad operantem, ſeù volentem operari, ac per conſequens neque ad finem, & intentionem eius. Secundò poteſt opus aliquod judicari licitum per ordinem, & ſubiectionem ad leges juxtâ voluntatem, et intentionem agentis, ſeù volentis operari, et agere opus illud conformiter ad leges, à quibus intendit, et vult efficaciter non recedere; ita ut opus illud relatum ad leges obiiciatur intellectui ut judicandum juxta finem, quem efficaciter intendit, & appetit agens aſſequi per operationem ſuam; quod eſt dicere: ut iudicandum conformiter ad appetitum rectum per efficacem intentionem finis, in qua conformitate conſiſtit veritas practica, ut alibi docet D. Thomas. Et ſic judicium iſtud pertinet ad rationem practicam, & eſt proprium prudentiæ, quæ in parte practica eſt, quæ tantùm, & dumtaxat habet reſpicere, et expendere merita appetitus, ſeu voluntatis agentis, volentis efficaciter aſſequi finem ſuũ, et non aliter agere; et ſecundùm dicta merita neceſſariò judicare. Conſtat autem quod finis, & intentio agentis moralis, ſi velit prudenter agere ſecundùm prudentiam virtutem, eſt velle in omnibus actibus ſuis benè, & honeſtè vivere; ideſt vivere, & agere poſitivè juxta leges faciendo actus bonos, & virtuoſos; vel ſaltem negativè, hoc eſt velle in actibus ſuis efficaciter non recedere à legibus, nec ſe exponere in praxi alicui periculo recedendi ab illis, alioquin poſſet contingere hoc, quod efficaciter intendit tamquam finem, aliquando non aſſequi ex defectu ſuo, quatenùs ubi periculum videret operandi contra leges, nihilominùs illud contemneret per actum facti, operando id, de quo controvertitur ſit ne licitum, vel non; iudicando practicè eſſe illud agendũ, quod procul dubio non eſſet conforme appetitui ſuo recto per intentionem illam efficacem ſui finis, ac per conſequens eſſet imprudens in genere prudentiæ virtutis; quia prudentia virtuoſa, cum habeat pro fine bonum honeſtum, quod a D. Thoma appellatur finis communis totius humanæ vitæ, tota eſt ad iudicandum practicè de actibus bonis, et honeſtis agendis, qui ſcilicet ſint iuxta legis, à quibus ſortiũtur honeſtatem poſitivè, ſi ſint actus virtutum, quia hos volunt leges poſitivè eſſe faciendos; vel ſaltem negativè, ſi ſint actus in ſe, & re vera indifferentes ex propria ſpecie, quia hos tantùm leges permittunt; ac propterea qui efficaciter habet pro fine in omnibus ſuis actibus omninò ſubiici legibus, & appetit talem finem omninò aſſequi, oportet quod ſibi iudicet practicè agendum id, ubi videt non poſſe fraudari ab effectivà aſſecutione ſui finis, alioquin non iudicaret conformiter ad appetitum ſuum; ſubindeque nec prudenter judicaret ſecundum prudentiam virtutem.

766 Ex quo fit, quod cum judicium opinativum ex una parte non reſpiciat ad merita huius finis, et intentionis efficacis, atque appetitus agentis; ſed ſolùm ad merita obiecti in ſeipſo cognoſcibilis ſub lumine ſuorum principiorum: et ex alia parte expendendo merita obiecti non poteſt ſine formidine, ac per conſequens ſine periculo fruſtrandi finem efficaciter intentum ab agente, iudicare; ſicut debet practicè iudicare virtus prudentiæ, ſeu prudentia virtuoſa: conſequenter non poteſt nec formaliter; nec materialiter, et identicè coincidere cum judicio prudentiæ virtutis, niſi per accidens, et contingenter; puta quando opinio reperitur in ſe vera; quia tunc reſultat iudicium materialiter conforme ad appetitum rectum agentis, quatenùs iudicat licitum id, quod re vera in ſe licitum eſt ſecundùm leges; & ſic non fraudatur agens à conſecutione ſui finis, ſicut appetit aſſequi. Cæterùm ſi opinio ſit in ſe falſa; jam eius iudicium erit difforme, & oppoſitum judicio prudentiæ virtutis, quod unicè attendit fini agentis pro eius voto efficaciter aſſequendo. Judicium verò ſcientificum licet expendat ſimiliter merita obiecti ſub lumine ſuorum principiorum, & non attendat ad merita agentis volentis efficaciter talem finem, ac per conſequens ſit formaliter diverſum à judicio practico prudentiæ virtutis; tamen quia attingit verè licitum in ſe, coincidit materialiter, & identicè, cum judicio prudentiæ virtutis; quia iam iudicat ſpeculativè id licere, attentâ veritate ipſa obiectiva operis, quod etiam prudentia judicat practicè licitum eſſe agenti, attentà operis conformitate ad appetitum rectum illius, quando tamen poteſt ita iudicare. Dico (quando tamen poteſt ita iudicare) quia non ſemper poteſt, niſi conſtet agenti certò ſaltem moraliter illud eſſe licitum; quod non poteſt contingere in materia controvertibili, & hinc indè opinabili; quia in materia variè opinabili ſemper eſt eſſentialiter aliqua formido, & periculum

culum de illicito, & numquàm haberi poteſt aliqua certitudo, neque moralis, ut infra ſuo loco diffuſiùs oſtendam. Et propterea iudicium opinativum numquàm poteſt, nec formaliter; nec materialiter coincidere cum prudentia virtute; hæc enim numquam iudicat practicè agendum tamquam licitum agenti, quod ſolo judicio opinativo videtur licitum.

767 Quare ad replicam illam ex parte Probabiliſtarum ſuperiùs factam, negandum eſt, quod iudicium opinionis probabilis de licito ſit per ordinem ad communem finem totius humanæ vitæ, ſicut eſt iudicium prudentiæ virtutis. Et ad huius probationem dico ibi æquivocari in hoc, quod dicitur opinionem judicare de opere licito per ſubiectionem ad leges, ſicut iudicat prudentia virtuoſa; quaſi utraque conveniat ſaltem materialiter, & identicè in iudicando licito per ordinem, & ſubiectionem ad leges; & tamen hoc eſt falſum; quia non una & eadem ſubiectio ad leges attenditur ab utraque in iudicando, ſed diverſa. Nam ab opinione attenditur ſubiectio ad leges in ratiòne puri obiecti ſpeculabilis, & cognoſcibilis ſub lumine principiorum: ſed à prudentia attenditur ſubiectio ad leges in ratione finis efficaciter intenti ab operante. Ac propterea illa iudicat pro quanto poteſt conformiter ad obiectum in ſe, ſecundùm quod apparet eſſe ex principiis probabilibus: hæc verò judicat pro quanto poteſt conformiter ad appetitum agentis rectum per efficacem intentionem finis. Uno verbo: illa cōſulit perfectioni intellectus, qui perficitur per cognitionem veri: iſta conſulit perfectioni voluntatis, quæ perficitur per aſſecutionem boni moralis, & honeſti, quod eſt finis eius, & prudentiæ virtutis, & dicitur finis totius humanæ vitæ. Et quia opinio in cognitione veri falli poteſt, ad differentiam ſcientiæ; ideò non poteſt prudentia virtus fidere judicio opinionis, ut procedat ad ſuum judicium practicum, ſicut poteſt fidere judicio ſcientiæ. Undè ubi eſt periculum errandi, ſicut eſt in opinione, prudentia virtus non poteſt pro parte opinionis procedere ad ſuum iudicium practicum, ſed neceſſario judicabit pro parte legis ut attingat verè moraliter licitum, & bonum, & conſulat perfectioni voluntatis, cui ſpecialiter attendit prudentia virtuoſa; & quà agens morale regi debet in omnibus agibilibus ſuis: & præterea prudentia hæc cum ſit virtus debet indefectibiliter de tali bono morali iudicare, ideſt de verè moraliter licito. Et ideò Philoſophus reponit inter virtutes intellectuales prudentiam, & excludit opinionem; quia illa indefectibiliter attingit verū practicum, quod idem eſt ac verè licitum, ſeù bonum morale, conſiſtens in illa conformitate ad appetitum rectum, ut dictum eſt ex D. Thoma: opinio verò poteſt deficere a vero in ſe, quod quærit. Et quia ubi eſt periculum errandi circa verum in ſe, non poteſt haberi verè licitum morale, niſi in parte, quæ ſtat pro lege; ideo prudentia quæ eſt virtus non poteſt practicè judicare niſi de hac parte; & hoc judicium tantùm poteſt eſſe conforme in tali caſu ad appetitum rectum agentis; ut conſtat benè hæc omnia conſideranti.

768 Videant ergo Probabiliſtæ quantum deficiant in demonſtrando certitudinem ſui illius principii, ſeu judicii reflexi, dum illud probant ex prudentiâ iudicii opinionis probabilis. Videant quàm falſa ſit illa minor propoſitio ſui commendati ſyllogiſmi in ſecundo modo perfecto primæ figuræ, quà dicebant: prudenter operari, qui ſecundùm opinionem practicè probabilem operatur: & quam malè hoc deducant ex prudentia opinionis, videant quàm æquivocè ibi prudentiam ſumant. Atque hinc agnoſcant quàm facilè evaneſcat prætenſa illa ſua demonſtratio. Quid ergo refert oſtentare formam ſyllogiſticam, & in modo, ac figurâ ad amuſſim dialecticam vim totam facere; cum in propoſitionibus ibi aſſumptis æquivocatione prudentiæ decepti facilè deprehendantur? Reflectant potiùs ſuper demonſtratione ſuâ, quà reflexum illud iudicium probabilitatis demonſtratum credebant, atque ideò omninò certum, & evidens reputabant, & pro ſolido fundamento habebant, ſuper quo decantata illa jura probabilitatis practicæ, & privilegia ſuperædificabant: expendant, & diſcutiant benè præmiſsas: diſtinguant ibi inter prudentiam virtutem, & ſimpliciter dictam, & prudentiam ſecundum quid, & imperfectam in aliquo genere ſpeciali; ſicut diſtinxit ſapientiſsimus, ac prudentiſsimus Eccleſiæ Salomon Aquinas 2. 2. *q.* 47. *a.* 13. ex cuius doctrinâ uſque adhuc locuti ſumus: & protinùs videbunt ſolâ hac æquivocatione ſublata, omnia ſimul unà cum ſuo fundamento ob oculos corruere, & diſsolvi.

§. VII.

Oſtenditur quod adhuc gratis dato, quod iudicium opinionis practicè probabilis ſit prudens prudentià ſimpliciter dictà, non poteſt operatio indè regulata dici ſimpliciter prudens. ac proindè nec judicium reflexum ſuper probabilitate directà poteſt moralem certitudinem in illam refundere.

769 VT liberaliùs cū Probabiliſtis agamus, volumus quoque eis ultrò, & gratis dare, quod in opinione practicè probabili, ex hoc ipſo quod prudenti, ut dicunt, rationi innititur, reperiatur ratio perfectiſſimæ prudentiæ, & ſimpliciter dictæ; ita ut quidquid affirmatum venit per opinionem practicè probabilem, ſit, & intelligatur affirmatum judicio virtutis prudentiæ: ac per conſequèns ſi illa judicet aliquod opus eſſe licitum, ſit verè prudenter tale judicatum. Numquid indè certum erit judicium illud reflexum ſuper hac practicà probabilitate

directà

directâ fundatum; nempè quod abſolutè licitum ſit operari ſecundùm huiuſmodi opinionem practicè probabilem? Quis hoc dicere poterit, ſi voluerit rationabiliter, & conſequenter loqui? Scio utique id aſſerere unanimiter Probabiliſtas: At profectò nimis inconſequenter, & non advertunt. Hoc igitur eis, arguendo ad hominem, ſequenti diſcurſu ex propriis ipſorum principiis facilè, & evidenter oſtendam.

770 Audiamus ergo undè ipſi intentum ſuum probent, & reflectamus ſuper dictis, & fundamentis eorum. Ipſi judicium illud reflexum omninò certum indè eſſe dicunt, quia reflectit ſuper probabilitate opinionis directæ, quæ prudenti rationi innititur, & prudens judicium importat: quidquid ergo licitum tali prudente judicio judicatur, erit evidenter & certò licitum in executione, quia omninò certum eſt, & evidens ex ipſis terminis, licitum eſſe cum prudente ratione, & judicio, operari. Ecce ſolidum eorum argumentum ad aſtruendam certitudinem illius judicii reflexi. Sed ex hoc ipſo ſuo fundamento potiùs ſequitur oppoſitum, ergo ipſi inconſequenter loquuntur. Minorem ſic oſtendo: Prudens illa ratio, prudenſque judicium opinionis directæ eſt de licito cum formidine oppoſiti, & cum incertitudine, ut admittit ipſemet P. Cardenas, & alii Reflexiſtæ: ergo ex reflexione, quæ ſuper illâ fit, non ſequitur eſſe certò licitum ſecundum illam operari; ſed potiùs oppoſitum; quia omninò certum, & evidens eſt ex ipſis terminis, non eſſe certò licitum operari cum ratione, & judicio prudenter judicante aliquod eſſe licitum incertum, & cum formidine oppoſiti. Ex hoc enim quod prudenter formidoloſè judico aliquid eſſe licitum, & non certò, & ſine formidine errandi, non infertur in bona conſequentia eſſe certò licitum illud operari; ſed potiùs oppoſitum, nempè non eſſe certò licitum illud operari. Ergo ipſi inconſequenter dicunt ex prudente judicio opinionis certum fieri judicium reflexum de licito, quod alias opinio directa cum formidine, & incertitudine tale judicabat, etiam prudentiſſimè; ut pro nunc ſuppono.

771 Præterea judicium reflexum nihil aliud eſt, quàm judicium de judicio directo: ita ut ſi v. g. judicium directum dicat, aliquod eſſe licitum; ad reflexum ſpectet judicare, quale ſit iudicium illud de licito talis operis directè prolatum: puta ſi ſit verum, certum, evidens, probabile, incertum, prudens, vel quid ſimile: hoc enim ſonat reflexum iudicium: neque aliter illud exponunt Reflexiſtæ in præſenti materiâ, ſi totum quod ipſi de hoc dicunt, benè expendatur. Dùm enim certum eſſe probant iudicium illud (nempè licitum eſſe ſequi quamlibet opinionem probabilem) ex eo quod huius iudicium, & ratio, cui innititur, eſt prudens: manifeſtè conſtat per eos iudicium illud reflexum eſſe certum, quia iudicat de iudicio directo opinionis quod ſit prudens; & quod judicio prudenti, atque operationi per illud regulatæ, repugnat peccatum. Hoc igitur ſuppoſito argumentor ſic: vel tale iudicium reflexum reflectendo ſuper directo, iudicat illud, quale eſt in ſe, vel aliter quàm ſit in ſe. Si ſecundum; ergo hoc ipſo falſum eſt; & ſic falſum eſt, quod ſit certò licitum ſequi, & operari ſecundum opinionem probabilem. Si primum; ergo cum directum ſit incertum, & formidoloſum, quantumvis in linea judicii incerti, & formidoloſi prudentiſſimũ; non poterit judicium reflexum ex tali judicio prudenti judicare, & abſolute affirmare eſſe licitum operari ſecundum opinionem probabilem affirmatione certâ, benè tamen formidoloſâ, & incertâ; ex quâ non ſequitur eſſe certum licere operari ſecundum opinionem practicè probabilem. Ergo ipſi inconſequenter loquuntur hoc dicendo. Patet hæc conſequentia; nam judicium quantumcumque prudens, ſi ſit incertum in ſe, ut directè prolatum; non poteſt per judicium reflexivum judicari certum ſine falſitate. Ergo judicium reflexum, aut falſum eſt; aut eamdem incertitudinem relinquit prudenti illi judicio directo; etiam dùm illud reflexè iudicat eſſe prudens. Quia non poteſt iudicare eſſe prudens in ratione iudicii certi, ſed ſolùm eſſe prudens in ratione iudicii incerti, ſicut de facto eſt in ſe. Judicio autem prudenti in ratione iudicii incerti de licito alicuius operationis, & operationi regulatæ per illud, non repugnat peccatum; ac per conſequens non manet certum eiuſmodi operationem eſſe licitam, & ſine peccato.

772 Prædictæ autem inconſequentiæ cauſam exiſtimo fuiſſe, quia æquivocaverunt judicium reflexũ cũ directo judicato per illud; atq; ideò certitudinem illius ad hoc tranſtulerunt ſub titulo judicii reflexi: & ita promiſcuè loquentes, reflexum appellarunt iudicium illud, nempè: licitum eſt ſequi, & operari ſecundùm opinionem probabilem: quod tamen re vera reflexum non eſt, ſed potiùs quid deductum ex reflexo: & tali iudicio applicuerunt certitudinem, quæ re vera non ipſi, ſed reflexo competit, licet, hæc certitudo cum ſit de alio obiecto, impertinenter ſe habeat ad propoſitum ſuum.

773 Ad quorum omnium evidentiam, & præfatam æquivocationem detegendam, ſciendum eſt, quod in propoſito iudicium verè reflexum eſt illud, quo iudicamus de iudicio directo quale ſit, ut paulò ante dixi: Directum verò eſt, quo nullum iudicium iudicamus, ſed rem aliquam: Undè directum eſt hoc, quod iudicamus v. g. operatio, A, eſt licita. Reflexum verò eſt, quo iudicamus de tali iudicio, dicendo v. g. operationem, A, eſſe licitam, eſt iudicium probabile, prudens, vel quid ſimile. Cum igitur iudicium illud: nempe, licitum eſt operari ſecundum opinionem probabilem: non ſit propriè loquendo de aliquo iudicio quale ſit, ſed potiùs de operatione regulatâ per iudicium probabile, de qua directè iudicat eſſe licitam;

tale

judicium re vera directum eſt, non reflexum: eſt tamen ab ipſis Probabiliſtis deductum ex reflexo, nempè ex illo judicio, quo judicant, judicium probabile eſſe prudens: quatenùs ſub hoc ſubſumunt minorem propoſitionem directam, nempè: ſed licitum eſt operari ſecundum iudicium prudens: & indè inferunt, ergo licitum eſt operari ſecundum iudicium, ſeu opinionem probabilem. Ecce quomodo iudicium iſtud directum deducunt ex illo reflexo poſito loco majoris. Ipſi verò abſolutè reflexum appellant; ſed re vera non eſt, ſed quid deductum ex illo. Et quia quod eſt verè reflexum, ſicut illud, quo iudicamus: Judicium probabile eſſe prudens: vel, judicium de licito operationis, A, eſſe probabile, aut ſimile; ſupponitur certum; ipſi transferunt hanc certitudinem ad illud directum, quod eſt res iudicata per reflexum. Atque ita ex hoc quod vident, vel ſupponunt, certum eſſe hoc iudicium reflexum, nempe: Judicium probabile eſſe prudens: & hoc aliud, nempe: Judicium de licito operationis, A, eſſe probabile: dicunt eſſe certum illud directum, nempe eſſe licitum operari ſecundum iudicium probabile: & illud aliud etiam directum, nempe eſſe licitum facere operationem, A; quaſi ſumendo pro eodem iudicium reflexum, & directum; & transferendo certitudinem illius, vel veriùs, æquivocando certitudinem illius, quæ eſt de prudentialitate, vel probabilitate iudicii, cum certitudine iſtius, quæ ſi eſſet, deberet eſſe de licito ipſo iudicato per directum; ſed non eſt, neque indè infertur, cum ſit alterius generis, & de diverſo objecto; & ſtat ſimul, quod unum ſit certum, & alterum incertum: ſtat enim quod certiſſimè judicem judicium de licito eſſe probabile, & prudentiale, ſed non proinde poſſum certò judicare opus eſſe licitum; quia cum certâ probabilitate, & prudentialitate judicii, & talis judicii, quale eſt opinativum, ſtat ſimul incertitudo circa ipſum eſſe licitum operationis. Et licet Adverſarii conentur hoc probare ex illo alio principio, nempe, quod implicat eſſe peccatum, ubi regulatur opus per judicium prudens; nihil tamen probant, quia hoc verum eſt, ut diximus, quando judicium eſt prudens in genere prudentiæ ſimpliciter dictæ, cuiuſmodi non eſt judicium opinionis; & nunc addimus, quod eſto ſit tale, cum tamen in tali etiam genere prudentiæ ſimpliciter dictæ ſit incertum, & formidoloſum, non probat opus eſſe certò licitum. Atque hinc conſtat de cauſâ inconſequentiæ Reflexiſtarum, & de impertinentiâ certitudinis judicii reflexi, quæ eſt de probabilitate, & prudentialitate judicii opinativi directi, ad certitudinem ipſius eſſe liciti operationis per hoc directè judicati.

774 Vidit profectò inconſequentiam hanc P. Cardenas, ſed non potuit ab illa ſe expedire, quantumvis pro ſuo poſſe tentaſſet. Nam *diſp. 15. cap. 4. a. 5. num. 237. & ſeq.* expreſſe fatetur non ſequi opus aliquod eſſe certò licitum ex hoc, quod certò judicetur probabile eſſe quod ſit licitum. Ibi enim poſtquam docuerat omnino certum eſſe ad operandum requiri judicium certum prudentiæ de honeſtate operis; ſubdit *quod ſi quis v.g. Pictor diceret. probabile dumtaxat eſt, quod non peccabo pingens die feſto: peccaret pingendo, quia exponeret ſe contingentiæ peccati, quam affert ipſa probabilitas.* Vide, lector, ſi novit P. Cardenas inconſequentiam ex certitudine judicii reflexi de probabilitate, & prudentialitate judicii directi de licito pictationis, ad certitudinem ejuſdem liciti directè judicati. Quid enim eſt Pictorem dicere: *Probabile eſt, quod non peccabo pingens die feſto*: niſi judicare de judicio directo affirmante (eſſe licitum, & non peccatum, pingere die feſto) quod ſit certò probabile, & prudentiale? idem enim eſt judicium probabile, quod prudens, ut millies aſſerit P. Cardenas; ergo dum abſolutè judicat Pictor de tali directo judicio licitæ pictationis, eſſe probabile, & conſequenter prudens; jam certò tale eſſe pronunciat judicio utique reflexo: nec poteſt judicium iſtud reflexum non eſſe, vel non ſupponi certum de tali probabilitate, & prudentialitate; alioquin opinio illa de licito pictationis non eſſet intra clauſtra opinionum practicè probabilium, de quibus proteſtatus P. Cardenas debere procedere quæſtionem cum Antiprobabiliſtis: & nihilominus non obſtante tali judicio reflexo, fatetur P. Cardenas ejuſmodi Pictorem pingendo peccare; & rationem adducit, quia exponeret ſe contingentiæ peccati, quem affert ipſa probabilitas, & conſequenter ipſa prudentialitas judicii opinativi directi; cum per ipſum idem ſit judicium probabile, ac prudens, eo quod prudenti rationi ſupponitur innixum. Ergo novit non ſequi ex certitudine illius judicii reflexi certitudinem liciti operis; imò confeſſus eſt manifeſtè ſtare cum illâ contingentiam illiciti, & peccati; vidit ergo inconſequentiam hanc. Sed volens ab illa ſe expedire, non potuit: nam dum illam tentavit effugere per recurſum ad ſcientiam, ut mox audies, in illam recidit: ſubdit enim ibidem immediatè: *At ſi diceret Pictor: probabile dumtaxat eſt, quod non peccabo: ſcio autem me non peccaturum; quia operor ex opinione probabili; tunc non peccaret pingendo.* Ecce: ad ſcientiam Pictoris recurrit, ut non peccet pingendo. Sed peto a Patre Cardenas, undè ſcit Pictor ſe non peccaturum? *quia* (inquit) *operatur ex opinione probabili*. Bone Deus! & non advertit, quod in eamdem inconſequentiam recidit? quid enim eſt operari ex opinione probabili, niſi operari opus ut regulatum judicio probabili, etiam reflexè judicato, ut probabili? ſed ex hoc jam dixerat Pictorem ſe exponere contingentiæ peccati, quam affert ſecum ipſa probabilitas, ſecundum quam ſcit ſe operari; & conſequenter etiam ſciendo ſe operari ex probabilitate, non eſſe certum ſe

Digitized by Google

non peccaturum; ſed exponi potiùs contingẽtiæ peccati: quomodo ergo ſcit ſe non peccaturum, quia operatur ex opinione probabili? ingerit ergo verbaliter ſcientiam, ut inducat certitudinem; ſed re vera nec ſcientiam, nec certitudinem poteſt oſtendere, quia non eſt, unde hæc haberi poſſit.

§. VIII.

Refellitur alia via, quam ſibi ſternit P. Joannes de Cardenas pro certitudine judicii reflexi ſtabiliendâ. Ex quo iterùm oſtenditur operantem ex opinione practicè probabili non poſſe certò dici prudenter operari.

775 ALiâ item viâ ſaltẽ implicitè prætẽdit P. Cardenas judicio reflexo certitudinem tribuere ead: *diſp. 15. cap. 7. num.* 512. quatenus ſcilicet docet in illo deponi formidinem, quam ſecum affert opinio probabilis; & ejuſmodi formidinis depoſitionem dicit fieri virtute ipſiuſmet gravis, ac urgentis, & prudentis rationis, quam opinio aſſumit ad affirmandum opus eſſe licitum. Verba eius ſunt: *Sed qui operatur ex opinione probabili dubium deponit ex ratione urgenti, quam affert opinio, inclinante in eam partem.* Quam propoſitionem ibi aſſumit ad probandum operantem ex opinione probabili operari prudenter, eo quod dubium deponit ex ratione urgente. Sed quia videtur poſſe deſervire ad aſtruendam certitudinem, quatenùs qui deponit dubium, videtur manere certus de aſſenſu ſuo; ideò ego illam hùc attuli, pro quanto poteſt ſaltem implicitè inſervire P. Cardenas pro certitudine ſui judicii reflexi.

776 Sed neque hæc via ad ſuum intentum exitum habet: primo quia reflexum ſuper ratione urgente, cui innititur opinio, non auget rationi illi efficaciam; ſed eam, quam habet, conſiderat potiùs, & judicat qualis ſit: cum igitur ea in ſe ſit tantum efficax ad aſſenſum cum formidine, & incertum circa licitum operationis; non poterit per judicium reflexum judicari tale licitum ſine formidine, & cum certitudine; imò via reflexiva magis certum apparebit, quod tale licitum ſit incertum, & cum formidine ne forte ſit illicitum; quia in reflexione magis expreſsè, & ſignatè attingitur, quod exercetur in actu directo: ergo ſi in judicio directo opinionis ex vi ſuæ rationis urgentis & inclinantis in unam partem, puta de licito operationis, exercetur incertitudo, & formido de tali licito indicato; in judicio reflexo expreſsè, & ſignatè attingetur tale licitum judicatum eſſe incertum, & cum formidine ne ſit illicitum. Secundò, & clariùs: quia implicat in terminis, quod ex eadem ratione urgente, undè judicium directum de licito ſit incertum, & cum formidine, fiat judicium reflexum de eodem licito certum, & ſine formidine: nam ſi ratio illa urgens eſſet ſufficiens ad ejuſmodi certitudinem inducendam, illam induceret in judicium directum, ſi verò eſt inſufficiens, quomodo in ejus virtute poterit reflexum, depoſitâ omni formidine, certò licitum judicare? quod ſi indè non poterit, ut oſtenſum eſt, undè habebit per judicium reflexum, licitum probabile eſſe certum? quærant, & perquirant adverſarii Reflexiſtæ, numquam poterunt ex aliquo principio hoc demonſtrare.

777 Quod ſi aſſignent verum, & primum principium eſſe maximam illam veriſſimam; quod ſcilicet in rebus obſcuris, & incertis verè prudenter operatur ille, qui utitur rationibus graviter impellentibus, & ſuadentibus operationem eſſe honeſtam: neque enim, inquiunt, tunc agenti ſupereſt alia via, quâ prudenter incedere poſſit, ac per conſequens ſine peccato; quia qui prudenter procedit operando, procul dubio non peccat. Ex hoc autem principio, ſeù maximâ de ſe certâ, & evidente procedit judicium illud reflexum, dum ſupra probabilitatem reflectit, quæ ejuſmodi rationibus innixa ſupponitur. Hoc eſt ultimum refugium Probabiliſtarum. Et ita P. Cardenas tandem minorem illam primi ſui ſyllogiſmi, quam ſupra negavimus, probat, nempè quod quid operatur ſecundum opinionem probabilem, prudenter operatur, ut videri poteſt *diſp. 15. ſua Chriſis cap. 7. num.* 511.

778 Si hoc, inquam, aſſignent: dico maximam illam veriſſimam eſſe ſi in proprio, ac rigoroſo ſenſu, quem in ſuis terminis præ ſe fert, intelligatur. At ab ipſis Probabiliſtis non ſic intelligitur, eo quod ipſi nomine operationis honeſtæ idem intelligunt, quod operationem licitam: atque ideò in ſuo ſenſu maxima illa importat: quod qui in rebus obſcuris, & incertis regulatur in ſuis operationibus rationibus graviter impellentibus, & ſuadentibus operationem eſſe honeſtam, ideſt licitam, prudenter operatur. In quo ſenſu maxima illa falſa eſt, & neganda. Re vera enim operatio honeſta non idem eſt, quod licita, ut enim ſupra oſtendimus; honeſtum dicitur, quod eſt legibus, & regulis morum conforme: licitum verò quod eſt conforme libertati operantis, licet connotet quod non ſit difforma, vel contrarium legibus, & regulis morum. De primario itaque, & formaliter loquendo, licitum liberam licentiam operandi ſonat, & ſolùm de connotato reſpicit leges, & regulas morum, non ut finem, quò, tendit, ſed ut à quo non divertit: econtrà verò honeſtum de primario, & formaliter importat ordinem ad leges, & regulas morum, tamquã ad finem, quò tendit, & nihil aliud reſpicit. Quare ſi propriè, & rigoroſè ſumatur operatio honeſta; maxima illa erit veriſſima; & importabit hunc ſenſum; videlicet, quod qui in rebus obſcuris, & incertis regulatur in operationibus ſuis rationibus graviter impellentibus

&

Digitized by Google

& ſuadentibus operationem eſſe honeſtam, ideſt conformem legibus, & regulis morum, & conducere ad vivendum cum ſubiectione ad illos tamquam ad finem intentum, prudenter operatur. At hoc modo ſola opinio, quæ ſtat pro lege, procedit, & quæ coincidit cum judicio prudentiæ ſimpliciter dictæ, nam judicat ſpeculativè conformiter ad legem de tali operatione in ſpecie; quemadmodum de eadem in individuo, & ut hìc, & nunc exercendâ iudicat practicè prudentia. Cæterum opinio de licito, cum ſtet pro commodo, & libertate, aliter ſe habet.

779 Undè judicium reflexum ſuper probabilitate iſtius, quantumcumque reflectat ſuper rationibus graviter ſuadentibus operationem eſſe licitam, non poteſt habere certitudinem prudenter operandi in genere operationis honeſtæ, quia certitudo hæc (quam moralem appellamus) ſolùm habetur ex prudente judicio conformitatis ad regulas morum, & leges, & non ex judicio quantumcumque prudente opinionis per conformitatem ad libertatem, cum ſola connotatione ad leges, & regulas morum, tamquam a quibus non divertitur. Hoc enim judicium non conducit poſitivè ad finem benè, & honeſtè vivendi per ſubiectionem ad leges, ſed potiùs ad finem vivendi liberè per exemptionem a legibus; & cum aliàs non ſit in ſe certum, ſed purè probabile, & cum formidine oppoſiti, non poteſt, etiam via reflexionis ſuper eius probabilitate, eiuſmodi exemptio fieri certa, neque in ſe, & certitudine metaphiſica ſeu obiectiva; neque certitudine morali, ſeu ſubiectiva, & ex parte moraliter agentis; quia agens ſub tali judicio, non agit more eorum, qui tendunt in legem, ex quo ſolet reſultare certitudo moralis; ſed potiùs more eorum qui volunt jugum legis effugere; ac proindè nulla certitudine judicium reflexum poteſt tale opus certò licitum reddere.

780 Ratio autem totius huius doctrinæ eſt, quia ille ſolùm dicitur in rebus obſcuris, & incertis prudenter, ac per conſequens ſine defectu, & culpâ propria, operari, qui accommodatiores vias ſibi poſſibiles quærit pro conſecutione ſui finis, ut millies repetit D. Thomas, & conſtat in quocumque genere negotiorum; quia tunc procul dubio dicitur prudenter, vel quod idem eſt, moraliter certus de conſecutione proprii finis, etiam ſi contingat illum non attingere in re; quia ſic verè agit more efficaciter tendentium in finem, nec remanet ei moraliter alia melior via procedendi. Unde prudens Negotiator dicitur, qui vias accommodatiores quærit pro conſecutione lucri: Et non qui, iſtis poſtpoſitis, illis tantùm contentus eſt, quæ probabiliter judicantur, non poſſe ab illo divertere ex eo quod non videntur tali fini contrariari; nam viæ iſtæ non conducunt poſitivè ad conſecutionem lucri. Sic autem ſe habet operans juxta opinionem probabilem de licito, imò multò peius, quia utitur via, quæ non, ſolum nullo modo judicatur conducere ad hoc, quod eſt operari honeſtè. & cum poſitiva ſubiectione ad leges, & regulas morum; ſed potiùs ad hoc, quod eſt operari liberè, & per ſui exemptionem à legibus, & regulis morum; quantumvis probabiliter non contra illas, ſed ſolùm præter illas, hoc enim ſonat opus eſſe probabiliter licitum, ut oſtenſum eſt. At hoc non eſt prudenter vivere in genere honeſtatis, ſed potiùs in genere libertatis, quod pertinet ad prudentiam particularis finis, & non ſimpliciter dictam; eo ferè modo quo ſi Negotiator aliquod opus diſparatum pro ſuo libito ageret, quod ad negotiationem non pertinet, ac per conſequens non contrariatur lucro, & licitum ſibi eſt citra jacturam in genere negotiationis; utique prudenter ageret in genere libertatis, ſed non proindè dici poſſet in illa operatione prudens in genere negotiationis; alioquin vel manducando, & bibendo, aut quieſcendo, diceretur prudens Negotiator; quia hæc omnia ei licita ſunt ſine offenſione negotiationis, quod ridiculum eſt. Ergo ad prudenter operandum in genere honeſtatis, & virtuoſè, non ſatis eſt quod opus ſit licitum, ſed requiritur quod opus ſit conforme, & judicetur conducens ad finem bene, & honeſtè vivendi; & multò minus ſufficit quod ſolùm probabiliter judicetur licitum, cum quo ſtat formido de illicito, quæ tolli non poteſt virtute judicii reflexivi, ut dictum eſt, ac proindè numquam poteſt fieri certò licitum: neque indè poteſt agens dici prudenter operari prudentia ſimpliciter dicta, quæ ſolùm, & ſemper iudicat de agibilibus conformiter ad finem honeſtatis.

781 Et ſi replicent Probabiliſtæ ſe non ita preſsè, & ſtrictè ſumere prudentiam in genere honeſtatis, dum dicunt quod qui operatur iuxta opinionem probabilem de licito, prudenter operatur: quaſi quod agens tunc poſitivè actum per ſe honeſtum, & moraliter bonum agat, atq; perfectum: ſed ſolùm quod agat actum de ſe non malum, & quod ita agendo de facto declinet a malo, & non peccet: quod ad prudentiam in genere honeſtatis ſuo modo ſaltem reductivè pertinere poteſt; nam hoc quod eſt velle declinare à malo, & peccato, adhuc finis honeſtus eſt, & ſub fine communi totius humanæ vitæ contentus, pertinens etiam ad prudentiam ſimpliciter dictam. Ad hoc autem ſatis eſt quod opus iudicetur licitum, & liberè factibile, & quod non ſit difforme ad leges, & regulas morum, neque illis contrarietur; quantumvis non ſit illis conforme, & veluti conducens ad illarum obſervantiam. Et hoc eſt operari cum ſubiectione ad illas aliquo modo, quatenùs agens ſic operando ſubiicitur illis in hoc, quod non operaretur, ſi opus eſſet contra illas.

782 Si inquam ſic replicent dico, ut ſupra dixi, quod neque hoc modo dici poteſt agens prudenter agere in genere honeſtatis operando juxta opinionem probabilem de licito: quia ad

hoc

hoc exigeretur quod judicium de licito eſſet certum ſaltem moraliter; quia ad finem declinandi à malo opus tantum certò licitum ſaltem moraliter poteſt iudicari conforme: cum igitur prudentia ſimpliciter dicta, imò quæcumque prudentia debeat iudicare conformiter ad finem, & ad appetitum rectum per illum, ut oſtẽdimus ex D. Thoma, oportet quod ut agens iudicio prudente reguletur in operando, atque inde prudenter operetur in eo genere prudentiæ, ad quam pertinet operatio; iudicet de opere a ſe agendo conformiter ad ſuum finem intentum: ita ut ſi finis intentus ſit declinare à malo, iudicet tale opus à ſe admittendum quod ſit certò licitum, ſeu quod idem eſt, quod certò declinet à malo, cum hoc tantum ſit tali appetitui recto conforme, & ad eiuſmodi finem conducens: ſi enim non iudicetur certò licitum, non erit tali appetitui recto accommodatum, & conforme, ut conſtat, ſed potiùs diſforme, quia qui efficaciter intendit, & appetit aliquem finem, appetit medium magis efficax ad conſecutionem illius pro quanto ſibi eſt poſſibile, & abhorret media minùs efficacia, & periculoſa, atque fallibilia. Judicium autem opinionis de licito non eſt certum neque certitudine methaphiſica, neque morali, neque tale fieri poteſt virtute iudicii reflexi, ut ſupra dixi. ergo nullo modo operans iuxta illud prudenter agit in genere honeſtatis; neque ad finem faciendi bonum, neque ad finem declinandi à malo: præcipuè cum habeat in promptu medium tali fini conforme, operando ſcilicet iuxta opinionem oppoſitam ſtantem pro lege, & abſtinendo ſe ab opere illo aliàs licito opinato: hæc enim eſt via accommodatior ad finem intentum declinandi à malo; atque ideò ſecundùm veram prudentiam eligenda.

783 Conſtat igitur ex hoc, quod qui operatur juxta opinionem probabilem de licito, non ex intentione finis declinandi à malo procedit ad opus; ſed potiùs ex intentione finis proprii commodi, & libertatis, ſeu ex fine ſe eximendi à legibus, & regulis morum, dum non quærit media efficacia, & accommodatiora pro conſecutione illius, benè tamen pro conſecutione iſtius; & ad iſtum unicè reſpicit tamquàm proprium finem, non ad illum. Et in ordine ad hunc, iudicium de licito applicat, non in ordine ad finem declinandi à malo; imò potiùs hoc quod eſt declinare à malo, vel non divertere à bono involutum de connotato in opere opinato probabiliter licito facit agens inſervire fini ſuo, ut ſcilicet ſic efficacius conſulat propriæ libertati, & commodo. Ergo ſic operando tota eiuſmodi operationis prudentia in genere libertatis eſt, & nullo modo in genere honeſtatis. Ergo numquam prudenter operatur prudentiâ ſimpliciter dicta, cui ſoli repugnat ſtare cum peccato. Ergo maxima illa Probabiliſtarum: quod ſcilicet, in rebus obſcuris, et incertis prudenter operatur ille, qui utitur rationibus gravibus impellentibus, et ſuadentibus operationem eſſe honeſtam, ideſt licitam, ut ipſi intelligunt; falſiſſima eſt, loquendo de prudentiâ verâ et ſimpliciter dictâ, quæ habet pro fine verè in omnibus benè vivere, vel ſaltem à malo declinare. Quia ut conſtat, talis qui ſic operatur, non benè conſulit declinationi à malo, ſed libertati; dum pro hac, & non pro illa eligit opus illud ab opinione iudicatum licitum, vel non declinans à lege, ſeu declinans à malo; ita ut hoc ipſum quod tale opus ſit probabiliter iudicatum, ut declinans à malo inſerviat ei ad finem libertatis, quatenùs quaſi a malo expeditus poſſit liberiùs operari. Si enim haberet pro fine hoc quod eſt declinare à malo, deberet conſecutioni eius benè coſulere, applicãdo per conformitatem ad ſuum appetitum rectum per intentionem eiuſmodi finis, ſua media opportuna, cuiuſmodi eſſet, vel opus certò licitum, vel abſtinere à tali opere cum poſtpoſitione propriæ libertatis, & non contentari de licito probabili, & incerto, quod neque via reflexiva certum fieri poſſe ſatis oſtendimus. Nam tota ipſorum reflexio, unde fieri certum contendunt Probabiliſtæ, eſt ſuper prudentialitate judicii opinativi, quam ſatis iam oſtendimus eſſe ſecundum prudentiam particularem in genere opinativo, ſeu ſecundùm finem particularem humanæ vitæ, ut ſupra explicavimus, cum qua componi poteſt peccatum; ac proinde non manet certum quod ſub tali iudicio etiam reflexè conſiderato, ut prudente, non poſſit contingere peccatum, & illicitum. Et dato quod eſſet ſecundum prudentiam ſimpliciter, adhuc oſtendimus eſſe ſemper cum eadem incertitudine. Videantur dicta ſuperius. Numquam ergo inde ſequitur prudens operatio prudentiâ ſimpliciter dictâ, & virtuoſa, cui ſoli repugnat peccatum.

784 Econtra verò qui in obſcuris, & incertis, poſtponeret rationes, etiã graviter impellentes, & ſuadentes operationem eſſe licitam; & uteretur parte oppoſita favente legi, certiſſimè prudenter ageret; quia tunc certus eſſet, nedùm de declinatione a malo, ſed etiam de vera honeſtate poſitiva ſuæ operationis; tũc enim verè procederet cum ſubiectione ad leges, & regulas morum, & benè conſuleret, & conformiter appetitui ſuo recto per intentionem finis communis totius humanæ vitæ, ad quem reſpicit prudentia ſimpliciter dicta, cui repugnat peccatum. Et ſimiliter prudenter ageret, ſi in obſcuris, & incertis, ſtante obſcuritate, & incertitudine ex utrâque parte pro lege, in caſu quo agens eſſet in neceſſitate operandi conſtitutus, nec poſſet ab utraque parte abſtinere, uteretur rationibus magis in unam partem impellentibus, quam in alteram: quia tunc eſſet moraliter certus de declinatione a malo, & honeſtate propriæ operationis, eo quod tunc jam conformiter ad appetitum ſuum rectum per intentionem eiuſmodi finis: judicaret, etiam ſi in re falleretur: niſi fortè in causâ eſſet ſuæ deceptionis

ptionis

Digitized by Google

ptionis ob negligentiam præcedentem, & ignorantiam ſibi vincibilem. Cæterùm extra eiuſmodi caſum rarum, (rarò enim utraque pars reperitur ſtare pro lege) numquam verè prudenter ageret; ſed imprudenter; vel formaliter, ſi ſcilicet ſit extra caſum neceſſitatis operandi, quia tunc poſset benè ſibi conſulere abſtinendum eſse ab utrâque parte; tale enim conſilium, & judicium tunc eſset appetitui ſuo recto conforme, & non aliud: vel cauſaliter, & præſuppoſitivè; ſi ſcilicet, etiam in tali neceſſitate operandi conſtitutus, in proprio judicio falleretur ex præcedente negligentiâ ſibi culpabili, undè tunc ei proveniret ignorantia vincibilis.

785 Ex quo conſtat, quod etiam in iis anguſtiis conſtitutus, qui utitur rationibus graviter, imò magis impellentibus, & ſuadentibus unam partem præ alia, non dico licitam, ſed honeſtam eſse, & pro lege; non ſemper prudenter agit; ſed aliquando ſic, & aliquando non. Extra autem eiuſmodi anguſtias, numquam. Undè una eademque operatio poteſt pro variis contingentiis eſse agenti prudentiſſima, et imprudens. Nec mirum hoc, aut novum videri debet: Nam prudentia non ſolis rationibus etiam graviter, & magis impellentibus in unam partem tamquam honeſtam, ſeu declinantem à malo ut ſic, & in abſtracto, & ſecundùm ſpeciem ſuam, atque præciſis circumſtantiis ſingularibus, quo pacto procedit opinio probabilis, contenta eſt; quia ipſa eſt virtus practica, & non ſpeculativa ſicut opinio; ſed reſpicit agenda ſingularia propter finem cum omnibus circumſtantiis ſingularibus hic, & nunc conſideratis; ac proindè multoties judicat hic, & nunc, puta in his vel illis anguſtiis aliquid agendum, quod tamen reprobat in aliis circumſtantiis. Pro quo mille etiam exempla adduci poſſent. Quis enim ægrotans prudenter eo pharmaco uteretur ad ſalutem, de quo graves rationes haberet ſuadentes poſſe illam conferre, præſertim ſi indè aliquam nocumenti formidinem haberet; dum ei alias in promptu eſſet Elixir vitæ, undè certò ſanari poſſet? Et tamen prudens eſſet, dùm aliud certiùs medicamentum habere non poſſet. Et undè hoc? niſi quia hic, & nunc in alia circumſtantia eſt, ad quam reſpiciens prudentia id agendum imperat, quod alias reprobaret? Et ſic de multis aliis caſibus, qui proportionaliter figurari poſſunt. Ergo ſub eiſdem rationibus graviter aliquid ſuadentibus variat judicium prudentiæ in rebus obſcuris, & incertis pro varietate circumſtantiarum ſingularium, ita ut quandoque iis rationibus ſit contenta, quandoque non: & indè operatio ſit interdùm prudens, & interdùm imprudens. Et ideò in caſu neceſſitatis operandi conſtitutus aliquis, prudenter ageret iis rationibus utens magis ſuadentibus unam partem, quàm aliam, in caſu quo utraque pro lege certaret, etiam ſi in re falleretur; niſi tamen in causâ deliquiſſet ob negligentiam præcedentem. At extra eiuſmodi anguſtias operando: vel partem pro commodo eligendo; aut etiam, utraque ſtante pro lege, alteram ſibi minùs perſuaſam amplectendo: nullo pacto prudenter agere dici poſſet, cum jam numquam opportunè, ac conformiter ad appetitum ſuum rectum per finem benè vivendi, vel ſaltem à malo declinandi, tunc ſibi ſatis, & benè conſuleret. Quandoquidem conſuleret ſibi vias minùs accommodatas ad finem, poſtpoſitis accommodatioribus, quas haberet in promptu; quo nihil imprudentius eſſe poteſt.

786 Itaque concludamus quod judicium prudentiæ ſemper per conformitatem ad finem oportet eſſe, ſeu quod idem eſt, ad appetitum rectum per efficacem intentionem finis: ita ut quandocumque aliquo modo ab hac conformitate deficiat ſive formaliter, ſive cauſaliter ob præcedentem negligentiam, numquam ſit judicium verè prudens, neque indè poteſt ſubſequi prudens operatio. Et quando operatio eſt prudens, in eo genere prudentiæ erit, in quo erit finis, cui citra negligentiam culpabilis ignorantiæ erit operatio conformis judicata. Atque hinc conſtat falſitas illius maximæ Probabiliſtarum, quod ſcilicet in obſcuris, & incertis ille prudenter agit, qui utitur rationibus graviter impellentibus, & ſuadentibus operationem eſſe licitam. Falſiſſima enim eſt loquẽdo de prudentià ſimpliciter dicta, quia judicium de licito non eſt conforme fini honeſtè vivendi, vel declinandi à malo, ut oſtenſum eſt; ſed fini proprii commodi, & libertatis, ac per conſequens ſic operans prudens dici poteſt in genere libertatis, & non aliter; quæ eſt prudentia particularis negotii, cum quà ſtare poteſt peccatum, & illicitum. Et ideo judicium reflexum ſuper probabilitate de licito, etiam in vi prædictæ maximæ non poteſt reddere certò licitum opus illud, quod opinio directa formidoloſè licitum judicabat.

787 Denique ex his omnibus conſtat id, quod ſupradiximus, nempè longè diverſum eſſe judicium opinionis, & prudentiæ: illud enim eſt ſpeculativum, & de veritate obiectiva, & ſẽper incertum, etiam facta quacumque reflexione ſuper ipſo: iſtud verò eſt practicum & de veritate conformitatis medii ad finem, & eſt ſemper certum. Et ideo opinio non reponitur à Philoſopho inter virtutes intellectuales, quia ratione ſuæ incertitudinis non perficit intellectum ſpeculativum circa ſuum obiectũ: virtus autem eſt quæ perfectum reddit habentem, ex eodem Philoſopho. Prudentia verò ponitur inter virtutes intellectuales quia per ſuam certitudinem perficit intellectum practicum circa ſuum obiectum, ideſt circa veritatem practicam, quæ ut diximus ex D. Thoma, conſiſtit in conformitate illa judicii ad appetitum rectum per intentionem finis: hanc autem veritatem prudentia ſemper, & infallibiliter attingit; non minùs quam ſcientia veritatem in ſe, conſiſtentem in conformitate judicii cum

reſcita. Et quemadmodum ſi hæc deficiat, nequit eſſe judicium ſcientiæ: ita ſi deficiat illa, nequit eſſe judicium prudentiæ. In opinione autem deficere poteſt, & veritas in ſe, & conformitas operationis ab ipſa iudicatæ ad appetitum rectum, non quod ipſa verè habeat de tali conformitate iudicare, ſed quia iudicando de operatione ſecundũ veritatem in ſe, quod v. g. ſit licita, deficit veritas in ſe, & conſequenter operatio falsò iudicata non invenitur appetitui recto conformis; & nihilominus manet tale iudicium, quod verè ſit opinionis.

788 Eſt autem hìc notandum quod cum dico prudentiam ſemper, & infallibiliter attingere veritatem practicam, & nunquam poſſe ab obiecto ſuo, ideſt à vero practico, deficere, quod conſiſtit in conformitate illa medii, ſeu operis agibilis, ad appetitum rectum per intentionem finis; non intendo dicere, quod attingat infallibiliter illud medium, quod effectivè, & indefectibiliter de facto ad finem pertingit, illum ſemper aſſequendo in re; quia ſic coincideret cum vero in ſe, & prudentia nunquam poſſet à conſecutione finis deficere; ſed eſſet quaſi quædam ſcientia de agendis ad finem ſecundùm veritatem obiectivam in ſe; quod tamen eſt falſum, ut conſtat in prudentiis particularibus, puta in aliquo genere alicuius negotii particularis. Ut ſi v. g. Peritiſſimus nauta exquiſitioribus mediis utatur ad tutò navigandum, prudens nauta dicitur, & verè talis eſt, quantumvis ex aliquo accidente tutum iter non aſſequatur. Et Negotiator prudentiſſimus ſæpe ſæpiùs ſperatum, & intentum lucrum amittit, etiam prudentiſſimè procedendo in negotiatione ſua. Et in moralibus prudens eleemoſinæ diſtributor exiſtit, qui attentis omnibus circumſtantiis debitis pro qualitate perſonarum, & maiori earum indigentiâ, ſatagit illis ſubvenire, & tamen non ſemel evenit per illas à ſuo fine fraudari. Et Prælatus prudentiſſimus zelator animarum eſt, qui doctiſſimis viris, & probatioris vitæ creditis beneficia curata diſtribuit, quantumvis quandoque deceptus lupos potiùs præferat, quàm paſtores. Et ſic de aliis. Econtra verò imprudens eſſet Prælatus, ſi eos præferret, qui tali fini Idonei non apparerent, etiam ſi eſſent; quia judicium electionis non eſſet appetitui recto conforme, ſicut eſſet quando apparerent optimi, licet tales non eſſent in re; & idem eſt de reliquis exemplis.

789 Itaque judicare conformiter ad appetitum rectum per intentionem finis non eſt judicare taliter de agendis, ut iudicium correſpondeat cum veritate in re; ſed hac potiùs præſuppoſitâ, judicare de eius conformitate ad appetitum rectum; quod eſt dicere: eſt judicare de bonitate, ſeu proportione ad finem appetitus recti, quæ proportio, & bonitas præſupponit de materiali veritatem in ſe; ita ut ſi hæc in re deficiat, quæ de materiali præſupponitur, non proindè deficit formalis illa veritas judicii de bonitate, & proportione rei præſuppoſitæ in ordine ad finem appetitus recti; ſed ſolùm deficit materialiter; atque ideò formaliter manet verum practicum; & ab hoc dico quod non poteſt pruden ia deficere; alioquin non eſſet circa verum practicum vera virtus intellectualis. Quod verò poſſit ab obiecto materiali, ſeù præſuppoſitivè deficere, parùm refert, quia ipſa non ab illo ſpecificatur, ſed ab obiecto formali, quod eſt ipſum verum practicum, ſeu ipſum eſſe conforme formaliter ſumptum, quod de tali materiali judicatur, & quod inſuper non eſt tale per ordinem ad materiale illud, ſed per ordinem ad appetitum rectum; per huiuſmodi enim ordinem formaliter ſpecificatur, & conſtituitur in ratione veri practici formaliter; ad illud autem ſolùm dicit ordinem tamquam ad ſuum ſubiectum materiale præſuppoſitum, in quo exerceri debet.

790 Ex quo fit quod ſi materiale hoc deficiat, non proindè deficit veritas judicii prudentiæ, ſed ſolùm deficit in quo exerceri poſſit, ideòque deficit realis, & exercita conſecutio finis, & ſic manet judicium prudentiæ certum, & infallibile, ex quo operatio dicitur verè prudens, etiam abſque phiſica conſecutione finis intenti ab agente. Semper tamen manet certitudo illa conformitatis ad appetitum rectum, quæ certitudo moralis dicitur, non phiſica, quia ab hac poteſt deficere, ut conſtat in exemplo de Prælato, qui viros doctos, & probatioris vitæ creditos præfert curæ animarum, conſtat enim quod iſte fallitur in veritate rei præſuppoſita de probatiore vita illorum, quæ materialiter ſe habet ad judicium prudentiæ, ſed illâ præſuppoſitâ ſivè verè in ſe, ſivè apparenter, iudicium de conformitate ad ſuum appetitum rectum ſemper verum, & certum eſt; & ideò eius operatio nempe electio illorum ad curam animarum certiſſima eſt practicè, & moraliter, licet finis intentus à Prælato re vera, & phiſicè, non attingatur. Quod benè notandum eſt, ut plenè intelligatur quale ſit judiciũ prudentiæ, & quantùm diſtet a judicio opinionis de licito.

791 Ex dictis ergo conſtat corruere omnia jura practicæ probabilitatis de licito alicuius operationis, hoc ipſo quod corruit eorum fundamentum, quale eſt illud judicium reflexum, quod adeò extollunt Probabiliſtæ, & ex quo dicunt licitum probabile fieri certò licitum, quatenùs reflectitur, quod hoc ipſo quod probabile eſt, & rationibus graviter impellentibus intellectum, & ſuadentibus, innixum, evadit prudens, atque ideò certò licitum, quia certum eſt (inquiunt) quod opus prudens nequit eſſe pecca um. Nam ut vidimus in tali judicio licitum illud nullatenùs prudens indè redditur ſecundùm prudentiam ſimpliciter dictam, cui repugnat peccatum; ſed ſi prudens eſt, tale eſt in genere particularis prudentiæ

puta

Digitized by Google

puta in negotio propriæ libertatis, & commodi, cum quâ componi poteſt peccatum, & illicitum, eo quod deficit a conformitate illa ad appetitum rectum per efficacem intentionem finis vivendi benè moraliter, & honeſtè; vel ſaltem declinandi a malo, quod eſt unicus finis intentus à prudentia ſimpliciter dicta, quæ habet vim removendi omne peccatum, & reddere eiuſmodi opus ſic conforme certò licitum, ut hactenùs oſtenſum eſt.

§. IX.

Refelluntur argumenta cuiuſdam D. Franciſci de Perea Moderni Doctoris Granatenſis.

792 Contra nos autem noviſſimè inſurgit D. Franciſcus Perea in ſuo Lydio lapide *ſect.* 9. ubi prætendit ex probabilitate directa incerta fieri poſſe judicium reflexum certum de licito. Id quod nititur ibi oſtendere ſpecialiter contra Reverendiſſimum Patrem Thyrſum Gonzalez Præpoſitum Generalem Societatis Jeſu, qui abundat in eo ſenſu, quod ſcilicet amplectenda ſit opinio probabilior, non autem minùs, vel æquè probabilis de licito. Et ideò dictus de Perea *ſect. cit.* per totam, nititur cōtra illum probare quod in caſu æqualis probabilitatis de licito, & illicito, poteſt formari iudicium reflexum prudens, & certum de licito: quod etiam militat contra nos; quapropter debemus eius argumenta adducere, & ſolvere.

793 Primò igitur arguit ſic: Pro judicio reflexo habetur maior authoritas Doctorum, quam pro directo. Nam judicium reflexum, inquit, defenditur ab omnibus Probabiliſtis, qui tamen non omnes ſe ſubſcribunt opinioni directæ de licito. Ergo judicium reflexum probabilius eſt, & certius directo, ſaltem ex maiori authoritate Doctorum. Ex quo infert quod ſi ex reflexione ſuper probabili directo, poteſt fieri reflexum probabilius, poterit etiam fieri reflexum certum, præcipuè juxta ſententiam Patris Thyrſi, & aliorum Probabilioriſtarum, qui pro certo habent ſequi poſſe opinionem probabiliorem de licito. Et confirmat hoc, quia pro judicio reflexo militant urgentiſſimæ rationes ab Authoribus expenſæ, quæ non militant pro directo: ergo ex illis judicium reflexum poteſt ſuperare directum, ſicut in probabilitate, ita etiam in certitudine. Nam (inquit) ſi non poſſet ſuperare in certitudine, ſeu ad illam pervenire; hoc maximè eſſet, quia limitaretur ab incertitudine opinionis directæ: ſed hoc falſum eſt, nam ſicut non limitatur a minori illius probabilitate, quin non illam in probabilitate excedat: Ita nec ab illius incertitudine, quin non excedat in certitudine, vel non perveniat ad illam. Et ratio huius a priori (inquit) eſt quia reflexum provenit a diverſis principiis, quæ excedunt principia opinionis directæ, atque ideò poterunt excedendo creſcere uſque ad certitudinem.

794 Secundò arguit ſic: Per Antiprobabiliſtas (inquit) ſtante æqua probabilitate de licito, & illicito: non poteſt quis prudenter dicere directè: contractus huius ſpeciei v. g. eſt potiùs illicitus, quàm licitus; vel econtra. Et tamen poteſt, & debet in tali conflictu opinionum, reflectendo dicere: hic & nunc contractus iſte eſt mihi illicitus: ita ut hoc judicium ſit certum, & multò certius, quàm directum dicens quoque eſſe illicitum. Ergo jam per ipſos datur judicium certum reflexum fundatum ſupra opinionem æquè probabilem. Ergo æqua probabilitas opinionum directarum non impedit, quò minùs judicium reflexum ſupra ipſas fundatum perveniat ad certitudinem. Cur ergo (inquit) ſicut formatur hoc judicium reflexum rigidum certum de contractu illicito, non fundabitur ſupra opinionem probabilem de licito aliud judicium reflexum certum benignum de contractu licito? Non video diſparitatem.

795 Ad hæc argumenta, omiſſis reſponſionibus, quas arguens refert ex P. Thyrſo, & impugnat; reſpondeo vim nullam in ſe habere: Unde ad primum in primis nego maiorem authoritatem Doctorum eſſe pro judicio reflexo, quàm pro directo. Et ad huius probationem ſimiliter nego quod iudicium reflexum defendatur ab omnibus Probabiliſtis, qui tamen non omnes ſe ſubſcribunt opinioni directæ de licito: nam qui huic ſe ſubſcribunt, non defendunt judicium reflexum, quaſi habens maiorem certitudinem, vel probabilitatem de licito directo. Ut conſtat de Patre Vaſquez, qui, ut refert idem de Perea *ſect.* 7. negat judicium iſtud certum reflexum, & tamen ſe ſubſcibit probabilitati directæ. Et alii licet non impugnent, nec mentionem faciant de hoc judicio reflexo, quatenùs non urget contra ipſos, qui contenti ſunt probabili directo, non proindè dicunt reflexum ſuperaddere maiorem certitudinem, vel probabilitatem. Unde falſum eſt quod accedat maior authoritas doctorum ad judicium reflexum, quam ad directum.

796 Addo quod eſto omnes Probabiliſtæ convenirent in maiori hac certitudine judicii reflexi, & non tamen omnes ſe ſubſcriberent probabilitati directæ; non proindè ſequitur judicium reflexum eſſe probabilius directo probabilitate extrinſecâ; nam maior iſte numerus Probabiliſtarum multiplicat gentes, ſed probabilitatem non magnificat; quia voluntariè, & abſque ullo fundamento loquuntur: Probabilitas autem extrinſeca totum robur accipit ex præſuppoſitâ, & præſumptâ apud ipſos probabilitate intrinſecâ, & non ex puro conſenſu voluntario. Nulla autem eſt apud ipſos probabilitas intrinſeca maior pro judicio reflexo, licet ex voluntario ſuo conſenſu ipſi met prætendant præſumendam; ſed falſa eſt hæc prætenſa præſum-

ſumptio: quod autem non eſt verum, niſi ex aliqua præſuppoſitione ſeu præſumptione, ſi deſit præſumptio vera, cadit ab omni veritate. Sic interdùm fraudantur à veritate Laici videntes opera aliqua ad praxim deduci ab Eccleſiaſticis, qui debent habere lucernas ardentes in manibus ſuis, & eſſe ſal Terræ, credentes ea opera licita eſſe, quia ad ea Eccleſiaſtici facilè, & frequenter accedunt; & tamen falluntur, quia veritas bonitatis operum eorum ex præſumptione pendet, quod illi ſint filii lucis, cum tamen interdùm ſint filii tenebrarum. Quod autem in propoſito falſa ſit præſumptio probabilitatis intrinſecæ in his Authoribus pro judicio reflexo, hactenùs ſupra demonſtratum eſt.

797 Ad confirmationem autem, quæ contra hanc falſam præſumptionem à nobis adductam militare poteſt, reſpondeo negando abſolutè id quod primò dicit arguens, quod ſcilicet pro iudicio reflexo militent urgentiſſimæ rationes apud Authores ad aſtruendam eiuſmodi certitudinem, vel maiorem probabilitatem de licito, quæ non militant pro directo: Vidimus enim ſupra eorum rationes nihil penitùs urgere, & fundari totaliter in pura illa æquivocatione prudentiæ ſecundum quid, & in genere finis particularis, cum prudentia ſimpliciter dicta, & in genere communis finis totius humanæ vitæ, ut fusè explicavimus. Et ſi ratio hæc prudentiæ urgeret, non minùs eſſet pro judicio directo, quam pro reflexo; nam reflexum non facit judicium probabile prudens, ſed ſupponit, & ſuper illud reflectit; reflectendo autem, illud tale cognoſcit, quale eſt; ita ut ſi ſit eo modo prudens ſicut oportet ad verè prudenter operandum; quod idem eſt, ac eſſe prudens ad certò licitè, & ſine peccato operandum, ſupponat jam ex illo, eſſe certò licitum opus, non faciat de incerto certum. Judicium enim reflexum ex directo, quali ex proprio obiecto ſpecificatur; nec poteſt illud, niſi ſecundùm quod in ſe ei obiicitur ſive certum, ſive incertum, judicare; & ſimiliter ſive in maiori, ſive in minori gradu probabilitatis, in quo reperitur. Et per hæc patet reſponſio ad ea, quæ in eadem confirmatione præfatus Author ſubdit de falſitate limitationis eius per directum; & de diverſitate principiorum quaſi excedentium principia opinionis directæ. Patet, inquam, quia de facto ex directo limitatur: neque habet diverſa hæc principia ſuperexcedentia, ut liquet ex huc uſque dictis.

798 Ad ſecundum reſpondeo negando à nobis fieri judicium illud certum reflexum rigidum, ut ſupponit præfatus Author: ac proindè nullum eſt eius argumentum via retorſionis contra nos, quod adeò ipſe magnificat, diſparitatem quærens. Nos enim firmiter, & æquè ſuſtinemus omne judicium reflexum ſuper probabilitate de licito, vel illicito, ſive benignum, ſive rigidum, ut ipſe appellat, incertum eſſe, nutans atque dubium, ſicut ſuum directum: Cum quo tamen in ſua incertitudine perſiſtente, tale opus operari non poſſumus, quin certò peccemus. Neque debet Author iſte credere, dum dico (quin certò peccemus) quod jam formo judicium reflexum certum de peccato, fundatum ſuper probabilitate directa de illicito Hoc enim credendo decipitur. Et cauſa eius deceptionis eſt magna æquivocatio, quæ in eiuſmodi loquendi modis intervenit.

799 Ad cuius evidentiam, ut tollatur omnis æquivocatio, ſciendum eſt quod nos non negamus judicia reflexa, & illa certiſſima eſſe fatemur, & ſimul incerta, de variis tamen obiectis. Nam cum judicium reflexum iudicet de directo quale ſit, ut ſupra diximus, oportet quod reſpiciat duo obiecta; nempè unum ſibi proprium, quod reſpicit formaliter, & immediatè: & alterum de materiali, quod eſt proprium judicii directi, & quod reſpicit mediatè, hoc eſt tamquam obiectum alterius iudicii, nempè ipſius directi; quatenùs iudicando de directo, habet etiam mediatè iudicare de obiecto iſtius. Dum enim reflectendo ſuper probabilitate directa de licito, iudico de iudicio directè iudicante tale opus eſſe licitum, quod ſit iudicium probabile; ex conſequenti, & mediatè iudico ſimul de tali opere licito iudicato, quod ſit probabiliter tale. In quo iudicio obiectum proprium immediatum, & de formali inſpectum, eſt ipſa probabilitas operis liciti; obiectum verò inſpectum de materiali, & mediatè, eſt ipſum eſſe licitum talis operis; de hoc eſſe licito enim, quod erat obiectum formaliter iudicatum per iudicium directum, iudicat reflexum, quod ſit probabile. Ex quo fit quod iudicium reflexum certiſſimum ſit de probabilitate, quæ eſt proprium eius obiectum, quod formaliter judicat de licito talis operis; & ſimul incertum de ipſo eſſe licito operis probabiliter judicato, quod eſt obiectum proprium judicii directi; & de quo reflexum non certitudinem, ſed probabilitatem, quæ incertitudinem involuit, tantummodò affirmat. Et ideò dicimus quod reflexum, de licito incertum eſt; de liciti vero probabilitate, atque incertitudine certiſſimum. Et hoc ipſum aſſerimus de judicio reflexo de illicito, quod ſcilicet de ipſo illicito incertum ſit, de illiciti verò probabilitate, atque incertitudine certiſſimum: atque ideò judicium reflexum tàm benignum, quàm rigidum per nos æquè incerta ſunt de licito, vel illicito operis; & æquè certiſſima de probabilitate, & incertitudine utriuſque. Suppoſito autem quod, & directè, & reflexè, judicamus incertum eſſe, ſitne opus licitum, vel illicitum in ſe, habita inſpectione ad legem (nam de licito, vel illicito in ſe, & per ordinem ad legem judicat opinio directa, & ſuper hac cadit judicium reflexum) inferimus judicium aliud directum certum, quod ſcilicet tale opus ſit illicitum ſecundum conſcientiam. Quod quidem judicium directum eſt, & de alio obiecto formaliter, quàm fuerat primum illud judicium ſive directum,

ſive

Digitized by Google

ſive reflexum: nam illud primum erat de licito, vel illicito in ſe,& per ordinem ad legem: iſtud verò eſt de illicito ſecundum conſcientiam. Et ideò poteſt eſſe certum, etiam manente utroque primo directo, & reflexo in ſua incertitudine, imò indè evidenter infertur; quia quod incertum eſt ſi ſit ſecundum ſe, & per ordinem ad legem, licitum, vel illicitum: certum eſt quod ſit illicitum ſecundum cōſcientiam, quia non poteſt fieri, & eſſe ex fide; quod autem non eſt ex fide, peccatum eſt, ut dicit Apoſtolus. Et hoc eſt judicium illud noſtrum certum de illicito, nempè ſecundùm conſcientiam; non autem de illicito ſecundum ſe; nam hoc ſemper manet incertum etiam per judiciū reflexum. Undè præfatus Author de Perea æquivocat judicium illud certum noſtrum, quod ipſe rigidum appellat, cum judicio reflexo ſuper probabilitate de illicito; cum tamen illud ſit longè diverſum ab iſto, & de diverſo objecto, ut oſtenſum eſt: & ideò decipitur objiciendo nobis ſuam illam paritatem: & quærendo diſparitatem, quam ſe inquit non videre. Sed certè nec nos diſparitatem illam videre tenemur, nec aſſignare, quia ut dixi paritas illa non urget nos, cum neque reflexum rigidum certum admittamus. Poterit tamen paritas illa potiùs retorqueri contra Patrem Cardenas, & alios Probabiliſtas, qui admittunt judicium reflexum benignum certum, & negant rigidum. Ipſi ergo diſparitatem aſſignent, imò, & ipſemet Perea, ſi velit cum illis conſentire.

800 Quod ſi nolit cum illis negare judiciū reflexum rigidum certum, ſicut illi de facto negant: peius erit ei, nam quantumvis ſolvatur ab obligatione aſſignandæ diſparitatis, tenebitur fateri duo judicia reflexa contradictoria, benignum, & rigidum, ambo certa; & ſic idem opus erit ſimul certo licitum, & illicitum; quo quid abſurdius dici poteſt? non nos ergo ea paritas urget, ſed ipſum.

801 Præterea eſto demus ei judicium illud noſtrum certum de illicito eſſe reflexum, atque ideò velit à nobis diſparitatem aſſignari, non propterea confundemur. Diſparitas enim in promptu eſt, quia illicitum, & peccatum eſt de genere malorum, quæ ex quocumque defectu deprehenduntur eſſe mala: atque ideò ex defectu certitudinis de licito optimè inferimus, opus evadere nobis, hîc & nunc ſub tali incertitudine liciti, certò illicitum. At licitum, quod eſt de genere bonorum (ſaltem prout declinat à malo) non bene inferri poteſt ex incertitudine illiciti. Illicitum enim incertum non proindè evadit certò licitum ſecundum conſcientiam: ſicut licitum incertum evadit conſcientiæ operantium hoc ipſo certò illicitum; eo quod operantur cum formidine illiciti, & incertitudine, quæ nullo modo, neque viâ reflexivâ deponi poteſt, ut vidimus. Adeſt ergo principium certum, undè deduci poſſit judicium reflexum rigidum certum: ſed nullum eſt certum principium pro reflexo benigno. Et hæc eſt manifeſta diſparitas.

CAPUT SEXTUM.

De ignorantia invincibili à Recentioribus prætensâ in omni opinione probabili.

§. I.

An certò licitum ſit operari ex opinione probabili de licito, ex eo quod in eâ præſumatur involuta ſemper ignorantia invincibilis excuſans à peccato, ſi fortè in ſe opus ſit illicitum?

802 Qui à facie perſequentium fugiunt, undequaque ſibi aſylum quærunt, quo ſe poſſint quodammodò tueri. Hinc variâ ſæpè loca mutant divagantes de uno in alium, ne faciliùs deprehendantur. Jam verò Probabiliſtæ è judicio reflexo ſibi fortè minùs tuto apparente ad invincibilem ignorātiam tranſeunt, quam in omni opinione probabili univerſaliter latere dicunt; atque indè exiſtimant à legibus eos ſubjugare volentibus evadere; quaſi ſit eis ex illâ refugium efficacius, vel ius aliquod quæſitum, quemlibet à coactione legum eximendi, ac prorsùs ab omni culpa illum excuſandi, qui ſecundùm opinionem probabilem fuerit operatus. Sit ne autem hoc inter jura probabilitatis practicæ computandum (cum potiùs illam miſerandæ conditionis efficiat) alii judicent. Interim verò dum illam ſecum ignorantiam quaſi individuam comitem habere affirmant, jam veri cognitione orbatam, atque omnis certitudinis expertem, ore proprio fatentur, etiam nolentes: jam quaſi à lege aberranti, veniam illi, excuſationemque interpellant, cuius aliàs ampliſſima prædicaverant iura: atque ut à regula devianti indulgentiam dari palàm fatentur, quam tamen antea pro regula ſtatuerant agendorum. Verùm ſive ius id dicant, ſivè compatibilem potiùs, atque ideò non imputabilem, defectum (talis enim eſt invincibilis ignorantia) adhùc contendo idipsū falsò illi attribui, univerſaliter loquendo, ut mox oſtendam.

803 Præmitto autem priùs quod Probabiliſtæ duabus viis incedunt ad invincibilem ignorantiam aſtruendam opinioni probabili. Aliqui enim videntur velle cuicumque opinioni probabili comitem adjunctam eſſe ignorantiam invincibilem ex hoc ipſo, quod ſit de rebus, quarum notitia haberi non poteſt per evidentiam objecti; ubi enim ſcientia, aut certitudo rei haberi non poteſt, ibi ſtatim per iſtos adeſt invincibilis ignorantia. Ita videtur ſentire apud P. Cardenas Caramuel in ſua Apologia *num.* 290. ubi ſic ait: *Probabilitas à peccato excuſat. Et curè quia ſi illa non excuſaret, nec* ex-

excuſaret à peccato ignorãtia invincibilis, quæ in omni probabili opinione invenitur: & eſt formalis ratio, ob quam opinio probabilis excuſare dicatur. Hùc enim univerſi Theologi recurrunt, ut laudabilem opinionum probabilium uſum contra noſtri ævi novatores defendant. qui enim aut veritatem certò ſciret, aut illam vincibiliter ignoraret, uti benignitate probabilium ſententiarum non poſſet. Et cur ignorantia invincibilis excuſat? quia ſi non excuſaret; homini Deus præciperet impoſſibilia: nam præciperet ut ſciat, quæ ſcire non poteſt. Hæc Caramuel apud P. Cardenas *diſp. 15. cap. 3. ar. 3.* Ubi, ut vides, ignorantiam invincibilem dicit ideò excuſare, quia eſt de his, quæ quis ſcire non poteſt; & hanc ait eſſe formalem rationem, ob quam opinio probabilis excuſare dicatur, ad quam univerſi (inquit) recurrunt Theologi, eamque in omni opinione probabili ſupponunt inveniri, quatenùs omnes opiniones probabiles ſupponuntur eſſe de his, quorum impoſſibilis eſt ſcientia, & certitudo.

804 Alii verò dicunt in omni opinione probabili inveniri ignorantiam invincibilem ex eo, quod habita opinione probabili de licito, non tenetur quis quidquam ulteriùs quærere, etiam ſi poſſet. Et hoc probant eo quod opinio probabilis ſupponitur gravi, & prudenti rationi innixa: ubi autem quis gravi, ac prudenti rationi innititur, non tenetur ampliùs ultra illam aliud inquirere ad operandum; etiã ſi poſſit ignorantiam aliunde vincere ſive per ſcientiam; ſivè aliquo alio modo: atque ideò manet in ipſo invincibilis ignorantia ex defectu obligationis ad illam vincendam. id quod fundant in D. Thoma *quodlib. 7. art. 15.* dicente, quod ea ignorantia eſt inculpabilis, ſivè invincibilis, quæ verſatur circa id, quod quis ſcire non poteſt; vel ſcire non tenetur. Contendunt autem iſti in omni opinione probabili inveniri ignorantiam invincibilem hujus ſecundi generis, ex defectu ſcilicet obligationis ad ulteriorem diligentiam; non illam primi generis ex impoſſibilitate ſcientiæ: non quod ſupponant poſſe ignorantiam opinionis probabilis vinci per ſcientiam, ſeu per evidentiam, aut certitudinem objecti: ſed quia dicunt talem ignorantiam poſſe reſolvi in dubium, & ad exigentiam dubii poſſe, & deberi practicè vinci, & ſuperari per ſequelam tutioris partis. Ita P. Cardenas *diſp. cit. 15. cap. 3. art. 3.* contra Caramuelem, ut meliùs infra explicabitur.

805 Sed antequam hoc explicetur, & impugnetur, id ſummopere velim advertas, mi lector, nempè utrumque modum dicendi in hoc uno convenire, quod in omni opinione probabili, quæcumque illa ſit, dicatur ab ipſis inveniri ignorantiam invincibilem, quo quidem meo videri nihil abſurdius dici poteſt, ſi cum tanta generalitate, & univerſaliter dicatur. Ignorantia enim formaliſſimè importat privationem ſcientiæ ſeu cognitionis debitæ de aliquo objecto, ita ut tunc quis dicatur ignorans, quandò in eo non eſt aliqua cognitio, quæ alias in ipſo apta eſt eſſe: & ſi nedum ei deſit talis cognitio, ſed ſit inſuper in eo judicium oppoſitum, non erit ſimpliciter ignorans, ſed errans; error enim ſuperaddit ignorantiæ judicium falſum. Si ergo in omni opinione probabili invenitur ignorantia, oportet quod in omni opinione probabili ſit aliquid univerſaliter ignoratum, quod in propoſito noſtro non poteſt aliud eſſe, quàm lex, nam omnis opinio probabilis in materia morali, quæ ad noſtrum propoſitum ſpectat, ſolius legis ignorantiam habere poteſt; & cum alias importet judicium, idem erit dicere quod in omni opinione probabili ſit ignorantia, ac quod in omni reperiatur error, ſitque omnis univerſaliter erronea, & falſa: quo quid abſurdius dici poteſt? Quis enim dicat omnes opiniones probabiles in materia morali aberrare à lege, & falſas atque erroneas eſſe?

806 Ex quo aliud abſurdum ſequeretur, & implicans in adjecto ad id, quod ipſi dicunt, nempè quod talis ignorantia ut invincibilis, & inculpabilis: nam ſi ſemel univerſaliter ſupponatur in eis judicium cum ignorantiâ legis, jam omnes ſupponerentur expreſsè, ut à lege aberrantes, atque oppoſitum legis ſemper, & univerſaliter judicantes, ac propterea omnes in ſe eſse falſas; quomodo ergo invincibilis, & inculpabilis erit earum ignorantia, ex quâ univerſaliter ſupponitur in eis ſemper judicium falſum, & erroneum provenire? Imò hoc ipſo certum eſſet nullâ fore excuſatione dignos operantes ſecundùm illas, quæ judicarent opus eſſe licitum: & econtra tutos fore eos omnes, qui id agerent, quod opinio probabilis judicaret illicitum. Vide quot abſurda ex illa univerſali poſitione ſequerentur. Ergo non videtur verificari poſſe univerſaliter in omni opinione probabili ejuſmodi ignorantiam inveniri; cum plures ſint veriſſimæ in ſe, licet quæ tales ſint non conſtet evidenter, nec certum ſit opinanti. Melius ergo dixiſſent, quod in omni opinione probabili, ſi in ſe falſa ſit, inveniatur ignorantia hæc invincibilis, & inculpabilis, quam univerſaliter, & abſolutè in omni opinione probabili. Sed hæc obiter dicta ſint, non tam ad impugnandum, quàm ad explicandum potiùs quo ſenſu intelligi debeat id, quod ab ipſis videtur abſolutè dictum, quod in omni opinione probabili inveniatur ignorantia invincibilis, & inculpabilis; intelligi enim debet de omni ſub hac conditione, ſi ſcilicet, & quatenus eſſet in ſe falſa. Et ita exiſtimo eos intellexiſſe; alioquin prædicta abſurda ſequerentur.

807 Redeamus igitur ad id, unde digreſſi ſumus, & explicemus modum dicendi Patris Cardenas, & Vaſquelii, quem pro ſe citat, & ex quo ſumit doctrinam ſuam. Dicit itaque Pater Cardenas *loc. cit.* quod duplici modo poteſt ignorantia eſſe invincibilis. Primò quia homo non poteſt abſolutè per ullam diligentiam pro-

priam

priam ab ea ignorantiâ eripi; ut ſi quis certò credat periurium licere ad vitandum homicidium, ita ut nulla ratio dubitandi ei occurrat. Secundò dicitur ignorantia invincibilis, quatenùs homo non tenetur eam ignorantiam fugere. Et ſubdit: quod tunc non tenetur eam fugere, quando pro ea parte occurrit ei ratio probabilis, cui innitatur intellectus ad aſſenſum practicum illius. Præterea (inquit) duplici modo poteſt contingere, quod quis vincat ignorantiam: primò per ſcientiam, quam quis poſt adhibitam diligentiam ſibi comparat; ut cum quis putans fornicationem eſſe licitam, adhibendo poſtea diligentiam & ſtudium, pervenit ad ſcientiam veritatis de eius turpitudine. Secundò per hoc quod ipſa ignorantia reſolvitur in dubium practicum, in quo (non occurrente ratione probabili pro libertate) ſcit homo tutiorem partem eſſe amplectendam: ut cum quis exiſtimans fornicationem potiùs eſſe licitam, eius exiſtimatio reſolvitur in dubium, atque ideò cognoſcit ſe in tali dubio conſtitutum teneri abſtinere ab illa. Ulteriùs dicit, quod homo ſemper tenetur fugere huiuſmodi ignorantiam, quando non occurrit ei ratio verè probabilis pro libertate contra legem, eo modo quo poteſt, hoc eſt uno è duobus modis traditis, nempè vel adhibendo diligentiam ad ſcientiam veritatis ſibi comparandam; vel reducendo ſe in dubium practicum, ut in illo conſtitutus operetur iuxta exigentiam dubii, nimirùm eligendo partem tutiorem ſtantem pro lege. Atque hinc tandem concludit, quod quando homini occurrit ratio verè probabilis pro libertate contra legem, ea ignorantia manet invincibilis, iuxta ea quæ aſſerit Pater Vaſquez; nam, inquit, ut aſſerit D. Thomas *quodlib. 7. a. 15.* eâ ignorantia dicitur invincibilis, & inculpabilis, quæ verſatur circa id, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur. Undè (inquit) propoſitâ eâ quæſtione, an ſit obligatus reſtituere, qui damnum grave intulit cum ſola culpa veniali: dum homo ignorat, quæ pars ſit in ſe vera; & videt ſibi eſſe impoſſibile id ſcire; tunc ſi ipſi non occurrit ratio aliqua probabilis pro libertate; & alias occurrit ei ſufficiens deliberatio ad dubitandum; ignorantia manet vincibilis; quia poteſt, & tenetur reducere ſe in dubium, in quo tutiorem partem ſequatur pro lege contra libertatem, & ſic vincere practicè eam ignorantiam. Si verò occurrat ei ratio probabilis pro libertate contra legem (iuxta quam eſt ſententia eorum, qui docent in eo caſu non adeſſe obligationem reſtituendi) ignorantia manet invincibilis; non quia non poſſit dubitare, & in dubio ſequi partem tutiorem, ſed quia propter rationem probabilem non tenetur eo modo vitare ignorantiam. Ita ſe explicat P. Cardenas *loc. cit. à n.* 71. & infra.

808 Ex quâ doctrinâ infert præfatus Author in omni opinione probabili eſſe ignorantiam invincibilem, & inculpabilem; non illam, quam vult Caramuel ab ipſo relatus, conſiſtentem in hoc, quod non poſſit vinci per ſcientiam; quia hæc (inquit) non eſt inculpabilis, eo quod continetur in opinione probabili in quantum eſt formaliter incerta; imò, inquit, eſt ipſamet eius incertitudo; Incertitudo autem non excuſat à peccato: ſed illam, quam ipſe dicit in opinione provenire ex gravi, & prudenti ratione; ac propterea quam homo tali rationi innixus non tenetur practicè illam vincere, reſolvendo ſcilicet eam in dubium, & juxta exigentiam ſeu obligationem dubitantis, tutiorem partem eligendo; quatenùs in dubiis tutior pars eſt eligenda: nam licet poſſet utique facillimè hoc efficere, non tenetur; quia (inquit) innititur rationi probabili, ideſt gravi, & prudenti, per quam deponit dubium; nec tenetur aliquid ampliùs inquirere; cum hoc ipſo prudenter operetur, ac per conſequens non peccat.

809 Ego autem utrumque modum dicendi Caramuelis, ſcilicet, & Patris Cardenas approbare non poſſum, utrumque enim cenſeo à veritate alienum. Et primus quidem, qui eſt Caramuelis, reiicitur, & impugnatur a Vincentio Baronio; ſicut etiam ab ipſo Patre Cardenas jam citato, ut vidimus: licet huic diſpliceat impugnatio Baronii, atque ideò illum in ſuo examine redarguendum aſſumit. Sed ut verum fatear, videtur mihi, quod Author iſte dùm in unum, & alterum inſurgit, quò ſe vertit, ut illos feriat, ſeipſum interimit, ut mox oſtendam.

810 Contra Caramuelem itaque ſic inſurgit P. Cardenas *loc. cit. num. 63. Et ſequentibus. Si contendat* (inquit) *Caramuel ignorantiam, quæ continetur in opinione probabili, ideò eſſe invincibilem, quia vinci non poteſt per ſcientiam, & evidentiam eius obiecti: planè quid falſum ſupponit. Nam ea ignorantia quatenùs invincibilis eſt per ſcientiam, non excuſat à peccato.* (& in hoc convenit cum Baronio.) *Et hoc,* inquit, *patet, nam talis ignorantia invincibilis continetur in opinione probabili, ſecundùm quod opinio probabilis eſt incerta; vel ut formaliùs loquar, eſt ipſa incertitudo, quæ eſt de eſſentia opinionis probabilis. Atqui ſola incertitudo quantumvis invincibilis non excuſat à peccato. Ergo ea ignorantia invincibilis contenta in opinione probabili non excuſat à peccato.* En eius argumentum contra Caramuelem. Sed peto ego à P. Cardenas: undè probat, quod ea ignorantia, invincibilis per ſcientiam, & evidentiam eius obiecti, contineatur in opinione probabili, ſecundùm quod eſt incerta; vel formaliùs loquendo, quod ſit ipſa incertitudo, quæ eſt de eſſentia opinionis probabilis? Reſpondet: *Quia opinio probabilis ex duobus prædicatis componitur, nempè ex eo, quod ſit incerta: & ex eo quod nitatur rationi gravi, & prudenti. Ignorantia ergo invincibilis* (inquit) *quæ vinci non poteſt per ſcientiam, & evidentiam obiecti, contenta in opinione probabili, non provenit à*

ra i-

ratione gravi, neque includitur in hoc, quod eſt, eſſe munitam ratione gravi, & firma, vel prudenti: nam etiam ſententia evidens munitur ratione gravi, firma, & prudente: nam ratio evidens, & probabilis in his attributis conveniunt; & differunt in ratione certi, & incerti: non ſtat ergo ea ignorantia invincibilis in ratione gravi; ſed in incertitudine: neque enim opinio probabilis habet aliud prædicatum, præter ea duo. hùc uſque P. Cardenas.

811 Sed quis non videat in quantis diſcurſus iſte deficiat? Deficit enim primò in propoſitionibus multis, quas aſſumit ad probandum, quod ignorantia invincibilis per ſcientiam, & evidentiam obiecti, contineatur in ipſa opinione probabili ratione eius incertitudinis; & non ratione, qua eſt gravi, ac prudenti ratione munita. Ad quod aſſumit propoſitionem illam, quod ſcilicet, *eiuſmodi ignorantia formaliter loquendo eſt ipſamet incertitudo, quæ eſt de eſſentia opinionis probabilis*. Quod quidem falſiſſimum eſt: nam quæcumque ignorantia, ſi rigoroſè, & ſtrictè ſumatur, puram privationem importat debitæ ſcientiæ, vel cognitionis obiecti; ac propterea omnem obiecti cognitionem excludit a ſubiecto; Incertitudo autem ſtat cum aliquali obiecti cognitione: Undè opinans non poteſt dici formaliter, & rigoroſè ignorans, benè tamen incertus de quo opinatur. Si verò ignorantia non ita ſtrictè ſumatur, ſed potiùs ut coniuncta cum aliquo iudicio, quo pacto importat errorem, (errans enim dicitur, qui nedum ignorat, ſed falsò aliquid iudicat) ſic ignorantia non in qualibet opinione reperitur, ſed ſolùm in opinione, quæ in ſe falſa eſt: Incertitudo autem reperitur in omni opinione, ſive falſa, ſive vera ſit in ſe. Ergo non poteſt ignorantia dici ipſamet incertitudo; ut formaliùs loquendo aſſerit P. Cardenas; ſi ipſe loquatur de ignorantia, & incertitudine, quæ eſt in opinione probabili directa; ut ſuppono.

812 Quod ſi ipſe dicat ſe loqui in reflexione ſuper iudicio directo, in qua opinans reflectendo ignorat, an ſuum iudicium directum ſit in ſe verum, vel falſum; vel quod idem eſt: An res iudicata directè ita ſit in ſe, ſicut ipſe iudicat. De hoc enim eſt in eo pura ignorantia abſque errore, quia ſuper hoc ſuſpenſus manet ab omni iudicio, & incertus de utraque parte; & huiuſmodi ignorantia eſt ipſamet incertitudo. Si, inquam, hoc dicat; nec verum dicit, nam huiuſmodi ignorantia cum ſuſpenſione iudicii re vera nec certitudinem, nec incertitudinem importat: ubi enim de obiecto nihil iudicatur, poteſt quidem eſſe, & eſt de facto ignorantia obiecti; non tamen certitudo, vel incertitudo; hæc enim nequit eſſe niſi de iudicio, & re iudicata. Et dato quod ſuſpenſio illa eſſet per ipſum quodammodo ſpecies quædam incertitudinis, iam non eſſet incertitudo illa, quæ eſt de eſſentia opinionis probabilis, & unum de duobus illis prædicatis opinioni probabili eſſentialiter competentibus; cum ſit extra omnem opinionem, & reperiatur tantum in reflexione penitùs ſuſpenſiva ab omni iudicio, quæ non eſt opinio, ſed pura conſideratio opinionis directæ in ratione eius veritatis, vel falſitatis in ſe, neutram partem affirmando, vel negando: cum tamen ipſe dicat ignorantiam reperiri in opinione probabili ratione incertitudinis in ipſamet opinione repertæ. Quomodo ergo hæc eius dicta concordant? oportet ergo quod loquatur de ignorantia, & incertitudine opinionis directæ, quæ, ut vidimus, non ſunt idem, ut formaliùs loquendo aſſerit P. Cardenas.

813 Ex quo conſtat quod malè infert eiuſmodi ignorantiam reperiri in opinione probabili ratione incertitudinis eius: quaſi idem ſit formaliter ignorare, aut errare, quod eſſe incertum. Opinans enim non dicitur ignorans, aut errans, quia formaliter incertus eſt aſſenſus ſuus in eam partem, quam opinatur; alioquin æquè ignorans, & errans diceretur, qui opinaretur id, quod in ſe eſt verum, & qui opinaretur, quod in ſe eſt falſum: cum uterque æquè ſit incertus in aſſenſu ſuo: ſed dicitur ignorans aut errans, quatenus veri cognitione caret, aut poſitivè iudicat verum quod in ſe verum non eſt. Non ergo ratione incertitudinis reperitur in opinione probabili ignorantia, ſicut prætendit Pater Cardenas.

814 Et cum ipſe hoc nititur probare, aſſumit propoſitionem aliam etiam falſam, quod ſcilicet in opinione probabili non ſint alia prædicata præter illa duo, nempè quod ſit incerta, & quod ſit ratione gravi, ac prudente munita. Et indè infert, quod cum ignorantia non poſſit eſſe in opinione, ratione, quâ eſt gravi, ac prudente ratione munita; remanet quod ſit in illâ, ratione incertitudinis. Sed propoſitio illa aſſumpta falſa eſt; nam præter duo illa prædicata poteſt opinioni probabili aliud prædicatum aſſignari, nempè quod ſit in ſe vera, vel falſa. Quod eſt tertium prædicatum diſtinctum ab illis duobus, ut conſtat ex hoc quod eſt ſeparabile ab illis: non enim omnis opinio probabilis eſt in ſe vera, neque omnis eſt in ſe falſa; ſed aliquæ ſunt in ſe veræ, & aliquæ in ſe falſæ: omnes tamen ſunt incertæ, & gravi ac prudente ratione munitæ. Atque ideò malè infert, quod cum ignorantia non poſſit eſſe in opinione probabili, ratione, quâ eſt gravi, ac prudente ratione munita, neceſſe eſt quod ſit in illâ, ratione incertitudinis. Poteſt enim dici, & de facto dici debet, quod ei conveniat ratione falſitatis: quia ſolùm ubi opinio reperitur in ſe falſa, eſt locus ignorantiæ, & non aliter: quia tunc ſolùm opinans dicitur obiecti cognitione privatus. Nam ſi opinio ſit in ſe vera, non poteſt opinans dici errans, aut ignorans, licet ſemper dicatur incertus.

815 Præterea eſto in opinione probabili non eſſent, niſi duo illa tantùm prædicata; nempè eſſe gravi, ac prudente ratione munitam; &

eſſe

eſſe incertam; ut vult P. Cardenas: adhuc malè concluditur, quod in eâ ſit ignorantia, ratione, quâ eſt incerta. Quia ad hoc concludendum Pater Cardenas aſſumit aliam propoſitionem falſam, nempè quod non poſſit dici, quod ſit in illâ, ratione, quâ eſt gravi, ac prudente ratione munita: neque ipſe hoc benè probat, dum ait: quod in hoc quod eſt, eſſe ratione gravi, ac prudente munitam, omninò conveniunt ſententia evidens, & opinio: quia ratio evidens (inquit) & probabilis in his attributis conveniunt, & ſolùm differunt inter ſe, in ratione certi, & incerti. Hoc enim totum falſum eſt: cum nulla ſit earum in hoc convenientia, niſi purè æquivoca: quatenùs ratio illa gravis, ac prudens, quâ munitur opinio, & illa, quâ munitur ſententia evidens, in ſola voce conveniunt: cæterum in re ſignificatâ ſunt toto cœlo diverſæ, & diverſi generis; nam ratio evidens eſt generis demonſtrativi, & dicitur gravis eâ gravitate, quæ ſufficiens eſt ſuo pondere figere intellectum immobiliter in unâ parte cum evidentiâ, & certitudine veritatis in ſe; ac proindè excludit ignorantiam: ratio verò probabilis dicitur gravis, & prudens gravitate alterius generis, nempè opinativi; quatenùs habet inclinare ſuo pondere in unam partem, ſed formidoloſè, & defectibiliter à veritate in ſe; ac propterea admittit ſecum ignorantiam veritatis in ſe, & obiectivæ. Ergo ſolùm æquivocè conveniunt.

816 Denique ex hoc ipſo conſtat, quod differentia, quam inter ſe dicit præfatus Author habere in ratione certi, & incerti, provenit ex differentiâ ipſâ, quæ intercedit inter ipſam rationem gravem, ac prudentem, qua munitur opinio; & illam, qua munitur ſententia evidens. Ideò enim opinio probabilis incerta eſt, quia ratio ſua gravis, ac prudens, cui innititur, debilis eſt, & inſufficiens ad certò veritatem aſſequendam: ratio verò gravis, & prudens, quâ munitur ſententia evidens, eſt ſufficiētiſſima. Et hinc etiam fit manifeſtum quàm deficienter dicat, quod ignorantia contenta in opinione probabili contineatur in illâ, ratione, quâ eſt incerta; & non ratione, quâ eſt gravi, ac prudente ſua ratione munita: cum re vera totum, quod eſt de defectu in opinione, ſive ſit defectus cognitionis veritatis in ſe, ſive defectus certitudinis, ex defectu ſuæ rationis quantumlibet in ſua linea gravis, ac prudentis, procedit, & non aliundè. Undè quidquid eſt in opinione probabili, ſivè ſit ignorantia, ſivè incertitudo, nonniſi quatenùs eſt tali ratione munita, ei attribui poteſt. Sicut quidquid eſt in ſententiâ evidente, totum ei attribuitur quatenus eſt ſua ratione evidente munita. Opinio enim, ſicut, & ſcientia, ſecundum ſe totas ex ſuis principiis dependent, & indè quidquid habent in ſe, totum participant. Quare ſi opinio probabilis in ſe falſa eſt, & à veritate ſui obiecti deficiens, indè falſitatem habet, indè errorem continet, indè defectum cognitionis ſui obiecti, ſivè ignorantiam participat. Si verò contingat eſſe veram, indè veritatem agnoſcit, indè errorem excludit, & ignorantiam; licet modo imperfecto, prout indè imperfectè haberi poteſt cognitio, puta ſine evidentiâ, & certitudine. Inde ergo, ſive vera, ſive falſa ſit, quidquid habet, totum habet, & ignorantiam, & inevidentiam, & incertitudinem, aut quodcumque aliud excogitabile prædicatum. Vide ergo lector in quantis deficiat præfatus diſcurſus, quo Pater Cardenas, ut Caramuelem feriat procedit.

817 Sed videamus nunc qualiter dum in Caramuelem ſtringit arma, ſeipſum interimat. Docet ipſe eam ignorantiam invincibilem per ſcientiam, & evidentiam obiecti, non excuſare; quia fundatur in incertitudine, imò eſt ipſa formalis incertitudo. Hæc autem (inquit) non excuſat; quia vinci poteſt, & debet practicè per reſolutionem in dubium, & ſequelam tutioris partis, utpotè ad id obligante ipſa incertitudine. ex alia parte autem vult ipſe in opinione probabili eſſe ignorantiam invincibilem, ſeu inculpabilem ex alio capite, ex eo quod, ſcilicet, homo non tenetur illam practicè vincere; licet poſſit, reſolvendo illam eodem modo, in dubium; & eligendo tutiorem partem pro lege, ſicut dictum eſt. Explicat autem quando homo non tenetur illam ſic vincere; & dicit, quod tunc, quando innixus rationi probabili, quatenùs gravi, ac prudenti, procedit ad opus; tunc enim, inquit, non tenetur aliquid ampliùs quærere, quia prudenter operatur, & per talem rationem omne dubium, & incertitudinem deponit: undè huiuſmodi ignorantiæ invincibilitas in ratione illa gravi, ac prudente fundatur; quatenùs ſcilicet homo ſub ratione prudente operando, non tenetur ad ampliùs, ac proindè ſi contingat in ſe aberrare à veritate, non tenetur eiuſmodi ignorantiam vincere, neque practicè per electionem tutioris partis; ſicut teneretur, ſi non deponeret incertitudinem illam, quam importat ignorantia invincibilis per ſcientiam, & evidentiam obiecti. Nam ſecundum D. Thomam ignorantia excuſat, quando homo vel non poteſt illam vincere, vel non tenetur. Cum ergo ex vi rationis probabilis gravis, ac prudentis, homo non teneatur ignorantiam vincere, fit ei hæc invincibilis, ſeù inculpabilis; ita ut ipſe maneat indè excuſatus ab omni culpa. Ita ſe explicat P. Cardenas *loc. cit. num. 76. & 77.*

818 Sed dum hæc promit, videtur velle verbis ludere, & non advertit ſe indè eluſum evadere. Dicit: ex vi rationis probabilis gravis, ac prudentis, deponi omne dubium, & incertitudinem; hoc ipſo, quod ea gravis eſſe dicitur, & prudens: quaſi non eadem ſit gravis adhuc, & prudens dicta; undè (etiam per ipſum) opinio habet quod ſit incerta. Numquid non ipſe eſt, qui acriter defendit, opinionem probabilem definiri per hoc, quod ſit gravi, ac

prudenti rationi innixa? ergo ſi in hoc ponit eius eſſentiam, & alias de eſſentia opinionis affirmat eſſe incertam, ut vidimus ex ipſo, ex eadem ratione, gravi, ac prudente dicta, habebit quod ſit incerta. Si autem eadem ratio, dicta gravis, & prudens, eſt ratio ponendi incertitudinem in opinione, quomodo erit ratio eam deponendi? non videt quod ſicut indè ſit aſſenſus opinativus, indè etiam ſit talis aſſenſus, nempè opinativus, formidoloſus, incertus? Profectò hoc probè vidit *diſp. 15. cap. 4. a. 12. n.* 369. ubi, ad aliud tamen propoſitum, dicit: quod *probabilitas concluſionis eſt denominatio proveniens concluſioni à præmiſſis probabilibus & certitudo concluſionis eſt denominatio proveniens concluſioni à principiis certis: undè ſi præmiſſæ hic, & nunc ſunt probabiles, implicat quod concluſio non ſit probabilis: & ſi præmiſſæ ſunt certæ; implicat, quod concluſio non ſit certa*. Ecce ſi probè vidit certitudinem aſſenſus concluſionis ex certitudine præmiſſarum neceſſariò provenire: & probabilitatem aſſenſus concluſionis (quæ eſſentialiter incerta eſt) ex probabilitate ſuarum præmiſſarum, quod eſt dicere, ex earum incertitudine. fateatur ergo nobiſcum quod ratio illa, quantumvis dicta gravis, & prudens (undè aſſenſus opinionis dicitur, & denominatur eſſentialiter incertus) in ſeipſa eſsentialiter incerta ſit, atque ideò ſit ratio ponendi, ac denominandi incertum aſsenſum ſibi innixum; & non poſſit eſse ratio deponendi incertitudinem. Quandoquidem ipſa eſt prima radix, & fontale principium incertitudinis aſſenſus opinativi, quem infert. Ergo quicumque illi innixus procedit ad opus, non poterit incertitudinem illius evacuare; niſi in dubium illam reſolvat, & tutiorem partem eligat; ad id eum obligante incertitudine ipsà, eodem prorsùs modo, ſicut P. Cardenas arguit adversùs Caramuelem: alioquin ſemper ſub eadem incertitudine operabitur, quæ non excuſat; ut ipſe fatetur. Videat ergo ſi dum in Caramuelem arma ſtringit, ſe ipſum interimit. Nec S. Thomas, quem ipſe pro ſe allegat, in aliquo poteſt ipſi ſuffragari; nam D. Thomas dicit utique ignorantiam excuſare, quando homo non poteſt illam vincere, vel non tenetur: at non teneri hominem eam vincere ob rationem probabilem, quæ manifeſtè præ ſe fert incertitudinem ſuam, & formidinem partis oppoſitæ, D. Thomas numquam docuit, nec verum eſt. Quando autem verum ſit, quod non teneatur homo illam vincere, diximus ſupra agendo de ignorantia, nempè quando omninò velatur obiectum eiuſque periculum, quod frequenter accidit in ignorantia facti, & quandoque in ignorantia juris humani poſitivi.

§. II.

Defenditur Doctrina Vincentii Baronii argumentis contra Caramuelem ſuper invincibilitate ignorantiæ opinionis probabilis. Et vindicatur ab improbationibus Patris Joannis de Cardenas.

819 CONtra Baronium autem inſurgens P. Cardenas *eod. loc. cit. a. 4.* ſic loquitur: *Baronius argumento Caramuelis reſpondeat diſp. 2. ſect. 1. a. 6. pag. 154. ſic ait: Undè ergo infers* (Caramuel) *nos velle Deum præcipere impoſſibilia? Quia, inquis, ignorantia invincibilis non excuſabit à peccato, ſi probabilitas non excuſet. Neque enim id poteſt, niſi beneficio ignorantiæ invincibilis, quam involuit. Et niſi excuſaret ſeu probabilitas, ſeu ignorantia invincibilis, Deus præciperet impoſsibilia; nempè ut ſciamus, quæ ſcire non poſſumus. Reſponſio hæc, quâ una utitur tota cauſa probabiliſta, tum pro libertate, plures habet errores, quàm verba.* Egregia propoſitio, (interponit P. Cardenas) ſi probaretur . . . . *Præterea addimus ignorantiam invincibilem tolli non ſolùm opinione probabili de honeſtate actionis, ſed ipſomet dubio, an res, quæ inſtat agenda cum lege conveniat, & ſit permiſſa, an prohibita; ut ex mente omnium philoſophorum relatum eſt verbis Ciceronis: Ipſam dubitationem rationem habere iniuriæ; ut pudendum videatur Theologo id negare de opinione probabiliſſima, rem eſſe iniquam, quod Philoſophi aſſerunt de ipſamet dubitatione. Undè immeritò nobis obiicit Caramuel: niſi probabilitas excuſet, hominem peccaturum neceſſariò: hoc enim falſiſſimum eſt. Nec alio probat argumento, quam manifeſtâ petitione principii. Quæro enim à te: cur cenſeas cum dubito non ſolum levi coniectura, ſed etiam graviſſimo argumento; an iuramentum falſi cum reſtrictione mentali ex Tamburino licitum* (imò ex communi ſententia: Interponit Cardenas) *ſit damnandum, ut ipſemet concedis; ſi hoc iuramenti genus animo ſic comparato uſurpem, peccem neceſſariò ex ignorantia invincibili? Ego juxta mea principia, dicam peccare quidem, idque liberè, non neceſſariò, quia ratione dubitationis à te ipſo inſinuatæ ignorantia invincibilis tollitur, aut reſolvitur in ignorantiam vincibilem, ubi primum ortum eſt dubium; & cum invaluit, in opinionem probabilem, ac proindè ſequendam, quia ſtat pro lege, huiuſmodi iuramentum verum eſſe periurium. Ergo ex meis principiis ne, vel minima quidem ſuſpicio eſt, me peccare neceſſariò ex ignorantiâ invincibili; quandoquidem ipſamet dubitatio monet ab actione ſuſpectâ abſtinendum. Hucuſque Baron* (dicit P. Cardenas) *pro eius argumenti ſolutione.*

820 *In qua ſolutione* (inquit nunc Cardenas contra Baronium) *multa veniunt notanda,*

&

& refutanda. Primùm ea verba: Reſponſio hæc, quâ unâ nititur tota cauſa probabilitatum. Quod quidem omninò falſum eſt, cum cauſa probabilitatis practicæ ſit omnino independens ab ea reſponſione.

821 Sed iſte Cardenas quid hîc adverſus Baronium totâ dignum reperis, aut refutandum aſſumis? quod dixerit: *quâ unâ reſponſione nititur tota cauſa probabilitatum?* Si hoc falſum exiſtimas: in hoc ipſo de falſitate convinceris. Neque enim aliundè cauſa probabilitatis defendi poteſt, niſi ex una hac reſponſione; quod in eâ, ſi in ſe falſa ſit, ignorantia invincibilis excuſat. Quære Tu, & perquire reſponſionem aliam, ſi interrogeris, cur operans ſecundùm opinionem probabilem, ſi in ſe falſa ſit, non peccet? profectò non invenies. Sive enim ad tuum judicium reflexum recurras; ſive ad prudentiam, quam ibi commendas; ſive ad quamlibet aliam cauſam excogitabilẽ; niſi hæc omnia ad invincibilem ignorantiam tandem reſolvas, nihil efficies. Tolle ab opinione probabili, ſi in ſe ſit falſa, ignorantiam invincibilem; quid prodeſſe poterunt reflexiones illæ ſuper probabilitate, & prudentiâ opinionis? numquid propterea re vera non erras circa legem? numquid legem in ſe non ignoras? ſi autem error huiuſmodi, & ignorantia legis non ſit invincibilis, & inculpabilis; jam hoc ipſo de culpâ convinceris. Ergo una hac reſponſione invincibilis ignorantiæ nititur tota cauſa probabilitatis. Sed demus tibi reapſe hoc falſiſſimum eſſe, ſicut aſſeris: non proindè poteris citra calumniam Baronium de falſo redarguere: nam ille non in perſona ſuâ ibi loquitur, ſed Caramuelis, quem ibi intendit impugnare: & verba illa profert quaſi ex Caramuele prolata; quandoquidem in eo ſenſu abundat Caramuel. Attende ergo quid Caramuel dixerit: *Probabilitas* (inquit ille) *à peccato excuſat. Et cur? quia ſi illa non excuſaret nec excuſaret à peccato ignorantia invincibilis, quæ in omni probabili opinione invenitur: Et eſt formalis ratio ob quam opinio probabilis excuſare dicatur.* Audiſti? prætendit Caramuel quod ignorantia invincibilis ſit formalis ratio, ob quam opinio probabilis excuſare dicatur. Quod idem eſt ac dicere: quâ una nititur tota cauſa probabilitatum: formalis enim ratio in unoquoque genere una eſt. Hoc autem quod Caramuel affirmat, ſive verum, ſive falſum, referre voluit Baronius quaſi ex illo id aſſerendo; ut ſic dum eam ignorantiam impugnabat, videretur magis eam ab excelſo ſolio unius rationis formalis, quò Caramuel extulerat, ad ima deiicere.

822 Secundum, quod notâ, & refutatione dignum advertit P. Cardenas in prællegatis verbis Baronii eſt, quod dixerit: *Eam reſponſionem Caramuelis plures habere errores, quàm verba.* Atque ideò in Baronium inſurgens ait: *Sed quos habet errores? Audi ipſum* (ſubdit P. Cardenas) *ibidem vers. Sed incautum, ubi ita* (Baronius) *ait: Sed incautum, & præcipitem in nos æſtu diſputationis abripi video, & in profundum omnium errorum dilabi Adverſarium; dum invincibilem ignorantiam individuam vult omni probabilitati. Quam ſibi foveam effodit hoc aſſerto? In quæ præcipitia deducit homines?* (Ad quæ verba ſubiungit Cardenas:) *Sed dicat Baron, quam, & in quæ? Reſpondet* (Baronius verbis immediatè ſequentibus:) *Certè quiſquis negat ignorantiam invincibilem poſſe tolli, aut reſolvi in ignorantiam vincibilem ſolâ ſcientiâ* (*corrige*: Interponit hîc P. Cardenas: *Niſi ſolâ ſcientiâ*) *rerum, de quibus opinamur. Jam pluries monſtravi, quod indè idololatriam docet fieri probabilem, Atheiſmum ſecurum, & ab omni periculo peccati immunem. Superioribus argumentis hoc novum addo: Si ignorantia invincibilis nequeat tolli, niſi per ſcientiam rerum, de quibus dubitamus, immeritò Apoſtolus ad Rom. 1. inexcuſabiles pronunciat Antiquos Philoſophos, quod cum Deum cognoviſſent ex Creaturis, ut Deum minimè coluerint, illique gratias egerint ut bonorum omnium Authori, primæ ſui, & rerum univerſi cauſæ. Sed quos damnat Apoſtolus, abſolvit Caramuel: Contendo enim his Philoſophis, quos inexcuſabiles pronunciat Paulus, non defuturam ignorantiam invincibilem, quâ imbui vult omnes opiniones probabiles.* Hùc uſque recitat P. Cardenas Baronii verba, utpotè quæ cenſuit correctione digna.

823 Sed dicat nunc P. Cardenas: quid in totâ hac recitatâ Baronii Periodo repererit reprehenſione dignum: fortè quod dixerit ibi: *In profundum omnium errorum delabi adverſarium, dùm invincibilem ignorantiam individuam vult omni probabilitati. Et quod hoc aſſerto magnam ſibi foveam effoderit, & in præcipitia multa homines deduxerit?* Totum hoc veriſſimum eſt, & præcipuè ad hominem contra ipſum Caramuelem, qui de ignorantiâ invincibili per ſcientiam, & evidentiam obiecti, affirmat eſſe omni probabilitati individuam, & per eam homines excuſari. Quod cum falſiſſimum ſit; ut ſatis, ſuperque ibidem Baronius demonſtravit; veriſſimum erit indè in profundum omnium errorum delabi Adverſarium, atque eo aſſerto magnam ſibi foveam effodiſſe, homineſque in multa deduxiſſe præcipitia. Nõ enim ignorantia opinionis probabilis invincibilis, atque inculpabilis dicenda eſt; quia vinci non poteſt per ſcientiam, & evidentiam obiecti; cum optimè poſsit aliundè vinci, & in ignorantiam vincibilem reſolvi, obligante ad id ipſa opinionis probabilis incertitudine, vel quacumque alia dubietate, ut oſtendit Baronius; & nos vidimus ſupra. Id quod vel ipſe P. Cardenas docet, & oſtendit contra Caramuelem, ut vidimus. Idque omnibus certum eſſe debet, quemadmodum, & pro certo habet ipſe Cardenas; & huius oppoſitum negatur ab omnibus:

undè

Digitized by Google

undè optimè ibi Baronius ſubdit: *Quiſquis negat ignorantiam invincibilem poſſe tolli, aut reſolvi in ignorantiam vincibilem ſola ſcientia rerum, de quibus opinamur*; quia poteſt aliundè, præter eiuſmodi ſcientiam tolli, atque in ignorantiam vincibilem reſolvi, & debet; nempe per reſolutionem in dubium, & electionem tutioris partis. Hic eſt germanus verborum Baronii ſenſus ibi: *Certè quiſquis negat ignorantiam invincibilem poſſe tolli, aut reſolvi in ignorantiam vincibilem ſolà ſcientià, rerum de quibus opinamur*. A cuius intelligentia defecit quidèm P. Cardenas, dum parentheſim illam interpoſuit verbis Baronii, dicens: (*Corrige: Niſi ſolà ſcientià*) exiſtimavit ſe eſſe in ſchola, & diſcipulum corrigere: ſed quia Magiſtrum digniſſimum offendit, quem potiùs revereri debebat, in ipſum recidit correctio ſua. Aiebat enim ille: quemquam negare ignorantiam invincibilem ſola ſcientia poſſe tolli; idquè unicè intendebat ad probandum non invincibilem eſſe ignorantiam opinionis, quantumvis non poſſit per ſcientiam tolli; eo quod poteſt alio modo vinci, puta per dubium, aut opinionem probabilem oppoſitam; per hoc enim ipſum in vincibilem reſolvitur, quod & ſubſequentibus argumentis ibi Baronius comprobavit, ut videre eſt in toto eius diſcurſu. Quid ergo ibi correxit Cardenas (*niſi ſolà ſcientià*) niſi quia ab illius intellectu defecit? certè tantum virum eo defectu deliquiſſe erubeſco, nec facilè propalaſſem, ſi ipſemet ſuæ correctionis facto ſemetipſum publicè deficientem non feciſſet

§. III.

Defenditur ampliùs Vincentius Baronius in reliquo ſuo diſcurſu contra Caramuelem ab aliis improbationibus P. Joannis de Cardenas.

824 SEd procedamus ultra, & videamus ſiſquid aliquid aliud in Baronio repererit P. Cardenas refutatione dignum: fortè quod dixerit: *Pluries monſtravi, quod indè idololatriam docet fieri probabilem, Atheiſmū ſecurum, & ab omni periculo peccati, aut damnationis immunem?* Aut quod ſubiunxerit quod *ſi ignorantia invincibilis nequeat tolli niſi per ſcientiam rerum, de quibus dubitamus, ſequeretur immeritò Apoſtolum ad Rom. 1. inexcuſabiles pronunciaſſe antiquos Philoſophos. quod cum Deum cognoviſſent ex Creaturis, ut Deum minimè coluerint, nec gratias illi egerint ut bonorum omnium Authori, & primæ cauſæ*; quia poſſent excuſabiles eſſe beneficio probabilitatis, cui eiuſmodi ignorantiam invincibilem minimè defuiſſe contendit? eſt ne in his dictis reprehendendus Baronius? utique, reſpondet P. Cardenas, dum de facto dè his illum redarguens ſic ait: *Sanè grandia errorum monſtra pollicetur Vincentius: & ſi quidèm veroſimiliter probat, nedùm demonſtrat erit ille mihi magnus Apollo. Sed quàm inanis ſit conatus eius, demonſtro capite sequēti; in caſſum enim laborat, dum vult poſse aliquem hominem probabiliter aſsentiri Atheiſmo, & in excuſabiles fuiſse antiquos Philoſophos ob ſolas rationes probabiles.* Hæc P. Cardenas.

825 Verùm ſi Baronii efficaciam, quâ ea errorum monſtra apertiſſimè infert, citra omnem invidiam, attendiſſet P. Cardenas; magnum eum ſibi eſſe Apollinem vidiſſet. Quandoquidem ille non abſolutè arguit demoſtrando Atheiſmum, aut Polytheiſmum, in ſe probabilem eſse: ſed illum potius talem Atheis, aut Etnicis, antiquiſque illis Philoſophis dicendum fore, ad hominem arguendo demonſtrat ex ipſo Caramuele, contra quem militat: imò ex ipſo P. Cardenas idipſum oſtendiſset, ſi poſt ipſum ſcripſiſset, ut paulò inferiùs oſtendam. Attendat ergo Pater Cardenas hìc pro Baronio Caramuelis principia, eiuſque dicta; ſicut alibi illa pro ſe diligentiùs obſervavit: & monſtra illa protinùs demonſtrata videbit.

826 Erat itaque principium, ſeu regula à Caramuele tradita *in Apolog. de Probabilitat. num.* 303. ab ipſomet quaſi præceptivè promulgata in hunc modum: *Nullam merè probabilem in reſponſione aſsertionem ponunto.* Ex qua regula affirmabat quamlibet ſententiam, ſeu opinionem, probabilem eſſe, donec oppoſitum evidenter demonſtraretur. Quam regulam, ſeu principium obſervavit idem P. Cardenas *diſp.* 3. *cap.* 1. eamque impugnavit, & pſeudoregulam appellavit capitibus ſequentibus. Imò *cap.* 3. poſtquam Caramuelem adduxit de diaconatu differentem, & dicentem, quod diaconatum eſſe Sacramentum negent Durandus, & Caietanus, viri magni (id quod tamen falsò dicit) quantumvis ibi Caramuel ſubdat, ſe nec probabilitatem eiuſmodi ſententiæ videre. Nihilominùs P. Cardenas ex præfato principio ſeu regulâ Caramuelis, ad hominem contra ipſum infert, quod licet expreſſis verbis neget eam ſententiam eſſe probabilem, adhuc tamen evidenter convincitur eſſe ſibi probabilem, dum argumenta Durandi, & Caietani non evidenter ſolvuntur, ut Caramuel ipſe fatetur: Cur ergo Baronius ex eodem principio, & regulâ non potuit ad hominem contra Caramuelem benè, atque evidenter inferre, fore ipſi Caramueli probabilem Atheiſmum in Atheis, & Polytheiſmum in Etnicis, antiquiſque illis Philoſophis, quorum argumenta (quantumvis in ſe fortè leviſſima, & talia à Catholicis exiſtimata) nondum illis videbantur evidenter ſoluta? jam enim ita, & eodem modo procedit Baronius hìc: nec ſolus ſed cum Sinnichio, quē Academiæ Lovanienſis, & Hyberniæ decus immortale appellat. Ut videre eſt apud ipſum Baronium *diſp.* 1. *Sect.* 2. *ar.* 3. §. 2. *verſ.*

Si

Si credam . relatum ab ipſomet Patre Cardenas *diſp.* 15. *cap.*4. *art.*3.*n.* 190. Ubi ipſius Baronii verba tranſcribit diſcurrentis ut infra: attende ergo illa apud P. Cardenas *loc. cit.*

827 *Si credam* (inquit Baronius) *dari unum Deum, ab illo conditum mundum, & regi, rerum humanarum curam habere, religione colendum; Animam immortalem eſſe, &c.* (omitto reliqua intermedia verba uſque ad medium, quia prolixiora ſunt & minùs neceſſaria, & videri poſſunt apud ipſum Cardenas extenſa) *ſi quis verò hæc omnia cum Epicuro, & Lucretio neget; quis in tuto poſitum dicat?..... Si dicas non poſſe excuſari ab errore, & improbitate, quod levibus argumentis negent mundum à Deo conditum, animam eſſe immortalem &c..... Contra reponent Athei; nec illis deerit Caramuelis Patrocinium; hanc accuſationem leviſſimam eſſe, & parum conſentaneam eſſe principiis eorum, qui ſe gravant. Nam Sinnichius Academiæ Lovanienſis, & Hyberniæ Decus immortale ſuo luculentiſſimo opere, cui,* (Saul Exrex) *titulum fecit, §. 379. & 387. ex Caramuele variis ſuorum operum locis hæc duo refert, & validiſſimè refellit: Primò eandem eſſe opinionem probabilem, ac tutam, & ſecuram: Deindè Atheiſmum, aut certè Polytheiſmum homini prudentiæ naturali permiſſo videri poſſe probabiliſſimum, ac ſubindè laborare ignorantia invincibili eorum, quæ prima, & ſecunda tabula continentur. Idque etiam facilè evincent Athei; nam obteſtabuntur ad hominem; primum (idque ultrò concedet Caramuel cum quibuſdam nominalibus) de Dei exiſtentiâ, unitate, aliiſque attributis neutram in partem ullam ſibi affulgere evidentiam ex neceſſaria demonſtratione, paucis, & fortè nulli mortalium ex Caramuele conceſſam. Deindè addent: ſeu mundum dicat creatione à Deo factum, vel athomis ex materia improducta: ſive animam immortalem, ſive corruptibilem velit, ſe urgeri utrinque graviſſimis difficultatibus, à quibus nequeant ſe expedire, & utramque partem ſibi incertam videri, & probabilem &c.* Ecce modum arguendi Baronii in perſona Atheorum, & ſimilium; non abſolutè, ſed ad hominem contra Caramuelem ex ſua illâ regulâ, ſeu principio: quod ſcilicet probabile ſit id, cuius oppoſitum non ſit alicui evidens, nec ſibi evidenter, ac demonſtrativè ſua motiva ſolvantur. Quis autem neget Atheis, aut ſimilibus fidei lumine orbatis, non ita à Catholicis evidenter ſatis factum iri, quin illis ſemper ſuperſit, quid contradicant? Ergo ſi verum eſt principium Caramuelis; ſi quando alicui non evidenti ac demonſtrativâ ſolutione ſatisfit, ſubſiſtit in illo probabilitas ſuæ opinionis; & in hac perpetuò continetur ignorantia illa invincibilis, & excuſabilis, ad hominem manet demonſtratum, ſecurum fieri Atheiſmum, & Polytheiſmum, atque illos Antiquos Philoſophos excuſabiles. Ecce ergo ea errorum monſtra ad hominem à Baronio demonſtrata contra Caramuelem?

828 Ulteriùs proſequitur Baronius argumentum ſuum de Antiquis illis Philoſophis *diſp. 2. ſect. 1. a. 6. pag.* 156. relatum etiam à Patre Cardenas, ſed non totaliter extenſum. Sic autem ibi ait: *Non poteſt in primis* (Caramuel) *dubitare quod expreſſis verbis ex Apoſtolo retulimus, ab antiquis Philoſophis præſtanda fuiſſe, quæ ſuâ culpâ omiſerunt, religioſi cultus, & grati animi in Deum officia, profecta ex notitia Dei à Creaturis hauſta; Illum eſſe mundi conditorem, & rerum humanarum curam habere. Addo aliud principium non minùs certum: Illam Dei notitiam, quæ à Philoſophis huiuſmodi obſequia exigebat, comparatam fuiſſe vel teſtimoniis fide tenendis, vel demonſtratione peripatetica, vel argumentis gravibus intra fines probabilitatis: Neque enim poſſumus comminiſci aliud genus cognitionis, quâ potuerint peragi rei, & inexcuſabiles Philoſophi. Tertium adiungo principium, idque certiſſimum; cognitionem illam non fuiſſe nec primi, nec ex Caramuele ſecundi generis: ergo tertii: nempè probabilis eſt cognitio ex Creaturis ducens ad unius numinis exiſtentiam, providentiam, quæ ſubindè exigat cultum religionis, gratum animum &c. Ergo falſa eſt tota Theologia fundamentalis Caramuelis omnem opinionem probabilem tutam eſſe, includere ignorantiam invincibilem &c. Has conſecutiones evidentiſſimas*, ſubiungit ibidem Baronius, *non poteſt negare; niſi velit Antiquos habuiſſe Dei notitiam ex teſtimoniis fide dignis, vel ex demonſtrationibus peripateticis: neque enim aliud ſupereſt reſponſum, aut effugium. At primum non modò falſum eſt, ſed incredibile, & ridiculum: Neque enim Apoſtolus Philoſophos inexcuſabiles concludit, quod fidem repulerint, de qua nihil illi unquàm auditum: & quomodo credidiſſent ſine prædicante? Sed quod abuſi ſint notitiâ ex Creaturis comparata: At illa vel demonſtrativa eſt, vel probabilis. Demonſtrativam de unitate, providentia, creatione mundi, ſe unquàm habuiſſe iurabunt Epicurus, Lucretius; nec habere potuiſſe aſſerent nominales nonnulli, quibus ipſe Caramuel aſſentitur eodem monito, cum demonſtrationem peripateticam dari, aut confici poſſe negat: quodnam ergo genus cognitionis ſupereſt, ut inexcuſabiles ſint Philoſophi, quàm probabilis, quâ unâ vult Caramuel omnia excuſari?*

829 Videat ergo P. Cardenas ſi ea errorum monſtra ad hominem contra Caramuelem demonſtret Baronius; & ingenuè fateatur magnum ſibi eſſe Apollinem, & nullatenùs contemnendum.

830 At P. Cardenas demonſtrationem hanc inficiatur *diſp.*15. *cap.* 4. *a.* 3. *num.* 194. dicens, à Baronio falsò imponi Caramueli eam concluſionem, quod ſcilicet Philoſophi Antiqui non agnoverint Dei exiſtentiam cognitione demonſtrativâ. Neque id a Baronio probari per diſtin-

ctionem illam triplicis cognitionis, nempè fidei, demonſtrationis peripateticæ, & probabilis. Nam Caramuel (inquit) præter demonſtrationem peripateticam, aliud genus cognitionis demonſtrativæ comminiſcitur. Et licet illam peripateticam impoſſibilem dicat, & nulli mortalium conceſſam: iſtam autem paſſim ait fieri in mundo. Eamque habuiſſe illos Philoſophos de unius Dei exiſtentia, & providentiâ, quæ cultum illum religionis exigebat, ab illis propterea culpabiliter omiſſam, ex quo inexcuſabiles dicti ſunt ab Apoſtolo, expreſsè fatetur.

831 Et totum hoc nititur P. Cardenas ex ipſo Caramuele oſtendere: nam Caramuel tria dicit *in Apolog. de probab. num.* 311. Primum: *Demonſtratio peripatetica eſt impoſſibilis: Tam multa enim, & tam ab uſu ſcholæ aliena poſtulat Ariſtoteles, ut huc uſque nullam peripateticam in libris legerim*. Secundùm: *Demonſtratio quæ hodie in mundo formatur, illa eſt, quæ in legitima forma conſtituitur, habetque certas, & indubitatas præmiſſas*. Tertium: *Certæ & indubitatæ præmiſſæ ſunt, de quibus nullus prudenter dubitat, nullus judicat eſſe probabiles*. Ex quibus confert P. Cardenas: *Ecce admittit Caramuel aliud genus demonſtrationis præter peripateticæ. Et in caſſum deſudat Vincentius, dum contendit Philoſophos habuiſſe Dei notitiam dumtaxat probabilem, quia non habuerunt demonſtrationem peripateticam. Quod autem Caramuel non inficiatur Dei exiſtentiam demonſtrabilem fuiſſe Philoſophis patet ex Theologia intentionali lib. 4. num. 1693. ubi ſic ait: Hæc propoſitio, datur Deus, eſt demonſtrabilis. Sed quomodo? à Creaturis initium ſumendo, & illarum cauſas productrices inveſtigando: ſed quantâ efficaciâ? tantâ ut ſint inexcuſabiles, qui ex Creaturis ad Deum pervenire noluerunt. Tam eſt certa hæc concluſio, ut oppoſitam erroneam appellet S. Thomas. Huc uſque Caramuel. Vide ergo quàm immeritò Vincentius Caramueli centies attribuat, quod Philoſophi Antiqui non habuerint de exiſtentiâ Dei notitiam demonſtrativam.*

832 Fruſtra tamen conatur Cardenas his apparentiis Baronii demonſtrationem infringere, & veritatem ipſam impugnare. Et primò quidem, quia Baronius nomine demonſtrationis peripateticæ utrumque illud genus demonſtrationis comprehendit; accipit enim ibi demonſtrationem peripateticam pro cognitione certâ, & evidente, ſive ea ſit ex demonſtratione peripatetica paucis, & fortè nulli mortalium ex Caramuele conceſſa; ſive ex alio genere demonſtrationis quod ad certam, & evidentem cognitionem ſive aſſenſum neceſſariò cogat. Neque enim eo loci Baronius de uno, vel altero demonſtrationis genere juxta ejuſmodi Caramuelis diſtinctionem curabat, dummodò qualitercumque demonſtratio eſſet re vera evidens, & certa; quia ejus probatio ibi non uni, vel alteri modo demonſtrandi innitebatur, ſed evidentiæ illis non affulgenti: ſic enim ibi Baronius aiebat: *Facile evincent Athei, nam obteſtabuntur ad hominem: Primum (idque ultrò concedit Caramuel, cum quibuſdam nominalibus) de Dei exiſtentia, unitate, aliiſque attributis neutram in partem ſibi affulgere evidentiam: & deindè addent: ſeu mundum dicas creatione à Deo factum, vel ab homine ex materiâ improductâ: ſive animam immortalem ſive corruptibilem velis, ſe urgeri utrinque graviſſimis difficultatibus, à quibus nequeant ſe expedire, & utramque partem ſibi incertam videri, & ſubindè probabilem.*

833 Præterea nullam ejuſmodi evidentiam illis affulſiſſe, ſi expreſſis verbis non pronunciavit Caramuel, tamen ex ejus doctrina, ipsàque veritate hiſtoriæ manifeſtè colligitur. Et quidem primò ex hiſtoria conſtat plures fuiſſe Antiquos Philoſophos Atheos, puta Diagoram, Protagoram, alioſque ipſorum ſectæ ab Hiſtoricis adnumeratos, quibus procul dubio non fuit demonſtrativa aliqua evidentia de Dei exiſtentia, alioquin non potuiſſent oppoſitum ſentire; quia ut millies repetit Pater Cardenas, & veriſſimum eſt, evidentia cogit intellectum ad aſſenſum; oportet ergo quod ſolùm exiſtimaverint incertas, & purè probabiles rationes, Dei exiſtentiam ſuadentes, a Creaturis depromptas, quas propterea dereliquerunt, & in alteram partem oppoſitam declinarunt. Secundò ex doctrina ejuſdem Caramuelis colligitur, nam *lib.* 2. ſuæ theologiæ intentionalis *num.* 1305. ait: *Si viro habenti Dei demonſtratam notitiam, qualem nos habemus, proponerentur graves rationes, quæ viderentur divinitatem tollere, non poſſet acquieſcere; quia tametſi ipſæ ſeorſim ſumptæ eſſent probabiles, demonſtratione contrariâ ità eluduntur, ut probabilitatem non habeant.* Ergo ex Caramuele Philoſophi Antiqui, qui Athei fuerunt, non habuerunt de Dei exiſtentia demonſtrationem, qualem nos habemus (procul dubio alterius generis ab illâ peripateticâ, juxta ipſum, nulli mortalium conceſsa) ſi enim illam habuiſſent, non potuiſſent parti oppoſitæ, & negativæ acquieſcere, ut ipſemet argumentatur. Ergo oportet quod ex Creaturis ſolam notitiam probabilem collegerint, quam proindè reſpuerunt, in partem negativam ob ſuas oppoſitas rationes deflectentes. Ergo optimè Baronius adverſus Caramuelem ad hominem arguit ex triplici illo genere cognitionis: Nam excluſà a Philoſophis illis Antiquis evidente notitiâ demonſtrativa, tùm peripatetica, quam Caramuel nulli mortalium conceſſam dicit; tùm quæ in mundo fieri ſolet, & qualem nos ſupponit habere de Dei exiſtentiâ, quam ſi habuiſſent, non potuiſsent oppoſitæ parti acquieſcere: & inſuper excluſà notitia fidei, quam profectò non habebant: non alia ſupereſt, ſi quæ in eis dicatur fuiſse de Deo cognitio, niſi probabilis, qua tamen uti noluerunt, ut ad agnitionem ejus pervenirent, ſed eâ potiùs con-

confutata, partem alteram negativam amplexati ſunt tamquàm ſibi probabilem.

834 Ulteriùs Caramuel *eod. num. cit.* paulò inferiùs ait: *Sanè ſi quidem dantur in mundo homines, qui Deum invincibiliter ignorant; & homines, qui illum evidenter cognoſcunt; non puto repugnare intermedios, videlicet Doctiores primis, & Indoctiores ſecundis, qui Dei tantùm probabilem cognitionem habeant.* Ex quibus verbis ſic arguo pro Baronio ad hominem contra Caramuelem: Conſtat Antiquos illos Philoſophos non fuiſſe primi generis, videlicet invincibiliter ignorantes Deum, ut admittit Cardenas, & tenetur fateri Caramuel, cum ſit apertiſſimè contra textum Apoſtoli Pauli, ubi ſupra: Neque ſecundi generis, nam ſecùs non potuiſſent oppoſitum ſentire, ut oſtenſum eſt: ergo generis intermedii, habentes ſcilicet cognitionem purè probabilem; juxta ejuſdem Caramuelis diviſionem.

835 Nec refert quod *num.* 1693. *citato* à Cardenas, dixerit: *quod propoſitio hæc* (datur Deus) *eſt demonſtrabilis*. Nam niſi velit P. Cardenas Caramuelem ſibimet contradicere: oportet ibi cum grano ſalis intelligi; hoc eſt quod vel ſentiat, ejuſmodi propoſitionem eſſe utique ſecundum ſe ex creaturis demonſtrabilem, ſicut & nos cum D. Thoma ſentimus: non tamen proindè affirmet fuiſſe illis antiquis Philoſophis Atheis de facto ex creaturis demõſtratam. Quare ratiocinationem illam ex creaturis ſecundum ſe efficacem eſſe fatetur, ſed illius efficaciam ab omnibus etiam Philoſophis illis attactam non comminiſcitur. Imò potiùs oppoſitum implicitè videtur ibi aſſerere, dum ait tantam eſſe eam efficaciam, ut inexcuſabiles ſint, qui ad Deum ex creaturis pervenire noluerint. Nam nolle pervenire ex creaturis ad Dei notitiam, atque indè inexcuſabiles eſſe, quod ad illius agnitionem non pervenerint, non evidentem notitiam, ſed ignorantiam potiùs ſupponit, licet culpabilem; quatenùs potuiſſent, niſi ſcientiam neglexiſſent ex creaturis diligentiùs ſibi acquirere. Sed quidquid ſit de eorum culpabili negligentiâ, certum indè eſt ſcientiam, atque evidentiam de Dei exiſtentia ſibi minimè comparaſſe; neque ſi eam ſibi ſemel comparaſſent, potuiſſent in oppoſitam partem ampliùs declinare; evidentia enim neceſſitat intellectum, & ad aſſenſum cogit.

836 Neque mirum hoc, aut novum videri debet, quod cum ex creaturis ſit Dei exiſtentia ſecundum ſe evidenter demonſtrabilis, adhùc ex illis non manſerit præfatis antiquis Philoſophis evidenter demonſtrata, ſed ad ſummum probabiliter perſuaſa, imo adeò leviter, ut illam reſpuerint, & parti oppoſitæ acquieverint; paſſim enim experimur rationes verè demonſtrativas aliquibus purè probabiles apparere, nec illis certitudinem aliquam, & evidentiam ingerere poſſe; id quod eis accidit, qui earum veritatem, aut efficaciam non ſatis penetrant, vel non advertunt, quia minùs quàm oportet in illis contemplantur; ſed potiùs ad motiva contraria intellectum divertunt.

837 Vel dicẽdum quod ibi Caramuel dum ait propoſitionem illam eſſe demonſtrabilem, non loquitur de vera demonſtratione, neque peripatetica; neque tali, qualis hodie ab ipſo dicitur fieri in mundo, hoc eſt, ſub legitima formà, & per certas, & indubitatas præmiſſas, ex quà habeatur evidentia, & certitudo: ſed loquitur de qualicumque oſtenſione, ita ut ejus ſenſus ſit; quod propoſitio illa (datur Deus) ſit ex creaturis oſtenſibilis efficaciter, citra tamen evidentiam, & certitudinem, & infra lineam opinionis probabilis. Et ideò forſitan ſubdidit: *Sed quanta efficaciâ:* & non ait: ſed quãta evidentia, aut certitudine? inſinuare enim voluit, efficaciter utique oſtendi ex creaturis, non tamen certò, & evidenter. Et ad ſuam hanc interrogationem reſpondens, ait: *Tantâ, ut ſint inexcuſabiles, qui ex creaturis ad Deum pervenire noluerunt*. Vide, & pondera lector reſponſionem; *Tantâ, ut ſint inexcuſabiles* (inquit) *qui ex creaturis ad Deum pervenire noluerunt*. Ergo non tanta, quæ ad evidentiam pertingat, nam quæ ad evidentiam pertingit, non compatitur cum diſſenſu, ſed ad aſſenſum cogit, ſubindeque non relinquit, de quo poſſint dici inexcuſabiles. Ergo oportet quod tanta ſit, quæ poſſit per diſſenſum rejici, licet diſſentientes culpabiles reddat, & inexcuſabiles, & talis eſt efficacia probabilitatis. Et licet ibi Caramuel propoſitionem illam demonſtrabilem eſſe confirmet ex D. Thoma, ſubdens quod oppoſitum dicere erroneum appellet D. Thomas; non proindè colligitur, quod ipſe de vera demonſtrabilitate loquatur, ſicut D. Thomas: nam D. Thomas vult illam eſſe demonſtrabilem etiam demonſtratione peripatetica, quam tamen Caramuel impoſſibilem pronunciat. Fateor tamen me textum Caramuelis non legiſſe, niſi ut relatum a P. Cardenas, nam præ manibus illum habere non potui. Undè ſi fortè ibi ex verbis aliis ejus contextus non relatis à P. Cardenas expreſsè habeatur ſenſus mihi oppoſitus, ita ut verè loquatur de demonſtrabilitate certà, & evidente, eamque velit fuiſſe in antiquis Etnicis, & Philoſophis, oportet dicere, quod ſibi contradicat, & pugnantia doceat de illorum Atheiſmo: cum enim, ut vidimus ex ejus verbis relatis à P. Cardenas, ejus doctrina ſit, non poſſe virum habentem demonſtrationem, qualem nos habemus de Dei exiſtentià, gravibus etiam rationibus, quæ viderentur divinitatem tollere, acquieſcere: quomodo ſubſiſtere poterit quod antiqui illi Philoſophi ejuſmodi demonſtrationem habuerint, & Atheiſmo ſuo adhæſerint ducti ſuis rationibus tollentibus divinitatem? ſunt quippè hæc duo dicta ſibi contradictoria. Quorum alterum ſatis fuit Baronio, ut indè ſaltem contra eum ad hominem demonſtraret.

Hoc

838 Hoc ipſum autem expreſſiùs dicendum eſt ex Caramule de Politheiſmo pro Baronio, quod ſcilicet adverſus illum ad hominem demonſtraverit debuiſse illis Philoſophis ex vi ſuæ probabilitatis eſſe ſecurum. Quandoquidem expreſſis verbis Caramuel (apud Patrem Cardenas relatus) fatetur non affulſiſse illis evidentiam unitatis Dei, imò & Politheiſmum ſuiſſe eis ſatis probabilem, ut videri poteſt apud ipſum Cardenas *in ſua Chriſi loc. ſup. cit. num.* 196. ubi ex Caramule *in ſua Theolog. intent num.* 1707. illius verba recitat in hunc modum: *Ratio igitur noſtra tameſi fortis (inquit Caramuel) a Politheo ſatis robuſtè in Trinitatis myſterium retorquetur: quamobrem reſolvendum eſt illi, qui Angelicum doctorem ſequatur, non eſse per ſe notum, nec evidens dari unum ſolum Deum; ſed Deorum pluralitatem poſse ſtando puris principiis naturalibus defendi, & propugnari. Vel ſi unitas aut evidens, aut per ſe nota: quì Chaldei, Græci, Romani, & alii benè culti, & docti Populi fuerunt Polithei, & Idolatræ? illis enim ut puto non deberet negari clariſſimarum ſaltem rerum notitia: & ſiquidem eſsentiæ divinæ unitatem non agnoverunt, liquidò conſtat eam non eſse clariſſimam; ſed eſse potiùs obſcuram à ſolis Philoſophis, & doctioribus Viris per ratiocinia indagabilem.* Huc uſque Caramuel apud Cardenas. Ubi adeò clarè loquitur; ut non poſſit ampliùs dubitari, quod Caramuel in eo ſenſu abundaverit de antiquis illis Etnicis, quod ſcilicet nulla illis affulſerit evidentia de unitate Dei, imò quod ſatis robuſtè ratio noſtra, tameſi fortis, ab illis in miſterium Trinitatis retorqueri videatur; & quod pluralitas Deorum ſit eorum naturalibus principiis defendibilis, & propugnabilis. Unde idem P. Cardenas *dicto n. cit.* 196. hoc ipſum fatetur ſic dicens: *Verum quidem eſt Caramuelem aſserere num.* 1707. *Veteres Etnicos non habuiſse notitiam evidentem unitatis Dei, ſivè falſitatis plurimum Deorum.* Ergo optimè demonſtrat ex hoc Baronius ad hominem contra Caramuelem illos antiquos Philoſophos Etnicos Atheos, & Politheos, obteſtaturos, quod teneatur ſua doctrina illos excuſare, & cauſam pro eis contra Apoſtolum aſſumere; quia nulla eis affulſit evidentia veri, & unius Dei; ſed ſola cognitio quædam ex creaturis ſibi incerta, & inevidens; ſubindèq; ad ſummum probabilis: contra quam rationes aliquas (eſto ſecundum ſe leves) ſibi tamen graves, ac robuſtas juxta lumen naturale in promptu habebant, quæ eis difficultatem maximam ingerebant, atque in oppoſitam partem inclinabant eamque probabilem reddebant, quam propterea amplexati ſunt. Atque indè meritò excuſatione digni ob ignorantiam invincibilem inibi ex Caramuelis doctrinâ neceſſariò contentam, & involutam.

839 Quod verò P. Cardenas *loc. ubi ſupra cit. num.* 197. & ſequentibus conetur oſtendere ex S. Thoma, aliiſque Sanctis Patribus, & Theologis communiter, imò ex ipſo Paulo *ad Rom.* 1. antiquos Philoſophos, imò & quoſlibet Barbaros, habuiſſe evidentem notitiam exiſtentiæ Dei: parùm refert. Et in primis dum id probandum aſsumit, ſibimet contradicit, & falſum docet, dum ait: *Eos omnes habuiſse ejuſmodi evidentem notitiam; imò non potuiſse ad longum tempus illa carere, niſi fortaſse aliquos ex ignorantia vincibili, & culpabili, qui vel naturali lumini claudunt oculos, vel noluntad illud animum advertere.* In hoc ipſo enim conſtat manifeſta contradictio ejus: ſi namque illi Athei, aut Polithei fuerunt, quomodo in eis potuit ejuſmodi evidens notitia unius Dei ſimul conſiſtere? numquid poterat intellectus eorum ſimul judicare Deum eſſe, & non eſſe; aut eſse & unum, & plures? vel quod evidenter verum noverat, tamquam falſum reſpuere? non admittit abſurda hæc Cardenas, ſed centiès, & expreſse reprobat poſse aliquem, cui pars una eſt demonſtrata, parti oppoſitæ aſſentiri: & multò minus utramque ſimul amplecti: & tamen ea ſequuntur ex aſserto ipſius quod probandum aſsumit. An fortè ſuſtinebit illos Philoſophos Atheiſmum ſuum, vel Politheiſmum reliquiſse? id falſum eſt, & contra hiſtoricam veritatem: & ſi verum eſset, in quo ab Apoſtolo inexcuſabiles dicti ſunt, quia ex creaturis ad Deum pervenire noluerunt? jam mendax foret Paulus, dum eos ait ad Deum pervenire noluiſse, qui re vera ad illum pervenerunt. Veriùs autem loquitur Cardenas cum ſubdit: *niſi fortaſse aliquos ex ignorantia invincibili, & culpabili* (ſed meliùs dixiſset: niſi fortaſse omnes) *contigiſſet eâ evidenti notitiâ carere.* Sed quid refert ſi culpabiliter? jam illa caruerunt. Quomodo ergo eos illam habuiſse pronunciat? neque ibi hoc probat ex textu Pauli, aut ex Sanctis Patribus, aliiſque Theologis, ſicut promiſerat: nam indè, ut videre eſt apud ipſum ibidem, nihil aliud ipſemet concludit, niſi quod demonſtrabilis ſit ex creaturis, atque per evidētiam etiam methaphiſicam cognoſcibilis Deus, ejuſque unitas, omnipotentia, perfectio, &c. Adeò ut nonniſi ſua culpâ aliqui id totum ignoraverint, ſubindeque inexcuſabiles dicti ſint ab Apoſtolo, quod ultrò cum D. Thoma fatemur omnes. At quod hoc ipſum fuerit illis omnibus evidens, & defacto demonſtrativè cognitum, nec probat, nec probare poteſt. Ergo illi defacto evidentiam illam non habuerunt, quidquid ſit ſi culpâ ſuâ non habuerint. Eſset autem tunc videndum an culpa hæc juxta doctrinam Caramuelis ſit illis moraliter imputabilis? hoc enim in ſuo diſcurſu perquirebat Baronius, qui ad hominem contra Caramuelem arguebat. Et ex ipſius doctrinâ concluſit non eſse illis imputabilem. Et benè: nam ex Caramuelis doctrinâ ubi evidentia defacto non affulget

unius

unius partis, hoc ipſo pars oppoſita manet probabilis, & in probabilitate clauditur ignorantia invincibilis, & non imputabilis. Ergo bene conclusit Baronius adverſus Caramuelem.

840 Præterea quantumcumque probet P. Cardenas Dei exiſtentiam ex creaturis eſse demonſtrabilem, ſimiliter & unitatem, omnipotentiam, perfectionem &c. adeo ut nonniſi ſuâ culpâ aliqui id totum ignoraverint, & culpâ quidem imputabili, quapropter inexcuſabiles dicti ſunt ab Apoſtolo Paulo: numquam tamen poterit hoc ipſum ex Caramuele dicere, ut vidimus ex eius verbis à P. Cardenas ſupra relatis *ex lib. 4. Theol. intent. num.* 1707. ut videri poteſt apud ipſum Cardenas numeris ſupra citatis nempè 196. 202. *&* 203. nam ibi Caramuel circa Dei exiſtentiam, ut demonſtrabilem ex creaturis, nullam apud illos antiquos Philoſophos fuiſse evidentiam evincit ex eo diſcurſu, quo inquit: *ſeu mundum dicas creatione à Deo factum, vel athomis ex materiâ improductâ: ſive animam immortalem, ſive corruptibilem velis, ſe urgeri utrinque graviſſimis difficultatibus, à quibus nequeant ſe expedire, & utramque partem ſibi incertam videri, & probabilem.* Similiter circa Dei unitatem expreſſiùs fatetur eſſe obſcuram, & pluralitatem Deorum attentis principiis naturalibus eſſe ſatis defendibilem. Imò aſſerit: *communem demonſtrationem, quâ utuntur D. Thomas, Ariſtoteles, P. Suarius, Hurtadus, Arriaga, & Theologi omnes deſumptam ex eo, quod ubi pluralitas Deorum eſſet, ibi rixæ, & diſcordia intercederent, eliſam fuiſse à Plauto in Curc. ſcen. 2. act. 2. dicente: Dii inter ſe congruunt concorditer.* Ac propterea demonſtrationem communem Theologorum unicâ hac Plauti reſponſione eliſam atque ſolutam fatetur Caramuel: Ergo intendit omninò unius veri Dei exiſtentiam, & falſitatem plurium Deorum obſcuram eſſe, nec evidenter demonſtrabilem rationibus naturalibus; vel ſaltem non ſuiſſe de facto evidenter cognitam, & demonſtratam Etnicis illis, etiam benè cultis, & doctis, quales commendat Chaldeos, Græcos, & Romanos, qui in ſua doctrina Polithei fuerunt, & idololatræ; ſed ad ſummum fuiſſe illis cognitam probabiliter, & iis rationibus, quibus per oppoſitas poterant robuſtè reſiſtere, & in partem alteram urgeri, illis reiectis præ ipſarum incertitudine, & inevidentiâ: atque præ graviſſimis utrinque difficultatibus, à quibus nequibant ſe expedire, liberum eis fuiſſe quamlibet partem opinari. Ergo non relevatur P. Cardenas per demonſtrabilitatem ab ipſo ſupra oſtenſam, ad infringendam Baronii demonſtrationem ad hominem factam adverſùs Caramuelem. Ergo monſtra illa, quæ adverſus Caramuelem probare promiſerat Baronius, demonſtravit utique, nedùm probavit.

841 Imò adverſus ipſum Patrem Cardenas idipſum demonſtraſſet, ſi poſt eum ſcripſiſſet, ut ſupra ego pollicitus ſum oſtendere. Nam P. Cardenas *infra a. 12. num.* 370. ait: *Verum quidem eſt, quod ea motiva* (ſcilicet contra divinitatem, providentiam, immortalitatem animæ &c.) *per ſe ſola poſita in intellectu, qui deſtitueretur certitudine veritatis Catholicæ, & motivis moraliter evidentibus de credibilitate illius, eſſent probabilia, & inducere poſſent ad aſſenſum probabilem: Cæterùm in intellectu prævento certitudine fidei Catholicæ, vel motivis moraliter evidentibus de veritate, & ſecuritate illius, omninò evaneſcunt, ut dixi, & in nihilum rediguntur.* Ergo ex ipſo P. Cardenas quicumque ſupponitur catholicâ fide deſtitutus, & evidentia credibilitatis illius, per ea motiva habebit ſufficienter aſſenſum probabilem oppoſitum, ſubindeque ignorantiam invincibilem, & inculpabilem de divinitate, providentia, immortalitate animæ, & ſimilibus; atque ideò fiet huic tali ſecurus Atheiſmus, Politheiſmus, & ſimiles errores. Atqui Antiqui illi Philoſophi fuerunt fide catholica deſtituti, & motivis evidentibus credibilitatis illius. Ergo illis, ex P. Cardenas tutus debuit eſſe Atheiſmus, Politheiſmus, & quicumque ſimilis alius error, in quo fuerunt. Ergo vel etiam contra ipſum ſufficientiſſimè ad hominem Baronius monſtra illa demonſtraſſet, ſi poſt ipſum ſcripſiſſet.

842 Addo ad hæc quod etiam Catholicus ſi ſemel à fide deficeret, poſſet conſequenter ex eiſdem motivis eamdem probabilitatem ſibi comparare, & ſic ab ipsa etiam apoſtaſiâ à fide excuſari, quod eſſet aliud monſtrum monſtruoſius præcedentibus; & tamen ſequitur ad hominem contra ipſum.

843 Neque dicat P. Cardenas, quod in iſto eſſent motiva evidentia credibilitatis fidei, ſubindèque de veritate, & ſecuritate illius. Non inquam ſic dicat: nam in primis evidentia credibilitatis fidei non facit evidentiam ipſorum myſteriorum fidei, nec cogit intellectum ad aſſentiendum illis: ſed ad ſummum cogit ad hunc aſſenſum, quod ſcilicet fides ſit prudenter credibilis: atque ideò præter hæc motiva exigunt Theologi piam affectionem, & motionem voluntatis, ſive eius imperium ad credendum. Hoc ipſo autem quod intellectus indè non cogitur ad aſſenſum fidei, ipſamque amplexandam; manet intellectus nedùm cum inevidentiâ myſteriorum; ſed etiam cum incertitudine; quia certitudo myſteriorum fidei ex ſola fide habetur in intellectu noſtro; & non ex motivis credibilitatis, atque ideò reiectâ fide manet cum incertitudine; nec eſt ampliùs in eo incompoſſibilis diſſenſus, vel aſſenſus contrarius ad partem oppoſitam ex motivis probabilibus illius, (ut videtur contendere P. Cardenas) ac proindè poſſet ſibi probabilitatem de oppoſito comparare; & ſic beneficio ignorantiæ invincibilis, qualem in probabilitate admittit P. Cardenas, hoc eſt quatenùs eam vincere non tenetur homo habens prudentem aſſenſum probabilitatis, ab ipſâ Apoſtaſiâ, & receſſu à fide excuſari.

844 Præterea oportet Patrem Cardenas memorem eſse ſuæ doctrinæ, quod ſcilicet evidentia probabilitatis, ſeu quod idem eſt, probabilitas reflexa, per ipſum ingenerat evidentiam, & certitudinem probabilitatis directæ in intellectu, ut centies affirmat, non minùs fortè per eum, quàm dicat de evidentia credibilitatis reſpectu fidei. Ergo ſi ſemel Catholicus à fide deficiens, iis motivis oppoſitis animum admoveat, & probabilitatem ſibi comparet de erroribus adversùs veritatem fidei, poſtea per probabilitatem reflexam, ſeu evidentiam eiuſmodi probabilitatis, habebit evidentiam, & certitudinem ſaltem moralem oppoſitam evidentiæ credibilitatis fidei, eamque deſtruentem; non minùs quàm ipſe dicit de intellectu iudicante utramque opinionem oppoſitam directam eſse probabilem, qui ſemel ac alteram amplectatur, reddit eam ſibi certam, & evidentem, ſaltem moraliter, virtute probabilitatis reflexæ, & oppoſitam tamquàm certò falſam. Si benè hæc attendat P. Cardenas, non habebit effugium.

845 Ex quibus conſtat quàm inaniter *a. 12. cit.* conetur ſextum illud Baronii argumentum eludere, dùm illum ibi in eo ſibi hoſtem fingit, ut feriat, in quo ei nullatenùs adverſatur. Et econtra arma, quibus ille eum impetit, artificiosè diſſimulat. Ibi ergo Baronius, dum adversùs Caramuelem probat (& concomitanter adversùs eumdem Cardenas) ex probabilitatis licentià fieri licita omnia ſcelerum genera, & errores contra divinitatem, providentiam, immortalitatem animæ &c. Eo quod contra eiuſmodi veritates ſint graviſſimæ, ac penè inſuperabiles difficultates, & probabiliſſimæ, ideſt fortiſſimæ rationes urgentes, quæ, ab illarum aſsenſu retrahunt eos, quibus earumdem evidentia non affulget, ac quaſi cogunt in aſsenſum oppoſitum; nò concedit abſolutè eiuſmodi rationes, & difficultates eſse tales etiam comparatas cum certitudine catholicæ veritatis, & in ordine ad intellectum fide catholicà munitum, ut videtur fingere Pater Cardenas: Imò eas aſserit leviſſimas eſse, & abſorberi, atque in nihilum redigi ſupremo illo certitudinis gradu catholicæ fidei. Sed ſolùm eas graviſſimas, ac fortiſſimas appellat in intellectu, qui a fide eiuſque certitudine receſserit, vel nunquam illam habuerit. Neque ſolam evidentiam probabilitati opponit; licet de ſolà evidentià ibi videatur explicitè verba facere; ſed etiam certitudinem, & præſertim fidei, quæ æquipollet evidentiæ. Verùm quia in intellectu fide divinà deſtituto, vel recedente à fide, nulla eſt evidentia nec formaliter, nec æquivalenter, nullaque certitudo: & alias tunc (ut fatetur Cardenas *dicto num.* 370.) prædicta motiva probabilia ſunt, & ſufficientia ad aſsenſum probabilem: manet argumentum Baronii in ſuo robore, & ad hominem convincens, nempè ſequi tunc ea monſtra, & omnium ſcelerum genera, de quibus abeſt evidentia, & fidei certitudo, eſse probabilia, ac proindè licita. Quo quid abſurdius, aut monſtruoſius dici poteſt?

846 Ad nihilum ergo valet Caramuelis, aliorumque, ac eiuſdem quoque Patris Cardenas reſponſio, quod ſcilicet eiuſmodi argumenta contra veritates catholicas levia ſint collata cum certitudine catholicæ fidei; ſi ſemel ea dicantur ſufficientia ad aſsenſum probabilem pro intellectu fide catholica deſtituto, ut expreſsè P. Cardenas dicit. Quamobrem optimè ait Baronius, quod *ita reſpondere ſit ludere verbis*. Et quidem verè verbis ibi videtur ludere P. Cardenas contra Baronium, dum illum, quaſi ex proprio ſenſu, & abſolutè aſseruerit motiva illa, ſeu rationes graviſſimas, ac fortiſſimas eſse, & ſufficientes ad aſsenſum probabilem contra veritates fidei, ita deridendo redarguit, dicens: *Sed quid intereſt, quod id aſſerat, ſi non probat? quid intereſt, quod id aſſerat, ſi demonſtratum manet vim argumentorum militantium contra veritatem catholicam, ab hac abſorberi, & extingui? quid intereſt, ſi conſtat evidenter, quod actus certus excludit formidoloſum de obiecto oppoſito?* Verè, inquam, verbis videtur ludere; quia nunquam id ex proprio ſenſu, aut abſolutè aſseruit Baronius, ſed ex ſenſu Caramuelis, & concomitanter Patris Cardenas, ita expreſsè aſserentium pro intellectu jam fide catholica deſtituto, in qua ſuppoſitione procedit eius argumentum ad hominem contra utrumque. Ludit ergo verbis P. Cardenas, ut vim effugiat potiùs demonſtrationis Baronii, & monſtrata monſtra fuga à ſe divertat magis, quàm armis evincat.

§. IV.

Refellitur quædam alia retorſio argumenti in Baronium facta à P. Cardenas.

847 DEnique *a. 4. d. diſp. 15. cap. 4. num.* 209. prætendit Cardenas idem Baronii argumentum in ipſum retorquere, ſtante eius doctrinà de opinione ſtrictiore, ac tutiore ſequenda. Et arguit hoc modo: *Etenim* (inquit) *Demus Etnicum non poſſe pervenire ad demonſtrationem, aut certitudinem moralem de unitate Dei; ſed pro hac, & pro Deorum pluralitate habere utrinque rationes probabiles: Et interrogo in hoc concurſu opinionum probabilium oppoſitarum: utra pars repræſentabitur illi Etnico tamquàm tutior; an quod ſint plures Dii; an quod ſit unus? Si aſſentiatur opinioni adſtruenti unum Deum: periculum eius menti proponetur diſplicendi reliquis Diis, quos ea opinio excludit cum formidine; cum vi eius formidinis habeat hunc actum: fortè dantur etiam alii Dii. Si autem opinioni de pluralitate Deorum aſſentiatur; proponetur eius menti periculum offendendi unum Deum, ſi fortè unus eſt, ob ſimilem formidinem opinionis. Ergo neutra pars tutior eſt. Ergo eadem eſt difficultas, ſive*

dicas

dicas quamlibet opinionem probabilem ſequendam eſſe; ſive dicas non quamlibet, ſed tutiorem. Quod argumentum ibi fuſiùs proſequitur.

848 Sed argumentatio hæc quidem adverſùs Baronium non prævalet. Primò quia Baronius negat non poſſe Etnicum debito ſtudio, ac ſufficiente inquiſitione adhibitâ ad unius Dei exiſtentiam pervenire, cum hanc non admittat in ſe obſcuram eſſe, ut aiebat Caramuel, contra quem argumentabatur: quinimò eam vult eſſe ab unoquoque evidenter cognoſcibilem; ita ut quantumvis Etnicus ab oppoſitis ſuis rationibus detineatur, ſit eius error ſemper in ignorantiâ ſuâ vincibilis, atque culpabilis: nec rationes illius, quas ibi graviſſimas, ac fortiſſimas appellat; tales aſsertivè, & a ſemetipſo pronunciat; ſed ex Caramuele, in quem ad hominem arguebat. Sive ſic eas Caramuel expreſsè dixerit, ſive tales ex eiuſdem principiis fuerint neceſſariò dicendæ, ut vidimus ſupra, utpotè quæ difficillimæ ſolutionis ab illo dicebantur, & quibus Etnici, ab eodem benè culti, ac Docti appellati, innitebantur.

849 Secundò quia Baronius non attribuit probabilitati tale jus, quale Caramuel, & P. Cardenas attribuerunt: nempè quod ſit optima regula agendorum; & multò minùs religionem eligendi. Facile igitur eiuſmodi argumento Baronius reſpondebit negando ſuppoſitum, quod ſcilitet ex probabilitate verſatili, atque fallibili religio ſit eligenda. Sicut de facto negat *diſp. 2. ſect. 3. a. 2. §. 3.* ubi ſic ait: *Ad illud verò humani cordis cum fide coniugium æternum, quod nulla vi argumentorum infringi, & diſſolvi poſſit, opus eſt vinculis multò firmioribus illâ verſatili in utramque partem probabilitate.* Baronius itaque ubique certitudinem exigit, ſive in agendis, ſive in delectu religionis: & numquam fidit probabilitati, niſi fortè cum hac coincidat certitudo bonæ electionis. Atque ideò in agendis aliqua probabilitate contentus eſt, non tamen quâcumque; ſed quæ tutior eſt, & favet conſcientiæ, & legi; quia tunc etiam ſi in ſe contingat eſſe falſam, habetur bonæ electionis certitudo; dum id eligitur, quod eſt legi favorabile; ac proindè certum, quod non adverſetur illi, quantumvis fortè ſit falſum, quod ſit neceſſariò eligendum ex lege. Non ſic autem eſt in delectu religionis: nam neutra pars probabilitatis in hac materiâ præfefert certitudinem bonæ electionis, cui poſſit agens fidere, & tutus eſſe, quod Deo non adverſetur, & peccati periculum vitet; niſi aliundè ſibi certitudinem quærat. Atque ideò non prævalet argumentatio Patris Cardenas adverſùs ſententiam Baronii de parte tutiore eligenda, in materia eligendæ religionis, cum hic non ſit deſignabilis pars tutior ex vi probabilitatis, quaſi certò ſtantis pro lege, ſicut regulariter eſt in materiâ agendorum. Econtra verò, cum Caramuel, & P. Cardenas ſemper, & ubique probabilitatem commendent tamquam optimam regulam in quacumque materiâ; & ius plenum illi tribuant excuſandi à culpâ, optimè contra eos ex ipſorum principiis oſtendit Baronius fore Atheiſmum, & Polytheiſmum ſecurum: nec timet poſſe in ſeipſum ſimile argumentum retorqueri.

850 Quod ſi roget Cardenas: undè ergo Etnicus ille ſibi certitudinem comparabit pro religione unius Dei potiùs deligenda? reſpondebit Baronius: ex demonſtratione, quam ſuſtinet poſſe ab unoquoque facilè proprio diſcurſu, & naturali lumine haberi. Quod & ipſemet Cardenas ultrò, & expreſsè alibi fatetur, ut vidimus ſupra, *niſi fortè* (ut ibi inquit) *velint homines ipſi naturali lumini oculos claudere.*

851 Vel poterit Baronius ſecundò reſpondere: ex quadam evidentia credibilitatis, proportionali modo, quo dicunt Theologi reſpectivè ad Catholicam fidem, quemadmodum enim ad fidem infuſam neceſſaria eſt, ut ſufficiens diſpoſitio, eius evidentia credibilitatis: (quapropter Baronius *loc. ſup. cit.* doctrinam ex tract. de fide reſumens, fidem a Deo nobis infuſam comparat ad formam, quæ in materiam inducitur à Generante; quatenùs ſicut à Generante non inducitur forma in materiam, niſi in hac præcedat diſpoſitionum apparatus: ita nec fides in animos noſtros à Deo infunditur, niſi multis priùs argumentis imbuatur animus, quibus manifeſtè videat ipſa divinæ fidei myſteria digna eſſe, quæ prudenter credantur; ut ibi fusè proſequitur.) Ita pariter ad Religionem unius Dei prudenter naturaliter eligendam ſuo modo neceſſaria eſt, ut ſufficiens diſpoſitio quædam conſimilis proportionaliter evidentia credibilitatis, ſive dicas, probabilioritatis, quâ quiſque manifeſtè videat, eam dignam eſſe, quæ prudenter eligatur. Ex quo certò evadit electio bona, vel ſaltèm non mala, ſed licita; etiam ſi per impoſſibile eſſet in ſe falſa.

852 Et ſi replicet Cardenas: cur, & non idpſum ſufficiat in materia morum? reſpondere poterit Baronius, cauſam diſcriminis eſſe, quia ſuppoſito quod exiſtentia unius Dei non ſit evidenter domonſtrabilis, neque demonſtrabilis ſit pars oppoſita; ac proindè non poſſit conſtare evidenter quænam pars ſit vera per ſcientiam, non manet alia via vincendi ignorantiam, quæ ſit omninò certa, atque evidens; nam in hac materiâ non habet locum via illa electionis tutioris partis, ideſt ſtantis pro lege religionis; ſicut locum habet in materia morum, ubi regulariter ſi una pars eſt pro commodo, & libertate; pars oppoſita ſtat pro lege; quia in materia religionis utraque pars ſupponitur pro lege: ac per conſequens non eſt poſſibilis electio fieri meliori modo, quàm via evidentiæ credibilitatis, ſive dicas, probabilioritatis, juxta quam etiam ſi per impoſſibile contingat error, ignorantia erit omninò invincibilis, atque

ideò

ideò electio erit certò bona, vel ſaltem certò non mala, & eligenti licita, eo quod religionem eligit unius Dei meliori modo, quo poteſt; dum illam eligit ut evidenter probabiliorem oppoſita, atque ideò evidenter credibilem. Quemadmodùm etiam in materia morum ſi contingat caſus (qui tamen raro accidere poteſt) quod utraque pars oppoſita ſit pro lege, & agens ſit, in eâ anguſtiâ conſtitutus, neceſſitatus ad agendum ſecundùm unam, vel alteram partem, eodem modo excuſabitur eligendo probabiliorem, ut docet Baronius, etiam ſi errare contingat; quia tunc non eſt ei via melior procedendi poſſibilis. Ex quo cōſtat numquam contra Baronium ex eius ſententiâ de tutiore ſequenda argui poſſe, fore Atheiſmum, vel Politheiſmum ſecurum.

853 Neque replicet Cardenas eodem modo excuſari poſſe Etnicum, ſi partem oppoſitum ſibi probabilem eligat, puta Atheiſmi, vel Politheiſmi; quia jam nec ſcientia, nec facto, ideſt per electionem tutioris partis, ideſt ſtantis pro religione, vincere poſſet ignorantiam ſuam. Non, inquam, ita replicet: quia hoc ipſo eſſet culpabilis juxta Baronii doctrinam, quia non eligeret probabiliorem, & evidenter ſibi cognitam ut digniorem, quæ vera credatur, ac proindè deficeret ex parte ſua à prudente electione, dum evidenter credibilem poſtponeret, & minùs fide dignæ adhæreret; illa enim hoc ipſo tutior eſt ſaltem ex parte eligentis, quàm iſta; ut benè conſideranti patet. Et quidem de exiſtētiâ Deitatis omnibus perſpicuum eſt eſſe in ſe partem tutiorem, & præ Atheiſmo eligendam; quia ſi per impoſſibile nullus Deus eſſet, nihil periculi immineret Deum credenti; econtra verò multum periculi eſſet Deum neganti, illo re vera exiſtente. De unitate autem Deitatis, conſtat evidenter eſſe credibilem, nam divinæ unitati nihil eſt penitùs impoſſibilitatis, aut repugnantiæ; undè vel leviſſima ſuſpicio fallitatis oriri poſſit, aut aliqua ex parte indignum videri, quod prudenter credatur: econtrà verò Deorum pluralitati in promptu ſtatim ſe obiicit diſcrepantia voluntatum, & mutua in ipſorum beneplacitis reſiſtentia; ex qua oporteret à plenitudine poteſtatis eos Deos deficere, qui alteri ſuccumberent, quod prorsùs indignum eſt, ut de vero aliquo Deo credi poſſit; atque ideò evidenter apparet id eſſe incredibile. Ac per conſequens religio unius deitatis ex tali evidentia credibilitatis, ſive dicas probabilioritatis, evadit eligenti tutior, quatenùs etiam ſi per impoſſibile ſibi error eſſet, ignorantia invincibilis eum excuſaret; non enim aliud in materia religionis eligendæ, ubi evidentia credendorum haberi non poteſt, exigitur, ut quis prudenter credat, quàm quod evidenter videat illius credibilitatem; & maximè ſi pars oppoſita appareat ex aliqua parte ſatis incredibilis; cum non ſit tunc alia melior via poſſibilis eligendi religionem. quod adeò verum eſt, ut indè motus Richardus Victorinus meritò dixerit de chriſtiana fide loquens: *Domine, ſi error eſt, quod fide chriſtiana credimus, à te decepti ſumus.* Hoc eſt ob teſtimonia tua, quæ credibilia facta ſunt nimis. Proportionaliter igitur poterit exclamare quiſquis Deum unum elegerit præ Politheiſmo colendum: Domine, ſi error eſt, quod elegi, ipſamet divinitas tua me decepit, quæ una atque omninò individua in ſe facta eſt mihi credibilis nimis.

854 Et ſi iterùm replicet Cardenas, quod adhuc poteſt Etnico Politheiſmus eſſe in ſua probabilitate evidenter credibilis: idem enim eſt eſſe evidenter credibile, ac eſſe evidenter probabile: nam credibile dicitur quidquid videtur veroſimile, & veroſimile ex Baronio idem eſt, quod probabile: ac proindè in caſu quo Etnico videtur Politheiſmus probabilis, erit ei evidenter veroſimilis atque credibilis, ſicut & pars oppoſita unius Dei, atque ideò eodem modo tutus ſeu excuſabilis ex vi ſuæ probabilitatis. Reſpondebit Baronius primò id falſum eſſe, nequit enim Politheiſmus etiam Etnico illi eſſe probabilis, ſi naturali lumini oculos non claudat; ſed eo, prout debet, utatur ad veritatem perquirendam: nam ratio ſupra facta mutuæ diſſenſionis ſe in promptu illi validiſſimè opponit, nec ſolvi poteſt etiam probabiliter ea Plauti reſponſione, *quod Dii inter ſe congruunt concorditer*: quia hoc ipſum evidenter improbabile atque incredibile eſt, quod plura, & diverſa agentia libera, & omninò independentia, non poſſint niſi omninò eadem volita velle. Quid enim repugnantiùs dici poteſt eorum omnimodæ, atque independenti libertati, quàm quod ſint naturâ ſuâ adeò ad eadem volita determinata, ut non poſſint ea non velle? aut ſi poſſint, cogantur neceſſariò convenire? undè hæc neceſſitas, vel ſaltèm infallibilitas congruentiæ poteſt oriri in diverſitate naturarum, & voluntatum, nullatenùs dependentium ab invicem? non poſſunt neutrales capere concordiam humanæ libertatis cum infallibilitate actionum eius ex phiſicâ Dei præmotione dependentium Thomiſticâ, non obſtante quod humana libertas ſit ſecunda, & per ſe dependens à primâ; & capi poterit ſimile quid in libertate divinâ prorsùs independente? certè niſi ad unitatem naturæ, ac voluntatis recurratur, evadit prorsùs incapibile. mitto alias evidentes repugnantias, quæ in bonâ Philoſophiâ demonſtrari ſolent, quia non eſt præſentis inſtituti eas omnes afferre.

855 Vel reſpondebit ſecundo, quod etiamſi Politheiſmus eſſet probabilis, atque credibilis, eſt tamen minus probabilis, quàm ſit unitas deitatis, minùſque dignus, qui verus credatur, ſubindeque minùs tutus, vel ſaltem minùs excuſabilis illum eligenti; quia minùs prudenter illum eligeret, imò ſatis imprudenter, dum pro vero eligeret, id quod ex parte ſaltèm

appa-

Digitized by Google

apparet repugnans ob ſuperiores rationes, relicto eo, quod nihil prorſus falſitatis videtur habere. Et Baronius in ſententiâ eſt de tutiore, vel probabiliore ſequenda. Numquam ergo adverſus Baronium ex eius principiis evadere poteſt Politheiſmus ſecurus; ut poſſit ad hominem contra ipſum retorqueri. Sed hæc, & tam longâ digreſſione protracta, in defenſionem Baronii attulimus, ut à calumniis non manſiſſet vir tantus non vindicatus: & ulteriùs, ut ex eius defenſatâ doctrina appareret omnibus manifeſtum veriſſimè ex amplo illo uſu licito probabilitatis à Recentioribus magnificato monſtra illa deduci.

§. V.

Refellitur ulterius invincibilitas ignorantiæ allegata à P. Cardenas, & aliis cum ipſo in omni opinione practicè probabili.

856 REdeamus autem iterùm ad id, undè digreſſi ſumus; ad ignorantiam, dico, illam invincibilem, quam in omni practicà probabilitate noviſſimè reperiri contendit P. Cardenas ex Vaſqueſio, & aliis: quam omninò inculpabilem dicit, & invincibilem; non ex ſolo eo capite, quod non poſſit vinci per ſcientiam, & evidentiam obiecti, ut fortè aiebat Caramuel; ſed quia eam non tenetur homo ullo modo vincere: neque ſcilicet per ſciẽtiam, quæ impoſſibilis ei ſupponitur; neque reſolvendo eius formidinem in dubium, & tutiorem partem eligendo juxta exigentiam dubitantis, eo quod (inquit) ad hoc minimè tenetur. Quod quidem licet ſuprà fuerit quodammodò impugnatum, nunc directè, & operoſiùs diſcutiendum, ac refellendum eſt. Eſt autem priùs præfati Authoris mens aperienda, ut conſtet clariùs eius intentio, contra quam militamus. Quæ præfectò hæc eſt, nempè quod de ignorantia, quæ in opinione probabili, in ſe falſa, reperitur, ſit proportionaliter diſcurrendum ad eum ferè modum, quo communiter Doctores ſolent diſcurrere de ignorantia facti. Ita ut quemadmodum ignorantia facti, ubi non præcedit negligentia, ſeu omiſſio alicuius debitæ diligentiæ ex parte agentis, dicitur invincibilis, & excuſans ab errore, in quem agens incidit; eo quod ad amplius non tenetur: ſic ignorantia juris, ſi contingat in opinione probabili, ſit etiam invincibilis, & excuſans, eo quod qui ductu opinionis probabilis incedit, ad amplius non tenetur; quaſi hoc ipſo fecerit ſatis, quod debebat pro conſcientiâ ſuâ. Undè ſicut ex ignorantia facti fuit Iacob excuſatus accedendo ad Liam, non quod fuerit ei omninò invincibilis error ſuus, nam poterat illum vincere, admoto ſcilicet lumine lucernæ; ſed quia ad id minimè tenebatur: ita ex ignorantia juris reperta in opinione probabili excuſatur agens; non quod non poſſit illam vincere per reſolutionem in dubium, & electionem tutioris partis ſtantis pro lege, ſed quia ad id non tenetur. Sic videtur diſcurrere P. Cardenas ex Vaſqueſio, & aliis, ut ipſemet refert.

857 Profectò ſi rationibus pro utraque parte penſatis, & benè perpenſis, poſtpoſitâ omni prorsùs paſſione, & affectu ad proprium commodum; earumque gravitate libratâ ſincerè aliquis id judicium eligeret, & applicaret ad opus, quò magis intellectus intuitu veritatis perquirendæ ex ſuis rationibus ponderaret, ut docet Reverendiſſimus Pater Thyrſus Gõſalez Præpoſitus Generalis Societatis *in ſuo tract.* de recto uſu opinionum probabilium *diſſert.* 8. poſſet forſitan aliqualiter rationabiliter ſuſtineri, quod ad ampliùs non teneretur talis; & ignorantia tunc eum excuſaret, ut hîc P. Cardenas prætendit. At quod univerſaliter aſſerit non ad aliud teneri ampliùs hominem, ſi quodcumque ſatum ex probabilitate practicâ judicium pro ſuo beneplacito electum ad opus applicet; non video qua veri ſpecie ſuſtineri poſſit. Id quod doctiſſimè improbat præcitatus P. Gonſalez *in dicto tract.* ferè per totum. Quod ſi ad prudentiam recurratur ex probabilitate in opus refuſam: jam ſupra oſtendimus nullam indè poſſe in opus derivari, niſi ad ſummum ſecundum quid, & imperfectam, & in genere prudentiæ particularis, quæ ſecum compatitur peccatum. Videatur ſupra.

858 Sed demus adhùc gratis in quocumque eiuſmodi iudicio probabili prudentiam relucere, ita ut eiuſmodi iudicium ſit generaliter in quacumque opinione perfectiſſimè prudens (quod ſupra falſum eſſe oſtendimus, loquendo enim de iudicio ſecundum ſpeciem ſuam, diximus non eſſe ibi locum prudentiæ: ſecundum verò eius exercitium poſſe ibi eſſe prudentiam ſpecialem, & in genere ſpecialis finis) ſed eſto, inquam, ſit iudicium illud prudens in genere moralis vitæ, atque ideò perfectiſſimè prudens, non proindè poterit ex vi illius agens in actuali ſua operatione deobligari à maiori inquiſitione, & diligentiâ adhibendâ ad ignorantiam vincendam per electionem tutioris partis ſtantis pro lege: nam tale iudicium eſto dicatur in ſe perfectiſſimè prudens, ut volunt Probabiliſtæ, negari tamen non poteſt quod ſit ſemper iudicium opinionis, ac proindè quod dictet rem eſſe licitam probabiliter, quod eſt dicere: non certò, ſed formidoloſè, & cum aliqua ſaltem dubietate, ne fortè ſit illicita; nec poteſt à tali formidine ſpoliari, per hoc quod ſit gravi, ac prudenti rationi, ſemper tamen probabili, innixum: neque via reflexiva poteſt umquam eiuſmodi iudicium fieri certum; imò quò magis reflectitur ſuper illo, quod ſit probabile, eo magis indè ſignatè conſpicitur eſſe incertum, & natura ſua movens ad dubitandum de oppoſito; ergo nedum non poteſt indè homo deobli-

gari ab hoc quod ſit reſolvendus in dubium, ſed potiùs hoc ipſo videtur manifeſtè ad dubitandum rationabiliter obligari: de incerto enim vel ipſum jus naturæ dictat eſse ſemper dubitandum; & vitandum periculum electione tutioris partis. Ergo falſum eſt quod aſserit Pater Cardenas cum aliis, quod ignorantia in opinione probabili reperta ſit invincibilis, & inculpabilis, eo quod licet vinci poſsit per reſolutionem in dubium, & electionem tutioris partis, ad id tamen homo non tenetur.

859 Ex quo apparet manifeſtum diſcrimen inter ignorantiam facti poſt adhibitam debitam diligentiam, & juris ſolo adhibito judicio probabili: nam ibi adhibitâ diligentiâ debitâ, penitùs evacuatur formido in agente præcedens, nec formidine aliquâ obumbratus procedit ad opus, ut conſtat de Jacob cum acceſſit ad Liam, bona fide credens eſſe Rachelem, ita ut nulla prorsùs in eo præceſſerit ſuſpicio de contrario: & idem eſt de jaciente ſagittam, qui priùs diligenter viderit, ſi quem potuiſſet offendere. Nec refert quod extraordinariam, & ſupererogatoriam diligentiam non fecerint, quam fortè potuiſſent, puta quod Jacob lumen non admoverit, antequam acceſſiſſet, vel quid ſimile; nam ad hoc nulla eum ratio impellebat, nec aliqua fraudis formido ejus mentem præoccupaverat, quam ſi aliquantulum ſubodoraſſet, procul dubio fuiſſet ad id obligatus, nec potuiſſet aliter excuſari. At in ignorantia juris judicio probabili adhibito, non poteſt agens niſi temerè ad opus applicari ſine ulla formidine, cum ejus mens ex vi illius ejuſdem judicii, formaliſſimè ut formidans de illicito, accedat ad opus, quod ſolùm probabiliter tenet eſſe licitum, & abſque ulla etiam morali certitudine. Quis ergo non videat manifeſtum diſcrimen? Jacob prima nocte ſecreta cubiculi ſubintrans ſponſam propriam inventurus, moraliter certus acceſsit, nihil videns undè potuiſſet de Lia ibi fraudulenter ſuppoſita ſuſpicari. Et jaciens ſagittam poſt accuratam diligentiam neminem videns, ſimiliter moraliter certus eſt ſe neminem offenſurum. At qua morali certitudine agens ex judicio ſolùm probabili de licito, certificari poterit ſe legem minimè tranſgreſſurum? cum potiùs inde habeat neceſsariò annexam formidinem de illicito?

860 Quod ſi quis velit hoc diſcrimen evidĕtiùs oſtĕdi; attĕdat, quod ignorătia facti duplici ex capite provenire poteſt: primò ex eo, quod in facto, ex ſe regulariter periculoſo, non adhibetur diligentia debita pro arcendo periculo illo, quod præſefert ipſum factum. Secundò ex eo quod in facto, per diligentiam debitam priùs aſſecurato, ac remoto regulari illo periculo, adhuc ex aliquo extrinſeco accidente, quod prævideri non poteſt, latet hîc, & nunc aliud periculum caſuale, de quo agens non habet ſufficiens motivum, ſaltem moraliter, formidandi, ac propterea nullam adhibet diligentiam. Atque hinc fit quod adhibitâ diligentia operi debita pro ratione primi periculi, quod eſt regulariter operi illi annexum; apparet, & de facto eſt penitùs victa ignorantia illa, quæ poterat intervenire, niſi facta fuiſſet illa diligentia, ac per conſequens tollitur ab agente obligatio eam ulteriùs vincendi. Licet poſtea contingat ibi ex alio periculo, nempe caſuali ibi latente, quod prævideri non poteſt, ignorantia caſus ſubſequentis; ſed hæc eſt prorsùs agenti invincibilis, eo quod non habet undè de caſu illo fortuito potuiſſet præcaveri, cùm nullo modo ejus periculum potuerit prævideri, atque ideo excuſatur. At in jure adhibito judicio ſolùm probabili de licito, non manet victa ignorantia illiciti, de quo eſt periculum jam prævisum, & formidatum in ipſa probabilitate de licito, cum nulla cautio fiat ab agente pro eà vincendà; & alias ex ipſa prævisione, & formidine periculi, oritur ei obligatio eam vincendi eo modo, quo poteſt, nempè vel per ſcientiam veritatis, vel per electionem tutioris partis. Et cum, ut ſupponimus, non ſit agenti poſſibile eam vincere per ſcientiam, manebit ei obligatio vincendi illam per electionem tutioris partis; alioquin excuſari non poterit, quia jam videt incertum exitum operationis ſuæ, ſit ne a lege permiſſa, vel contra legem. Qui enim operationis ſuæ exitum incertum habet, ſi prudenter velit agere, certiorari debet eo modo quo poteſt. Id quod ultrò admittit idem Cardenas: Imò ex profeſſo probat incertitudinem opinionis probabilis directæ accuſare potiùs, non excuſare: ut videre eſt apud ipſum *diſp. 15. cap. 4. a. 5. num. 238. 239. & 240.* ubi concludit de Pictore, quod ſi dicat: *Probabile eſt tantum, quod non peccabo pingens die feſto*: exponit ſe periculo probabili peccandi, adeòque peccat lethaliter; quia cum incertus ſit de peccato à ſe vitando, non reddit ſe tutum à peccato. Et num. præced. dixerat: quod qui dicit: *Probabile eſt quod reipsà peccabo, eliciens hanc operationem: Vel: probabile dumtaxat eſt, quod non peccabo eliciens hanc operationem*: expoſitus manet ei contingentiæ, quam affert ipſa probabilitas: *Nam quod eſt probabile*, (inquit) *poteſt non eſſe verum à parte rei: ſi ergo probabile eſt, quod peccabo, vel non peccabo, non ſum tutus a peccato. At non eſſe tutum à peccato, & ſubire periculum peccati ſynonima ſunt*. Hæc Cardenas *loc. cit.* ſtando in vi probabilitatis directæ. Ac proindè per ipſum certum eſt, quod probabilitas directa ratione ſuæ incertitudinis, ſeu formidinis (quam ego ſupra cum dubitatione coincidere oſtendi: ſed quidquid ſit de hoc) non deobligat hominem à parte tutiore eligenda, ſed potiùs obligat.

861 Verum quia ipſe pro certitudine habendâ ad opinionem reflexam recurrit, ſubdens *dicto num. 240. At verò dicens: Probabile eſt, quod pingere die feſto non eſt illicitum: ſcio autem me non peccaturum, ſi operor ex ea opinio-*

ne

ne probabili. Nullo periculo ſe exponit, quia certò ſcit operantem ex opinione probabili non peccare; quia quamvis actus directus ſit probabilis, actus reflexus eſt omnino certus. Hæc ille. Jam conſtat totam deobligationem per ipſum ex actu reflexo haberi, quatenùs hic certitudinem affert operanti, ut ipſe docet. Sed hoc ipſum manet jam ſuprà ſatis impugnatum, ubi oſtendimus ex actu reflexo nullam derivari certitudinem agenti. Et argumentum eius, quod erat Achilles ad hoc probandum in ſecundo modo primæ figuræ, nihil valere ſufficientiſſimè oſtẽdimus. Videatur ibi. Ex his ergo, & aliis ſuperiùs dictis conſtat non eſſe in opinione probabili hanc invincibilem ignorantiam, etiam ex ea parte, quà prætendit eam Cardenas introducere, nempe, ut ipſemet ſe explicat, ex eo, quod non tenetur homo ullo modo eam vincere, hoc ipſo, quod agit ex opinione probabili, ut quaſi quod per illam videatur ſatis, & ad ſobrietatem ſcire de agibilibus ſuis. Ut dictum eſt.

§. VI.

Refellitur eadem invincibilitas ignorantiæ opinionis practicè probabilis, etiam prout in eà prætenditur à P. Cardenas ex vi doctrinæ D. Thomæ.

862 PRætendit P. Cardenas ſtabilire, errorem opinionis practicè probabilis, ſi, & quatenùs in eà cõtingat, provenire ex ignorantia invincibili, ac per conſequens omninò excuſare: & hoc credit demonſtrare ex doctrina ipsâ D. Thomæ, qui *quodlib.* 8. *a.* 15. ait, quod error conſcientiæ aliquando excuſat: quando ſcilicet provenit ex ignorantia eius, quod quis ſcire non poteſt; vel ſcire non tenetur. Sub hoc enim dicto D. Thomæ, quaſi ſub primo principio ſibi irrefragabiliter favorabili, ſublũmit hanc minorem propoſitionem quaſi ſibi certiſſimam; quod ſcilicet, qui operatur ſecundùm opinionem practicè probabilem, ſi fortè errat, iam errat circa id, quod non tenetur ſcire: quia errat circa id, quod prudenter iudicatur eſſe licitum, licet in ſe non ſit. Qui autem habet de huiuſmodi ſuo agibili iudicium prudens, quod ſit licitum; non ampliùs tenetur de illo aliud quidpiam ſcire. Quis enim dicat poſſe aliquem obligari ad aliquid plus ſciendum, ſupra iudicium iam ſemel prudenter factum, de eo, quod eſt ſibi agendum, & fuit licitum iudicatum?

863 Verumtamen tàm longè diſtat in ſuo illo dicto D. Thomas ab eo, quod P. Cardenas ſublũmit, & quod indè deducit; ut potiùs ſub maximà illà D. Thomæ ſit ſublũmendum oppoſitum, & oppoſitum pariter efficaciſſimè deducendum. Quod ſic oſtendo: qui habet iudicium prudens opinionis practicè probabilis de licito actionis, quam vult agere, habet prudentem formidinem de illà, ne fortè ſit illicita, & contra legem; quia iudicium prudens opinionis practicè probabilis de licito totum hoc eſſentialiter dicit: (exiſtimo prudenti utique iudicio, hoc eſſe licitum, non iudicio certo, & abſoluto, ſed formidoloſo, ne fortè ſit illicitum:) Sed qui ſic formidanter iudicat de actu ſuo, tenetur plus inquirere, & magis certiorari, antequam agat; *alioquin committit ſe periculo, & ſic procul dubio peccat* (ut expreſsè dicit idem D. Thomas *quolib.* 8. *a.* 13.) *utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem.* Ergo qui habet iudicium prudens opinionis practicè probabilis de licito, tenetur aliquid plus ſcire, ut prudenter agat, & non peccet.

864 Et ſi petas: & quid ampliùs tenetur ſcire, cum iam ſupponatur non poſse in materia præſertim opinabili haberi certitudinem, & veram ſcientiam? Reſpondeo teneri, ex hoc ipſo, ſcire, ſe non eſse tutum; ſi tale iudicium opinionis probabilis de licito deducat ad praxim; quia poteſt contingere, quod re vera actus ille ſit illicitus, ſicut ille formidat. Ex quo oritur in ipſo, nedùm ex vi conſcientiæ, ſi formidinem illam non deponat; ſed etiam ex vi legis, quam ignorat, etiam ſi deponat formidinem, obligatio abſtinendi potiùs ab actu illo, ut ſic vincat practicè ignorantiam ſuam. Alioquin ipſi error imputabitur ad culpam, ut infra magis explicabitur, quia voluntariè formidinem depoſuit, ubi non erat prudenter deponenda; & lex ex adverſo proclamat contra ipſum, eo quod non benè conſuluit indemnitati ſuæ, prout in iudicio eſſentialiter formidoloſo tenebatur. Vide lector, ſi, & quid ſcire teneatur ampliùs, quiſquis pro ſe habet, & ſequitur opinionem practicè probabilem.

865 Non eſt igitur de mente D. Thomæ, quod qui habet opinionem practicè probabilem pro ſe de licito, non tenetur aliquid ampliùs ſcire de actu ſuo, quem eſt acturus. Neque hoc poteſt implicitè contineri ſub dicto illo Divi Thomæ allegato hìc à P. Cardenas, ex *quodlib.* 8. *a.* 15. ubi ait, quod error conſcientiæ excuſat, quando provenit ex ignorantia eius, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur. Nam quod eſt etiam prudenter, formidoloſè tamen, iudicatum licitum, non eſt de genere eorum, quæ homo non poteſt, aut non tenetur ſcire in praxi eſse ſibi illicita, vel ſaltem non certò licita: imò ex propriis terminis conſtat, huiuſmodi ſic iudicatum poſse, ac debere ab unoquoque ſciri; ſi non quoad eius eſse intrinſecè illicitum in ſeipſo, & veluti directè; ſaltem indirectè, & veluti reflexè, & extrinſecè ab ipſa formidoloſitate iudicii, quaſi tacitè teſtimonium perhibente, & dicente quod non eſt practicè pro licito habendum, id quod manifeſtè obiicitur, & offertur ut timendum, ne fortè ſit illicitum, & ex vi eiuſdem prudentis iudicii, quo licitum iudicatur. Quia iam ipſum met prudens iudicium formidoloſum, quaſi palam lo-

loquitur per formidinem ſuam, & de periculo illiciti, ibi fortè latentis, ſufficienter admonet; ita ut nemo poſtmodùm, ſi in illud incidat, ſit excuſatione dignus habendus.

866 Ad maiorem autem doctrinæ huius evidentiam, & veram intelligentiam illius dicti D. Thomæ allegati à P. Cardenas, ſciendum eſt quod cum ait D. Thomas, quod error conſcientiæ excuſat, quando provenit ex ignorantia eius quod quis ſcire non poteſt; vel ſcire non tenetur: non accipit, ly ſcire, ſtrictè, & rigoroſè, prout importat notitiam verè ſcientificam: alioquin ſequeretur quod ubi quis nõ poſſet habere veram ſcientiam, quantumcumq; erraret, ſemper eius error eſſet invincibilis; etiamſi de errore ſuo dubitaret, & cum tali dubio etiam ageret operationem ſuam; & nunquam teneretur vincere practicè ignorantiam ſuam, per electionem ſcilicet tutioris partis; quod quidem non ſolùm eſt contra veritatem, & D. Thomam *quodlib.* 8. *art.* 3. de quo infra videbimus; ſed etiam contra ipſum P. Cardenas, qui in hoc acriter impugnat Caramuelem, ut vidimus ſupra: ſed accipit, ly ſcire, largè pro quacumque cognitione aliàs neceſſariò præerequiſita, ad hoc ut error poſſit fieri voluntarius, & conſequenter vincibilis, & culpabilis: ideò enim dicit, quod error conſcientiæ excuſat, ſi ſit eius quod quis non poteſt, vel non tenetur ſcire, (ideſt aliquo modo præcognoſcere) quia tunc nequit eſſe voluntarius: ad rationem autem voluntarii non prærequiritur cognitio malitiæ ſcientifica, ſed ſatis eſt qualiſcumque, imò & etiam pura, & ſimplex prudentialis dubitatio.

867 Et ex hoc infero, quod ubi in promptu eſt motivum prudenter dubitandi de illicito, ſeu de malitia morali alicuius actus, ibi error non poteſt dici provenire ex ignorantia eius, quod quis ſcire non poteſt, vel non tenetur ſcire: quia qui in promptu habet motivum ſufficiens prudenter dubitandi de malitiâ, poteſt ex hoc ipſo, & tenetur dubitare, & per conſequens aliquo modo ſcire huiuſmodi malitiam: quia dubitare, & præſertim ex prudenti motivo, de malitia operationis, eſt quodammodo illam cognoſcere, & aliqualiter ſcire, ita ut ſit ſufficiens ad rationem voluntarii; undè ſi quis ſic dubitando operatur, & errat contra legem, peccat; nec excuſatur ex vi ignorantiæ ſuæ quia tenetur eam vincere, ſi non per ſcientiam, ſaltem per electionem tutioris partis; ut fatetur, & probat idem P. Cardenas contra Caramuelem, & vidimus ſupra.

868 Cum igitur in opinione practicè probabili de licito habeatur ſimul eſſentialiter annexa formido de illicito, utpotè neceſſariò emergens ex eodem prudenti motivo, cui innititur idem judicium de licito, ut oſtendimus ſupra, quomodo poterit eius error, ſi in eâ contingat, dici provenire ex ignorantiâ eius, quod quis non poteſt, vel non tenetur ſcire? & quâ bonâ conſequentiâ ex dicto illo D. Thomæ arguit P. Cardenas invincibilem ignorantiam in opinione practicè probabili de licito, quaſi per hanc ſupponatur agens in tali ſcientiâ conſtitutus, ut nihil amplius ſcire teneatur de actu ſuo? ſcio utique ad hoc Authorem iſtum reſpondere, ſe rationabiliter ſub maximâ illâ D. Thomæ ſubſumere; quod qui habet pro ſe opinionem practicè probabilem de licito, non tenetur ad ampliùs aliud ſciẽdum; quia hoc ipſo jam habet pro ſe judicium prudens; ac proindè ſupponitur jam ſapere ad ſobrietatem; non enim homo tenetur plùs ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem; juxta dictum Apoſtoli. Negari autem non poteſt ad ſobrietatem ſapere, qui ad hoc pertingit, ut de re ad ipſum ſpectante prudenti jam judicio ultimatè definiat. Et hoc videtur D. Thomas voluiſſe dicere, cum ait excuſari eum, qui errat ex ignorantia eius, quod quis non tenetur ſcire: qui enim dicitur non teneri, ſupponitur poſſe ſcire; dicitur ergo non teneri, quia non debet ſupra vires inquirere, ſed ad ſobrietatem.

869 Sed in hoc diſcurſu valdè decipitur, & in æquivocis laborat. Neque enim ego prætendo homines teneri plus ſapere, quam oportet; ſed ſapere ad ſobrietatem: & ingenuè fateor ad ſobrietatem ſapere, qui prudenter de re ad ipſum ſpectante judicat. At non prudenter judicat, niſi qui pro genere negotiorum opportunè, & proportionatè judicat. Oportet igitur de negotiis diſtinguere, & proportionem judicii in illis judicandis benè attendere; ita ut non fiat tranſitus de judicio prudenti in uno genere ad aliud alterius generis: hinc enim ſuboritur magna judiciorum confuſio, & æquivocatio, ex qua multotiès creditur judicium prudens, ubi non eſt. Attendat ergo P. Cardenas in quo genere ſit proportionatum judicium de licito opinionis practicè probabilis; & in quo genere debeat eſſe proportionatum judicium prudens agendorum: & indè videbit non proportionatè, & ad ſobrietatem ſapere de agendis ſuis, qui de illis contentus eſt ſapere juxta judicium opinionis practicè probabilis de licito. Hoc autem non aliundè attendendum eſt quàm ex fine utriuſque judicii: cum enim alius ſit finis opinantis, & alius finis agentis; conſequenter oportet etiam, quod aliò tendat judicium opinionis probabilis; & aliò judicium agendorum: & unumquodque tunc dicitur prudens, quando eſt ad ſuum proprium finem proportionaliter ordinatum. Contingit autem aliquando quod judicium ſit proportionatum ad unum finem, ac per conſequẽs ſit in ſuo genere prudẽs; & tamen ad alium finem ſit improportionatum, & conſequenter imprudens; atque ideò qui prudenter, & ad ſobrietatem ſapit in uno genere finis, aliquando non ad ſobrietatem, nec prudenter ſapit in alio genere finis.

870 Dico igitur quod judicium prudens opi-

Digitized by Google

opinionis practicè probabilis de licito eſt in genere judicii purè ſpeculativi, ut ſupra explicavimus (licet ſit materialiter, & obiectivè de ipſa praxi, ex quà propterea practicè probabilis denominatur) judicium autem purè ſpeculativum habet pro fine judicare veritatem rei in ſe ſecundùm ſua prædicata metaphiſica, puta in propoſito noſtro opinionis, prædicatum liciti, vel illiciti, pro quanto poteſt intellectus ſpeculativus ex vi principiorum ea attingere, & prout ex illis cogitur neceſſariò ad aſſenſum potiùs unius, quam alterius prædicati: quarè ſuppoſito quod ſit proportionatum, & conforme ad id, quod apparet eſſe ex vi principiorum obiectum, ſeu res ſpeculata in ſe, dicitur prudens in genere ſuo; & ſic qui benè diſcutit de aliqua praxi, ſeu operatione, num in ſe ſecundùm veritatem obiectivam ſit licita, vel illicita, & apparet ei ex vi, & pondere rationũ eſſe potiùs licitam, quàm illicitam, prudenter opinatur, & judicat, illam eſſe potiùs licitam, quam illicitam; & conſequenter dicitur in genere cognitionis opinativæ, ſeù probabilis, ad ſobrietatem ſapere; quia in hoc genere non tenetur, imò nec poteſt plus ſapere; ſapit enim quantum poteſt in materia opinabili, & controvertibili. At judicium agẽdorum in genere moris (quod pertinet ad prudentiam virtutem) eſt in genere judicii practici, quod habet pro fine attingere praxim, ſeù operationem, quam agens eſt acturus, non ſecundùm eius prædicata metaphiſica, & ut cognoſcibilia ſicut ſunt in ſe; ſed potiùs (ut ita dicam) ſecundùm eius prædicata moralia, ideſt certò conducentis, vel non conducentis ad finem, quem efficaciter intendit agens conſequi per operationem ſuam, pro quanto poteſt intellectus practicus ex vi proportionis dictæ operationis ad appetitum rectum agentis volentis efficaciter finem: quarè ſuppoſito quod ſit proportionatum, & conforme ad huiuſmodi finem, dicitur prudens in genere agẽdorum; alioquin eſt imprudens. Conſtat autem quod licitum purè opinatum, cum ſit eſſentialiter cum formidine illiciti, non eſt moraliter efficaciter conducens ad conſecutionem finis juxta appetitum rectum agentis; quia agens morale juxta appetitum rectum ſupponitur velle efficaciter hoc, quod eſt omninò honeſtè, vel ſaltem licitè operari: at licitum purè opinatum, & cũ formidine illiciti judicatum, non poteſt judicari ſaltem moraliter ut efficaciter conducens ad hoc, quod eſt omninò licitè operari; nam licitum cum formidine illiciti non eſt omninò licitum, nec poteſt omninò tale prudenter (quod idem eſt ac moraliter) judicari. Ergo qui prudenter, & ad ſobrietatem ſapit in genere opinativo de licito alicuius operationis, non poteſt dici prudenter, & ad ſobrietatem ſapere in genere agendorum, ſeù practico, & operativo. Recole exẽpla, quæ in ſuperioribus adduximus de negotiatore.

871 Ex quibus ſit evidenter manifeſtum falſum eſſe, quod qui habet pro ſe opinionem practicè probabilem de licito, non teneatur ampliùs aliud ſcire de agendis ſuis, quaſi inde ſapiat de iſtis ſatis, & ad ſobrietatem. Et falſitas hæc oritur ex æquivocatione, & confuſione judiciorum unius generis cum alio, cum tamen ea ſint in ſe diverſi generis, & de diverſis obiectis: nam judicium ſpeculativum ſivè ſcientificum, ſive opinativum eſt de veritate ſpeculativà, quam D. Thomas, ut vidimus ſupra, dicit conſiſtere in conformitate ad obiectum, ſicut eſt in ſe: judicium verò practicum eſt de veritate practica, quam dicit conſiſtere in conformitate ad appetitum rectum agentis ex efficaci intentione finis: ac propterea illud eſt de praxi ut purè ſpeculabili, & cognoſcibili ſecundùm veritatem metaphiſicam, & in ſe: iſtud verò eſt de praxi ut agibili, ſeu ut eligibili ab agente ad conſecutionem ſui finis, quem ſupponitur velle omninò efficaciter aſſequi, & nullo modo velle fraudari à conſecutione illius. Undè qui utitur aliquo medio ſolùm probabiliter & cum formidine apto judicato ad finem, præſertim relicto medio certo, convincitur non velle efficaciter finem, & imprudenter agere; ut conſtare poteſt in infinitis exemplis politicis, in quibus paſſim ſolemus imprudentiæ redarguere huiuſmodi operantes.

872 Ex ex his colligo, quod cum D. Thomas in dicto illo allegato à P. Cardenas, ait: quod error conſcientiæ excuſat, quando provenit ex ignorantiâ eius, quod quis non poteſt, vel non tenetur ſcire; intelligẽdus eſt de ſcientiâ, ſeu cognitione practica; non ſpeculativâ. Quia illa, nõ hæc, eſt requiſita in genere agendorum. Undè fit ſenſus: quod error conſcientiæ excuſat, quando provenit ex ignorantiâ eius, quod quis non poteſt, vel non tenetur cognoſcere quoad difformitatem quam in ſe fortè habet ad appetitum ſuum rectum per efficacem intentionem finis; ſicut accidit Jacob accedenti ad Liam, ut ſæpè diximus. Cum igitur non ità contingat in opinione practicè probabili de licito, non poteſt dictum illud D. Thomæ in hac habere locum, ut prætendit P. Cardenas cum ſuis. Nam licet in opinione practicè probabili de licito, non poſſit convinci ſpeculativè, ideſt ſecundùm veritatem methaphiſicam, difformitas illius judicii in ordine ad obiectum in ſe; etiamſi re vera ſit in ſe difforme; tamen evidenter cognoſcitur ratione formidinis de illicito ei eſſentialiter annexæ difformitas eius ad appetitum rectum agentis volentis efficaciter finem; ut dictum eſt.

873 Nec valet, quod dicunt Probabiliſtæ, hoc verum eſſe perſiſtente in agente tali formidine, non tamen ſi deponatur. Non, inquam, valet; quia ut multoties dixi, non prudenter deponitur formido illiciti in eo, quod ſupponitur cum tali formidine prudenter judicatum. Neque ad hoc juvat judicium illud re-

Qqq flexum

flexum, ad quod Probabiliſtæ recurrunt; nam ſatis, ſuperque illud in ſuperioribus impugnatum eſt.

874 Colligo ſecundò ex dictis, quod tunc quis de aliquo non tenetur practicè ſcire, & cognoſcere difformitatem eius ad appetitum rectum (vivendi ſcilicet honeſtè, vel ſaltem omninò licitè ſecundum leges; hunc enim ſuppono eſſe appetitum rectum agentis in genere moris; quia ſic, & non aliter poteſt dici vivere per ſubiectionem ad leges tamquam ad finem, ut ſupra explicavimus) quando ad ipſum non pertinet illud opus agere: cæterùm, ſi illud ſit acturus, procul dubio tenetur de illo inquirere, & cognoſcere, antequam agat, ut vidimus ſupra, juxta illud *Eccleſ. 37. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, omnem actum conſilium ſtabile.* Omne enim agens morale, ſicut eſt homo, tenetur de moralitate ſuorum actuū pro debito ſui officii benè cognoſcere, & practicè judicare eo modo, quo ſibi ſit poſſibile. Jam verò in opinione practicè probabili de licito, nedùm poſſibile, ſed etiam facile eſt judicare, non eſſe illud conforme ad appetitum rectum vivendi omninò licitè ſecundùm leges, quod videt explicitè cum formidine eſſe, & periculo illiciti.

875 Et ſimiliter nec tenetur quis de actu ſuo cognoſcere difformitatem, quam fortè in ſe habet ad ſuum appetitum rectum, quando eiuſmodi difformitas deforis ad illum actum provenit ex aliquâ individuali circumſtantiâ ſibi omninò occultâ, de qua nec poteſt prudenter, & moraliter dubitare, ut ſæpè ſæpiùs accidit in ignorantia facti; quia tunc ad ipſum procul dubio non pertinet de tali circumſtantia judicare, utpotè quæ omninò deforis, & per accidens contingit, & eſt ſibi omninò latens, ut conſtat in adducto exemplo de Jacob accedente ad Liam. Et in iſtis caſibus tantum verificatur dictum illud D. Thomæ; non autem in caſu opinionis probabilis.

CAPUT SEPTIMUM.

De probabilitate quatenùs prætensâ regula agendorum.

§. UNICUS.
An opinio probabilis poſſit dici ſufficiens regula agendorum.

876 HActenùs prætenſa iura probabilitatis practicæ, ſive titulo prudentiæ, ſive moralis certitudinis ex reflexo judicio ei derivatæ, ſive denique invincibilis ignorantiæ in ea repertæ, adeò a Probabiliſtis noſtri temporis decantata in capitibus ſuperioribus evertimus, eaque commentitia monſtravimus. Nunc autem ſupereſt ut & eam vel eo honorifico titulo ſibi alias indebitè uſurpato condignè privemus quo nimirùm optima agendorum regula appellari ſolet, adhuc in ſua latiſſima amplitudine accepta. Moderni enim Probabiliſtæ, ſicut & olim Academici nominati, exiſtimant benè homines regi in agibilibus ſuis per pura probabilia, idque pro certo habent, eo motivo ducti, quod niſi benè probabilitate regerentur, forent prorsùs omni regula morum deſtituti, cum alias ſupponatur eis ſcientia impoſſibilis: & ideò forſan Caramuel aſſeruit, quod niſi probabilitas excuſaret, obligarentur homines ad impoſſibilia. Quod licet alii non ita expreſsè loquantur, in idem tamen recidere convincuntur, dum ex eodem ferè motivo illam cenſent eſſe optimam regulam agendorum; ſubindèque ſecundùm eam, quæcumque ſit, manere quemlibet operantem in conſcientia tutum.

877 Ex dictis autem concluſio noſtra eſt: opinionem practicè probabilem qua talem, & in tota ſua amplitudine ſumptam, non ſufficere ad regimen conſcientiæ, ut tuta ſit ſecundum illam operatio; ac proinde non eſſe, ut Probabiliſtæ inquiunt, regulam ſufficientem agibilium. Hæc concluſio poſt decretum Innocentii XI. ſub die 2. Martii 1679. adeò vera eſt, ac certa, ut potiùs ſit fide amplexanda, quàm rationibus ſuadenda. Damnavit enim Pontifex eo decreto inter alias propoſitiones tertiam in ordine illius tenoris, nempè: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Quare valde miror quod adhuc nonnulli poſt hoc decretum prætendant oppoſitum ſuſtinere; & decretum ipſum ea interpretatione eludere, quod ſcilicet probabilitatem tenuem, & quæ vera probabilitas non eſt, ſed opinata ac dubia, tantùm & dumtaxat feriat: cæterùm vera probabilitas, quæcumque ea ſit, ſub decreto illo non cadit. Diſtinguunt enim iſti duplex genus opinionum probabilium, nempè probabilium, quæ ſunt certò probabiles; & probabilium, quæ tantùm probabiliter ſunt tales: ex quo concludunt in prædicto decreto damnari tenuem probabilitatem, quæ ſcilicet non eſt certò talis, ſed ſolum probabiliter talis. Ita P. Lumbier *tom. 3. ſumma à n.* 1737. apud Patrem Cardenas citatus, & Pater Figuera in ſua lucerna decretali, ut idem Cardenas refert. Uterque enim dicunt opinionem probabiliter probabilem non eſſe veræ, ſed dubiæ probabilitatis, ideoque tenuem dici, ac propterea præfato decreto damnari. Pater Cardenas verò convenit cum iſtis in hoc quod decretum damnet ſolam tenuem probabilitatem, qualis eſt probabilitas dubia, & non certò talis: Sed negat opinionem probabiliter probabilem eſſe dubiam, atque ideò negat hanc cadere ſub illa cenſura, ſed vult poſſe etiam poſt dictum decretum tutò ad praxim deduci. Ita *diſſert.* 4. *cap.* 5.

878 Sed contra iſtos ſimul ſic inſurgo; & peto ab eis: Probabilitas hæc tenuis, quam

Pon-

Pontifex damnat, ſive ſit ea quæ eſt probabiliter talis, ſive quæ eſt dubiè talis, aut eſt extra fines veræ probabilitatis, aut intra fines illius? Si dicant (ſicut de facto dicunt) eſſe extra fines illius: ergo non comprehenditur ſub propoſitione illa eo decreto damnata; cum propoſitio illa ex ſeipſa omnem eiuſmodi opinionem tenuem à probabilitatis finibus exeuntem excludat. Et ſic cenſura decreti fruſtranea eſſet, utpote de ſubiecto non ſupponente. Si verò dicant contineri intra fines veræ probabilitatis: ergo aliqua ſaltem vera probabilitas ſub ea cenſura cadit: Et ſic non quæcumque opinio etiam verè probabilis poteſt eſſe ſufficiens regula ad regimen conſcientiæ: quod eſt ipſiſſima concluſio noſtra.

879 Quare malè ait P. Cardenas, quod illud epithetum (Tenuis) ſit in ea propoſitione additum taliter diminuens de probabilitate, quod opinio tenuiter probabilis non poſſit dici abſolutè probabilis, nec verè probabilis: quia ſi ita eſſet, jam de finibus probabilitatis exiret. Et quidem cur adeò epithetum illud ponderat Cardenas cum præfatis Authoribus; & non ponderat illud aliud additum eiuſdem propoſitionis (modo à probabilitatis finibus non exeatur?) certè ſi hoc benè ponderaſſent, vidiſſent utique, quod ſic explicata tenuitas probabilitatis fuerit ab ipſiſmet illius propoſitionis Authoribus evidentiſſimè præoccupata: ac proindè quod non poſſit ſub tali cenſura eiuſmodi tenuitas probabilitatis cadere; benè tamen illa, quæ ſolùm diminuit de gradu probabilitatis, intra limites tamen veræ probabilitatis, quod eſt dicere: Vera aliqua probabilitas, licet in infimo gradu talis. Ex quo ſequitur apertè quod ſaltem aliqua vera probabilitas veniat eo decreto damnata, ſicut nos ſentimus.

880 Probatur nihilominus etiam independenter ab eo decreto concluſio noſtra, & ad hominem contra Probabiliſtas. Nam ſi opinio probabilis, quà talis, eſt ſufficiens regula agendorum ut ipſi dicunt, ita ut per eam certificetur agens ſecundùm illam de licito ſui actus; erit etiam ſufficiens regula non agendorum; ita ut per eamdem certificetur agens contra illam de illicito ſui actus: Contrariorum enim eadem eſt diſciplina. Id quod etiam evidenter conſtat de prudentià, quæ quia eſt recta ratio agibilium, ut eam definivit Philoſophus, eſt etiam recta ratio non agibilium: ita ut eadem prudentia, quà diſcernimus quid ſit agendum, diſcernamus quid agendum non ſit: & ſi contra eius dictamen agimus, imprudenter agamus. Quapropter Auguſtinus ait prudentiam eſſe cognitionem rerum operandarum, & fugiendarum. Atqui per ipſos opinio probabilis non eſt ſufficiens regula non agendorum, ſeu fugiendorum; imò à Patre Cardenas reſpectu iſtorum appellatur *Pſeudo-regula*, & certò falſa. Ergo neque eſt ſufficiens regula agendorum. Maior conſtat, quia, ut dixi, contrariorum una, & eadem eſt diſciplina; & patet etiam ex definitione prudentiæ ex Auguſtino deſumptà; imo ex unanimi omnium confeſſione; fatemur enim omnes, quod ſi ſecundum regulam, & rationem, rectè & prudenter agendi, aliquid agimus, benè agimus; ſi verò contra illam, malè, ergo una eademque regula, quæ eſt ratio benè agendi, dum iuxta illam agimus, eſt etiam ratio malè agendi, dum agimus contra illam. Conſequentia verò ſequitur. Minor autem probatur, nam per ipſos, qui agit juxta unam opinionem practicè probabilem, quantumcumque agat contra oppoſitam etiam practicè probabilem, imò etiam probabiliorem, ſemper licitè agit; numquam malè, & illicitè: ergo opinio practicè probabilis per ipſos eſt ſola ratio, & regula agendorum, & numquam fugiendorum, Imo dicunt quod ſi ex opinione oppoſita practicè probabili, vel adhuc probabiliore ſtante pro lege, fieret dictamen ſeu iudicium illud reflexum, nempè non licere agenti ſequi oppoſitum ſtans pro commodo & libertate; proportionali modo, quo ſit ab ipſis iudicium reflexum, quod eis liceat liberè agere iuxta ſuam opinionem practicè probabilem; eſſet certò falſum, ac proindè pſeudo-regula reſpectu non agendorum, ut expreſsè habet P. Cardenas *diſp.* 10. *cap.* 6. *num.* 49. cùm tamen econtrà dicat infra *num.* 50. ſequenti, ſuum dictamen reflexum, nempe: licitum eſſe uti opinione etiam minùs probabili pro commodo, & libertate; eſſe omninò certum. Ergo ex Patre Cardenas, & ſuis Aſſectis Probabiliſtis probabilitas practica eſt ſola regula, & ratio agendorum, numquam autem non agendorum, ſed potiùs pſeudo-regulà iſtorum.

881 Hoc ipſum autem evidens ſignum eſt, & argumentum optimum, quod nec poſſit eſſe ſufficiens regula agendorum; ſed commentitia potiùs, & arbitraria ad blandiendum commodo, & libertati. Non enim facilè aſſignari poteſt, cur tanta vis ſit opinioni practicè probabili, imò minùs probabili de licito alicuius actus; ut poſſit ingenerare certitudinem agenti, quod licitum ſit ipſi ſecundùm illam agere: & opinioni oppoſitæ practicè etiam probabiliori de illicito eiuſdẽ actus nulla inſit vis ingenerandi in illo judicium certum oppoſitum, quod illicitum ſit ipſi talem actum agere, prout fert opinio illa practicè probabilior. Imò quod ſi tale judicium indè formaretur, eſſet omninò erroneum, & certò falſum. Dicant quæſo cur reflexio ſuper probabilitate practica de licito tantum valeat; & reflexio ſuper probabilioritate etiam practicà de illicito, nihil?

882 Quod ſi pro ratione huius aſſignanda, recurrant ad rationem gravem, & prudentem, cui illa innititur: Graviorem utique, & prudentiorem habet illa probabilior præ illa. Ergo gratis, & non rationabiliter id aſſeritur. Nemo profectò in terminis prudentiæ loquendo, concedit, quod id quod prudentia condemnat, ſit

lici-

licitum, & prudens; aut quod prudentia uno judicio aliquem actum licitum eſſe dictet; & altero eundem actum dictet eſſe illicitum, & in terminis probabilitatis utrumque concedunt omnes. Unde ergo hæc diſparitas? niſi quia prudentia vera, firma, & certa, atque unica regula eſt liciti, & illiciti, agibilium, & non agibilium; ubique eadem, ubique ſibi conſtans, & ſtabilis? Probabilitas autem multiplex, varia, vaga, inconſtans, incerta, & fallibilis; ac proindè nec regula, ſed pſeudo-regula potiùs, ſecuritatem promittens, & conſilium ſtabile, quod non habet, nec habere poteſt, niſi ulteriùs aliundè reguletur? Videant ergo Probabiliſtæ, quàm commentitia ſit, & arbitraria eorum regula: Videant quam longè diſtet à prudentia, cum quâ tamen ipſi confundunt, vel ſaltem comitem faciunt individuam.

883 Neque replicent aliqui cum P. Cardenas, quod licet opinio practicè probabilis oppoſita de illicito, & ſimiliter opinio probabilis quòd non liceat uti opinione probabili, ſit probabilis ſtando in ratione directâ cuiuslibet opinionis in particulari; non eſt tamen probabilis, ſtando in ratione reflexâ, quæ reſpicit generaliter praxim opinionis probabilis. Non, inquam, ſic replicent; nam hoc ipſum gratis, & ſine ullo fundamento dicitur; & eſt purum ludere verbis: hoc enim eſt quod quærit argumentum, nempè: quare non eſt probabile, ſed potiùs certò falſum, & erroneum dictamen illud reflexum, quod non liceat uti opinione minùs probabili, cum hoc ipſum ſupponatur probabile, ut ipſi concedunt, in ratione directa; & illud ſit judicium reflexum adhuc ſuper probabilitate ut ſic, & generaliter ſumptâ, quæ reſpicit generaliter praxim opinionis probabilis prudenter ſequendam, ut ipſimet loquuntur? Numquid poſſibile eſt quod intellectus judicet per rationem verè probabilem, non licere uti opinione minùs probabili; & ad hoc judicium utique probabile, quatenùs ſtat ſub probabilitate ut ſic, reflectendo, judicet non eſſe ampliùs probabile, ſed potiùs. Improbabile, & certò falſum, atque erroneum? quis hoc dicat? & quo fundamento? aſſignent ipſi, ſi quod habent. Sed dum hoc aſſignare conantur; petunt principium; dicunt enim, quia certum eſt quod licet uti quacumque opinione probabili. Sed hæc petitio principii eſt: idem enim eſt dicere: improbabile eſt, erroneum, & certò falſum, quod non licet uti quacumque opinione etiam minùs probabili; ac dicere certum eſt, quod licet uti quacumque opinione etiam minùs probabili. Ergo argumentum manet in ſuo robore; quod ſcilicet ſi judicium probabile etiam reflexum, non eſt regula ſufficiens non agibilium; ſed potiùs pſeudo-regula, ut loquitur P. Cardenas, neque eſſe poteſt ſufficiens regula agibilium, ſed pſeudo-regula potiùs, & fallax.

884 Vidit hoc argumentum Dominus de Perea in ſuo Lydio lapide, & diſſimulavit, quaſi à nobis contra ipſum nondùm excogitatum fuerit: ſed ipſe potiùs illud primò adinvenerit contra nos vice verſâ, dicens; quod ſi nos (ut ipſe ſupponit) poſſumus ex probabilitate directa rigidâ ſtante pro lege, quæ ſcilicet eſt de illicito alicuius actus, formare judicium reflexum rigidum, & hoc dicimus evadere nobis certum, ita ut per hoc certi efficiamur de illicito talis actus: poterit etiam ipſe cum aliis Probabiliſtis ex probabilitate directa benigna ſtante pro commodo, & libertate, ſuum judicium reflexum benignum de licito eiuſdem actus ſibi formare pariformiter certum, ita ut per hoc certus evadat, quod actus ille ſibi liceat citra ullum peccati periculum. Et ſub hac formâ nos quaſi ad hominem redarguit, quod reflexiones perperam impugnemus. Verùm de hoc ſuo argumento ſupra vidimus vim adversùs nos nullam habere, quia procedit ex falſo ſuppoſito, ſupponit enim quod nos tale judicium reflexum rigidum dicamus evadere nobis certũ ex vi puræ reflexionis ſuper ſua probabilitate directâ, quod tamen nos non dicimus, ut videri poteſt ſupra, ubi huic eidem argumento ſatis reſponſum fuit, atque ideò illhùc me remitto, ne iterùm actum agam. At ex adverſo ſub noſtra forma contra ipſum adductum ad hominem concludit, quia juxta ſuam doctrinam tale ſuppoſitum verùm eſt, & quaſi dogma habitum, loquendo de ſuo judicio reflexo benigno, ut loquuntur Probabiliſtæ.

CAPUT OCTAVUM.

De prætenſo licito uſu, & delectu opinionis practicè probabilis.

§. I.

Quid tandem ſentiendum ſit de uſu opinionis probabilis deque Probabilium delectu.

885 Sub hoc capite duo ſimul quæſita complectimur, alterum ſcilicet de uſu probabilium; alterum verò de eorum delectu. Uſũ enim, & delectum hic diſtinguimus; quantumvis à Doctoribus confundantur: uſum itaque dicimus puram applicationem alicuius opinionis probabilis ad praxim ſeu opus aliquod agẽdum: delectum autem dicimms applicationem alicuius opinionis probabilis ex pluribus inter ſe diſconvenientibus ſelectæ. quare in delectu ſupponitur agens procedere ad opus ex prævia quadam comparatione duarum, vel plurium opinionum probabilium de eodem agibili inter ſe diſconvenientium, ita ut una vel altera voluntariè omiſſa, alteram applicet ad agendum: in uſu verò non ſemper hoc ſupponitur; qui enim aliquod probabile accipit ad agendum, non ſemper notitiam habet opinionum oppoſitarum, & dum ſic procedit ad opus, utitur utique aliqua probabilitate, ſed eam pro-

propriè loquendo non deligit. De utroque autem eſt aliquid ſpecialiter dicendum.

886 Dico igitur uſum opinionis probabilis nec ſemper licitum, nec ſemper illicitum eſſe: ſed contingit nunc uno, nunc altero modo ſe habere, juxta variam diſpoſitionem utentis in ordine ad legem. Interdùm enim agens in eo uſu probabilitatis formaliter, ſeu voluntariè contradicit legi: interdùm verò involuntariè omninò, & ſolùm materialiter: aliquandò nec formaliter, nec materialiter: & aliquando utroque modo. Et ratio huius eſt quia opinio probabilis de licito alicuius actus aliquando in ſe eſt vera, & aliquando in ſe eſt falſa: atque ideò agens ſecundùm illam quatrupliciter poteſt ſe habere, nam vel ſequitur illam quæ in ſe eſt vera, formidando tamen in praxi de contrario, ob incertitudinem, quam ſecum eſſentialiter affert opinio; & tunc ratione ſuæ formidinis practicè videtur manifeſtè contradicere legi formaliter, ſeu voluntariè quatenus lex ei in mente obiicitur cum dubio ſeu formidine practicà, ne forte ſcilicet talem actum prohibeat, & ſub tali diſpoſitione operando, convincitur velle talem actum, etiam ſi forte ſit lege prohibitus; ac per conſequens in ea praxi contradicit legi formaliter, ſeu voluntariè; quia voluntariè agit contra legem apprehenſam ſub dubio fortè prohibentem, quantumvis nõ contradicat illi materialiter, quia actus ille re vera non eſt materia prohibita à lege. Vel ſequitur illam abſque tamen tali formidine practica, ſed eam potiùs deponendo; & ſic nec formaliter, nec materialiter legi contradicit, atque ideò ſit ei licitus talis uſus. Vel ſequitur illam quæ in ſe eſt falſa, eamque applicat ad opus, etiam practicè formidando de eius falſitate, & ſic contradicit legi materialiter, & formaliter; atque ideò ſit ei talis uſus illicitus. Vel ſequitur illam abſque tali formidine practicâ, ſed eam potius deponendo in materia tamen, quam quis ſcire non poteſt, nec ſcire vel dubitare tenetur; & tunc ſolùm materialiter, & omninò involuntariè contradicit legi, quatenus agit actum re vera contra legem, ſed ſibi invincibiliter ignoratum, atque ideò ſit ei licitus talis uſus. Sed quando hoc contingat, oportet agnoſcere ex dictis ſupra, ubi explicavimus quando quis nec ſcire, nec dubitare tenetur. Vel denique falſam ſequitur, in materia tamen, quam quis ſcire poteſt, vel ſaltem ſcire, aut dubitare tenetur, & nihilominùs formidinem practicam deponit; & tunc contradicit legi materialiter, & ſuo modo etiam formaliter, quia materia illa quantumvis ſit ignorata, eſt tamen vincibiliter ignorata, & ignorantia imputabili voluntati agentis, atque ideò ſit ei illicitus talis uſus; & modus iſte procedendi coincidit ſaltem æquivalenter cum tertio: & propterea ſolùm quatuor modos numeravimus. Ergo uſus opinionis practicè probabilis, nec ſemper licitus, nec ſemper illicitus eſſe poteſt, ſed contingit nunc uno, nunc altero modo ſe habere. Et hæc eſt media ac regia via, per quam graditur D. Thomas, ut infra oſtendam ex eius *quodlib*. 8. *art*. 13.

887 Sed oportet priùs aliqua præmittere, & diſtinctiùs modos prædictos exponere, ut plena eorum intelligentia habeatur, & veritas ipſa magis enucleata innoteſcat. Præmitto itaque primo hac noſtra tempeſtate uſum ferè omnibus communem, vel dicam potiùs, abuſum extare circa modum loquendi, quod omnes ſententiæ dicantur opiniones probabiles, etiam illæ quæ certæ ſunt, & multoties demonſtratæ. nec ambigo quod eiuſmodi in magno numero ſint in materiâ morali maximè apud Doctores præcipuos Eccleſiæ, & SS. Patres. Sed huius generis ſententiæ malè opiniones probabiles appellantur, cum potiùs ſint veritates ſcitæ, vel traditiones Eccleſiæ indubitatæ; nec refert ſi ab uno, vel altero ex Recentioribus aſſuetis omnia cavillare, impugnentur, aut dubitentur; quia non proindè ſuam certitudinem amittunt, aut in aliquo infirmantur; niſi fortè per accidens, & ſubiectivè; quatenùs ſcilicet in aliquo intellectu ſuſceptæ, in quo non ſunt bene radicatæ ſecundùm earum principia, incertæ ac nutabundæ creduntur: quemadmodum evenire ſolet in concluſionibus ſcitis a Diſcipulo per ſcientiam à Magiſtro ſibi participatam, ſed nondùm bene in illo radicatam, nec habentem modum ſcientiæ, ſeu habitus ſcientifici, qui eſt de ſe difficilè mobilis, ſed potiùs modum diſpoſitionis, quæ facilè mobilis eſt, atque ideò quaſi adhùc nutant in intellectu illius. De his autem eiuſmodi ſententiis loquendo, non eſt dubium quod licitus ſit earum uſus, ſi omne dubium deponatur, quia propriè loquendo non ſunt opiniones probabiles, quantumvis tales ab aliquibus appellentur, ſed veritates certæ, & indubitabiles in Eccleſiâ.

888 Præmitto ſecundo quod opiniones verè probabiles (de quibus eſt tota difficultas) licet ſecundùm ſe, & eſſentialiter ſint omnes cum formidine partis oppoſitæ, & incertæ; tamen per accidens, & ſubiectivè aliquando formidinẽ, & incertitudinem amittunt; non quod ipſæ in ſe poſſint formidinem, & incertitudinem ſibi eſſentialem exuere; ſed quia contingit eas reperiri in intellectu facilis, ac tenacis adhæſionis, vel fortè parùm dubitare ſciente, quique ratione qualicumque contentus facilè, ac firmiter in ſuo aſſenſu quieſcit abſque ulla formidine partis oppoſitæ; & ut ita dicam, credens magis, quàm opinans ea, quibus ſemel aſſenſum præbet. Et tunc licet ſint in ſe puræ opiniones probabiles, tamen non habent in ſubiecto modum opinionis probabilis; ſed fidei potiùs, aut ſcientiæ, & quaſi eſſent in ſe certæ. Aliquandò verò habent in ſubiecto modum ſibi debitum & proprium, cum formidine ſcilicet ſibi eſſentialiter competente, & incertitu-

dine, in ipſo agente exiſtentes. Ex quo fit quod aliquando moveant ad dubitandum, & aliquãdo non; ſed hoc per accidens eſt; per ſe verò aptæ ſunt ſemper movere ad dubitandum: ita ut qui non dubitat, ſi erret, excuſari non poſſit ab errore; eo quod per ſe habebat, unde poterat, & tenebatur dubitare, atque a periculo errandi præcaveri.

859 Præmitto tertiò quod propoſitionum probabilium aliquæ ſunt in ſe veræ, & aliquæ falsæ. Illæ autem quæ in ſe veræ ſunt, nec errorem, nec ignorantiam continent, quia veritatem in ſe attingunt: licet ex imperfecto modo attingendi, quatenùs ſcilicet ſine evidentiâ, maneant cum formidine partis oppoſitæ, & cum ſui incertitudine. Quæ vero in ſe falsæ ſunt, errorem continent, & ignorantiam veritatis; quæ ſi ſit de his quæ quis ſcire, aut dubitare tenetur, vincibilis erit; nam quæ quis ſcire, aut dubitare tenetur, ex propria culpa, & negligentiâ ignorat, aut in periculum incidit; non enim ignoraret, aut in periculum incideret, ſi ſtudium debitum, aut debitam cautelam adhiberet. Si verò ſit de his, quæ quis nec ſcire, nec dubitare tenetur, eius ignorantia invincibilis erit, quatenùs ad ipſum non pertinet tunc ſcire, vel dubitare: ſed hoc, ut oſtedimus ſupra, numquam evenit in jure naturæ, ſed ſolùm in quibuſdam circumſtantiis facti ex D. Thoma ubi ſupra. His igitur præmiſſis.

890 Conſtat quinque modis contingere poſſe uſum opinionis probabilis. Primò per hoc quod quis utitur opinione probabili in ſe falsâ. Et ſic procul dubio errat errore procedente ex ignorantia juris (quia opinio probabilis propriè loquendo ſemper quæſtioni juris reſpondet) vel naturalis, in quo ignorantia numquam excuſat, quia jus naturæ non poteſt invincibiliter ignorari, ut ſupra oſtendimus; & ſic peccat: vel juris poſitivi, quæ rarò invincibiliter ignoratur, ut etiam ſupra diximus, & ſic rarò non peccat, in caſu ſcilicet quando verè non poteſt ad eiuſmodi juris notitiam pervenire, vel de eo ſufficienter dubitare, taliter quod non procedat ex eius negligentia ſive in ſtudio, ſive in cautela tunc debitis adhibendis: regulariter autem, & quaſi ſemper ex aliqua eiuſmodi negligentia provenit, atque ideò ferè ſemper peccat. Unde ſi quis ex ratione aliqua ſibi probabili exiſtimet ſimplicem fornicationem eſſe licitam; puta quia actus naturalis eſt; vel quod mendacium liceat ad vitandum ſaltem vitæ periculum, aut quid ſimile; fornicando, aut mentiendo, non excuſatur. Et ſimiliter ſi quis putet feſtivis diebus licitum ſibi eſſe ſacrum omittere; ut domi privatis orationibus vacet, hac fortè ratione ſibi probabiliter perſuaſus, quod Eccleſia Dei cultum præcipiat, non ſpecialem, ſed quicumque ſit ille; & præcipuè cum maior cultus videatur exiberi Deo in oratione mentali, quam in pura aſſiſtentia, dum fit ſacrificium; ſacrum omittendo peccat.

891 Secundo modo per hoc quod quis utitur opinione probabili in ſe verâ. Et ſic procul dubio non errat, nec dicitur veritatem ignorare: ſed quia opinio ſecundùm ſe formidinem ſecum affert partis oppoſitæ, & incertitudinem veritatis utpotè non evidenter, & perfectè cognitæ, contingit quod agens illam applicet ad opus trepidando de periculo tunc peccandi; & ſic peccat, non quia malum agat, ſed quia cum tali formidine, & incertitudine agendo, advertenter, & volens committit ſe periculo peccandi; hoc ipſo enim quod cum conſcientia ſic practicè trepidante operatur, convincitur actum illum velle, etiam ſi contingat malum in ſe eſſe, & illicitum.

892 Tertio modo per hoc quod quis utitur opinione probabili in ſe vera, ſed taliter illi confidens, ac firmiter adhærens, quod licet illa ſecundùm ſe afferat ſecum formidinem, & incertitudinem, ipſe tamen juxta illam agendo in praxi nihil trepidat; adeò ut in eo talis opinio applicata ad opus amittat ſubiectivè formidinem illam, & incertitudinem alias ſibi obiectivè eſſentialem. Et ſic non peccat, quia nullo modo à lege declinat, neque ex parte facti ſeu operis quod agit, cum in ſe, & ſecundum legem licitum ſit; neque ex parte ipſius agentis, qui conſcientia omninò ſibi tranquilla procedit ad opus.

893 Quarto modo per hoc quod quis utitur ſententia verà, & evidenter forſitan demõſtratâ, vel certa in Eccleſia univerſaliter habita per traditionem eius, vel alio ſimili modo; abuſivè tamen dicta probabili, ut ſupradiximus, ita ut per illam, & veritatem attingat, & certitudinem habeat de illa; ſed quia ſubiectivè non eſt in ipſo firma, & benè radicata, & habens modum ſibi debitum ſcientiæ, vel cognitionis in ſe certæ, ſed potiùs modum opinionis probabilis, præcipuè ſi videat illam ab aliquibus cavillari, atque ideò quantumvis pro certa illam habeat in ſe, nihilominùs in aliqualem dubitationem, & formidinem inde inducitur, & cum tali formidine procedit ad opus, procul dubio peccat eodem modo, & ob eamdem rationem, ſicut diximus in ſecundo modo.

894 Quinto modo per hoc quod quis utitur ſcientia ſeu cognitione certà in jure ad operandum, ſed in eius opere latet aliqua circumſtantia ex parte facti, quam ſcire, vel de ea dubitare non pertinet, atque ideò ad opus procedit cum ignorantia talis circumſtantiæ, quam bona fide procedendo non advertit, judicans actum juxta ſuam naturam eſſe, & nulla tali circumſtantiâ vitiatum; quæ quidem exiſtimatio, & bona fides largo vocabulo probabilitas dici poteſt, & ſic procedens non peccat, quia non tenetur talem latentem circumſtantiam agnoſcere, nec de illâ poteſt prudenter dubita-

Digitized by Google

re; quo pacto accidit Jacob dum actum coniugi ſibi certò licitum aggreſſus fuit, neſciens circumſtantiam alterius mulieris ibi ſubmiſſæ. Et idem evenit, ſi aliqua circumſtantia non lateat, & agens tunc debitam diligentiam adhibeat ad circumſtantiam illam, quæ apparet, declinandam; ſed tamen in facto contingit novam aliam circumſtantiam ſupervenire latenter, & ex improviſo, quam proindè ad ipſum non pertinet ſcire, aut de illa dubitare, atque ideò cum tali ignorantiâ procedit ad opus; ſicut accidit jacienti ſagittam poſt adhibitam diligentiam debitam ad removendum periculum, quod in eo actu ſecundùm ſe apparet, & tamen contingit novam aliam circumſtantiam non apparentem ſupervenire; & tunc non peccat, ſicut dictum eſt de Jacob ob eamdem rationem. Iſti ſunt omnes modi procedendi ad opus ſecundum opinionem probabilem de licito alicuius operis: & juxta varietatem iſtorum modorum uſus opinionis practicè probabilis aliquando eſt licitus, aliquando illicitus. Ac per conſequens de ſe nec ſemper licitus eſt, nec ſemper illicitus; nec ſemper a prudentiâ declinat, nec ſemper illum prudentia comitatur: nec ſemper ſecum ignorantiam habet: nec quando eam habet, eſt illa ſemper vincibilis, aut ſemper invincibilis; ſed nunc uno, nunc altero modo ſe habet, ut dictum eſt.

895 Juxta hos varios modos autem explicata aſſertio noſtra videtur manifeſtè ipſiſſima mens D. Thomæ *in quodlib.* 8. *a.* 13. ubi Sanctus Doctor a conſideratione opinionis probabilis ſecundùm quod in ſe vera eſt, vel falſa: & à conſideratione agentis ſecundum illam, quatenùs habet vel non habet conſcientiam certam, aut formidoloſam, incipit, & proſequitur reſolutionem ſuam; ſic enim ait: *Dicendum eſt ergo, quod quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. Aut ergo qui facit contra opinionem magiſtrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam, ſic enim contra legem Dei facit.*

896 In quibus verbis habetur primus modus procedendi a nobis adductus, per uſum ſcilicet opinionis probabilis in ſe falſæ contra opinionem veram. In quo uſu expreſſè docet D. Thomas quod agens ſic operando peccat, quia facit contra legem; & non excuſatur per hoc, quod facit ſecundùm conſcientiam, & non contra illam. In qua ratione ſupponit D. Thomas ignorantiam iuris numquam eſſe invincibilem præſertim naturalis; & iuris poſitivi rarò & fere numquàm, ut ex ipſo ſupra oſtendimus; alioquin niſi hoc in præſenti ſupponeret, non benè aſſignaret pro ratione peccati, quia facit contra legem, licet non contra conſcientiam. Nec benè ibidem verbis præcedentibus dixiſſet, quod illud quod agitur contra legem ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam. Si enim ignorantia iuris non ſupponeretur ſemper, vel ſaltem ferè ſemper vincibilis, & culpabilis; non eſſet peccatum ſequi opinionem probabilem in ſe falſam, præſertim conſcientia in nihilo trepidante, ſed potiùs actum licitum exiſtimante (hoc namque ſonat, ly ſecundùm conſcientiam) & tamen D. Thomas dicit quod iſte talis peccat, quia contra legem facit, & quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam. Ergo ſupponit legem præſertim naturalem, de qua ſaltem ibi intelligi debet, non poſſe invincibiliter ignorari. Et idem ferè ſemper oportet ſupponere de iure poſitivo, ut verificetur quod in eiuſmodi uſu opinionis probabilis in ſe falſæ quis peccet, etiam agendo ſecundum conſcientiam, ut loquitur D. Thomas. & hic eſt primus modus procedendi adductus a nobis.

897 Ulteriùs proſequitur ibidem D. Thomas: *Aut illa opinio, ſcilicet magiſtrorum, non eſt vera; ſed magis contraria, quam iſte ſequitur; ita quod verè licet habere plures præbendas: & tunc diſtinguendum eſt: quia aut talis habet conſcientiam de contrario; & ſic iterùm peccat contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem.* Et in his verbis habetur expreſſè ſecundus modus procedendi adductus à nobis, nempè per uſum opinionis probabilis in ſe veræ, ſed trepidante conſcientia ob illius incertitudinem: In quo uſu ſentit D. Thomas quod agens iterùm peccat, ſicut & nos ſentimus.

898 *Aut* (ſequitur idem D. Thomas ibidem) *non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem: ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; & ſic manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit; & ſic procul dubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem.* In quibus verbis habetur expreſſè quartus modus procedendi a nobis adductus, nempè per uſum opinionis probabilis in ſe veræ, & etiam certæ, dictæ tamen largo vocabulo, & abuſive probabilis, cum aliqua tamen incertitudine, ſeu practicâ dubitatione ex parte agentis, orta ex contrarietate opinionum, & ex eo quod non eſt ſententia illa benè in ipſo radicata & firma, ſicut deberet: In quo uſu docet D. Thomas talem procul dubio peccare ob trepidationem illam ſubiectivam, quemadmodum & nos diximus in quarto modo procedendi.

899 *Aut denique* (proſequitur idem Sanctus Doctor) *ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non ſe committit diſcrimini, nec peccat.* Et in his verbis habetur etiam expreſſè tertius modus procedendi, nempè per uſum opinionis probabilis in ſe veræ, cum firmitate, & ſecuritate agentis applicatæ ad opus abſque ulla practicâ trepidatione,

quia

quia in illâ agens confidit, eique firmiter adhæret cum certitudine ſive ſubiectivâ tantùm, ſive etiam obiectiva, ſi fortè ſit in ſe ſententia certò cognita. In quo uſu D. Thomas ait quod agens non peccat, ſicut & nos diximus in tertio modo.

900 Ex quibus omnibus evidenter conſtat ex D. Thoma in præſato quodlibeto veros eſſe primos quatuor modos procedendi in uſu opinionis probabilis à nobis adductos, cum ſuis reſolutionibus de licito vel illicito, ac proinde doctrinam a nobis traditam de uſu opinionis probabilis eſſe totaliter Sancti Doctoris menti conformem.

901 Quintum autem modum procedendi addidimus ex aliis locis eiuſdem D. Thomæ, ubi expreſsè etiam docet ignorantiam facti excuſare, ut vidimus ſupra, id quod etiam omnes concedunt. Ergo tota aſſertio noſtra hactenùs explicata eſt ipſiſſima doctrina D. Thomæ, & ferè ad verbum ex ipſo traducta. Undè valdè miror quod nonnulli tam manifeſtam Sancti Doctoris loquelam non intelligant, imò velint ad proprium intentum illam trahere, & extorquere. Sed de hoc iterùm infra redibit ſpecialis diſcuſſio cum Patre Cardenas.

902 Probatur autem ratione tota noſtra aſſertio ſimul quoad omnes partes. Nam qui utitur opinione probabili, operando ſecundum illam, vel errat eligendo aliquid in ſe contra legem, quam aliàs tenetur ſcire, vel de qua ſaltem tenetur dubitare, & in dubium ſe reſolvere, atque indè ignorantiam vincere per electionem tutioris partis: vel non errat; aut ſi errat, non tenetur ſcire, vel dubitare de lege illa ſeu de actu illo, qui in ſe opponitur legi. Si dicatur primum, iam conſtat hunc talem peccare ex vincibili ignorantia: hoc ipſo enim quod ſcire tenetur, vel dubitare de eo, in quo errat, & præcaveri à periculo peccati ſibi imminente; iam ex voluntariâ negligentiâ ignorat, vel in periculum incidit, & non ex impotentia; ſi enim non poſſet, ad id non teneretur: ſi ergo ex voluntariâ negligentia ſive ſcientiæ, ſive cautelæ ſibi debitæ, hoc ipſo malum, quod errando contra legem eligit, ſit ei voluntarium in causâ, ut fusè conſtat ex ſuperiùs dictis, atque ideò imputatur ei ad culpam. Et hoc diximus in primo modo procedendi cum D. Thoma ubi ſupra. Si autem dicatur, quod erret in eo, quod non tenetur ſcire, nec de eo dubitare; fatemur tunc hunc talem non peccare, ſed excuſari ex ignorantiâ invincibili, quod certiſſimum eſt apud omnes: ſed hoc diximus, & oſtendimus ex D. Thoma regulariter contingere in quinto modo procedendi, videlicet in ignorantia facti; & quandoque licet raro in ignorantia iuris poſitivi, ut ſi aliqua conſtitutio Domini Papæ ad notitiam non pervenerit, numquàm tamen in ignorantiâ iuris naturalis, quod fusè oſtendimus ſupra. Si verò dicatur quod non errat, ſed potiùs eligit id quod in ſe verè licitum eſt ſecundùm legem: tunc aut illud eligit bona fide, & tranquillâ conſcientiâ, nihil trepidans de periculo peccati; & tunc etiam fatemur non peccare, quia nec legi, nec conſcientiæ contradicit; & hoc diximus cum D. Thoma in tertio modo procedendi. Aut illud eligit conſcientia turbata ex aliquâ practicâ formidine peccandi ſive ipſi opinioni intrinſecâ & obiectiva, atque indè derivatâ in ſubiectum, ſive pure ſubiectivâ ipſius agentis; & ſic procul dubio peccat, quia contra conſcientiam agit: quod autem agitur contra conſcientiam, licet non ſit in ſe malum, ſit tamen quoddam malum apprehenſum ſaltem ſub dubio; ex quo fit quod ſemel, ac ſic eligitur, convincetur voluntas ita operantis de malitiâ, atque ideò peccat, quia peccatum inquantum voluntarium, eſt peccatum. Quod certiſſimum eſt apud omnes: & hoc diximus in ſecundo, & quarto modo procedendi. Ergo uſus opinionis probabilis nec ſemper eſt licitus, nec ſemper illicitus, ſed varius ſecundùm præſatos quinque modos procedendi, quibus agens operatur.

§. II.

Reſolvitur expeditiùs quid tandem definiendum ſit de uſu opinionis probabilis: eumque licitum eſſe dicitur cum duplici limitatione.

903 SI optes lector ex dictis clariùs ac breviùs reſolutionem noſtram proponi circa uſum opinionis probabilis, paucis & conciſis verbis dicam tibi: Potes licitè uti opinione practicè probabili, dummodò in ea non vincibiliter erres contra legem, de qua ſcire vel dubitare teneris; nec agas conſcientia trepidante: aliter non potes. Hæc eſt reſolutio noſtra: hanc veram exiſtimo: hanc expreſsè colligo ex Divo Thoma *quodlib. cit.* 8. *a.* 13. & ſatis hactenùs demonſtratam cenſeo ex dictis uſque adhuc. Nec video ab Adverſariis negari debere, aut poſſe. Admitto itaque licitum uſum opinionis probabilis, iis dumtaxat limitibus, quas oportet apponi ab omnibus. Quis enim dicat, quod ſi in opinione probabili error contingat vincibilis, excuſetur agens? Eſſet enim idem ac dicere, quod agens malum ex errore culpabili atque ſibi imputabili, non peccet; quo quid abſurdius dici poteſt? Jam enim qui culpabiliter malum ignorat, aut culpabiliter non vitat, culpabiliter agit illud, ſi agat. Similiter quis neget peccare aliquem, ſi conſcientia trepidante aliquid agat? Eſſet enim idem ac negare, quod qui ita eſt in ſe diſpoſitus, ut velit aliquid, etiam ſi ſit in ſe peccatum, non peccet; quod eſt manifeſtè falſiſſimum. Ergo eiuſmodi noſtros limites in uſu opinionis probabilis oportet neceſſariò apponi ab omnibus.

904 Sed Probabiliſtæ, ut ab hac veritate adeò evidente declinent, ſuppoſitum negant.

Aiunt

Digitized by Google

Aiunt enim ſupponi à nobis, poſſe in opinione practicè probabili vincibilem ignorantiam contingere, aut dubitationem. Utrumque autem falſum eſſe dicunt. Verumtamen quantumvis utrumque pro certiſſimo ſupponendum eſſet: adhùc tamen apertiſſimè demonſtratur ſequenti diſcurſu.

905 Et primum quidem hac unica brevi ratione: Si enim in opinione practicè probabili non poſſet vincibilis ignorantia contingere; ſequeretur, quod omne id, de quo eſt opinio practicè probabilis, ſemper eſſet tale, quod vel quis abſolutè ſcire non poteſt, vel quod de illo ſcire aut ſaltem dubitare non tenetur: nam ſi poteſt & tenetur, hoc ipſo eius vitio vertitur, eiuſque negligentiæ imputatur, quod ignoret, & non effugiat illud, atque ideò fiet illi talis ignorantia vincibilis ſive per ſcientiam, ſive per electionem tutioris partis ad quam poteſt, & tenetur. Atqui hoc conſequens falſum eſt, nam opinio probabilis, de qua hic loquimur nomini de lege eſt; falſum eſt autem quod lex talis ſit, quæ abſolutè nec ſciri poſſit, nec eam quis ſcire, vel ſaltem dubitare teneatur, præcipuè ſi ſit lex naturalis, quæ eſt omnibus indita, aut lex poſitiva completè habens conditiones veræ legis; cum neceſſaria conditio, ſine qua non, cuiuſcumque legis ſit, quod taliter ſit promulgata, ut unuſquiſque ſufficienter eam ſcire poſſit, & teneatur; alioquin non poſſet virtutem legis habere, ſeu vim obligandi, ut eam quiſque cuſtodiat, & nemo ab ea declinet; ut docet Divus Thomas 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. & ratio id clariſſime ſuadet, nam ſi lex ſit tàm abſcondita, ut impoſſibile ſit eam invenire, aut ſaltem de illa dubitare; vel ſi poſſit, non ſit obligatio inveniendi eam, aut de ea dubitandi, & cautionem adhibendi ne fortè infringatur; foret vel omninò impoſſibilis, vel ſaltem prorsùs inutilis: quo quid abſurdius de lege dici poteſt? Præterea inutilis eſſet tota quoque moralis Theologia, atque Ethica naturalis: ad quid enim operam, & oleum perdunt Theologi, & Philoſophi morales in indagandis legibus, ut mores inſtruant ſecundùm ſemitas veritatis, quas vel impoſſibiles ſibi credunt, vel ſine neceſſitate quæſitas? Ergo oportet dicere, quod & poſſibile ſit eas ſcire, & quod ſcire quodammodo ſaltem, hoc eſt ad minùs dubitare, & timere teneamur: ſubindeque quod ſi ignoremus, nec cautionem dubitando adhibeamus, ex negligentià, & culpà noſtrà ſit, qui vel ſcire nolumus; vel deſides ſumus; vel paſſionibus, & noſtris concupiſcentiis excæcati non videmus; nec curamus quid nobis agendum, quidve timendum ſit, ne præcipitemur. Cæterùm cui lumen eſt, nec oculos ad non videndum claudit, lex ſemper quodammodò affulget, ut ſaltem, ſi non clarè, ſubobſcurè tamen ſe ſatis offerat, vel ut maiori indagine perquirendam, vel ad minùs ut cautà prudentià dubitandam, atque timendam: quod ſi utrumque negligat, ipſi meritò imputabitur error, in quem incidit; quia in præceps ruit, & lapſum voluntariè non timet.

906 Secundum verò ſuppoſitum, quod ſcilicet in opinione practicè probabili ſit locus prudenter dubitandi, & debeat in ipſam cadere dubitatio prudens, ſatis conſtat ex hoc ipſo, quod videmus eſſe tunc de lege controverſiam inter doctores. Et præterea ex eo patet, quod eſſentialis eſt opinioni probabili incertitudo, & formido partis oppoſitæ, quæ idem eſt, ac dubitatio; ut ſupra oſtendimus ex D. Thoma, & ratione. Quod ſi quis protervè velit eas inter ſe differre; adhuc tamen ſubſiſtit ſuppoſitum noſtrum; quia ipſa incertitudo, & formido opinionis, ut vidimus ſupra ex P. Cardenas, & aliis ſuis aſſeclis, coincidit ſaltem quoad effectum cum dubitatione, quatenùs eſt eodem modo ratio ſufficiens ad hoc, quod agens cum illà dicatur ſe exponere periculo, & peccare, ſicut & dubitatio, ut fatetur P. Cardenas; quare niſi incertitudo illa, & formido, opinioni intrinſeca, ab agente deponatur, ſemper operabitur agens cum conſcientià formidante, & æquivalenter dubitante; ita ut teneatur, ut dicit idem Cardenas, ſe reſolvere in dubium, & indè eligere tutiorem partem iuxta obligationem dubitantis. Ac propterea aſſertio noſtra de licito uſu opinionis practicè probabilis cum duabus tamen illis limitationibus à nobis aſſignatis, & eius ſuppoſitionibus, undequaque ſubſiſtit.

907 Et ſi velis, lector, noſtræ huius probationis efficaciam penetrantiùs inſpicere: Suppone priùs mecum id, quod ſupponere debes, videlicet; legem non habere ſtatum legis, niſi ſit ſufficienter promulgata; eſt enim promulgatio eius conditio quædam ſine qua non, & eſſentialis; ita ut pro lege nullatenùs habeatur, ſi non ſit ſufficienter promulgata, ut docet Divus Thoma 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. *cit.* & fatentur omnes. Hoc autem ſuppoſito, peto: leges, de quibus ſit controverſia inter Doctores, & ſunt variæ opiniones eorum practicè probabiles oppoſitæ, ita ut una ſit pro lege, & altera pro commodo, & libertate; ſupponuntur ſufficienter promulgatæ, an non? Si reſpondeant Probabiliſtæ, quod non: peto iterùm ab eis, an certò ſic ſupponantur, ita ut ex hoc ipſo, quod controvertuntur apud Doctores, fiat ſibi certum, & evidens, non eſſe illas ſufficienter promulgatas? Si dicant quod certò. Ergo certò ſupponitur non habere rationem legis. Ad quid ergo ipſorum labor in indagandis illis, quas certò ſciunt tractandas eſſe ut nullas? ad quid tot contentiones eorum, & variæ, atque oppoſitæ deciſiones? eſſent profectò & facta, & dicta ipſorum de ſubiecto non ſupponente, & de legibus, quæ certò non ſunt. Si verò dicant: non ſupponi hoc certum: ergo ex hoc quod leges controvertuntur, & ſunt de illis opppoſitæ opiniones practicè probabiles, non fit certum illas amittere rationem veræ legis; nec certò benè infertur non eſſe ſufficienter promulgatas. Ergo

ſtat, quod ſint ſufficienter promulgatæ, & habeant vim veræ legis, ac per conſequens efficaciam obligandi; nam ſi hoc non poſſet ſimul ſtare; jam foret certum non eſſe de illis curandum, nec pro eis à Doctoribus laborandum. Ergo ſuppoſito quod hoc ſtare poteſt, procul dubio aliquando ſtabit; ac per conſequens verum erit, quod lex aliqua vim habeat, & ſtatum veræ legis, & re vera obliget, non obſtante quod circa ſint oppoſitæ opiniones practicè probabiles, & una earum ſit contra ipſam, & favens commodo, & libertati. quæ procul dubio tunc erit in ſe falſa. Tunc autem ſic arguo: huiuſmodi lex vim habet obligandi (ut ex dictis ſupponitur) non obſtante varietate opinionum practicè probabilium, & perſiſtente adhuc illâ opinione ſibi contraria in ſuâ practicâ probabilitate, in ſe tamen falſa. Ergo error huius opinionis practicè probabilis non provenit ex ignorantiâ invincibili: ſi enim ex hac proveniret, lex non poſſet obligare: Ergo in opinione practicè probabili, contingere poteſt ignorantia vincibilis. Ergo primum noſtrum ſuppoſitum verum eſt.

908 Tunc ultra: ſed non poteſt ſupponi vincibilis ſpeculativè, & per ſcientiam, ut ſuppono etiam ex ipſis Probabiliſtis, quia in materia opinabili, ut dicunt, ſcientia, & certitudo non eſt poſſibilis. Et conſtat etiam ratione, quia ſi ſemel haberetur ſcientia, & certitudo, non eſſet locus opinandi contrarium. Ergo manet quod ſit ſolùm vincibilis practicè, & per electionem tutioris partis, quâ nimirùm vincitur periculum legis, in qua ſunt variæ opiniones practicè probabiles. Sed obligatio vincendi practicè non oritur niſi ex prævisô periculo; nec prævideri poteſt periculum, niſi ubi affulget motivum ſufficiens prudenter de illo dubitandi: ergo ſi ignorantia opinionis practicè probabilis eſt vincibilis practicè, ut hactenùs probatum eſt; eſt procul dubio in eâ locus prudenter dubitandi de verâ lege jam exiſtente; ac per conſequens poteſt in eâ contingere vera, & prudens dubitatio, ſive formido de periculo legis, ſufficiens ad obligandum ad vincendam ignorantiam practicè, ut dictum eſt. Et ſic ſecundum noſtrum ſuppoſitum veriſſimum eſt. Ergo manet in ſua veritate, & ſatis probata concluſio noſtra; videlicet: quod tunc ſolùm licitum ſit uti opinione practicè probabili, quando in ea non erratur vincibiliter contra legem, de quâ nimirùm quis ſcire, vel dubitare tenetur; neque agitur actus conſcientiâ trepidante.

909 Dico autem (quando in eâ non erratur vincibiliter) non quod ſupponam poſſe in opinione practicè probabili falsa errari invincibiliter: quia ſuppoſito quod illa ſit falſa, & ſit de numero opinionum purè practicè probabilium, ideſt in materia controvertibili, & variè opinabili; ſemper error erit ex ignorantia vincibili, quia ſemper erit prudenter dubitabilis ex vi formidinis eſſentialiter annexæ ipſi opinioni probabili, eiuſque incertitudinis; ſub quâ quodammodo affulget lex, & ſe exhibet ſubobſcurè cognoſcendam, & ſatis ad obligandum opinantem, ut ignorantiam ſuam vincat eo modo, quo poterit, ſive per ſcientiam, ſive per debitam cautionem periculi, eligendo tutiorem partem oppoſitam, quæ de facto eſt ipſiſſima lex vera in ſeipsà perſiſtens, & ligans libertatem ſibi ſubditorum, non minùs, quam ſi evidentiùs appareret: quia etiam ut ſic ſubobſcurè apparens ſupponitur ſufficienter promulgata, & habens vim veræ legis, ſicut eſt in ſe, ut demonſtravimus. Sed illud dico, quia omnis ſententia, ſeu judicium noſtrum, quo aliquod licitum judicamus, ſolet ab aliquibus opinionis nomine appellari, ut in principio adnotavimus, licet nimis impropriè, & largo vocabulo: & quia quandoque in judicio noſtro practico de licito contingere poteſt error ex ignorantiâ invincibili, ut ſæpè accidit in ignorantia facti; vel etiam legis, quæ licet ſupponatur per ſe ſufficienter promulgata, & habens vim legis, per accidens tamen aliquando reſpectu alicuius eius promulgatio nullo modo ſubodorari poteſt, ut exemplificat D. Thomas de conſtitutione aliqua pontificia *quodlib.* 1. *a.* 19. quæ ad aliquem in carcere, vel in longinquis partibus exiſtentem non pervenit; ideò tunc iudicium iſtius practicum de licito etiam contra conſtitutionem Papæ dicendum eſt continere errorem omninò invincibilem, & excuſare; ac propterea ſequendo hoc iudicium, ſive dicas opinionem practicam, de licito, licitè agit, nec peccat; quia non habet unde poſſit ſcire, vel ſaltem prudenter dubitare de lege ſibi obſiſtente. Ex quibus omnibus conſtat optimam eſſe, & veriſſimam, primam illam limitationem circa uſum practicæ probabilitatis de licito, quam appoſuimus in concluſione; videlicet: dummodò in eâ non erres vincibiliter contra legem, de quâ nimirùm ſcire, vel ſaltem dubitare teneris.

910 Atque hinc ſit, quod ſi in opinione, quam ſequeris, non ſit error contra legem, poteris illâ uti abſque ulla limitatione pro quanto eſt ex parte legis: Cave tamen, ne tunc agas contra conſcientiam; ideò enim appoſui illam aliam limitationem, nempè: nec agas conſcientiâ trepidante: oportet igitur quod cum uteris opinione probabili de licito in ſe tamen vera, practicè non formides de illicito; quantumvis ei ſit ex naturâ ſuâ eſſentialiter annexa huiuſmodi formido. Cur autem tunc deponendo omnem formidinem, non peccas contra legem, nec contra conſcientiam; cum tamen habeas idem ſufficiens motivum prudenter dubitandi, dicam infra, cum iterùm de hoc redibit ſermo.

911 Interim verò reflecte, lector, & vide ex ſuperiori probatione noſtrâ, quâ arte per ſemitas falſas, & ſiniſtras vias incedant Reflexiſtæ in probationibus ſuis, ut à veritate declinent, & perveniant ad intentum ſuum, dum ex contentione Doctorum, & oppoſitis eo-

rum

rum probabilitatibus de lege, arguunt hanc non ſupponi ſufficienter promulgatam, ac propterea non eſſe legem, quæ poſſit obligare, atque indè concludunt fieri opinanti licitum liberè contra illam agere, ut videbimus infra ex P. Cardenas, P. Paulo Segneri, & P. Joſeph Riccio, aliiſque paſſim Probabiliſtis: cum tamen potiùs deberent ſupponere legem in ſeipsâ ſubſiſtere, & habere conditiones veræ legis; quia præſens quæſtio, in quâ ſumus, & tota cõtentio noſtra de opinione practicè probabili in ſe falsâ, & contraria legi procedit; an ſcilicet licitum ſit eâ uti, & per eam excuſetur agens totaliter à peccato, non obſtante, quod contra legem agat? quod quidem ſupponit procul dubio legem in ſeipsâ ſubſiſtentem cum ſuis eſſentialibus requiſitis ad perfectum ſtatum legis. Cæterùm ſi lex non ſupponatur in ſuo ſtatu perfecto, cuiuſmodi eſſet lex in ſcrinio legiſlatoris recluſa, & nondùm promulgata, ſicut oportet; opinio de licito erit vera, quia nondùm ſupponitur opus illud in actu ſecundo, & actualiter prohibitum neque opinantibus, neque non opinantibus. Siſtant igitur in ſuppoſito quæſtionis, & reſpondeant cathegoricè quæſito: an ſuppoſito quod opinio practicè probabilis ſit in ſe falſa, & contra veram legem, talis error ſit tunc invincibilis, vel potiùs vincibilis, ac per conſequens vincendus, ſive per ſcientiam, & ſpeculativè; ſive ſaltem practicè, & per electionem tutioris partis? nos cathegoricè reſpondentes, affirmamus; quia lex vera in ſe obligans, tunc dum ſubobſcurè affulget ſub motivo prudenter dubitandi, obligat ſaltem ad debitam cautionem.

§. III.

Reſolvitur quid dicendum ſit de delectu opinionis practicè probabilis de licito, & in quo differat delectus ab uſu. Et indè abſolvitur concluſio noſtra à calumniis, & querelis Probabiliſtarum contra Baronium, & nos.

912 Vſque modo de licito, vel illicito uſu opinionis probabilis dictum eſt; non autẽ de delectu illius: oportet autẽ de hoc cum aliqua diſtinctione loqui, quatenùs inter utrũque eſt aliquod diſcrimen faciendum; ut diximus: nam eligere propriè loquendo ſupponit plures opiniones oppoſitas de eodem, & imponit comparationem quamdam unius ad alteram ex parte intellectus faciendam, ut diſcernatur quænam ſit alteri præferenda attentis meritis utriuſque reſpectivè ad finem agentis; & ex parte voluntatis importat actum electionis unius potiùs, quàm alterius: hoc autem non contingit in nudo, & puro uſu opinionis. Ex hoc autem diſcrimine ſequitur, difficiliùs fieri licitum agenti delectum opinionis probabilis de licito, quàm purum uſum eiuſdem, quia ipſi ſuboriatur obligatio eligendi tutiorem partem, & ſtantem pro lege; atque ideò videtur regulariter dicendum, eum teneri ſequi tutiorem partem. Et ratio huius eſt, quia qui procedit via electionis comparando opiniones oppoſitas, difficiliùs poteſt formidinem practicam de illicito deponere, niſi eligat partem ſtantem pro lege; quia hæc in praxi ſemper movet ad timendum de altera ſtante pro licito, ſeu pro commodo, & libertate: non ſic autem quando quis procedit viâ purè, & ſimpliciter uſivâ; quia qui ſimpliciter utitur opinione probabili de licito ſine conſideratione opinionis oppoſitæ, & ſine ulla utriusque comparatione, ac propterea ſine rigorosâ electione, facilè poteſt abſque ulla formidine bonâ fide operari; quia non habet actualiter in conſideratione opinionem oppoſitam, quâ excitaretur ad formidandum practicè de illicito; ac per conſequens, cum alias ea, quam ſequitur de licito, ſupponatur in ſe vera, non habebit, undè peccare poſſit, neque videlicet ex parte legis, neque ex parte conſcientiæ. Atque ideò remanet, quod conſultiùs ſit illi procedenti viâ electionis eligere ſemper tutiorem; quam iſti ſimpliciter utenti opinione probabili de licito. Cæterum ſi ille verè formidinem practicam deponit, par, & eadem omninò ratio eſt de eo, ac de ſimpliciter utente. Uterque enim de licito, vel illicito uſu judicandus eſt penes veritatem, aut falſitatem opinionis ex vincibili, vel invincibili ignorantia, ut ſupra dictum eſt.

913 Ex aſſignato autem hoc diſcrimine fit manifeſtum, quod ideò Vincentius Baronius videtur ſtrictiùs fuiſſe loquutus, quàm nos; quaſi volens ſemper peccare, qui tutiorem partem non elegerit, etiam ſi pars oppoſita de licito in ſe vera ſupponatur; quod nos negamus. Et ideò etiam videtur in re morali omnem probabilitatem reiicere, & quaſi velle ſecuritatem ſeu certitudinem metaphiſicam. Quia de delectu ſcripſit. Ceſſent ergo, nec ampliùs contra Baronium tot querimoniæ fiant, & lamenta ſive ſcribentium, ſive aliorum, quaſi dura, & importabilia omninò docuerit; & quod reiecerit omnem probabilitatem. Hoc enim falſum eſt; ille namque à reſolutione noſtrâ in nihilo recedit.

914 Nec ampliùs quid ſimile contra nos eructent. Nam quæ diximus, ſi benè conſiderentur, nec rigida, nec à veritate aliena citra manifeſtam calumniam reputari poſſunt. Et multò minùs conqueri debent, quod omnem probabilitatem reiiciamus. Quid enim rigoris habet dicere: quod opinio probabilis ſtans pro commodo, & libertate, ſeu, quod idem eſt, de licito, tunc tantùm non liceat, quando vel eſt in ſe falſa; vel ea quis utitur conſcientia trepidante? quis non videat, quod ſi opinio probabilis de licito, ſi in ſe falſa ſit, & oppoſita ſtans

pro

pro lege ſit vera, jam lex illud licitum putatum prohibet, & condemnat; ac per conſequens quod totus rigor, legis potiùs eſt, illud prohibentis, non noſter; ex verà lege procedit, non ex ſententià noſtrà? onus utique eſt, & jugum, ſed legis, quod nos exponimus, non imponimus. Niſi enim lex re verà actum illum inhiberet; nos quoque illum ultrò permitteremus, & fateremur penitùs inculpatum; ſicut fatemur quando lex, id quod quis ut probabiliter, & etiam minùs probabiliter licitum ſequitur tranquillà conſcientià, re verà & in ſe non prohibet. Ergo ſi durum, ſi arduum, & onus importabile videtur, quod docemus, id legi tribuant; non nobis. Nos enim immunes à culpa eos omnes, qui probabilia ſequūtur, pronunciamus, pro quanto ad nos pertinet, quia neminem volumus nova noſtrà lege gravare, nec poſſumus, quia legiſlatores non ſumus: ſolùm autem docemus illam unicam limitationem in uſu probabilium, quam ex ipſa lege procedere agnoſcimus, videlicet: niſi lex ex adverſo reſiſtat non invincibiliter ignorata. Poſſe autem in opinione probabili contingere, quod lex non ſit in eà invincibiliter ignorata, imò ſemper vincibiliter in materià controvertibili apud Doctores, ſuppoſito quod opinio probabilis ſit in ſe falſa, & contra legem, ſatis oſtendimus. Quid ergo de nobis, quid de rigore noſtro conqueruntur.

915 Numquid vellent homines, nos dicere eis, & docere, quod lege etiam contradicente opinionibus ſuis practicè probabilibus, non peccent contra legem agendo? ſed hoc nos dicere non poſſumus, quia jus nullum in legem vivam habemus, ut noſtra ſententià eam de hac vità tollamus. Legem vivam autem appello, quandiù contra nos proclamat; hoc eſt, quando ita nobis affulget in ipſamet opinione probabili, ut ſatis ſe offerat, vel ut maiori indagine à nobis perquirendam, vel ſaltem ut cautà prudentia dubitandam, atque timendam, ut ſupradictum eſt. Non igitur nos plus juſto, aut ſupra legem, quæ re verà eſt, homines gravamus. Sed ipſi potiùs prætextu practicæ probabilitatis volunt a ſe jugum legis excutere, ut ſine lege vivant, prout ſibi placuerit juxta concupiſcentias ſuas: quaſi probabilitas quoddam privilegium ſit contra legem, & quædam legis diſpenſatio. Sed quis hoc dicat?

916 Similiter quis non videat, quod ſi opinio probabilis de licito, etiam in ſe vera, ad praxim deducatur cum conſcientià trepidante, eo ipſo agens peccat? id fatentur omnes, eo quod ageret contra conſcientiam; & non ex fide, ideſt ex conſcientià: quod autem non eſt ex fide, ideſt ex conſcientia, peccatum eſt; ut ait Apoſtolus, & vidimus ſupra. Et hæc eſt alia limitatio noſtra in uſu probabilium, ſe tenens ex parte agentis eiuſque conſcientiæ. Ergo noſtra ſententia nec rigida eſt, nec à veritate aliena; nec probabilitatem omnem excludit ab uſu licito; ſed hanc liberaliter admittit, infra debitos tamen limites veræ legis, & conſcientiæ, quos & D. Thomas docuit, & ratio ipſa ſuadet. Id igitur diligenter curent omnes, ut ſua probabilitas practica, quam ſequuntur, in ſe falſa non ſit, & contra veram legem; & quod tunc eam ad praxim deducant tranquillà conſcientia, & minimè practicè trepidante; & ſequantur liberè quæcumque probabilia, prout ſibi placaverit. Quid liberaliùs indulgeri poteſt?

917 Video tamen quod fortè nonnulli, hæc legendo, intra ſe dicent: aſſertio hæc tàm liberalis videtur velle facetiis ludere: hoc enim opus, hic labor eſt, probabilitatem curare, ne in ſe falſa ſit, & contra veram legem. Quis enim hoc agnoſcere poteſt? quis umquam poterit de hoc certificari? Ad hos autem ego dicam primò, facile a nobis poſſe hoc agnoſci, ſi ſincerè velimus poſtpoſita omni paſſione diligenter leges in ſe ipſis perquirere, animo eas libenter ſuſcipiendi, & benè affecti ad earum obſervātiam in nobis ex corde promovendam, ubi illæ ſatis affulſerint; & non animo excutiendi potiùs a nobis ſuave jugum ipſarum. Qui enim ad hoc ſtudent, ut legum jugum potiùs à ſe excutiant; hoc ipſo in eas ſpiritu contradictionis aguntur; atque indè cavillis, & formalitatibus incipiunt abundare, ut intelligentiam earum pro votis ſuis extorqueant, quibus eis ita teguntur oculi, ut ampliùs non videant lumen earum ſibi alioquin ſufficienter affulgens. Utinam, quæ ſcribo, non eſſent regulariter vera: at veriſſima ſunt, & deploranda potiùs, quam probanda. Vera autem eſſe ſatis indè probatur, ex eo ſcilicet quod homines regulariter licitum potiùs quærunt, quàm honeſtum. Et quid eſt licitum quærere, niſi licentiam, & libertatem agendi pro beneplacito ſuo? affectant quod quærunt non eſſe peccatum, ut ſoluti a legibus liberiùs illud agant; & ægrè ſuſcipiunt, ſi audiunt prohiberi. At hæc maxima paſſio eſt propriæ libertatis, quæ à veritate legis divertit potiùs, non conducit. Reſcindant ergo huiuſmodi, & ſimiles paſſiones, non diligant vanitatem, & quærant mendacium; huiuſmodi enim conditionis homines gravi corde meritò appellantur, & reprehenduntur per os David à Spiritu Sancto, quia cor eorum, iis paſſionibus gravatum, pondere earum trahitur in id, quod appetunt pro concupiſcentià ſuà, idque pro vero ſuſcipiunt, quod eſt falſum; & nihilominùs prætendunt leges accuſare, quod ſint obſcuræ, dicentes: *Quis oſtendit nobis bona?* audiant tamen reſponſum: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Lex quidem lumen eſt puris mentibus intùs coruſcans, lux eſt quæ in tenebris lucet; at tenebræ non comprehendunt illam: paſſiones tenebræ ſunt, quæ leges non ſuſcipiunt, quantumvis palàm affulgentes. Non ſunt leges obſcuræ, ſed cor humanum paſſio-

nibus

Digitized by Google

nibus implicatum obſcuratum eſt, unde caligine mens noſtra offunditur, & non videt.

918 Præterea dicant mihi qui legibus obſcuritatem tribuunt, & inde non ſatis promulgatas credunt, atque ideò nullas; unde eas colligunt Doctores oppoſiti, qui pro legibus ſentiunt contra ipſos? unde illis affulgent? an fortè imprudenter illi pro legibus opinantur? at hoc dicere non poſſunt, quia ipſi quodlibet judicium opinionis verè probabilis fatentur eſſe prudens. Si ergo illi prudenter pro legibus ſentiunt, oportet quod leges in ſe, & à ſe ipſis, adeò ſaltem ſe cognoſcendas exhibeant, ut poſſint prudenter judicari ſicut ſunt in ſe. Ergo non ſunt adeò obſcuræ in ſeipſis, ut agnoſci non poſſint, & prudenti inſuper cognitione: quomodo igitur poſſunt dici non ſufficienter promulgatæ, ut prudenter agnoſci poſſint? an fortè ut ſufficienter promulgentur, exigitur quod ſic minutatim, & per extenſum promantur ſecundùm omnes combinationes circumſtantiarum poſſibiles, ut non poſſint tergiverſationibus ullis obſcurari? quis hoc dicat? profectò ſi hoc eſſet, jam actum eſſet de legibus cunctis: & oporteret conditores legum pro unâ lege ferenda implere volumina. Quò quid abſurdius dici poſſet? ſatis ergo promulgatæ dici debent, per hoc quod ſic conduntur, ut poſſint prudenter intelligi à viris ſincerè inquirentibus illas. Et ſatis indè conditiones veræ legis obtinent, ut poſſint ſubditos obligare ad inquirendum, & obſequendum, & denique ad timendum, ne eas infringant, vel eludant adinventionibus ſuis, & formalitatibus, quibus confidunt; ſi Rei illarum fieri, & eſſe ſincerè nolint. Oportet igitur, ut dixi, probabilitatem, quam ſequimur, bene attendere, & curare ne in ſe falſa ſit, & ne in ſe veræ legi contradicat, quod à ſincerè quærentibus ſciri poſſe pretendimus: quod ſi interdum ſciri non poſſit, negari non poteſt, quod ſaltem ſcire tenemur eſſe ibi timendum, ne contra legem agamus: alioquin ſi depoſitâ formidine re vera contra legem agimus, in culpâ ſumus, quia nolumus errorem vincere practicè, abſtinendo ab actu illo, cum facilè poſſimus, & teneamur ex ipsâ verâ lege ſatis in ipſomet judicio opinionis de ſe formidoloſo ſe cognoſcendam exhibente, ut ſaltem prudenter timendam.

919 Cum quo tamen ſtat (& hæc eſt ſecunda reſponſio) quod eſto nunquam certiorari poſſimus, ſi opinio probabilis de licito, quam ſequimur, in ſe vera ſit; non proindè verum non erit aſſertum noſtrum, quod ſcilicet, ſi opinionem probabilem de licito, quam ſequimur, contingat in ſe veram eſſe, non peccamus; ſi tamen illam adhuc bona fide, & nihil practicè trepidando, ſequamur: quia hoc ipſo jam nec contra legem, nec contra conſcientiam agimus. Ut ait D. Thomas *quodlib. 8. a. 13. ſupra cit.* Ex quo tota reſolutio noſtra cum duabus illis limitationibus deſumpta eſt, & ferè ad verbum traducta. Nec proindè ibi D. Thomas modum aperuit, aut doctrinam tradidit pro opinione probabili cognoſcendâ, ſit ne in ſe vera, vel falſa: quia vidit nullam certam regulam ad hoc agnoſcendum tradi poſſe; ſed veram reſolutionem dedit univerſalem ſub illis duabus limitationibus; ſicut, & nos dedimus, de uſu probabilium, & nihil aliud.

920 Neque dicas: ex hoc ſequi, quod fortunæ eſſet peccare, vel non peccare in uſu opinionis probabilis; quatenùs fortuito nunc contingit ſequi veram, nunc falſam, ipſomet agente prorsùs inſcio, & utrobique ex parte ſua eodem modo ſe habente. Non inquam, dicas: nam hoc ipſum, quod eſt in ſe formaliter contingens, & fortuitum; cauſaliter tamen ex propriâ agentis voluntate procedit. Quia qui ſequitur opinionem probabilem de licito, in ſe tamen falſam, licet habeat ignorantiam, & errorem contra legem ſibi contingentem, & præter ſuam intentionem formaliter loquendo; cauſaliter tamen, ſeu virtualiter, totum hoc eſt ei voluntarium, quatenus voluntariè omiſit debitam diligentiam ad ſcientiam legis habendam, quam poterat, & tenebatur aliquo modo ſcire; hoc eſt vel ſcire abſolutè ſecundum certitudinem, vel ſaltem de lege dubitare; dubitare enim de lege, ut ſupra diximus, eſt quodammodo illam ſcire, nempè quoad eius periculum, quod tenetur advertere, & præcavere: & hæc obligatio in promptu oritur ex ipsâ intrinſeca formidine opinionis probabilis, quam quis ſequitur. Unde ſi contingat error contra legem, hoc ipſo agenti imputabitur, qui omiſit ſaltem dubitare, & cautionem adhibere eligendo tutiorem partem ſicut tenebatur; atque ideò ſit ei error imputabilis, quatenùs erat ab ipſo practicè vincibilis; ac propterea ex tali voluntaria omiſſione procedit, quod ipſi contingat, & error, & operatio contra legem, ac proindè peccat, non ex caſu fortuito erroris, & operationis contra legem, ſed ex voluntaria omiſſione debitæ cautionis, undè ei contingit caſus ille fortuitus incidendi in errorem, & actum contra legem. Et idem dicendum eſt de eo, qui opinionem probabilem de licito ſequitur in ſe veram, bonâ fide, & ſine formidine; quod ſcilicet huic non ſit fortuitum non peccare, ſed ex ipſius voluntate: quia licet nec iſte aliquam ſpecialem diligentiam adhibeat; & in hoc videatur eodem modo ſe habere cum eo, qui ſequitur falſam; tamen re vera non eodem modo ſe habet; quia iſte non tenetur ad ſcientiam legis, ſicut ille. Et ratio huius eſt quia iſte eſt in caſu, in quo lex non eſt; nemo autem tenetur ſcire aliquid de lege, quæ non eſt: ille autem eſt in caſu, in quo eſt ei in contrarium vera lex, de qua debebat ſaltem ſcire periculum, cui illam exponebat. Et licet hoc, quod eſt eſſe in caſu, in quo lex non eſt, ſit agenti fortuitum, & contingens, ac per conſequens fortuitum quoque ei ſit non teneri ad debitam

aliquam diligentiam pro cautione legis; nihilominùs hoc præſuppoſito, optimè dici poteſt ex propriâ voluntate eſſe, quod tunc non peccat; quatenùs voluntas ejus tunc juxta propriam conſcientiam (ſuppono enim quod bona fide, & ſine ulla formidine tunc, quod opinatur, operetur) nec formaliter, nec virtualiter, & in causa, malum aliquod vult; cum omiſſio diligentiæ non ſit tunc cauſa aliquid agendi contra legem. Et hæc eſt vera diſparitas utriuſque.

921 Ad hæc denique contra iſtos adiiciam, quod ſi eis videtur aſſertio noſtra velle facetiis ludere, vel potiùs illudere; dum dicimus diligenter curandum eſſe, ne opinio de licito, quam ſequimur, ſit in ſe falſa; quatenùs ipſis videtur hoc eſſe impoſſibile: cur ipſi hoc, quod impoſſibile in aſſertione noſtra cognoſcunt, & fatentur; in ſua tam facile ſibi ſuadent? Quandoquidem aſſerunt ipſi abſolutè licitum eſſe uſum opinionis practicè probabilis de licito; & in hoc certos ſe eſſe dicunt, & profitentur ſe hanc ſuam certitudinem aſſequi ex eo, quod reflectunt, & reflexivè agnoſcunt opinionem ſuam de licito eſſe ſibi probabilem; quaſi via hæc ſua reflexiva ſit ipſis ſufficiens, ut certiorari poſſint ſe non agere contra legem; nobis autem ſit via undequaque præcluſa. Admittant igitur contra ſe, ſicut & contra nos, in opinione probabili perpetuò incertitudinem haberi: & non dicant eam tolli ab agente virtute ejuſdem probabilitatis, etiam potiùs indè ſtatim periculum ſe offerat advertendum agendi contra legem. Id quod in facto eveniet, ſi falſa in ſe reperiatur opinio: & nedùm materialiter (ut ipſi dicunt) ſed & formaliter, cum in ipsâ incertitudine, & formidine intrinſecâ probabilitatis reddatur error ille contra legem, latus, ſuperque voluntarius, ſaltem in causa, & virtualiter; quatenùs omittit agens ibi de lege dubitare, & periculum præcavere, ubi ex formidine debita opinioni probabili, ita ex natura ſua eſſentialiter exigente, tenebatur. Ubi ergo ipſi fundant certitudinem ſuam; ſi licitum, quod opinio affirmat, ſit ne verum, an falſum, conſtare non poteſt? Cur potiùs non erit aſſertum ſuum omninò ſine ſale, & inficetum; qui de noſtro credunt velle fortè facetiis ludere? Profectò ſale probabilitatis, ſi falſa in ſe reperiatur opinio, nullo modo poteſt lex in ſua integritate conſervari. Conſervabitur ergo ad ſummum, ſi contingat eam in ſe veram eſſe, & ſine hæſitatione agentis ad praxim applicari, ut expreſsè docet D. Thomas *dicto quodlib.* 8. *a.* 13; ubi expreſsè hæc duo requirit S. Doctor, ut uſus opinionis probabilis, ſit licitus; quod ſcilicet non ſit in ſe falſa, ſed vera: & quod non habeatur ex parte agentis conſcientia de contrario. Quæ ſunt ipſiſſimæ duæ limitationes a nobis poſitæ; ut fuſiùs infra videbimus.

922 Fatemur itaque non poſſe interdùm nos certificari de veritate in ſe opinionis probabilis, vel ejus falſitate. Neque cum diximus: curent omnes ut probabilitas in ſe falſa non ſit: voluimus dicere, quod ſit curandum ſemper de invenienda in ſe veritate illius, quaſi ſemper poſſimus de ea certificari: ſed quod ſit curandum, hoc eſt ſaltem timendum, ne ſit in ſe falſa: alioquin ſi in ſe falſam eſſe contingat, agentis incuriæ, & omiſſioni ejuſmodi timoris voluntariæ, atque debitæ cautionis à periculo; ſeu ejus temeritati in agendo ſine debitâ cautelâ, error imputabitur: eo quod agit contemnendo periculum, ubi tenetur ex vi ejuſdem probabilitatis formidare, in qua diximus, quod lex ſuo modo affulget ſubobſcurè ſaltem, & quaſi ſucclamans de ſe eſſe ibi ſaltem dubitandum: quod ſi agens eam nolit audire, hoc ipſo inauditæ legis Reus erit. Non ſic autem eſt ſi opinio in ſe vera ſit; quia tunc nullus eſt clamor legis; nec eſſe poteſt, cum nec lex ipſa re verâ tunc exiſtat: ſed ad ſummum eſſe poteſt clamor quidam conſcientiæ ſe tenens ex parte agentis, quam adhuc agens audire tenetur, quia ex parte legis clamat, non quidem verè exiſtentis; ſed ut falsò apprehenſæ, vel dubitatæ ab intellectu practico. Ex quo ſit, quod ſi etiam ceſſet clamor iſte conſcientiæ, quatenùs hæc ab agente deponitur, manebit agens ab omni obligatione liber.

923 Nec refert, quod clamor iſte conſcientiæ voluntariè ceſſat, quatenus ſcilicet agens non applicat intellectum practicum ad formidinem illam ſpeculativam, quam ſecum eſſentialiter affert opinio probabilis, ac propterea format ſibi judicium practicum ſine formidine, ſeu tranquillam conſcientiam, quod totum a voluntate agentis eſt liberè applicantis intellectum ſuum ad unum, & non aliud practicè conſiderandum; indè enim habet agens, quod conſcientiam liberè deponat. Non, inquam, refert; nam undecumque ceſſet, jam dum ceſſat, non eſt: & dum non eſt, non poteſt effectum aliquem cauſare in agente; hoc eſt, non poteſt illi imponere aliquod onus cautionis adhibendæ pro vitando periculo legis, pro qua ſolet aliquandò falsò clamare, quandò ſcilicet re vera lex non eſt, & nihilominùs clamat; & clamore ſuo facit, quod lex, quæ in re non eſt, ſit quodammodo ut apprehenſa, vel dubitata ſaltem, in intellectu practico, & ut talis obligationem inducat ad debitam cautionem: quando autem clamor iſte non eſt, ceſſat etiam & lex ut apprehēſa, ita ut nullam vim ampliùs habeat obligandi; hanc vim enim totam ex falsâ illa apprehenſione tunc habere poteſt. Non ſic autem ubi in ſe lex vera eſt, & aliqualiter affulget ſuc-clamans in ipſa opinione probabili, & ſe offerens ut prudenter ſaltem dubitandam, & timendam, per formidinem ejuſdem opinionis in ipsâ verâ lege tunc prudenter fundatam; quia non poteſt tunc agens prudenter conſcientiam de lege deponere, quia ex vera, & viva lege

tunc

Digitized by Google

tunc procedit, & non ex falsà apprehenſione agentis; clamor vivæ legis tunc auditur, cui non poteſt agens vim obligandi infringere, quam ex ſe habet, & independenter ab agente: quod ſi vocem eius non audierit, veram legem hoc ipſo contemnit, non falſam apprehenſionem ſuam; atque ideò in legem delinquit, contra quam error, & ignorantia prævalere non poteſt; quia poterat, & debebat vinci ſaltem practicè, & per debitam cautionem periculi eligendo partem tutiorem. Vide lector diſcrimen inter opinionem probabilem de licito in ſe veram, & in ſe falſam. In illà non eſt lex, quæ pro illicito clamet, ſed ad ſummum ſola conſcientia, & hæc inſuper falſa: undè ſi hæc deponatur, & ceſſet, quomodocumque ceſſet, ceſſat penitùs omnis clamor. In iſta verò lex vera eſt, & viva, quæ clamat pro illicito intra conſcientiam agentis: quare etiam ſi conſcientia deponatur, & ceſſet; non ceſſabit lex, quia lex vera non pendet a conſcientia, ſicut lex falsò apprehenſa; ſed potiùs econtra conſcientia pendere debet a lege verà. Atque ideò qui ſequitur opinionem probabilem de licito, depoſita conſcientia de contrario, non peccat: At qui ſequitur falſam, non excuſatur à lege, etiam ſi agat ſecundùm conſcientiam, & deponat conſcientiam de contrario. Et hæc eſt vera reſolutio circa uſum opinionis practicè probabilis de licito, & ferè ad literam ex D. Thoma deſumpta *quodlib. cit. 8. a. 13.*

CAPUT NONUM.

De intellectu quodlibeti octavi artic. 13. D. Thomæ circa uſum opinionis practicè probabilis.

§. I.

Expenditur ex profeſſò Textus D. Thomæ in præfato quodlibeto adverſùs Recentiores Probabiliſtas.

924 PRæfatus Textus D. Thomæ adeò clarus in ſe eſt, & luculenter diſpoſitus ab eodem S. Doctore, ut nullatenùs ab Adverſariis ſolvi poſſit, aut in alio ſenſu interpretari; quantumvis multi ad id conati fuerint, quos citat, & ſequitur P. Cardenas in ſua Chriſi *diſp. 15. cap. 6. a. 3.* ubi textum ex illis Doctoribus tentat exponere, ſic dicens *num. 450. Proponam*, inquit, *ergo Textum S. Thomæ, cui ſcholia ſincerè, & ſine pugnà interponam. Ait ergo Angelicus Præceptor: ex conſcientià autem aliquis ad peccatum obligatur, ſive habeat certam fidem de contrario eius, quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliquà dubitatione.* Nota, ſubiungit P. Cardenas (cum aliqua dubitatione:) nam ſi pro utraque parte habeat opinionem abſque dubitatione, ſed cum ſola formidine, non obligatur ad peccatum. Ecce primum ſcholium verbis D. Thomæ interpoſitum à P. Cardenas.

925 Sed permittat P. Cardenas, quod nos ipſius ſcholiis, & noſtra interponamus, ut ſic appareat ſi ſincerè & ſine pugna, ut ait, interponat ſcholia ſua. Ait ergo in hoc ſuo primo ſcholio: *Nota: (cum aliqua dubitatione:) nam ſi pro utraque parte habeat opinionem abſque dubitatione, ſed cum ſola formidine, non obligatur ad peccatum.* Videamus autem ſi ſincerè, & ſine pugna hoc interponat Textui D. Thomæ. D. Thomas ait aliquē ex conſcientia ad peccatum obligari, ſi habeat opinionem cum aliqua dubitatione: Pater Cardenas verò dicit: ad peccatum non obligari, ſi habeat opinionem cum ſola formidine abſque dubitatione: ergo vult D. Thomam diſtinguere inter formidinem opinionis, & dubitationem, ſicut ipſe Pater Cardenas in ſua Chriſi diſtinguit. Sed hoc dici non poteſt ſincerè, & ſine pugna D. Thomæ; nam D. Thomas nullam diſtinctionem facit inter formidinem opinionis, & dubitationem; ſed pro eodem eas accipit: ut expreſsè idem D. Thomas ſe explicat *q. 14. de veritate a. 1.* ubi eas omninò confundit. Audiantur eius verba, ſic enim ibi ait: *Quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unam, quàm ad alteram partem; ſed tamen illud inclinans non ſufficienter movet intellectum ad hoc, quod determinet ipſum in unam partem totaliter; undè accipit quidem unam partem, tamen ſemper dubitat de oppoſita: & hæc eſt diſpoſitio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Quid clarius poterat loqui D. Thomas contra Patrem Cardenas diſtinguentem inter formidinem, & dubitationem opinantis, dum eas adeò expreſsè D. Thomas in opinante confundit? Eſtne hoc ſincerè, & ſine pugna procedere cum D. Thoma?

926 Proſequitur textus D. Thomæ: *illud autem, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundum conſcientiam.* Audi lector ſcholium his verbis D. Thomæ interpoſitum à Patre Cardenas: *Illud autem* (inquit) *quod agitur contra legem claram, & manifeſtam, & cuius non poteſt haberi error, niſi culpabilis & vincibilis, ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundum conſcientiam vincibiliter erroneam.* Vide, & pondera lector quantum de ſuo ſupperaddat verbis D. Thomæ, ut illa ad ſuum intentum violenter trahat. Eſt ne hoc ſincerè ſcholium interponere, & ſine pugna? Sed expendamus verba D. Thomæ eiuſque mentem ex ipſomet Sancto Doctore, ut appareat interpoſiti ſcholii manifeſta violentia. D. Thomas ait: *Illud, quod agitur contra legem ſemper eſt malum.* Et P. Cardenas exponit: *Illud quod agitur contra legem, claram, & manifeſtam, ſemper eſt malum.* Expendamus, ſi hæc interpretatio poſsit eſſe ad mentem D. Thomæ: D. Thomas ibi loquitur de opinionibus contrariis, *quarum* (ait) *oportet alteram eſſe veram, & alteram falſam*; & exemplificat de duplici opinione circa pluralitatem præbendarum; circa

ca quam, ut idem D. Thomas dicit *quodlib. 9. a. 3. inveniuntur Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis contrariè ſentire*; Imò ibidem expreſsè dicit, quod *in hac quæſtione reſolvendâ periculum eſt, quia ſi contingat errare, error non excuſat*. Ergo non poteſt interpretari, quod loquatur, quando illud, quod agitur ex opinione probabili, eſt contra legem claram, & manifeſtam: quia opiniones illæ contrariæ, de quibus ibi exemplificat, Theologorum, & Juriſtarum, non ſunt reſpectu legis claræ, & manifeſtæ; ſed obſcuræ, & ambiguæ: unde idem D. Thomas *in dicto quodlib. 9. a. 5.* ex profeſſo tractans hanc quæſtionem, dicit quod *circa hoc veritas ambigua eſt, & Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis contrariè ſentiunt*. Ergo cum ex eodem D. Thoma *in dicto quodlib. 8. a. 13.* citato, oporteat, quod de eiſdem dictis opinionibus ibi exemplificatis altera ſit vera, & altera falſa; jam ſi contingat eſſe falſam illam, quæ dicit licitum eſſe habere plures præbendas, erit contra legem ambiguam, & obſcuram; & non contra legem claram, & manifeſtam: & tamen ſi ſecundum hanc opinionem quis agat, habendo ſcilicet plures præbendas contra legem veram, dicit ibi expreſsè D. Thomas, quod error non excuſat; *quia*, inquit *contra legem agit*; & tamen non agit contra legem claram, & manifeſtam, quia circa hoc ex eodem D. Thoma veritas legis ambigua eſt. Ergo ex eodem D. Thoma manifeſtè reiicirur interpretatio Patris Cardenas tamquam eius menti expreſsè oppoſita, & violenta: neutra enim iſtarum opinionum eſt clarè & manifeſtè falſa, ac proindè neutra eſt contra legem claram, & manifeſtam, & de his determinat ibi D. Thomas, quod qui falſam ſequitur, peccat, & non excuſatur; quia contra legem agit; & quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod ſit ſecundum conſcientiam. Ubi ergo eſt ſinceritas ſcholii ſui, & pacifica ac ſine pugnà interpoſitio illius.

927 Addit ulteriùs P. Cardenas (ad ly contra legem claram, & manifeſtam) *& cuius non poteſt haberi error, niſi culpabilis, & vincibilis; tunc enim* (inquit) *quod agitur contra legem, ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam, ideſt* (ſupplet) *vinvincibiliter erroneam*: Quæ quidem additamenta apponit, ut magis firmet interpretationem ſuam, quod ſcilicet loquatur D. Thomas ibi, quando aliquid agitur contra legem claram, & manifeſtam; tunc enim non poteſt haberi error, niſi culpabilis & vincibilis, & conſcientia indè ſit vincibiliter erronea. Sed certè ad hoc ut error ſit culpabilis, & vincibilis, & indè conſcientia dicatur vincibiliter erronea, non requiritur quod id, quod agitur ſit contra legem claram, & in ſe manifeſtam, ut P. Cardenas ſuppouit: ſed ſufficit, quod ſit contra legem, quæ ab agente adhibità diligentià debità poſsit vel ſecundùm ipſius veritatem ſciri; vel ſaltem de eius veritate prudenter dubitari, atque indè periculum contra eam agendi præcaveri; ubi enim lex apparet prudenter dubitabilis, tenetur agens eam in dubium revocare, eiuſque periculum advertere, & evitare; quod ſi hoc etiam negligat, ipſi imputabitur error, quem iam poteſt, ſi non ſcientià, tutà ſaltem electione vincere, ut diximus ſupra, & oſtendimus etiam cum ipſo Patre Cardenas contra Caramuelem.

928 Et poteſt hoc ipſum adhuc hac ratione firmari: nam jure naturæ, ac divino, lata eſt lex quædam reflexa, & univerſalis, afficiens quamlibet legem in particulari, & directam, nempè, quod ubi periculum apparenter imminet peccati, ſit illud vitandum; hoc enim præceptum univerſale vel ipſa naturalis ratio dictat: & ſcriptura id manifeſtè oſtendit ibi: *Qui amat periculum peribit in illo*. atque ideo præceptum hoc nativi, & divini juris eſt, quod ignorare non poſſumus. Et legem hanc reflexam, & univerſalem dicimus, eo quod ſuper qualibet lege directà, & in particulari, dubià, & ambiguà reflectit, & cautionem periculi eius in ipsa ſui ambiguitate apparentis univerſaliter præcipit. Contra quam procul dubio agit, qui contra legem dubiam, & ambiguam operatur. Non ergo requiritur ut error ſit culpabilis, & vincibilis, & conſcientia ſit vincibiliter erronea, quod id quod agitur ſit contra legem in ſe claram, & manifeſtam; ut prætendit ſuper Textu D. Thomæ P. Cardenas: ſed ſatis eſt quod ſit contra legem dubiam, & ambiguam, circa quam ſunt ſemper opiniones probabiles oppoſitæ. Et de his de facto loquitur in præallegato textu, & exemplificat D. Thomas, ut vidimus.

929 Quare fatemur utique cum Patre Cardenas, & ſuis, quod dum ait D. Thomas quod id quod agitur contra legem ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod ſit ſecundùm conſcientiam; loquatur de eo, quod agitur contra legem, cuius non poteſt haberi error, niſi culpabilis, et vincibilis; et quod non excuſatur per hoc, quod ſit contra conſcientiam vincibiliter: ſed negamus, quod ad hoc requiratur, quod ſit contra legem in ſe claram, & manifeſtam. Id quod etiam ipſe Pater Cardenas negavit Caramueli, ubi ſupra, cum contra illum dixit: *Si contendat Caramuel ignorantiam, quæ continetur in opinione probabili, ideò eſſe invincibilem, quia vinci non poteſt per ſcientiam, & evidentiam obiecti, planè quid falſum ſupponit, nam ea ignorantia quatenùs invincibilis eſt per ſcientiam, non excuſat à peccato*. Vide lector: negat Caramueli Pater Cardenas, quod ignorantia opinionis probabilis, quæ vinci non poteſt per ſcientiam, excuſet à peccato. Sed quænam eſt ignorantia hæc opinionis probabilis, quæ vinci non poteſt per ſcientiam? Eſt ne ignorantia legis in ſe claræ, & manifeſtæ? Abſurdum eſt hoc dicere, quod lex in ſe clara, & manifeſta, adhibito ſaltem debito ſtudio, ſciri

non

Digitized by Google

non poſſit, & invincibilis ſit per ſcientiam. Ergo oportet quod ſit lex in ſe ambigua, & obſcura, quæ nec debito ſtudio in ſeipsa ſciri poteſt, atque ideò eſt per ſcientiam invincibilis. Et nihilominus hæc ignorantia per ipſum non excuſat à peccato, *quia* (ibi inquit) *vinci poteſt per reſolutionem in dubium, & electionem tutioris partis*. Ecce quomodo per ipſum ignorantia legis ambiguæ, dubiæ, & obſcuræ in ſe, adeò ut ſciri nullatenus poſſit, ſed ſolùm in dubium reſolvi, non excuſat à peccato, ac per conſequens quod agitur contra eiuſmodi legem, malum eſt; nec requirit, ut malum ſit, quod ſit contra legem claram, & manifeſtam, quæ per ſcientiam vinci poſsit; Imò hoc negat Caramueli. Quomodo igitur nunc minùs ſibi conſtans, in ſenſu ſibi oppoſito D. Thomam interpretatur? Quomodo ſincerè loquitur, & ſine pugnâ cum D. Thoma, ſi & contra D. Thomam, & contra ſeipſum bellum agit? Videatur ſupra numero noſtro marginali 810.

930 Proſequitur Textus D. Thomæ: *Et ſimiliter quod eſt contra conſcientiam, eſt malum; quamvis non ſit contra legem. Quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum. Dicendum ergo eſt, quod quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem magiſtrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem* (hic interponit Cardenas: *quæ ſcilicet à principiis intrinſecis ſit clara & manifeſta, & quam poteſt, & tenetur ſcire*.) Sed hæc interpoſitio ex dictis ſatis conſtat quàm ſit Textui contraria. Proſequamur ergo Textum: *Et ſic*, ſequitur D. Thomas, *cum faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam*. (hic interponit Cardenas: *quæ in tali caſu eſt culpabilis, quia poteſt, & tenetur ſcire attendendo diligenter ad principia intrinſeca*.) Vide lector, P. Cardenas interpretationi ſuæ de lege clarâ, & manifeſtâ inſiſtendo, conſcientiam accuſat; quia poteſt, & tenetur ſcire, attendendo diligenter ad principia intrinſeca: quod eſt dicere, quia poteſt, & tenetur ignorantiam vincere per ſcientiam. Quod, ut vidimus, non poteſt locum habere in Textu Divi Thomæ; quia D. Thomas ibi loquitur, & exemplificat de opinionibus circa legem ambiguam, & obſcuram, & non claram, & manifeſtam; neque D. Thomas conſcientiam ibi inculpat, quia poteſt, & tenetur ignorantiam vincere per ſcientiam, quaſi ſupponendo procedere contra legem claram, et manifeſtam; imò hoc videtur expreſsè negare *in quodlibeto* 9. *a*. 15. ubi dicit circa hoc veritatem legis eſſe ambiguam, et Theologis, et Juriſtis; ſed aliam cauſam reddit dicens: *ſic enim contra legem Dei facit*; et non dicit contra legem claram, et manifeſtam; nec poterat ſic dicere, utpotè quam ambiguam, obſcuram, atque periculoſæ determinationis eam cenſuit *quodlibeto* 9. *ſequenti a*. 5. ubi ex profeſſo de illâ egit.

931 Proſequitur ulteriùs Textus D. Thomæ: *Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur: ita quod verè liceat habere plures præbendas. Et tunc diſtinguendum eſt; quia aut talis habet conſcientiam de contrario; & ſic iterùm peccat contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem: Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem; ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum*. (His poſtremis verbis ſic interponit Cardenas; *Sed tamen ſubſequenti tempore; non enim componuntur certitudo, & dubitatio; in quamdam dubitationem practicam inducitur ex contrarietate opinionum; dubitat enim de probabilitate opinionis affirmativæ*:) Sed dicat P. Cardenas: De qua certitudine in hoc ſuo ſcholio interpretatur loquutum fuiſſe D. Thomam, dum ait: *Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem?* De certitudine rigorosè ſumpta orta ex evidentiâ obiecti, vel ſaltem morali; an verò de certitudine largè, & ſumptâ pro tanquillitate quadam conſcientiæ in eâ opinione, quam ſequitur, ſeu pro bona fide? Si primum dicat, de falſitate manifeſtè convincitur; nam ad certitudinem ortam ex evidentiâ obiecti, neque tempore ſubſequenti poteſt ſuccedere dubitatio ex contrarietate opinionum, niſi fortè agens ſcientiam amittat ſui aſſenſus, quem ſequitur, quod eſt moraliter impoſſibile; non enim fieri, aut contingere moraliter poteſt, quod in ipſo tunc, quod quis intuetur opiniones contrarias, contingat ei amittere ſcientiam, quam immediatè antea habebat. Cur ergo ipſe interponit *ly ſubſequenti tempore?* An fortè per ly ſubſequenti tempore intendit póſt aliquod ſufficiens intervallum, quando poſſibile eſt, quod ſcientiam amiſerit? Sed ſi ſic intendit, non ſumus in caſu, de quo loquitur D. Thomas, nam iam pro tunc non haberet agens certitudinem, ut ſupponit D. Thomas. Et idem eſt de certitudine morali, nam ad hanc nec tempore immediatè ſubſequenti poteſt ſuccedere dubitatio ex contrarietate opinionum, cum adhuc certitudo moralis juxta doctrinam eiuſdem Patris Cardenas, quam centies repetit, opiniones oppoſitas à ſua probabilitate deiiciat, & reddat certò falſas. Malè ergo interponit *ly tempore ſubſequenti*, *quia* (inquit) *non componuntur certitudo, & dubitatio*; ſicut enim non componuntur, ita nec poteſt ad certitudinem ſubſequi immediatè dubitatio præcipuè ex ſolo intuitu opinionum oppoſitarum. Si verò interpretetur D. Thomam de bona fide, ſeu tranquillitate conſcientiæ in illo aſſenſu opinativo; certum eſt quod poteſt tranquillitas hæc turbari ad purum intuitum contrariarum opinionum, & ſic poſſunt ſimul compati certitudo, & dubitatio, ſeu formido quædam, & hæſitatio, quia certitudo illa ſeu quies aſſenſus opinativi,

ut loquitur D. Thomas, eſt diſpoſitio quædam opinantis, ac per conſequens ut talis eſt facile mobilis, & non habet ſtatum verè firmum in ſubjecto, ſed veluti quemdam ſtatum in motu, quo pacto contraria non repugnant in eodem ſubjecto, quia ſic intelliguntur in illo ut mutuò ſe expellentia, ſeu in expelli ut loquuntur Philoſophi. Et in hoc ſenſu non oportet interponere Textui D. Thomæ *ly pro tempore ſubſequente*: nam ſine tali addito Textus D. Thomæ veritatem ſuam retinet. Præterea dicat P. Cardenas: cur ad ea verba D. Thomæ: ſed tamen ex contrarietate opinionum in quamdam dubitationem inducitur: addit: *Dubitat enim de probabilitate opinionis affirmativæ?* Et non potiùs, de falſitate illius? Undè id colligit ex textu D. Thomæ? præſertim cum ibi D. Thomas diſcurſum ſuum proſequatur ex illa præmiſſa ſua diſtinctione, quod ex contrariis opinionibus oportet alteram eſſe veram, & alteram falſam. Neque enim ex contrarietate oppoſitæ opinionis deſtruitur, aut redditur dubia probabilitas alterius. Sed hæc obiter dicta ſint, ut appareat multum de ſuo addidiſſe extra mentem D. Thomæ, nam parùm ad intentum noſtrum nunc faciunt.

932 Denique concludit Textus D. Thomæ: *Et ſic ſi manente dubitatione plures præbendas habet, periculoſe committit, & ſic procul dubio peccat &c.* (hic autem interponit Cardenas: *Et ſic ſi manente dubitatione: poteſt enim manere, ſi ſuccedat certitudo priùs existens in intellectu.*) Sed exiſtimo quod voluerit dicere potiùs: ſi non ſuccedat certitudo prius exiſtens in intellectu: nam ſuccedente iterum certitudine priùs in intellectu exiſtente, quomodo manebit per ipſum dubitatio?

933 Vidiſti jam huc uſque lector ſcholia, quæ Pater Cardenas interpoſuit Textui Divi Thomæ. Vidiſti & noſtra quæ ſcholiis ſuis interpoſuimus. Judica nunc Tu ſi ſincerè ea ſint, & ſine pugna cum D. Thoma, imò & cum ſeipſo. Judica & noſtra. Te enim arbitrum in cauſa conſtituo, ut liberè ſententiam proferas. Et ſatis mihi erit.

§. II.

Reſolvitur confirmatio ejuſdem P. Cardenas pro ſua prædicta interpretatione ex aliis Divi Thomæ locis prætenſa.

934 Nititur ulteriùs P. Cardenas præfatam interpretationem ſuam probare tamquam legitimam, & genuinam ad mentem D. Thomæ. Primò quia multi, & graves Thomiſtæ ita interpretantur. Eſto: quid indè? Ejuſmodi Thomiſtas, ſi qui ſint, non probo: malè enim interpretari D. Thomam, de eis conſtat ex huc uſque dictis contra interpretationem Patris Cardenas; nam in eadem cauſa eamdem vim habent contra illos. Citat autem ibi nominatim primò Joannem Nider in Conſolatorio *par. 3. cap. 11.* verbis relatis ab Amadæo Guimenio *tract. de opin. prob. prop. 1. num. 8.* & alios apud eumdem. Ego autem neutrum præ manibus habeo: Id tamen ſcio quod Amadæus Guimenius citatur apud Vincentium Contenſonium, quod *ibid. num. 6.* referens præfatum textum D. Thomæ dixerit: *Hæc* (quæ ſcilicet dicit D. Thomas) *ſi vera ſint, væ operantibus ex opinione probabili.* Ex qua execratione videtur Guimenius non probaſſe interpretationem Joannis Nider, & aliorum, quos citat; ſi tamen eos citat, ut refert P. Cardenas; ſed potiùs noſtram ſupponere ex ipſo D. Thoma clariſſimam, & genuinam: Alioquin non potuiſſet eructare: Væ operantibus ex opinione probabili, ſi vera ſint quæ docet ibi D. Thomas.

935 Citat etiam ibidem P. Cardenas pro ſua interpretatione D. Antoninum, *qui 1. part. tit. 3. cap. 10.* ita Textum D. Thomæ exponit; ſubdens quod *alioquin D. Thomas ſibi contradiceret, quod* (inquit) *non eſt credendum.* Sed ut verum fatear licet ibi re vera Sanctus Præſul non ex toto, imò vix ex parte aliquid probabilitati indulgeat; cum ibi pro ſcrupuloſis ſcribat, eiſque tantùm opportuna remedia, & conſilia ſuadere intendat, ut ſupra vidimus; inter quæ conſulit tutam electionem opinionis, quæ notabiles Doctores habeat. Unde videtur etiam ipſis ſcrupuloſis non quamlibet probabilitatem concedere, ſed tutam & a Doctoribus notabilis doctrinæ probatam, ut conſtat ex opinionibus, quas ſub exemplo affert de D. Thoma, & Bonaventura, de D. Raymundo, & aliis. Tamen negare non poſſum, quod non parùm favet interpretationi Probabiliſtarum; præcipuè in fine, ubi citans verba D. Thomæ ait expreſsè, quod non poſſunt intelligi, niſi de his ubi manifeſtè patet ex Scriptura, vel Eccleſiæ determinatione, quod ſit contra legem Dei, & non de aliis intelligit, ubi non apparet; aliàs ſibi contradicere in eodem libro, quod non eſt credendum. At quia, ut oſtendi, hæc expoſitio eſt à Textu D. Thomæ valdè aliena: neque ex noſtra apparet ulla contradictio in D. Thoma, neque eam D. Antoninus aſſignat: ideò Præſulem alias ſanctitate inſignem veneror, & laudo: In hoc autem cum ipſo ſentire non poſſum; donec ipſe, vel pro eo alius ejuſmodi contradictionem oſtendat: ſi tamen verum ſit, quod ita D. Antoninus ibi a ſemetipſo loquatur. Quod dico quia apud me tota ejus ſumma in magnâ ſuſpicione eſt, & de illa in multis dubito. Et primò quidem dubito S. Præſulem non eam compoſuiſſe, ut Author eſſet, & Doctor eorum omnium, quæ ibi collegit ex pluribus Doctoribus, quos ibidem citare ſolet; ſed potiùs ut pararet ſibi veluti quamdam ſylvam opinionum, quæ apud illos circumferebantur, reſervando ſibi poſtmodùm ex proprio ſenſu maturiori diſcuſſione fortè varia dicturus

cturus

Digitized by Google

ſturus. Quamobrem; vereor ne fuerit purus Collector, quaſi alligans ſimul in uno faſciculo, & paleam, & triticum, atque zizaniam, ea poſtea diſcreturus: licet deindè alii poſt eius mortem abſolutè eam luci mandaverint nomine ipſius, quaſi Authoris ex proprio ſenſu loquentis. Nec mirum hoc eſſe debet, aut omninò gratis me illud ſuſpicari; nam primò mihi fidem aſtruit quodammodo Melchior Cano *lib.* 11. *de loc. Theolog. cap.* 6. in fine ſecundæ reg. ubi ſic habet: *De Vincentio Valvacenſi, & D. Antonio* (verè enim D. Antoninus, non ſic, ſed Antoninus vocabatur) *liberiùs judico, quorum uterque non tàm dedit operam, ut res veras, certaſque deſcriberet: quam ne nihil omninò prætereiret, quod ſcriptum in ſchedulis quibuslibet reperiretur*. Secundò quia de facto obſervo illum uti omninò eisdem terminis, & verbis Doctorum quos refert: & in propoſito de interpretatione D. Thomæ *ſuper dicto quodlib.* utitur verbis Archidiaconi, quem ipſe citat ibid: ea ad literam tranſcribendo; Archidiaconus enim ſic interpretatur D. Thomam, & dicit ea verba: *aliàs contradiceret ſibi in eodem libro, quod non eſt credendum*. Tertio quia ſi omnia ſcripſiſſet ex proprio ſenſu, et non referendo ex aliis, multoties ſibi contradiceret: et in propoſito eius contradictio eſſet manifeſta, quia in eodem cap. antecedenter dixerat cum D. Thoma, quod ignorantia juris naturalis, vel divini, nullum excuſat habentem uſum rationis. Conſtat autem quod oppoſitæ opiniones probabiles plures ſint circa jus naturale, et divinum, ac proindè per D. Antoninum quæ in ſe falsæ ſunt, non poterunt excuſare ex ignorantia, et errore in eis contento, habentem uſum rationis, quod contradicit ad hoc, quod nunc videtur docere de opinione probabili falſa, quod ſcilicet excuſet, ſi error non conſtet manifeſtè ex ſcriptura, vel Eccleſiæ determinatione: ſicut vult intelligi D. Thomam, ut non ſibi contradicat in eodem libro. Et tamen D. Thomas dicit quod non excuſat opinio de pluritate præbendarum, ſi ſit in ſe falſa, et contra legem Dei, non obſtante quod non conſtet eius error ex ſcriptura, vel Eccleſiæ determinatione. Certè ſuper his videtur mihi poſſe non tam leviter mea ſuſpicio fundari. Ad hanc inſuper aliam adiungo; vereor enim ne D. Antonini ſumma adhuc ſit aliqualiter falſata; non raro enim accidit, quod qui aliorum opera aſſumunt, ut in lucem ea proferant, multum addunt de ſuo; ut propriis opinionibus, quas optant recipi, maiorem fidem concilient; ut experientia docet. Sed quidquid ſit de ſuſpicionibus meis: tandem dico, quod ſi D. Antoninus ex proprio ſenſu ibi loquitur, quæ videtur dicere, cum ipſo ſentire non poſſum; donec ipſe, vel alius pro eo D. Thomæ contradictionem in eodem libro mihi demonſtret, niſi ſecundùm eius interpretationem intelligatur. Interim Tu Lector vide ſupra in noſtra prima parte de conſcientia, quæ dixi interpretando hunc locum D. Antonini in defenſionem eiuſdem. Dum ego ab aliquo contradictionem D. Thomæ demonſtrandam expecto.

936 Jàm verò Pater Cardenas eam oſtendendam aſſumit. Audiamus. *Secundò* (inquit P. Cardenas) *nam juxta communem regulam, verba Doctorum obſcura per alios eorumdem textus clariores interpretanda ſunt; iſque verborum ſenſus reiiciendus eſt, qui cum alio Textu clariori collatus nequit conſiſtere. Compone ergo Textum relatum, nempè: illud autem quod agitur contra legem, ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam, Compone, inquam, cum eo textu, quem ſtatuit in eodem quodlibeto 8. a. 15. Error autem conſcientiæ quandoque habet vim abſolvendi ſive excuſandi; quando ſcilicet procedit ex ignorantia eius, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur. In priori dicit D. Thomas conſcientiam non excuſare: in ſecundo autem errorem conſcientiæ quandoque habere vim excuſandi. Ne ergo dicamus S. Doctorem in una, & eadem paginà ſibi contradixiſſe; dicere debemus priorem Textum obſcurum intelligendum eſſe juxta ſecundum, in quo D. Thomas explicuit modum, quo conſcientia excuſat. Cum ergo dicit: quod agitur contra legem ſemper eſt malum, & conſcientiam non excuſare; intelligendum eſt de eo, quod agitur contra legem adeo claram, & manifeſtam, ut de illà non poſſit haberi conſcientia erronea, niſi culpabilis ex eo capite quod ſcire tenetur, & poteſt, prædictam legem: & non excuſare conſcientiam cum tenetur, & poteſt ſcire legem.* Hucuſque Pater Cardenas.

937 Audiſti lector contradictionem? In priori loco dicit D. Thomas conſcientiam non excuſare: in ſecundo autem dicit errorem conſcientiæ quandoque excuſare. Sed dicat P. Cardenas: in priori loco D. Thomas quando dicit conſcientiam non excuſare? Et quando dicit excuſare in ſecundo loco? Dicat inquam, & conſideret quando, & nulla erit contradictio juxta interpretationem noſtram, quæ prorsùs eſt ad literam eiuſdem D. Thomæ. Dicit enim D. Thomas in priori loco expreſsè conſcientiam non excuſare, quando agitur contra legem: ſic enim ad literã habet D. Thomas: *id quod agitur* (inquit) *contra legem ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam.* In ſecundo autem loco dicit D. Thomas errorem conſcientiæ quandoque excuſare, quando ſcilicet error eſt ex ignorantia facti, quando latet aliqua circumſtantia, quam quis ſcire non poteſt, vel non tenetur. Sic enim in dicto ſecundo loco habent expreſsè verba D. Thomæ immediatè ſubſequentia: *Error autem conſcientiæ* (inquit) *quandoque habet vim abſolvendi, ſive excuſandi, quando ſcilicet procedit ex ignorantia eius, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur: & in tali caſu quamvis*

vis

Digitized by Google

vis factum de ſe ſit mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccaret venialiter; ſicut ſi aliquis intenderet accedere ad uxorem ſuam cauſa delectationis, & ita intenderet peccare venialiter; ſi alia ei ſupponeretur, eo neſciente, nihilominus venialiter peccaret. Quid clarius dicere poterat D. Thomas ſemper ſibi, & ubique conſtans? ſemper enim, & ubique docet D. Thomas, quod error juris non excuſat; benè tamen error facti. Et ideò ſemper quod agitur contra legem ſive claram, ſive obſcuram in ſe, procedere ſupponitur ex ignorãtia vincibili, ac proindè ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundùm cõſcientiam. Quod autem ex ignorantia facti agitur non contra legem fit, quia lex non ignoratur ab agente, neque ex defectu ſcientiæ legis ille agit, ſed cũ ſcientiâ, imò, & ſecundùm ſcientiam eius agit actionem ſuam; licet res acta inveniatur materia cadens ſub prohibitione legis ex circumſtantiâ ſuperveniente, quam quis ſcire ſæpè ſæpius non tenetur: ſicut conſtat in exemplo ipſo D. Thomæ, qui enim intendit ad ſuam accedere, ſcit legem non accedendi ad non ſuam, & ſecundum talem ſcientiam agit, dum vult accedere ad ſuam; licet dùm hoc intendit, & agit, aliundè alia ſubmittitur, quæ non eſt ſua: quod procul dubio ſcire non tenetur, & ideò tunc error conſcientiæ credentis accedere ad ſuam, illum excuſat. At ſi ex errore legis accederet ad non ſuam, credens id eſſe licitum, tunc contra legem ageret formaliter, quia formaliter vellet ad non ſuam accedere, ex qua eius acceſſus ſpeciem ſumeret tamquam ex obiecto ſibi cognito, licet legem ignoraret, cuius ignorantia ex D. Thoma numquàm excuſat, & ideò ſic agendo ſemper malum ageret, nec excuſaretur per hoc quod eſſet ſecundùm conſcientiam, quia contra legem Dei formaliter ageret actum ſuum. Ubi igitur eſſet contradictio in D. Thoma, niſi intelligeretur juxta interpretationem Patris Cardenas? imò eſt perpetua conſonantia ubique unius ſemper, & eiuſdem Canonis D. Thomæ, qui ſemper, & ubique idem repetit, quod ſcilicet error conſcientiæ circa legem numquàm excuſat; benè tamen ſi ſit circa circumſtantiam facti. Et ratio huius eſt, quam toties diximus, quia lex ſemper vincibiliter ignoratur, præſertim naturalis, & ferè ſemper ſi ſit alia poſitiva, niſi fortè per accidens ad aliqua loca non perveniat, ut diximus de conſtitutione Papæ. Cæterùm ſi ſemel pervenerit, numquam poterit adeò obſcura in ſe eſſe circa ea, quæ comprehendit, ut non quodammodò affulgeat, & ſe offerat ſaltem ut dubitandam; quo pacto ſemper ſe offert in contrarietate opinionum; quod ſatis ſuperque eſt ad hoc, ut quiſquis teneatur ſuam ignorantiam vincere, ſi non per ſcientiam, quæ fortè evidenter haberi non poſſit, ſaltem per reſolutionem in dubium, & electionem tutioris partis, ut idem P. Cardenas alias docet.

938 Perperam ergo P. Cardenas D. Thômam interpretatur, quod loquatur, quando id, quod agitur, eſt contra legem claram, & manifeſtam, & non poteſt haberi conſcientia erronea niſi culpabilis, & vincibilis; confundens hæc duo, quaſi unum & idem ſit conſcientiam eſſe erroneam culpabiliter, & vincibiliter, ac errare contra legem claram, & manifeſtam; vel quaſi mutuò & convertibiliter inferantur, quod tamen falſum eſt: ſtat enim quod lex non ſit adeò clara in ſe, & manifeſta, ut non poſſit oppoſitum probabiliter ſuaderi, & tamen error circa illam culpabilis ſit, & vincibilis, non per ſcientiam, ſed per reſolutionem in dubium, & electionem tutioris partis, ad quod homo in dubiis, & rebus obſcuris tenetur, ut toties dictum eſt: & hoc ipſum eſt quodammodò, & largè ſcire legem, quantumvis in ſe obſcuram, ſcitur enim dubitativè; quo pacto quiſquis poteſt eam ſcire, & tenetur, ut ſupra explicavimus; quare niſi dubitetur, quando in ſe eſt obſcura, & caveatur periculum, ſi contingat error, vincibilis, & culpabilis erit, & ideò non excuſabit. Et propterea D. Thomas *quodlib. 9. a. 15.* ait quod *omnis quæſtio, in qua de mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur, quia error quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licet fortè à tanto.* & infra ſubdit: *Præcipuè autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt, quod in hac quæſtione accidit* (nempe de pluralitate præbendarum) quid clarius ex Divo Thoma haberi poteſt, non dicit: ubi veritas clara eſt, & manifeſta, ſed ubi ambigua eſt; ibi periculoſè determinatur, & error conſcientiam non excuſat. Non ſic autem eſt error facti; in hoc enim facilè occurrere poteſt circumſtantia adeò occulta, ut nec de illa ſit ulla ratio apparens prudenter dubitandi, ac proindè error eſt omninò inculpabilis, ut conſtat in exemplo mulieris ſubmiſſæ, & tunc procul dubio conſcientia erronea excuſat, tunc enim non fit cõtra legem, neque contra legem erratur, quæ ab agente ſcitur. Undè non eſt tunc ignorantia illa invincibilis, & inculpabilis, quia lex eſt obſcura, cum ſupponatur ſcita; ſed quia eſt ignorantia facti ſeu circumſtantiæ, quæ nec ſciri, nec dubitari prudenter poteſt. Ergo nulla eſt contradictio in D. Thoma etiam ad literam intellecto, abſque ſcholiis interpoſitis à Patre Cardenas, nullaque eius probatio pro eiuſmodi contradictione ad firmandam interpretationem ſuam.

939 Similiter nec valet confirmatio Patris Cardenas pro ſuâ interpretatione ex alio quodlibito D. Thomæ 3. *a.* 10. deſumpta: ubi ait D. Thomas: *Qui ergo aſſentit opinioni alicuius Magiſtri contra manifeſtum ſcripturæ teſtimonium, ſive contra id, quod publicè tenetur ſecundùm Eccleſiæ authoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari*. Ex quo infert P.

Car-

Cardenas: *dum ergo dicit: quod agitur contra legem ſemper eſt malum: intelligitur de eo quod agitur contra legem, quæ conſtat ex manifeſto ſcripturæ teſtimonio, vel ex eo, quod publicè tenetur ſecundùm Eccleſiæ Authoritatem, aut ex alio capite ſimilis certitudinis.* Non, inquam valet: non enim tenet cõſequentia, ex eo quod id caput ſufficit, quod non ſint poſſibilia alia capita etiam ſufficientia: ſatis enim eſt, quod lex re vera ſit; de ſe objectivè aliquali ſubobſcurâ cognitione, puta dubitativa, attingibilis; & multò magis ſi cognitione probabili; quantumvis non ſit in ſcripturâ, vel ſecundùm Eccleſiæ Authoritatem, aut alio modo in ſe clara, & manifeſta; quia tùnc jam aliqualiter affulget, nempe ut dubia; nec poteſt niſi contemptibiliter præteriri; quod ſatis eſt, ut allegata poſtmodùm ignorantia ſit culpabilis, & indigna ut excuſari poſſit. Et certè, ſi non exiſtente lege re verâ, adhuc pura dubitatio agentis de aliquo illicito accuſat, ut fatentur omnes; cur non accuſabit dubitatio, vel dubitabilitas manifeſtè ſe offerens legis re verâ exiſtentis? aut cur inculpabiliter non dubitabitur, ubi ipſa re verâ ſe exhibet dubitabilem? Unuſquiſque enim tenetur, antequam agat, actus proprios probare, de eiſque certificari, juxta illud ſcripturæ: *Eccleſ. 37. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, omnem actum conſilium ſtabile:* & non præcipitanter, actus ſuos agere, ac periculo eos committere peccati mortalis; dum nec ſcientia certus, nec cautione debitâ tutus procedit ad illos; alioquin eius negligentiæ imputabitur, ſi errare contingat; quia non præcedit eum verbum verax, & conſilium ſtabile.

§. III.

Refellitur alia Patris Cardenas confirmatio interpretationis ſuæ deſumpta ex praxi opinandi eiuſdem Divi Thomæ.

940 MUltò minùs contra nos urget aliud argumentum eiuſdem Patris Cardenas & aliorum ex eodem D. Thoma deſumptum; vel veriùs ex eius praxi, quaſi ab exemplari procedens: D. Thomas enim (inquiunt) ut videre eſt in eius opinionibus in materiâ morum ſæpiſſimè ſententias tenuit benigniores, & ſtantes pro libertate contra alias rigidiores ſtantes ex adverſo pro lege. Ergo ſuo exemplo, & per actum facti, nos docuit licere nobis uti abſolutè opinione probabili etiam ſtante pro commodo & libertate, non obſtante contrarietate opinionum, & formidine indè proveniente de contingentia erroris; ac per conſequens ſi fortè contingat illam eſſe in ſe falſam, conſcientiam excuſare. Ita arguit cum multis aliis P. Cardenas *loc. cit. diſp. 15. cap. 6. a. 6. num.* 471. Id quod ibi recitatis multis opinionibus S. Thomæ probat.

941 Huic autem argumento, eſto fideliter illæ omnes opiniones D. Thomæ recitentur, poſſem cum Baronio optimè reſpondere, quod eiuſmodi opiniones ingenio D. Thomæ non fuerint re vera opiniones probabiles, ſed concluſiones ſcitæ, & demonſtratæ ac per conſequens evidenter ei certæ. Quod ſi ita eſt, nos docuit ſuo exemplo ſequi ſententias in ſe veras, & certas, & non purè probabiles, & incertas, præcipuè ſi in eis error contingat.

942 Neque dicat P. Cardenas magnam Provinciam me aſſumere, probandi ſcilicet, quod omnes eiuſmodi ſententiæ D. Thomæ fuerint ei demonſtratæ, ac evidenter ſcitæ, ſicut de facto obiicit Baronio. Nam id mihi facilis probationis reddi poteſt ex Teſtimonio eiuſdem D. Thomæ; nam ipſe *quodlib. 9. aliùs a. 15.* dicit: quod *omnis quæſtio, in quâ de peccato mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur; quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licet fortè à tanto.* Sed non eſt credibile quod ipſe contra hanc univerſalem doctrinam ſuam hic abſolutè prolatam de periculoſa determinatione cuiuslibet quæſtionis, in qua de peccato mortali quæritur, niſi veritas expreſsè habeatur; voluerit de facto periculosè determinare ſententias ſuas, quarum veritas illi expreſsè non conſtitit; alioquin ſua propria doctrina redargueretur, & convinceretur de periculoſâ, ac temerariâ determinatione. Ergo ne hoc de illo ex ore proprio convicto dicatur, oportet dicere quod ubi ipſe determinavit de huiuſmodi quæſtionibus, conſtitit illi expreſsè veritas earum. Et multò magis quod ipſe dicto quodlibeto ex utrâque parte periculum ponit, ſive pro commodo, & libertate determinetur contra legem; ſive pro lege contra libertatem; nam nedum dicit, quod error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licet fortè à tanto; ut conſtat ex verbis relatis; ſed ſubdit immediatè: *Error verò, quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientiâ ligat ad peccatum mortale.* Credendum autem eſt de tanto viro doctrinâ, & ſanctitate in Eccleſia celeberrimo, quod utrumque periculum vitare voluerit; quod procul dubio non potuiſſet, niſi expreſsè ſibi veritas conſtitiſſet; vel nihil determinaſſet abſolutè. Ubi ergo abſolutè aliquas quæſtiones determinavit, oportet quod veritas ipſi expreſsè conſtiterit; ipſomet de ſemetipſo ſua illâ univerſali doctrinâ quoad hoc teſtimonium perhibente.

943 Verumtamen quantumvis data hæc reſponſio doctrinæ D. Thomæ incongrua non ſit, imò illi condigna: nihilominùs eâ omiſsâ, aliam eidem argumento ſubiiciam. Dico itaque quod D. Thomas ſuâ praxi ad ſummum nos docuit in moralibus opinari; quemadmodum & ipſe multoties in illis opinatus fuit. At per

Xxx eam

eam praxim opinandi, non nos docuit de praxi agendi. Sunt enim longè inter ſe diverſæ duæ iſtæ praxes; opinandi ſcilicet, & agendi: nec debent inter ſe confundi, ut præfato argumento confunduntur. Nam praxis opinandi ad intellectum ſpeculativum tantùm pertinet: Agendi verò ad intellectum practicum, & voluntatem. Illa ad veritatem in ſe ſpeculandam ordinatur; hæc verò ad actus moralitatem. Illa ex pondere rationum pendet: hæc ex appetitu recto per intentionem finis. Illa eſt ex cōnaturali propenſione intellectus in verum ſecundùm ſe: iſta ex electione liberâ voluntatis. Undè non poteſt intellectus opinari, quod vult; ſed id ſolùm, quò magis rationibus urgetur, ut vidimus ſupra; voluntas autem poteſt agere quodcumque voluerit, etiam ratione contradicente, quod non liceat. Ex quo fit quod opinans multoties id ſincerè opinatur, quod tamen non audet ad praxim deducere; nec alteri conſulere, quod illud agat: ſic vir verè fortis, & conſtans, honeſtus, ac Dei timoratus, poteſt de ſemetipſo ſincerè, & de quocumque alio eiuſmodi conditionis viro, ſufficientiſſimis rationibus ſuaderi, & opinari, quod in aliquo proximo peccandi periculo conſtitutus, nullatenùs ſit lapſum aliquem paſſurus; in eiuſmodi enim aſſenſum iis rationibus eius intellectus urgetur: & nihilominus non audet in praxi ſe proximo tali periculo committere, aut tale quid alteri eiuſdem conditionis conſulere: quod ſi voluntariè id faceret, imprudenter ageret; quantumcumque ſincerè de ſua, vel alterius conſtantiâ firmiter opinetur, ita ut ferè iurare poſſit, ſicut iuravit Petrus: *Et ſi oportuerit me commori tecum, non te negabo*. Aliud ergo eſt de re quid quis ſentiat, & ſincerè opinetur: & aliud in eadem re quid quis agere debeat, vel aliis agendum conſulere. D. Thomas itaque in materiis quibuſcumque à ſe diſcuſſis, quid ſentiat ſignatè judicium fert, & opinatur in illis ſecundùm quod ſibi verum videtur in ſe. Sed quid etiam de ſententiis ſuis eligendum ſit in praxi ab hominibus, ut faciant; non ibi, ſed alibi ſignatè tradit, ubi ſcilicet ex profeſſo determinat quando quis opinionem aliquam ſequens peccet, vel non peccet: prout facit in præcitato quodlibeto, & quibuſdam aliis locis. Ubi ergo in particulari benigniorem ſententiam pro libertate ſuſtinet, ibi nos opinari edocet, non agere ſecundùm illam: quia ibi ſpeculativè quærit veritatem in ſe ipſius actionis moralis, & ſincerè illud judicium profert, quò magis rationibus urgetur eius intellectus; licet falli poſsit. At ubi de praxi, & uſu probabilitatis quærit, & docet nos agere, aliam doctrinam tradit, quæ ſcilicet ſit infallibilis, & tuta de moralitate operationis. Ut conſtat ex præallegato eius quodlibeto. Atque adeo praxis benignius opinandi D. Thomæ in quibuſdam materiis non urget contrarium.

CAPUT DECIMUM.

De ſenſu SS. Patrum circa uſum probabilitatis.

§. I.

Oſtenditur reſolutio noſtra de uſu opinionum practicè probabilium cum duabus ſuis limitationibus conſtans, & ſtabilis ad mentem SS. Patrum, & primò S. P. Auguſtini.

944 Poteſt præterea reſolutio noſtra, quod ſcilicet non ſemper, & abſolutè ſit licitus uſus opinionis practicè probabilis de licito, niſi ſub duabus illis noſtris limitationibus, facilè confirmari ex SS. Patribus, puta ex D. Auguſtino, Gregorio, Baſilio, Bernardo, Chryſoſtomo, & aliis, ex quibus fuſe idipſum demonſtrarunt Vincentius Baronius, Contenſonus, aliiſque Recentiores, qui contra liberum uſum probabilium ſcripſerunt; ut mox ex quibuſdam eorum teſtimoniis oſtendam.

945 Ex Auguſtino itaque affert Baronius locum *lib.* 3. contra Academicos *cap.* 16. ubi refert Auguſtinus Academicos idipſum voluiſſe, quod docent Probabiliſtæ noſtri temporis; quod ſcilicet, cum agit quiſque, quod ei probabile videtur, non errat, nec peccat; quod tamen ibi validè impugnat Sanctiſſimus Doctor, inferens, indè ſequi omnia crimina approbari; & per illa ſpecialiter diſcurrendo, ſic ait: *Taceo de homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibuſque omninò, quæ fieri, & excogitari poſſunt, flagitiis, aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod eſt graviùs, apud ſapientiſſimos Judices defenduntur. Quomodò idiom non facerent, quod probabile viſum eſt? Qui autem non putant ita probabiliter perſuaderi poſſe, legant orationem Catilinæ, quâ Patriæ parricidium, quo uno continentur omnia ſcelera, perſuaſit. Illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit: cum probabile cuique viſum ſit eſſe faciendum, non ſolùm ſine ſcelere, ſed etiam ſine erroris vituperatione committatur*. Hæc Auguſtinus. Ecce quanta energia Auguſtinus impugnat, quod probabilitas à peccato excuſet, ſi in ſe contingat eſſe falſam, ſicut contingit in eiuſmodi ſcelerum probabilitate, quæ commemorat, & execratur. Et ne quis reſpondeat relata ſcelera non eſse practicè probabilia, idem Auguſtinus talem reſponſionem reiicit, probando verè probabilia fieri etiam apud ſapientiſſimos Judices (intellige Sapientiſſimos viros ſic probabiliter judicantes) exemplo Catilinæ, ad cuius orationem de Patriæ parricidio perlegendam remittit. Ergo Auguſtinus non admiſit ut licitum uſum probabilium, ſi in ſe contingat eſſe falſa, & contra legem, quæ eſt prima limitatio noſtra de licito uſu probabilitatis, quam poſuimus ex parte legis, & de qua eſt tota

ta

ta noſtra controverſia cũ Probabiliſtis: nam de ſecundâ limitatione ex parte conſcientiæ nulla eſt difficultas apud Doctores etiam Probabiliſtas; omnes enim admittunt, ſicut expreſsè admittit P. Cardenas, peccare, qui non depoſitâ prius formidine practicâ ſuæ probabilitatis, aliquid ageret.

946 Sed huic loco Auguſtini reſpondent Probabiliſtæ, & nominatim P. Cardenas Sanctum Doctorem ibi non impugnare veram probabilitatem, ſed quãdam probabilitatẽ chymericam, & ſophiſticam, qualis erat illa Academicorum. Idque colligunt ex criminibus ipſis, quæ ibi commemorat Auguſtinus, nempe homicidia, parricidia, adulteria, ſacrilegia, & ſimilia, quæ cum ſint, & cenſeantur ab omnibus peccata manifeſta, nequeunt verâ probabilitate defendi.

947 At reſponſio hæc fuit ab eodem Auguſtino, ut dixi, præoccupata per ea verba, quæ ibi Sanctus Doctor ſubdit: *Qui autem non putant iſta probabiliter perſuaderi poſſe; legant orationem Catilinæ, quâ Patriæ parricidium, quo uno continentur omnia ſcelera, perſuaſit.* Exiſtimavit ergo Auguſtinus ea crimina, quæ commemorat, poſſe aliqua verâ probabilitate licita ſuaderi, ſicut Patriæ parricidium ſuaſit Catilina. Et nihilominus in ſua probabilitate ſtultè nimis excuſari poſſe contendit Auguſtinus contra Academicos; ac conſequenter contra Recentiores Probabiliſtas.

948 Nec refert quod nominata crimina, ſint, & cenſeantur ab omnibus peccata manifeſta, ita ut ad ſola eorum nomina horreſcant aures ea audientes tamquam licita prædicari: Nam licet ſic nudè, ac crudè ſuo nomine nuncupata horrifica ſint, & cenſeantur talia ab omnibus, qualia uſ ſe ſunt; tamen probabili aliquo colore cohoneſtata nec aures, nec animus ea interdùm poterit facilè, ac certò qualia in ſe ſint, vel evadant, in individuo iudicare. Neque enim Catilina nudum Patriæ parricidium ſuaſit, ſed veræ probabilitatis fuco cohoneſtatum; neque Auguſtinus contra Academicos ea crimina nudè ſumpta probabiliter licita ſuaderi poſſe prætendit, ſed aliquo alio ſuperaddito titulo ea probabiliter cohoneſtante. Quemadmodùm paſsim experimur a nonnullis Recentioribus palliari uſuras, & ſimonias, atque inde licitas ſuſtineri; quæ tamen in ſe eædem uſuræ, ac ſimoniæ ſunt; Ipſi verò non aſſerunt in opinionibus ſuis uſuras, ac ſimonias in ſe licitas eſſe, ſed eas ex vi tituli ſuperadditi, quaſi extra ſe exire probabiliter ſuadent, ut non appareant ampliùs uſuræ, quantumvis in ſe ſint, ſed negotia licita. Et ita planè in verbo homicidii; nonnulli Recentiores ſuperaddito defenſionis titulo opinabantur; licitum eſſe Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; ut non ſuppetere videtur, ſi Calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram graviſsimis viris prædicta impingere, niſi occidatur. Quæ fuit propoſitio in ordine 17. damnata ab Alexandro VII. Et ſimiliciter licitum eſſe interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Iudicem a quo iniqua certò imminet ſententia; ſi alia via non poteſt Innocens damnum evitare. Quæ fuit propoſitio 18. etiam ab eodem Pontifice expuncta. Et inſuper quod non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam. Quæ fuit propoſitio 19. & multa alia ſimilia crimina alii licita opinati ſunt, ut conſtat in propoſitionibus damnatis ab Innocentio XI. Ut abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, quia præcisè & dumtaxat ſit ei obventura pinguis hæreditas, & non ut malum Patris. Et gaudere de parricidio à ſe in ebrietate patrato ob eumdem finem. Et quod vocare Deum in Teſtem mendacii levis, non ſit mortale. Et quod metus gravis excuſet ſimulationem adminiſtrandi ſaramenta. Et quod Copula cum coniugata conſentiente marito excuſetur ab adulterio, & evadat ſimplex fornicatio. Et quod fornicatio non ſit mala ſecundum ſe, ſed quia prohibita &c. Vide ergo lector quot homicidia, quot ſcelera, quot ſacrilegia probabilia fecerint Recentiores uno vel altero titulo eis ſuperaddito, ac fuco probabilitatis ſuæ cohoneſtaverint ea ſibi, & aliis, quos ſuis rationibus ſuadebant, atque magiſtrali etiam authoritate confirmabant.

949 Quod ſi quis replicet iſtorum omnium, & ſimilium, probabilitas chymerica eſt, ſicut illa Academicorum. Peto ab hoc aliundè probabilitas hæc chymerica diſcernenda eſt? Edoceat nos characteriſtica ſigna veræ probabilitatis a chymerica dignoſcendæ. Si dicat præ dictorum omnium, & ſimilium probabilitatem chymericam agnoſcere ab ipſa falſitate rerum in ſe: falſum dicit, alioquin vera probabilitas non eſſet niſi verorum, ſicut, & ſcientia: & Philoſophus dicit, quod aliquando falſa ſunt probabiliora veris. Si dicat ab eorum falſitate de ſe apparente, & omnibus manifeſta: de falſo adhuc convincitur, quia falſitas eorum non apparuit præfatis Authoribus, qui eiuſmodi opinati ſunt; imò fortè nunc nec aliis appareret, niſi in oppoſitum acceſſiſſet authoritas Eccleſiæ. Si dicat, quia non erant gravi, forti, ac prudenti ratione ſuffulta: nihil dicit; quia manet et adhùc aperiendum quænam ſignanter ſit eiuſmodi ratio; cum aliàs præfatis dictorum Authoribus viſæ fuerint ſuæ rationes graves, fortes, atque prudentes; quandoquidem iis, earumque pondere ipſorum intellectus potuit in eiuſmodi aſſenſum ſufficientiſſimè trahi, & inclinari, & poterant plures alii in idipſum convenire. Si denique dicat, quod ea non viſa fuerint omnibus, aut pluribus; neque omnibus, vel pluribus ſapientibus; neque paucis ſapientiſſimis, & præcipuis, iuxta definitionem

tionem probabilium Ariſtotelicam: hoc profectò dicere nõ poſſunt Probabiliſtæ, qui unius, vel ſaltem trium Recentium Doctorum teſtimonio ſufficienter probabilitatem haberi contendunt: cæterùm ſi quis ſic dicat; jam ſimilia facinora præcipuis, & ſapientiſſimis Viris videri poſſe expreſſiſsimè affirmat Auguſtinus ibidẽ, ubi ſupra, dicens: *Taceo de homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibuſque omninò quæ fieri, & excogitari poſſunt flagitiis, aut facinoribus, quæ paucis verbis; & quod eſt gravius, apud ſapientiſſimos Judices defunduntur: quomodò enim non facerent, quod probabile viſum eſt.* Ergo ſimilia crimina non probabilitate chymerica, ſed vera, interdum defendi poſſe à præcipuis, & ſapientiſſimis Viris manifeſtè conſtat, & ſecundùm rationem, & ſecundùm ipſum Auguſtinum, qui pronidè ibi veram probabilitatem impugnat, & non chymericam.

950 Pater Cardenas verò, qui ſimiliter cõtendit Auguſtinum loco citato impugnaſſe contra Academicos probabilitatem chymericam, & non veram: nititur id probare ex ipſis Academicis, quos confutare intendit Auguſtinus. *Nam iſti* (inquit) *ut idem refert Auguſtinus dicto lib. 3. cap. 10. in primis ajebant, nihil cadere ſub humanâ ſcientiâ, ita ut nullius rei poſſit homo ferre judicium certum. Secundò ex hoc inferebant nulli rei præbendum eſſe aſſenſum ob periculum ipſum errandi. Tertiò quod cum ad aliquid agendum pervenitur, id ſit agendum, quod cuicumque probabile videtur. Quæ ſimul repetit Auguſtinus eodem libro cap. 16. dicens ex Academicorum ſententia: turpe eſt errare, & ideò nulli rei conſentire debemus; ſed tamen cum agit quiſque quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat. Quibus* (ait Cardenas) *aliam quartam aſſertionem adiungebant; videlicet, quidquid aliquis Philoſophus dixiſſet, id videri probabile.*

951 Ex quibus aſſertionibus Academicorum infert P. Cardenas *diſp. 15. cap. 4. a. 14.* probabilitatem, quam propugnabant Academici, & quam reprobat Auguſtinus, eſſe quamdam probabilitatem Chymericam. Et id probat ſic: *Primò, quia contradictionem involvit id, quod Academici dicebant: ſcilicet, quod intellectus non poſſit habere certitudinem, nec opinionem de obiecto; & quod poſſit id obiectum reputare probabile. Quod argumentum* (ſubdit idem Cardenas) *brevi periodo concludit Auguſtinus cap. 14. dum ait: ſi igitur nec certi eſt quidquam; nec opinari ſapientis eſt; nihil umquam ſapiens approbabit. Ideſt* (adiungit Cardenas) *nihil reputabit probabile.* Quod ſi hoc, quod ait Cardenas, verum eſt; procul dubio probabile Academicorum chymericum erit; ſic enim erit probabile id quod non reputatur probabile.

952 Secundò arguit idem Cardenas ſic: *Iſta* (inquit) *probabilitas Academicorum eſt quædam probabilitas pugnans contra rei evidentiam. Nam cum adulterii malitia evidens ſit, adhùc ſecundùm Academicos non peccat, qui adulterium putat probabiliter licitum. (Ex eo nempè, quod epicurus, aut alius Philoſophus ſic dixerit) quam adulterii malitiam dùm Academici negant, oculos claudunt meridiano fulgori.... Imò actionis ab adultero perpetratæ cum uxore aliena, dum negant evidentiam, obſtruunt probabilitatem, quâ videatur adultero eam actionem à ſe non perpetratam; ut conſtat ex iis Auguſtini verbis ibidem: aut fortaſsè non fecit, ſed feciſſe ſibi viſus eſt.*

953 Verumtamen quam chymerica ſit hæc huius Authoris reſponſio ad locum præfatum Auguſtini, quod ſcilicet impugnet probabilitatem chymericam Academicorum; ex ipſa chymerâ falsò Academicis imputatâ, eiuſque argumentis evidentiſſimè conſtat. Academici enim ſapientiam, & certitudinem rerum inficiebantur: non autem opinionem, & probabilitatem. Nihil certi percipi poſſe aiebant; nulli que rei certò aſſentiendum eſſe proclamabant; nihilque à ſapiente certò approbandum, quò facilè in errorem incidere poſſit; quandoquidẽ turpe exiſtimabant ſapienti quandoque errare, id quod potuiſſet contingere, ſi quidpiam pro certo judicaſſet. Atque ideò concludebant ſola probabilia admittenda, & aſſenſu ſeù judicio incertò, ac ſolùm probabili, omnia judicanda: idque ſufficere unicuique, ut agendo non peccaret, nec diceretur in operationibus ſuis moraliter errare. Hæc erat doctrina Academicorum, teſte Auguſtino *loc. cit*; quæ profectò nullam chymeram, aut contradictionem involuit: & hoc ibi impugnat Auguſtinus, non chymeram illam probabilitatis ſibimet repugnantis, quam eis tribuit P. Cardenas. legatur, & perlegatur textus Sancti Doctoris, qui valdè diffuſus eſt; & totus diffunditur in impugnandâ negatâ illa ſapientia, & certitudine; atque immunitate à peccato, & errore in operando ex vi probabilitatis ab illis affirmatâ.

954 Quarè ad primam probationem P. Cardenas nego contradictionem illam, quaſi ab Academicis prolatam; quod ſcilicet intellectus non poſſit habere certitudinem, nec opinionem de obiecto; & quod id obiectum poſſit reputare probabile. Nunquàm enim illi dixerunt, quod intellectus non poſſit habere opinionem de obiecto; ſed ſolùm negarunt habere poſſe certitudinem, & ſcientiam. Nec tale quid umquã de eis retulit Auguſtinus: neque id ſonant Auguſtini verba relata ſuprà, dum ait contra illos: *Si igitur nec certi eſt quidquam, nec opinari ſapientis eſt, nihil umquam ſapiens approbabit.* Sed eorum genuinus ſenſus eſt: ſi igitur nec certi eſt quidquam (ut illi aiebant) nec opinari ſapientis eſt; quia opinari eſt opinatoris: ſapientis autem, propriè, & rigoroſè loquendo, eſt ſapere, & certò ſcire; quod illi omnino impoſſibile exiſtimabant; quia ſapientiam, & ſcientiam rerum penitùs negabant; & ſapientes in

ſenſu

ſenſu rigoroſo non admittebant; undè ſapientes opinatores appellebant, ut idem Auguſtinus ibidem de Cicerone dicit, quod ſe magnū Opinatorem dicebat, non ſapientem. Atque ideò (arguit ibi Auguſtinus) *Si ita eſt, nihil umquam ſapiens approbabit*; ſupple, *pro certo.* Et non ſicut malè explicat Cardenas: *ideſt, nihil reputabit probabile.* Intentum enim Auguſtini ibi eſt, concludere quod nihil reputabit certum. Et hoc ipſum de facto contra illos concludit Auguſtinus de Adultero, quod ſcilicet nec certus de ſuo Adulterio erit, quod re vera illud fecerit. Et hoc ſonant verba illa Auguſtini: *Aut fortaſsè non fecit, ſed feciſſe ſibi viſus eſt.* Quod ibi infert Auguſtinus tamquàm abſurdum: abſurdum enim eſt dicere, quod quis actum faciens non habeat de illo certitudinem, quod fecerit, ſed ſolam opinionem; & quod ſibi potiùs viſus tantùm ſit illum feciſſe, nempè probabiliter. Ex quo abſurdo efficaciſſimè contra illos probat aliquid certò ſciri poſſe.

955 Ad ſecūdam autem probationem reſpondeo, quod Academici illi nequaquam docebant probabilitatem pugnantem contra rei evidentiam: neque adulterii malitiam negabant, aut licitum illud opinabantur; ſed potiùs id inferebat ibi Auguſtinus ex eorum principiis tamquam abſurdum contra ipſos; & præcipuè, ac nominatim contra Ciceronem; non quod iſte opinatus fuerit adulterium licere; ſed quod licitum fore ſequeretur ex ipſius, & aliorum Academicorum principiis; dum aſſerebant id agere licere, quod probabile videretur; & probabile videri, quod Philoſophi aut ſapientes, aliàs opinatores dicti, opinarentur (quod profectò eſt ipſiſſimum dictum Probabiliſtarum noſtri temporis.) Et ideò ad hominem ibi abſurdum illud infert Auguſtinus contra Academicos, & adverſus Tullium nominatim, ut conſtat per ea verba Auguſtini *ibid: cap.* 16. *Igitur*, inquit Auguſtinus, *audiens adoleſcens inſidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ. Te, te conſulo M. Tulli: de adoleſcentium moribus, vitàque tractamus, cui educandæ atque inſtituendæ omnes illæ literæ tuæ vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quàm non tibi eſſe probabile, ut id faciat adoleſcens? At illi probabile eſt. Nam ſi ex alieno probabili vivimus: nec Tu debuiſti adminiſtrare Rempublicam; quia Epicuro viſum eſt non eſſe faciendum. Adulterabit igitur ille Juvenis coniugem alienam.* (Supplei ex opinione Epicuri, vel Alterius Philoſophi.) Ecce quomodo tamquàm abſurdum inferebat Auguſtinus contra Academicos, adulterium, & alia vitia, quorum ibi meminit, fieri omnia licitè ſaltem ex alieno probabili, proprio deficiente, ſi quod ſemel probabile videtur, licitum ſit ſine peccato, & ſine errore fieri.

956 Ex quibus conſtat, non fuiſſe chymericam probabilitatem illam Academicorum, & ſubimet contradicentem, ut dicit P. Cardenas, ſed veram, & qualem nunc temporis Recentiores prædicant, & magnificant. Et hanc ibi dicendum eſt Auguſtinum impugnaſſe cōtra Academicos ad hominem, dum ex illa aiebant, poſſe quempiam agere ſine peccato, ſcientia alias deficiente, quam penitùs negabant. Et indè tamquàm abſurdum inferebat Auguſtinus fore omnia ſcelera licita, quæ ibi commemorat; eaque omnia verè probabilia fieri poſſe unicuique, ſaltèm probabilitate extrinſeca, & ex probabili alieno, pro certo ſupponit; dum expreſsè ibidem ſibi obiicit, eos, qui non putant ſimilia crimina poſſe probabiliter ſuaderi, quippè quæ videntur peccata manifeſte cognita: & tamen illis reſpondet, eoſque redarguit exemplo illius Patriæ Parricidii, quo uno omnia continebantur ſcelera, utpotè quod verè probabile redditum fuerat rationibus Catilinæ. Alioquin ſupervacanea fuiſſet eius reſponſio ad illos, qui euiuſmodi ſcelera putaſſent nullatenùs verè probabilia reddi poſſe. Oportet igitur quod Auguſtinus ex Catilinæ rationibus exiſtimaverit illud Patriæ Parricidium ad veram probabilitatem fuiſſe ſatis evectum: & ſimili modo poſſe quæcumque alia ſcelera fortiter ſuaderi, præcipuè ſi à ſapientiſſimis Judicibus defendantur, ut dicit ibidem. Et nos ſupra ex parte id oſtendimus, præſertim ſuperaddito aliquo honeſto titulo; quo vel ipſa eorum malitia, quaſi ſub palliò abſcondita, non ſit ampliùs, ut antea, manifeſta; ſed velata, obſcura, & dubitabilis; adeò ut ſatis poſſit ſorti etiam aliqua, vel pluribus rationibus cohoneſtari; ſicut de præfato Parricidio Cathilinæ ſuaſionibus exiſtimavit Auguſtinus. Ergo dum eiuſmodi probabilitatem Auguſtinus acriter impugnat, quatenùs per eam dicitur licitè, & ſine peccato quempiam operari; non in chymericam invehitur, ſed in veram probabilitatem, contra quam, & nos etiam agimus.

957 Sed dicet aliquis: at ſi quæ ſint adeò manifeſtè peccata qualia videntur, quæ nominat Auguſtinus; quomodo poterunt quaſi licita verâ probabilitate ſuaderi? Numquid probabile credi poteſt, quod agnoſcitur manifeſtè falſum? Reſpondeo ad hoc, quod falſum manifeſtè cognitum non poteſt utique, id manifeſtè cognoſcenti, verè probabile fieri. Veruntamen quod denominatur manifeſtè cognitum non ſemper eſt tale omnibus cognoſcentibus; imò & aliquando, neque eidem. Quod ſi, candide lector, durum tibi videatur credere talia, & ſimilia ſcelera fieri poſſe verè practicè probabilia; non obſtante, quod id expreſsè tibi dixerit Auguſtinus, ut ex ore eius audiſti: ſcias à me, ideò tibi durum videri, quia audis ea ab Auguſtino ſub proprio nomine, & titulo ſcelerum appellari, quæ procul dubio probabilia ſub tali titulo fieri non poſſunt: non enim probabile fieri poteſt, ſcelera non eſſe ſcelera; aut in ſpecie, ſcelus homicidii, parricidii, ſacrilegii, uſuræ, ſimoniæ, & ſimilium, non eſſe unum-

quodque ſcelus ſuæ ſpeciei. At muta titulum eorum, ſicut de facto mutatur in probabiliſtatibus, & ſtatim videbis mutari faciem eorum, atque indè jam larvatâ facie incedentia non apparere ampliùs ſcelera, & ſic facilè fieri poſſe verè practicè probabilia, ut dicit Auguſtinus; & tamen omninò eadem ſcelera in ſeipſis permanent, larvata tamen ſub alio titulo. Reflecte quot uſuras aliqui Probabiliſtæ defendunt, ſed eas non uſuras appellant, ſed alio palliato titulo negotii in ſe liciti, puta vel damni emergentis, vel lucri ceſſantis, vel aſſecurationis, aut gratitudinis, aut ſimili nomine, à quo aures non abhorrent; & ſic mutatâ exteriùs tantùm earum facie, intrinſecùs autem omninò in ſuâ ſpecie permanentes, non videntur ampliùs uſuræ, ſed negotia omninò licita, & quaſi ſervantia æqualitatem juſtitiæ commutativæ, & verè probabiliter talia credita, atque perſuaſa virtute quarumdam rationum ſuadentium non eſſe uſuras, ſemper tamen cum formidine aliquâ oppoſiti, cum non ſint rationes omninò certò, & evidenter convincentes, ut ſupponimus in opinionibus practicè probabilibus. Ita pariter homicidium, Parricidium, & ſimilia nominata ab Auguſtino, ſi ſemel ſub alio titulo larventur, (ſicut fecit Catilina) puta ſub titulo juſtæ defenſionis propriæ vitæ, famæ, honoris, aut alterius boni, quod facilè poteſt apparenter ſuaderi præferendum alienæ vitæ; licet in ſe hoc ipſum falſum ſit, ſed non appareat diſcurrenti, præſertim ſi aliquâ paſſione præoccupatus expendat agibilia ſua, quod profectò ſemper accidit, vel ſaltem ferè ſemper, ut vidimus in exemplis ſupra adductis propoſitionum, quas retulimus à Summis Pontificibus damnatas. Hæc pondera lector, & videbis optimè fieri poſſe practicè probabilia ea ſcelera, quæ probabilia fieri poſſe etiam apud ſapientiſſimos Judices tibi dixit Auguſtinus.

§. II.

Confirmatur reſolutio noſtra ex aliis SS. Patribus.

958 PLures alios, præter Auguſtinum, Sanctos Patres pro ſua, & noſtra ſententia ſtare aſſirmat Baronius. Sed P. Cardenas contra illum invehitur, dicens, quod declamet, & inclamet Sanctos Patres Eccleſiæ Auguſtinum, Baſilium, alioſque ſapientiſſimos Eccleſiæ Doctores: *Et tamen*, ſubdit, *ne unum quidem textum adducit ex Baſilio; ne unum quidem ex aliquo ſapientiſſimorum Eccleſiæ Doctorum, præter quàm ex Auguſtino tres Textus, quos minimè ad rem eſſe demonſtratum eſt ſupra cap. 4. a. 4.* Ita Cardenas *cap. 7. num. 501. & 502.*

959 Verùm non debebat P. Cardenas credere, non potuiſſe Baronium alios Patres Eccleſiæ adducere: ſed brevitatis ſtudio potiùs abſtinuiſſe, uno Auguſtino contentum, præter D. Thomam, quem aliàs adduxerat. Nam ſi duo Teſtes ad firmandam veritatem ſufficiunt, quanto magis hi duo viri ſummi, & omni exceptione maiores? & ideò dixit: *Omiſſis aliis Patribus tria loca ex Auguſtino proferam*; inter quæ fuit Textus à nobis allegatus *ex lib. 3.* contra Academicos hactenùs propugnatus. Cæterùm ſi velit Cardenas eum plures alios Eccleſiæ Patres oſtendere, in promptu ſunt: Eoſque ipſe mox ſufficiam vice illius.

960 Audiat ergo Baſilium de Abdicat: rerum loquentem. Ubi ſic ait: *Contendit adverſarius noſter, ut nobis perſuadeat, ut alicui nos credamus propter vitia ſimulata quadam lenitatis ſpecie commendanti, ut hoc modo innumeris nos pravis libidinibus irretiat. Si ergo cum corpore tuo mitiùs agere volens, Magiſtrum tibi quæſieris tecum ad vitia tua demittentem; vel, ut veriùs dicam, tecum una in eamdem perniciem corruentem, fruſtra mundanis rebus nuncium remiſiſti, qui cæcum tibi ducem aſciveris, cuius ductum ſecuto in foveam ſibi ſit præcidendum.* Quibus verbis, ſi penetranter attendantur; & phraſis ipſa, qua de more in ſuis conceptibus explicandis Baſilius uti ſolet, ſana mente intelligatur; apertiſsimè apparet, quod voluerit ſanctiſsimus Doctor inſinuare certum illi imminere periculum, qui ſibi Magiſtrum eligit doctrinæ ſeu ſententiæ benignioris; quod idem eſt ac dicere: In imminente periculo eſſe eum, qui Magiſtrum ſequitur docentem opiniones ſtantes pro commodo, & libertate. Huiuſmodi enim opiniones ſunt, quas ipſimet Probabiliſtæ benignas appellant, & quibus interdùm decepti plura in ſe illicita pro licitis habent, aliaque licere ſimulatâ quadam lenitatis ſpecie proponunt, ac commendant, atque ad propria cuiuſque commoda pro variis hominum paſsionibus ſe demittunt ea docendo, quæ magis placent, atque inde cum illis in eamdem paſsionum perniciem corruentes, cæci duces eorum facti, vel aſciti, ut loquitur Baſilius.

961 Audiat ſimiliter Pater Cardenas Chryſoſtomum, *homil. 24. in Matth.* dicentem: *An non oportet Populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi ſincerè veritas Chriſti venundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere, pluſquam veſtimentum?* Profectò ſi quælibet opinio practicè probabilis tutò poſſet ad praxim abſolutè deduci, non oporteret circuire omnes Doctores, ut Chriſoſtomus aſſerit, & inquirere ubi ſincerè veritas Chriſti venundatur; ſed ſatis eſſet ubi probabilitas expenderetur, illam ſine ulteriori inquiſitione indubitanter ſuſcipere, quantumvis a Chriſti veritate in ſe forte deficeret; niſi velint Probabiliſtæ de more gratis aſſerere quod Chryſoſtomus veritatem Chriſti cum probabilitate confundat. Sed quid hoc abſurdius dici poſſet, quod voluerit Chryſoſtomus Chriſti veritatem, quæ prima veritas eſt, & infallibilis, cum fallibili probabilitate confunderet?

Audiat

Digitized by Google

962 Audiat ulteriùs P. Cardenas Gregorium *lib. 5. moralium cap.* 6. Ubi nobis valdè timendum eſſe docet, ne in operando ſub boni ſpecie occulto aliquo errore decipiamur, & Deo diſpliceamus: Id quod exemplo ſanctorum oſtendit. Inquit enim: *Sancti viri cum mala ſuperant, ſua etiam benè geſta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine, fallantur; ne peſtifera tabes putredinis ſub boni ſpecie lateat coloris*. Et *cap.* 7. idem repetit dicens: *Juſti in ipſis bonis operibus poſiti trepidant ac ne in eiſdem occulto aliquo errore diſpliceant continuis lamentis vacant*. Sed falli de actionis imagine, quod viri ſancti timebant, ne indè Deo diſplicerent, procul dubio idem eſt, ac falli in actione, quæ ſibi iuxta ipſorum opinionem, licita, imò bona videbatur eſſe, licet ſe fortè talis non erat, quod ipſi valdè timebant. Ergo ex Gregorio, & ſanctorum exemplis valdè timendum eſt in uſu opinionum probabilium, ne contingat alicui errare, quia eiuſmodi ignorantia non excuſat, ſi ibi Deo diſplicere timebant ſancti viri. Neque enim aliter interpretari poteſt hoc, quod eſt formidare falli de actionis imagine, ne peſtifera tabes putredinis ſub boni ſpecie lateat coloris; niſi formidare de veriſimilitudine, ſeu probabilitate bonitatis in actione, quæ in ſe bona non eſt, ſed videtur eſſe, & prudenter talis exiſtimatur præſertim a viris ſanctis, qui non ſolent præcipitare iudicium, ſed gravi, ac forti, & prudenti ratione moventur ad aliquid iudicandum, ac proindè cum vera probabilitate bonitatis eius, quod agunt; & nihilominus formidant indè ex errore occulto Deo diſplicere: quod commendat Gregorius. Ergo de ignorantiâ in opinione probabili aliquando contentâ timendum eſt, quia indè non excuſatur agens, ſi poteſt ex hoc uſque ad Dei diſplicentiam pervenire. Quod ſi hoc ſancti viri timebant in ſuis opinionibus de actionis bonitate: quanto magis timendum eſt in opinione probabili de licito, ſtante ex adverſo opinione probabili pro lege? Ut enim diximus ſupra multùm inter ſe differunt probabilitas de bono, & honeſto, & probabilitas de licito: Illa enim pro lege eſt: iſta verò pro commodo, & libertate. Illa conſtituit hominem perplexum ſi eſt in concurſu alterius oppoſitæ, quia utraque parte ſupponitur pro lege, ac proindè eius ignorantia vinci non poteſt per electionem tutioris partis: iſta verò non ſic quia eius ignorantia vinci poteſt per electionem oppoſitæ ſtantis pro lege. Et ideò illi ſancti viri trepidabant, quia utrinque legem inſpicientes, quò ſe verterent, neſciebant. Ex quo erat, quod adhùc trepidanter agendo, non peccabant.

963 Atque hinc obiter notandum eſt magnum diſcrimen inter timorem illum ſanctorum meritò commendabilem; & formidinem eorum, qui ex opinione probabili de licito ad opus procedunt, relicta tutiore pro lege: hæc enim damnabilis eſt, quia oppoſitâ electione vinci poteſt, & debet; atque ideò conſcientiam accuſat: non autem illa. Quod ſeriò adnotare volui contra nonnullos Probabiliſtas, qui ex formidine opinionis de licito in ipſo opinionis uſu practicè perſiſtente, credunt non peccari ab agente, exemplo ſanctorum, & teſtimonio Sacræ ſcripturæ, ubi operari cum timore a Spiritu Sancto commendatur: ſed malè arguunt ex uno ad alium timorem, cum, ut dictum eſt, ſint longè inter ſe diverſi.

964 Audiat denique P. Cardenas Bernardum *lib. de præcept. & diſpenſat. cap.* 14. Ubi docet in electione neceſſariam eſſe veritatem ſecundùm ſcientiam: & nomine ſcientiæ prudentiam intelligit, quæ, ut ſupra explicavimus, veritatem non ſecundum ſe, & ſpeculativam; ſed practicam reſpicit, & conſiſtentem in conformitate intellectus practici cum appetitu recto per intentionem finis. Videatur ubi ſupra alioquin (inquit) non erit ſimplex oculus noſter, ſicut præcipit prima veritas Chriſtus: Et quod ſi aliter ignoranter fecerimus, ignorabimur à Deo. Eius verba ſunt ſequentia: *Ut interior oculus* (inquit) *verè ſit ſimplex, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem: nam ſi bonum quidem deligat* (hoc eſt quod putat bonum) *ſed verum non eligit; habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam. Et neſcio quemadmodùm iudicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas. Volens denique ad veram diſcipulos inſtruere ſimplicitatem magiſtra veritas: Eſtote, inquit, prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut Columbæ. Præmiſit ergo prudentiam, ſine qua neminem ſatis eſſe poſſe ſimplicem, ſcirent. Quomodo denique verè ſimplex erit oculus cum ignorantiâ veritatis? aut verò vera poteſt dici ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas? ſcriptum eſt enim: ignorans ignorabitur. Patet ergo laudabilem illam, & a domino laudatam ſimplicitatem abſque his duobus non eſſe bonis, benevolentiâ, atque prudentiâ, ut oculus videlicet cordis non ſolùm pius, qui fallere nolit; ſed & cautus ſit, qui falli non poſſit.* (& paucis interpoſitis ſubdit) *ſive itaque malum putas bonum, quod fortè agis: ſive bonum malum, quod operaris, peccatum eſt.* Hæc Bernardus. Quid clarius? charitatem in intentione, & benevolentiam; hoc eſt amorem, & volitionem efficacem boni finis exigit Bernardus, & ſcientiam, ſeu prudentiam, ac cautionem electionis conformiter ad appetitum, & voluntatem boni finis; ad hoc ut quis non peccet; & laudatam illam a domino ſimplicitatem abſque his duobus conſiſtere non poſſe: immò abſque his ſi contigerit aliquem ignoranter falli, de peccato illum condemnat. Quæ eſt procul dubio ipſiſſima doctrina noſtra ſuperiùs tradita.

965 Scio tamen optimè ab Adverſariis, & Patre Cardenas, hos omnes Sanctos Patres, & mille alios ſi adduxerim, unâ ſolâ reſponſione facil-

facillimè elidi poſſe, quod ſcilicet loquantur omnes de probabilitate chymerica;& de errore, & ignorantia contra legem per ſe patentem, claram, & manifeſtam, ſicut dixerunt ad textū D. Thomæ *quodlib*. 8. & Auguſtini *in lib.* contra Academicos.

966 Sed cogitent apud ſe viri ſinceræ intelligentiæ, & veritatis amantes, ſi vera reſponſio, an fuga potiùs vel moleſta calumnia, hæc dicenda ſit. Ipſi ſint Judices, & cenſores veritatis. Quis enim non videat hac gloſsâ ſive opportunè, ſive importunè, poſſe illos quæcumque dicta Sanctorum Patrum ſibi oppoſita facilè calumniari? Dicant, & millies repetant Sancti Patres, & Eccleſiæ Doctores non licere uti opinione probabili: denegent expreſsè probabilitati practicæ prudentiam, certitudinem operandi, ignorantiam invincibilem, omnia jura, quæ illi paſſim tribuunt Probabiliſtæ; loquantur de practica probabilitate quibuſcumque expreſſionibus juxta ſententiam noſtram: ſemper eamdem calumniam in promptu habebunt Adverſarii noſtri, quod ſcilicet intelligi debeant de probabilitate chimerica contra legem manifeſtè, & evidenter claram, & ſimilia. Quaſi vellent nos cogere, ut inveniamus Sanctos Patres, qui iiſdem ſuis propriis terminis utantur, & iiſdem verbis dicant expreſsè, ſe non loqui de probabilitate chymerica, nec contra legem manifeſtè, & evidenter claram, prout Recentiores iſti eos interpretantur, ne videantur Sanctis Patribus contradicere. At hoc certè ridiculum eſt: neque enim Sancti Patres eiuſmodi gloſſam ſuis dictis applicandam potuerunt prævidere; neque ſimiles expreſſiones eorum dicta exigebant; neque nos eas in illis invenire ulla bonâ Theologiæ lege tenemur.

§. III.

Confirmatur denique reſolutio noſtra authoritate Pontificia, & aliorum.

967 Ulteriùs niſi eâdem, vel ſimili gloſsâ præcedenti ſupremi Catholicæ Romanæ Eccleſiæ capitis verba, aut eius ore prolata, aut ſaltem eiuſdem authoritate firmata eludantur; intentum noſtrum probant ſatis manifeſtè. In Proemio enim Decreti Alexandri VII. ſub die 24. Septembris 1665. quo viginti octo propoſitiones expunctæ fuerunt, ſic legitur: *Sanctiſſimus D. N. audivit non ſine magno Animi ſui mærore quamplures opiniones chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus operandi irrepſit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina: & quem ſi pro rectâ regula fideles* (nota) *in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela.* Ubi ut vides, lector, de ſummâ luxuriantium ingeniorum licentiâ prodiiſſe dicitur modus operandi alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrinâ, Sed quiſnam eſt eiuſmodi modus operandi, qui ex ſumma luxuriantium ingeniorum licentia irrepſit, niſi modus operandi ſecundùm probabilitatem opinionum? Hunc modum enim pro regula agendorum eiuſmodi ingenia tradiderunt, & non alium. Et tamen de modo illo in eo proemio fit mentio; qui pro regula agendorum traditus ſupponitur, dùm ibidem immediatè ſubditur: *Et quem ſi pro rectâ regulâ fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela.* Quid clarius?

968 Si autem his verbis velint adverſarii ſuam gloſſam apponere, quod ſcilicet intelligantur de modo operandi ſecundùm probabilitatem chymericam, & contra legem manifeſtè, & evidenter claram. Nihil mihi dicendum ſupereſt, niſi quod nunc permaximè ingenia eorum luxuriari videantur. Quis enim umquàm præſertim Catholicorum adeò luxuriante ingenio deſipuit, ut pro rectâ regulâ agendorum voluerit probabilitatem chymericam, & contra legem claram inducere; ut hanc ab aliquo inductam, & irrepſiſſe ſupponat, ac ideò damnet Eccleſia? An potiùs Pontifex hoſtem ſibi fingit, quem feriat? quis hoc dicat?

969 Quod ſi ad hoc replicent Adverſarii, talem probabilitatem re verâ, nempè chymericam, exercitè irrepſiſſe in Eccleſiâ, & talem pro regulâ ab aliquibus practicari; non tamen fuiſſe ab Authoribus ſuis, ut talem ſignatè cognitam, atque ut talem ſignatè traditam pro regulâ, quaſi voluerint ſignatè probabilitatem chymericam, & contra legem claram, & manifeſtam ſtantem, ad licitè operandum ſufficere; non enim illi ita, & ex animo docuerunt; ſed quia eiuſmodi erat ſuarum opinionum probabilitas: de quâ propterea dolet, & eam damnat Eccleſia, quantumvis ab ipſis ſuis Authoribus quà talis agnita non fuerit. Undè non hoſtem ſibi fingit Eccleſia, quem feriat; ſed illum ſupponit licet ſuis Authoribus occultum, ac propterea meritò in illum invehitur. Hoc eſt quod poſſunt ad ſummum nobis replicare, ſed ſi (inquam) ſic replicent; dicant ipſi in quo ſuam, quam docent, probabilitatem ſignatè certò agnoſcunt, non eſſe chymericam, & contra legem claram, & manifeſtam; ut ſic liberè poſſint illam pro regulâ agendorum tradere; & gloriari quod ſub præfato Pontificis decreto nullatenùs comprehendantur: niſi enim hoc dicant, & demonſtrent; ſemper erunt de eadem cenſurâ ſuſpecti, & manebit eorum probabilitas prorsùs inutilis. Bone Deus! quid ergo ſcribimus, ut diſcamus, quænam opinio ſit verè probabilis, vel chymericè; quævè contra legem ambiguam, & obſcuram; aut claram, & mani-

Digitized by Google

manifeſtam? Si tot viri aliàs putati docti, & ſapientes, in eiuſmodi claritate manifeſta caligaverunt? quis nobis clarius mutuabit lumen? A tribus noviſſimis ſupremis Pontificibus Alexandro videlicet VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. fere centum, & quatraginta quinque propoſitiones damnatæ ſunt; & unaquæque plures pro ſe Doctores habuit; & omnes iſti probabilitatem ſuarum opinionum non agnoverunt fuiſſe chimericam, aut contra legem manifeſtam, & claram: & nos de noſtris certi erimus, aut Probabiliſtæ iſti de ſuis? Ut quid de modo iſto igitur adeò Authoribus ſuis, etiam in ſua claritate obſcuro & dolet, & conqueritur Pontifex, quod irrepſerit, illumque prohibet Catholicis ſuis; nec tamen adhuc eis ſuum lumen oſtendit, quo illum agnoſcant, & vitent? Tu lector hæc benè tecum cogitans, iudex ſis, & arbiter. Ego enim ſatis exiſtimo Summos Chriſti Vicarios ſuo infallibili lumine hactenùs oſtendiſſe, non eſſe firmam agendorum regulam probabilitatem; nedùm quidem chymericam, quam iſti fingunt, aut quæ eſt contra legem claram, & manifeſtam, ſi tamen ſit poſſibilis; ſed etiam veram, & quamlibet generaliter: Subindeque non eſse eiuſmodi regulæ fidendum, quia ſi contingat contra legem eſse & in ſe falſam, non excuſat juxta quod nos ſupra explicavimus ex Divo Thoma.

970 Quot autem in hoc eodem ſenſu Doctores, & Univerſitates abundent, prætereo: videri enim poſsunt apud alios Authores. Ego enim invenio citatos inſignes Parochos Rothomagenſes, & Pariſienſes, totumque Clerum Gallicanum, & Archiepiſcopum Senonenſem in ſua cenſura ſub die 4. Settembris 1658. plaudente totà eius Synodo Epiſcopali. Quinque etiam alios Doctiſsimos Præſules Alectenſem, Appamienſem, Convenarum, Vaſanenſem, & Conſeranenſem in ſpiritu congregatos poſt accuratum examen, atque fuſis ad Deum precibus ſub die 24. Octobris 1658. ſuam etiam cenſuram pronunciaſse adverſùs eiuſmodi doctrinam probabilitatis, eamque tamquam falſam declaraſse, ſimplicitati chriſtianæ, Spiritus Chriſti ſinceritati, traditæ nobis ab Apoſtolis illius nomine doctrinæ contrariam, animaſque fallaci ſpe ſecuritatis ad certam ſalutis perniciem impellere. Idemque feciſse eodem anno ſub die 12. Novembris Epiſcopum Bellovacenſem, ubi doctrinam eiuſmodi omnium corruptelarum ſcaturiginem appellat. Et Epiſcopum Vencienſem 6. Maii 1659. & in Belgio Archiepiſcopum Mechlinienſem, & Epiſcopum Gandavenſem cum Academia Lovanienſi. Et in Italia Theologos, & Canoniſtas præſtantiſsimos; quos omnes, & alios paſsim, & reſpectivè referunt Fagnanus, Baronius, Contenſonus, Gonetus, & alii.

971 Neque ſilentio præterire fas eſt literas Reverendiſsimi Patris Mutii Vitelleſchi totius Societatis Jeſu Præpoſiti Generalis ad totam Societatem datas ſub die 4. Januarii 1617. Ubi ſic monet filios ſuos: *Nonnullorum* (inquit) *ex Societate ſententiæ in rebus præſertim ad mores ſpectantibus plus nimio liberæ, non modò periculum eſt, ne ipſam evertant; ſed ne etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia aſferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant, ut qui docent, ſcribuntve, minimè hac regulà, ac normà in delectu ſententiarum utantur: Tueri quis poteſt: Probabilis eſt: Authore non caret. Verùm ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum maioriſque nominis Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ; quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queant; non vaſtare, non perdere.* Hæc ille.

CAPUT UNDECIMUM.

De inefficacia rationum, quas pro ſe contra nos congerunt Probabiliſtæ.

§. I.
Solvuntur argumenta præcipua Adverſariorum.

972 IN oppoſitum autem obiiciunt Probabiliſtæ, & moleſtè repetunt, ac magnificant argumentum illud, quod eis videtur in hac materia argumentorum Achilles: nempè: qui prudenter operatur non peccat: qui autem ſecundùm opinionem practice probabilem agit, prudenter operatur; quia rationi gravi, ac prudenti innixus procedit ad opus. Ergo non peccat.

973 Sed huic argumento patet jam ex dictis fuiſse ad ſatietatem & copiosè reſponſum: & nunc iterum reſpondeo iuxta ibi dicta negando minorem. Ad cuius probationem licet negandum eſset antecedens, tamen adhuc illo gratis dato, nego conſequentiam. Non enim ex hoc quod quis rationi gravi, ac prudenti opinionis probabilis innixus procedit ad opus, ſequitur quod prudenter operetur. Et ratio huius eſt quia ratio illa prudens, & gravis opinionis probabilis, eſt ratio opinandi, & non ratio agendi: qui autem vult prudenter agere, oportet quod procedat ex prudente ratione agendi; & non ex alia quæ ſit talis in alià lineà: omnes enim primæ rationes, vel quæ earum locum obtinent, ſunt tales unaquæque in propria lineà, non autem extra illam: ut conſtat diſcurrendo per ſingulas; ſic enim ratio gravis, & prudens dubitandi, non extenditur ad prudenter opinandum. Et ratio gravis, & prudens opinandi, non extenditur ad aſsenſum infallibilem, & prudentem fidei. Et prima veritas in dicendo, quæ eſt ratio gravis, & prudens fidei, non extenditur ad ſciendum, & ſic de aliis. Pariformiter igitur ratio gravis, & prudens opinionis, cum ſit talis tantùm ad iudicium prudens opinativum, quod eſt iudicium ſpeculativum de re

opinabili, etiamſi hæc ſit materialiter aliquod agibile, ut diximus; quia non iudicat de illo, ut formaliter agibili, ſed ut ſpeculabili, ſecundùm quod ſcilicet magis videtur eſse in ſe tale, vel tale; non extenditur ad iudicium prudens agēdi, quod debet eſse iudicium practicum, hoc eſt de agibili, ut formaliter agibili hìc, & nunc; quod eſt dicere non ſpeculando veritatem eius in ſe, an ſcilicet ei conveniat prædicatum liciti, vel illiciti, ſicut facit opinio: ſed iudicando an hìc, & nunc expediat agenti illud eligere pro fine conſequendo, quò tendit: ſæpè ſæpius enim etiam quod licet non expedit agenti illud agere, quia fortè minùs aptum eſt ad finem, quem intendit: & ſi illud eligat, non prudenter agit: atque ideò aliud iudicium requiritur ad agendum, quod ſcilicet ſit per conformitatem ad finem, quem appetit, & intendit efficaciter agens. Et hoc eſt quod ſupradiximus, & iterùm dicimus, quod verum practicum eſt per conformitatem intellectus ad appetitum rectum per intentionem finis, & de hoc vero debet eſſe iudicium agendi, ſeu practicum, atque ideò valdè diverſum eſt à iudicio opinionis, quod præſcindit à fine hìc & nunc intento ab agente, & ſolum eſt de veritate ſecundùm ſe, hoc eſt de prædicatis liciti, vel illiciti, quæ agibili illi ſecundùm ſpeciem ſuam opinato videntur magis in rei veritate competere. Quod profectò ſi adverriſſent Probabiliſtæ, non confudiſſent iudicium opinionis practicè probabilis cum iudicio prudentiæ. Hoc enim eſt practicum, & iudicat de conformitate agibilis cum appetitu agentis recto per intentionem finis: illud verò ſpeculativum, & iudicat de prædicatis illi re vera competentibus. Hoc ad prudentiam pertinet, & à virtutibus cognoſcitivis, quibus utitur prudentia elicitur, ut diximus in ſuperioribus: illud ad opinionem. Neque opinio & prudentia confundi poſſunt: Prudentia enim eſt virtus intellectualis, & infallibilis ab obiecto ſuo, quod eſt verum practicum: opinio autem non eſt virtus, quia fallibilis eſt a proprio obiecto, quod eſt verum ſpeculativum; etiam ſi materialiter illud ſit aliquod agibile, & practicum, ex quo opinio dici poſsit, & dicatur practicè probabilis: & ideò Philoſophus excluſit eam a numero virtutum; inter quas tamen prudentiam repoſuit.

974 Obiiciunt ſecundo quia cum ſit difficillimum in omnibus reperire veritatem, noluit Deus homines obligare, niſi ut operarentur cum certitudine ſola morali; non enim certitudo phiſica, aut metaphiſica neceſſaria eſt ad agendum. Quare Philoſophus 1. *Ethic.* dicit: *Quod diſciplinati eſt in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ: æquè enim vitioſum eſt perſuadentem quærere mathematicum, & moralem demonſtrantem.* Sed qui operatur ſecundùm opinionem probabilem, operatur cum morali certitudine: nam certitudo moralis illa eſt, quæ nititur in aliqua ratione gravi, & prudente. Ergo qui operatur ſecundum opinionem probabilem, non ad ampliùs obligatur, ac proindè non peccat.

975 Huic argumento reſpondeo ſufficere utique moralem certitudinem ad prudenter operandum, nec requiri phiſicam, demonſtrativam, aut mathematicam: ſed nego quod certitudo hæc moralis haberi poſsit ex opinione practicè probabili, neque directa, neque reflexa, ut ſupra oſtendimus: neque certitudo moralis eſt illa, quæ nititur in aliqua ratione gravi, & prudente, qualis eſt illa opinionis probabilis, ut dicunt Probabiliſtæ; quæ eſt ratio ſpeculativa conducens ad inquiſitionem veritatis in ſe; ſed quæ innititur rationi gravi, ac prudenti conducenti ad inquiſitionem conformitatis medii ſeu agibilis propter finem ab agente efficaciter intentum, quæ eſt ratio practica inſerviens prudentiæ ad formandum iudicium practicum de agendis hìc & nunc propter finem, iuxta appetitum agentis rectum per efficacem intentionem illius. Quod quidem iudicium eſt longè diverſum à iudicio opinionis, imò illi oppoſitum, ſi opinio ſit de licito & ſtans pro commodo, & libertate, & præcipuè contra oppoſitam ex adverſo ſtantem pro lege. Quemadmodùm conſtat in negotiatore, vel alio agente propter ſuos particulares fines, qui ſi ageret ex opinione probabili ſtante pro ipſius ſenſuali commodo, & libertate agendi, contra oppoſitam ex adverſo ſtantem pro maiori ſecuritate lucri, vel alterius finis a ſe efficaciter intenti, non diceretur procedere cum certitudine morali ad proprium finem, nec prudenter: Imò in verbo negotii ab omnibus imprudentiæ redargueretur, eo quod iuxta illam opinionem pro commodo potiùs ageret, & manifeſto iacturæ periculo proprii finis in ſuo principali negotio ſe committeret.

976 Quare nos qui inter diſciplinatos computari volumus, non exigimus perſuadentem mathematicum, aut moralem demonſtrantem; ſed certitudinem juxta uniuſcuiuſque materiæ exigentiam. Et ideò in materia morali, & agibilium contenti ſumus certitudine ſaltem morali, ubi phiſica haberi non poteſt. Sed quænā ſit certitudo hæc moralis, jam diximus, & iterùm dicimus cum D. Thoma, eſſe quod in agibilibus procedatur ex judicio prudentiæ, quod ſcilicet ſit conforme ad appetitum rectum per intentionem finis, ſuperiùs explicatum; etiam ſi contingat eſſe difforme ad veritatem obiecti in ſe, & ſit in ſeipſo phiſicè falſum. Non ergo nos exigimus certitudinem, & veritatem phiſicam, aut mathematicam, quæ fit, & habetur per conformitatem intellectus cum obiecti veritate in ſe, & aliquandò haberi non poteſt; ſed moralem, quæ quandoque ſtat cum falſitate, & errore intellectus. Sed hæc haberi non poteſt ex vi opinionis practicè probabilis, ut oſtenſum eſt. Et quidem valdè miror, quomodo ex illa haberi poſſe dicant Adverſarii, cum ipſi expreſsè fateantur, quod ubi habetur certitudo

mo-

moralis de aliqua aſſertione, aſſertum oppoſitum hoc ipſo evadit improbabile, & certo falſum; ſicut multoties dicit, & repetit P. Cardenas: ex quo per illationem oppoſitam manifeſtè infertur, quod ſi in aliqua opinione probabili haberetur certitudo moralis, hoc ipſo illa evaderet certò vera, ac proindè non maneret ampliùs opinio probabilis, cui, ut ipſi fatentur, eſſentialis eſt incertitudo; ſed tráſiret in quamdam ſpeciem ſcientiæ ſaltem moraliter: cur igitur ipſi adhùc opinionem probabilem appellant, & in ea moralem certitudinem volunt reperiri? Sed hoc obiter dictum ſit.

977 Pro maiori autem doctrinæ noſtræ, & veritatis evidentià, eſt ſummoperè advertendum, quod ad prudenter agendum in quocumque genere agibilium, & multò magis in genere moris, duplex veritas deſideratur. nempe juris, & facti. Nam in unoquoque genere agibilium jus aliquod reperitur, quo agens quaſi certa quadam lege, ſeu modo agendi, in eo genere regi debet: & ſimiliter reperitur factum, ſeu opus, quod eo jure ſupponitur regulandum, vel regulatum. Undè oportet, quod agẽs prudens, antequam aliquid agat, utriuſque veritatem inquirat, nempe juris ſecũdùm quod regulari debet; & facti, in quo per id jus debet regulari. Sunt namque veritates iſtæ diverſæ, & quandoque contingit, quod agens non erret in jure, & tamen fallatur in facto, dum aliud agit ab eo, quod intendit propter aliquam latentem circumſtantiam, quæ factum variat; ſicut accidit Jacob, qui jus benè ſciens, credidit accedere ad Rachelem ſuam, ſed in ipſo acceſſu deceptus fuit, cum re verà acceſſerit ad aliam, præter intentionem ſuam, ibi ſubmiſſam. Oportet igitur quod agens prudens utramque veritatem inquirat; & de utraque certificetur ſive phiſicè, ſivè ſaltem moraliter, alioquin non poterit à peccato excuſari; quia ſi contigerit ex defectu ſuo error, erit ei imputabilis, quatenus incautè procedit, ſe commitens periculo. Ex quo patet, quod nos non exigimus ad prudenter agendum pluſquam certitudinem moralem, ubi phiſica haberi non poteſt, vel eam quis habere non tenetur. Et in hoc convenimus cum omnibus.

978 Sed eſt hìc advertendum quod, ut dictum eſt, utraque eiuſmodi veritas poteſt agẽti eſſe certa dupliciter; videlicet, vel certitudine phiſica, vel morali. Certitudo autem phiſica habetur per ſcientiam, vel per cognitionem infallibilem attingentem veritatem obiecti in ſe quæ eſt veritas ſpeculativa, importans conformitatem intellectus cum obiecto in ſe. Et hæc certitudo, non eſt agenti abſolutè, & formaliter neceſſaria; ſed ſolùm præſuppoſitivè quatenùs præſupponitur ad certitudinem moralem; & ad illam non ſemper homo tenetur, quia illam non ſemper poteſt habere. Certitudo autem moralis habetur per quamdam cognitionem in ſe fallibilem, & defectibilem à veritate in ſe ſeu phiſica obiecti; ſed indefectibilem à veritate moraliter ſumpta: & hæc certitudo ſemper eſt neceſſaria agenti, ut prudenter agat; quia ad illam ſemper tenetur, & ſemper poteſt illam habere. Quod ut clariùs intelligatur, oportet conſiderare, quod ut homo in quocumque genere agibilium prudenter agat, non aliud opus eſt ei, niſi ut diligenter attendat ad finem, quem intendit efficaciter aſſequi, & rectà ad illum incedat per id, quod agit. Quid enim eſt prudenter agere, niſi rectè agere? prima autem ratio rectè agendi eſt finis, propter quem omne agens agit: undè prudentia, quæ ex propria ſui definitione dicitur recta ratio agibilium, ex fine tamquam ex primo, & fontali principio habet de agendis propter illum judicare. Eſt quidem finis veluti quædam lex agenti, connaturaliter in eo reſultans ex præſuppoſita ipſius efficaci intentione eiuſdem finis, dictans ei, eumque obligans ad inquirenda media ſibi benè conformia, atque ad ſe efficaciter conducentia; cui ſi obediat, media verè conformia eligendo, procul dubio prudenter aget in eo genere agibilium, in quo eſt finis. Hinc ſupra ex D. Thoma diximus, prudentiam eſſe de eligendis propter finem: & judiciũ eius eſſe practicum, non ſpeculativum: & judicare de veritate practicà, conſiſtente, ut idem D. Thomas explicat, in conformitate judicii, & rei judicatæ cum appetitu recto per efficacem intentionem finis.

979 Ex quo fit quod homo, ut prudenter agat, ex ipſo fine, quem ſupponitur efficaciter aſſequi velle, quaſi ex nativo jure obligatur, & tenetur inquirere, & invenire opportuna media, & verè conformia cum huiuſmodi ſuo appetitu recto per intentionem finis, ut certò illum aſſequatur, ſicut appetit; & non fraudetur à deſiderio ſuo. Undè tenetur ſcire de actu ſuo, antequam agat, ſi ſit cum huiuſmodi appetitu ſuo recto verè conformis, & de hoc certificari; ſi velit efficaciter, & certò aſſequi finem, ut ſupponitur velle; & nolit contra finem, ſeu contra huiuſmodi jus nativum, imò & contra ſuum appetitum rectum delinquere, quo certè nihil imprudentius dici poteſt. Non debet igitur, nec poteſt actum admittere, quem ita conformem non videt, imò quem manifeſtè videt à conſecutione finis facilè poſſe deficere; quia quicumque eſt talis, non poteſt cum efficaci appetitu ſuo recto judicari conformis; imò ex hoc convinceretur finem ipſum, eiuſque jus contemnere, & imprudenter agerẽ; non enim juxta rectam rationem agendi ſic ageret; nec nativo illi juri ex fine efficaciter intento ſibi provenienti, quod eſt prima, & per ſe, recta ratio agendi, ſe ſubiiceret, ſicut deberet. Ergo ut prudenter agat homo, debet cum tali conformitate agere, ac per conſequens illam in actu ſuo totâ diligentiâ perquirere, de eâque certificari quantum ſaltem moraliter poteſt.

980 Ad hoc autem exigitur, quod priùs pro-

proprium actum agnoſcat ſecundùm ſuum eſſe phiſicum, quod debet eſſe materia, ſeu ſubiectum huiuſmodi conformitatis: niſi enim actum in ſuâ ſpecie phiſicâ agnoſcat, ſed deceptus ex ignorantiâ facti, unum actum pro alio accipiat non poterit conformitatem eius cum ſuo appetitu recto, vel diſformitatem agnoſcere; ſicut accidit Jacob in acceſſu ad Liam, credens eſſe acceſſum ad Rachelem; ex quo nõ potuit actus ſui diſformitatem agnoſcere, quam habebat ad rectum appetitum ſuum: atque ideò opus eſt unicuique agenti agnoſcere priùs actum, ſeu factum, quod agit, in ſuo eſſe phiſico, & ſine errore: & poſtea debet de illo videre, qualiter ſe habeat ad appetitũ ſuum rectum finis, quò efficaciter tendit, ut certò illum aſſequatur. Duo hæc igitur, & nihil aliud debet agens diligenter attendere, ut prudenter agat in quocumque genere agibilium, & de utroque debet certificari, quantùm ſaltem moraliter poteſt.

981 Sed eſt hìc etiam advertendum, quod ſcientia, ſeu cognitio hæc tam actus in ſuo eſſe phiſico, quàm conformitatis eius cum appetitu recto per intentionem efficacem finis, poteſt conſiderari dupliciter: & primò ita ut ſit quædam cognitio attingens in ſe veritatem rei, ſicut de facto res eſt in ſeipsâ à parte rei ex parte obiecti cogniti, & hæc dicitur veritas phiſica, & obiectiva; & ad hanc cognitionem habendam non ſemper tenetur agens, quia non ſemper eſt ſibi poſſibilis: alioquin ad rectè & prudenter agendum exigeretur certitudo quædam ſcientifica, & demonſtrativa, quod aſſerere abſurdum eſt apud Viros benè diſciplinatos, juxta dictum Philoſophi 1. *Ethic. cit. ibi: Diſciplinati eſt in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ: æquè enim vitioſum eſt, perſuadentem quærere mathematicum, & moralem demonſtrantem.* Secundò, ita ut ſit quædam cognitio attingens in ſe veritatem rei, ſicut de facto res in ſeipſa eſſe omninò apparet, & hæc dicitur veritas moralis, quæ ſcilicet ſecundùm exiſtimationem prudentum videtur omninò certa, & indubitabilis; & hanc cognitionem tenetur habere agens de actu ſuo ſecundùm eius eſſe phiſicum, & de eius conformitate cum ſuo appetitu recto per intentionem efficacem finis; debet enim de his duobus eſſe moraliter certus, ut prudenter agat. Undè nos non prætendimus in agente certitudinem ſcientificam, ſeu metaphiſicam, aut mathematicam, ſicut de nobis credunt Probabiliſtæ; ſed certitudinem moralem, quam tamen negamus haberi poſſe virtute opinionis probabilis.

982 Convenimus itaque cum ipſis in hoc, quod ad benè, & licitè agendum, ſatis eſt, & ſufficit moralis certitudo de honeſtate, vel licentiâ actus; ſeu quod idem eſt, de conformitate actus ad legem, vel ſaltem de non diſformitate eius ad illam, ac per conſequens ad appetitum rectum agentis, qui ſupponitur de ipſa lege eſſe ut efficaciter adimplendâ; alioquin non erit rectus eius appetitus in eo genere agibilium, in quo debet prudenter agere, quia ut diximus, in quocumque genere agibilium ex fine, quem efficaciter intendit, regi debet agens, ut prudenter agat; & finis eſt ipſi lex ipſum obligans, ut nullum actum admittat, qui ſit diſformis, & poſſit ipſum impedire, & fraudare ab appetitu, & deſiderio ſuo efficaci illum conſequendi. Et in propoſito noſtro, hoc eſt in genere agibilium moralium, in quo ſumus, divinæ leges ſunt finis efficaciter intentus à prudenter agente in genere moris; qui enim in hoc genere prudenter vult agere, debet efficaciter intendere, & appetere, ut omnis eius operatio ſit iuxta legem, vel ſaltem quod non ſit contra legem; & totum hoc debet velle effectivè, & de facto aſſequi tamquam finem per ſe intentum; & finis iſte effectivè & in re aſſequẽdus debet eſſe ei lex agendi, quidquid agit. ac per conſequens debet de hoc fieri moraliter certus in omni operatione ſua, ſi ſit huiuſmodi ſuo appetitui recto conformis, vel ſaltem non diſformis. Quod Probabiliſtæ negare non poſſunt, nec defacto negant; ac propterea in hoc convenimus. Diſcrepamus autem quia ipſi certitudinem hanc moralem prætendunt ſatis haberi per opinionem practicè probabilem: nos autem hoc negamus. Et volumus haberi per aliam cognitionem ſcientiâ quidem inferiorem, maiorem autem opinione probabili; & hæc eſt cognitio quædam attingens actum in ſuo eſse phiſico, eiuſque conformitatem ad appetitum rectum agentis ſecundùm quod in ſe omninò apparet ita eſse iudicio prudentum, ut exiſtimetur res certò vera, veritate nimirùm, atque certitudine morali; ſicut infra meliùs explicabitur.

983 Et huiuſmodi cognitionem audeo ego ſcientiam appellare, non phiſicam, ſed moralem, per quamdam analogiam ad ſcientiam phiſicam; quatenùs ſcilicet, ſicut ſcientia phiſicè ſumpta habet attingere certò, & evidenter obiectum ſicut eſt phiſicè in ſeipſo, & in rei veritate; ita cognitio hæc habet certò, & evidenter attingere obiectum ſicut in ſeipſo ſe habet ſecundùm propriam ipſius faciem, ſeu apparentiam, ut prudenti iudicio iudicandum; etiam ſi fortè intrinſecus aliter ſe habeat. Et ratio huius eſt quia ſcientia hæc, quam moralem appello, ideò moralis dicitur, & non phiſica; quia obiectum attingit non ſicut ſe habet in ſe phiſicè, ſed ſicut in ſe ſe habet moraliter; quod idem eſt, ac dicere: ſicut in ſe ſe exhibet ſecundùm faciem, & apparentiam ſuam; ita ut ita attingatur, ſicut verè ſe exhibet attingendum. Quando enim obiectum omninò ſimile vero apparet, ita ut non poſſit à vero diſcerni, aut falſum prudenter dubitari, tunc moraliter verum eſt; etiam ſi phiſicè non ita ſit: atque ideò hæc moralis ſcientia dici poteſt, quia eſt cognitio certa, & evidens, de veritate morali; ſicut ſcientia phiſica eſt de veritate phiſicâ. Undè ſcientiam mo-

talem hic appello, non in eo ſenſu, quo ſcientia moralis dici ſolet illa, quæ eſt de materiâ ſpectante ad genus morum, & honeſtatem vitæ; ſed in alio ſenſu, quatenùs ſcilicet eſt de obiecto ut omninò in ſe vero ſecundum eius faciem cuicumque viro prudenti apparente, ac per conſequens ut certò moraliter pro vero in ſe exiſtimando. Et certè ſi verum eſt, dari moralem certitudinem, ut fatentur omnes; cur non erit etiam verum dari, moralem evidentiam, & indè optimè dici poſſe moralem ſcientiam? Et ſi moralis certitudo non ſemper eſt cum veritate in ſe, & phiſicâ obiecti; oportet quod non reſpectu veritatis abſolutè in ſe conſideratæ dicatur certitudo, ſed reſpectivè potiùs ad cognoſcentem, cui omninò ut veritas in ſe ſecundùm faciem apparet. Nihil ergo prohibet, quod & eodem modo in ſenſu explicato ſit moralis quædam ſcientia, cuius obiectum non ſit veritas ipſa phiſica in ſe abſolutè, ſed potius veritas in ſe, ut ita dicam, facialis reſpectivè ad cognoſcentem. Et hanc ſcientiam volumus requiri de illis duobus requiſitis ad prudenter agendum in quolibet genere agibilium, nempè de actu, qui agitur, & de eius conformitate cum fine, & appetitu recto agentis in eodem genere finis; alioquin agens imprudenter agit.

984 Ex quibus ſic explicatis plenè conſtat nos non velle in moralibus certitudinem phiſicam, aut mathematicam; ſed certitudinem ſive phiſicam, ſive moralem. Imò dicimus numquam phiſicam requiri, quæ ad rationem ſpeculativam pertinet, & per veram ſcientiam phiſicam haberi poteſt; per opinionem verò quæritur, ſed inveniri vix poteſt; ſed quidquid ſit de hoc; hæc numquam requiritur per ſe, & formaliter in agente; ſed ad ſummum præſuppoſitivè; quia agens in agendo non regitur iudicio ſpeculativo, ſed practico; imò nec illo regi poteſt immediatè, niſi formet ſibi aliud practicum, quo formaliter, & immediatè regatur. Et ratio huius eſt, quia actiones ſunt ſingularium, ad quæ ratio ſpeculativa non ſe extendit, undè communiter dicimus de ſingularibus non eſſe ſcientiam. Oportet ergo quod agens, cum verſetur circa ſingularia, alio iudicio regatur, quo de ſingularibus ſibi agendis iudicet, quod nequit aliud eſſe niſi, iudicium practicum prudentiæ, quæ proindè dicitur recta ratio agibilium, & habet de ſingularibus iudicare, ſeu de agendis hic, & nunc propter finem proportionaliter ad ppetitum rectum agentis volentis efficaciter finem. Etenim huiuſmodi iudicium non poſſit eſſe ſecundùm veram ſcientiam phiſicam huiuſmodi ſingularium, quia ſingularia ſemper contingentia ſunt, & potentia aliter ſe habere ob variabiles circumſtantias, quæ non omnes, nec ſemper poſſunt ſub conſideratione cadere; ac per conſequens non poſſit eſſe ſecundùm certitudinem phiſicam; oportet quod ſit certum ſecundùm moralem certitudinem, ſeu ſecundùm ſcientiam quamdam diminutam, & analogicè dictam, quam moralem appellavimus, cui poteſt utique ſubeſſe falſum phiſicè ſumptum, non autem moraliter; quia verum moraliter ſumptum alterius generis eſt a vero phiſico, licet hoc præſupponat; ſed non præſupponit illud, ut ad ipſum propriè pertinens, ſed ut potiùs impertinens, & præſumptum de materiali; ita ut illo etiam deficiente, ipſum non deficiat. Undè non deficit v. g. veritas moralis actus eleemoſinæ, & ſublevationis pauperis à miſeriâ, quantumvis deficiat veritas phiſica præſuppoſita de miſeriâ illius; quia ad miſericordem non pertinet phiſica veritas miſeriæ, licet neceſſariò præſupponatur, ſed ſatis eſt ei veritas moralis illius, quæ ſibi procul dubio evidens, & certa moraliter eſt, quia evidenter, & certò, ſpeciem extrinſecam, ſeu faciem illius undequaque videt. Hoc enim eſt proprium obiectum iudicii practici, & moralis, neque circa hoc fallitur formaliter, quantumvis fallatur in ſuo præſuppoſito, & materialiter, quod eſt obiectum alterius facultatis nempè ſcientiæ. Et ideò iudicium hoc practicum ad prudentiam pertinet, quæ non fallitur circa proprium obiectum; alioquin virtus intellectualis non eſſet, quia intellectum non perficeret. Cum igitur certum ſit eam eſſe virtutem intellectualem, & diſtinctam à ſcientiâ, oportet dicere eam non falli circa proprium obiectum; ſicut nec ſcientiam circa ſuum. Sed hæc circa veritatem phiſicam verſatur; prudentia verò circa moralem: ſed nihil huic officit ſi deficiat veritas phiſica, quæ ſcientiæ remittitur agnoſcenda, & materialiter à prudentiâ præſupponitur, dummodò non deficiat à ſua veritate morali. Quod totum ſic diffusè explicare volui, ut plenè comprehendatur, quid opus ſit agenti prudenter in quocumque genere agibilium agnoſcere, & qualiter: atque indè appareat non ei ſufficere iudicium opinionis practicè probabilis, quia in hac haberi non poteſt moralis certitudo, quam omnes fatentur ad prudenter agendum neceſſariam. Et nihilominùs ad ulteriorem doctrinam ponitur ſequens paragraphus.

§. II.

Exponitur quid ſit certitudo moralis prudenter agentibus neceſſaria. Ex quâ Adverſarii nos redarguunt, quaſi exigamus certitudinem phiſicam, ſeu mathematicam ad agendum: cum tamen nos cum ipſis ſimus ſolâ morali certitudine contenti.

985 Denique ad uberiorem doctrinam, & veritatis intelligentiam operæ pretium eſt hic explicare, quid ſit moralis certitudo: multi enim ex prava huius intelligentia labuntur, atque ideò eam facilè probabilitati tribuunt, imò aliqui cum illa penitùs confundunt; nec erubeſcunt dicere, idem eſſe, quod aliquid ſit probabile, ac quod ſit moraliter certum:

tum: cum tamen hoc falſiſsimum ſit. Meo igitur videri certitudo moralis, quam à nemine ex his, quos legerim, vidi hactenùs fusè, ac diſtinctè explicatam, exponi debet proportionaliter per notionem certitudinis phiſicæ ſeu naturalis ex parte ipſius obiecti; ita ut quemadmodum certitudo phiſica, & naturalis, talis dicitur, quia ſecundum ipſam adæquatur intellectus cum obiecto ſecundùm ſuum eſſe verum reale phiſicum, & naturale, quod habet in ſe: ita certitudo moralis dicatur, & ſit talis, quatenùs ſecundùm ipſam adæquatur intellectus cum obiecto ſecundùm morem, quem gerit ſui eſſe phiſici, & naturalis; quod tunc contingit quando obiectum in nihilo ſe difforme oſtendit à ſuo phiſico, & naturali eſſe; ſed penitùs atque omninò illud, pro quanto apparet, in omnibus æmulatur, ut prorsùs idem videatur, nec poſſit ex aliqua parte reputari diverſum: Tunc enim ex tali omnimoda apparentiâ adæquatur intellectus cum illo, adeò ut omninò quieſcat in aſſenſu illius, nec ſuperſit ei ampliùs locus dubitandi. Et ex tali more ſeu omnimoda æmulatione obiecti exiſtimo hanc certitudinem denominari moralem; ſicut certitudo phiſica, & realis a natura ipsâ phiſicâ, & reali obiecti in ſe attacta denominatur talis. Quare hæ certitudines inter ſe differunt in hoc, quod una, nempe phiſica habetur ex principiis intrinſecis ipſius naturæ obiecti; altera verò ex principiis extrinſecis eiuſdem: vel, quod idem eſt, illa ex evidentiâ obiecti penès ſua eſſentialia intrinſeca, & ideò pertinet ad ſcientiam phisicam, & veré talem: hæc verò ex evidentiâ obiecti penes ſua accidentia extrinſeca, omninò tamen conformia extrinſecis accidentibus, quæ ad eiuſmodi eſſentialia ſubſequi ſolent; & ideò ad quamdam ſpeciem notitiæ ſcientificæ, per quamdam analogiam cum vera ſcientia, diximus pertinere, quam meritò moralem ſcientiam poſſumus appellare.

986 Res fit exemplis manifeſta. Romam eſſe moraliter certum eſt iis, qui illam numquam viderunt: ſed quare? quia videmus, quod eam eſſe aſſirment omnes, nullus neget; plures indè ad nos, & alios è noſtris illuc experimur proficiſci, & similia; quæ ſunt veluti accidentia quædam extrinſeca adeò propria locorum phisicè, & realiter in ſe exiſtentium; ut nonnisi ad phisicam, & veram, ac realem exiſtentiam eorum conſequi ſoleant; & per ea sic adæquatur intellectus noſter, ut procertò habeamus Romam eſſe, quasi illam in ſe viderimus; ita ut nullus nobis maneat dubitandi locus; quia sic videtur clarè, & evidenter, morem gerere urbis phisicè, & realiter exiſtentis.

987 Similiter quod de Reo alicuius delicti videat judex indicia conformia, teſtes conteſtes, ipsiuſque Rei confeſſionem, & alia juxta juris ordinem, & ritum ſervata, mos eſt proprius delicti phiſicè, & verè, ac realiter ab aliquo patrati; ac proindè redditur moraliter certus judex, quod ille talis delictum illud patraverit; quantumvis contingere poſsit, quod his non obſtantibus ille ſit Innocens.

988 Præterea ſi hominem videam lacera veſte, diſcalceatum, frigore rigentem, ac quærula voce eleemoſinam flagitantem, atque in omnibus veri pauperis morem manifeſtè gerentem, certus fio moraliter de paupertate illius; quantumvis phiſicè, & realiter non ſit talis, ſed fictus; ac proindè desit mihi phisica certitudo, imò re verà incidam in errorem.

989 Et idem etiam evenire poteſt in materia legis, & juris positivi; ut si in eo videam, quod aliquid procerto, & quasi dogma in Ecclesia habeatur, nemine diſcrepante, quod sit licitum, vel illicitum; ut v. g. quod liceat eleemosinam exigere pro ſacrificio miſſæ; quod lex Jeiunii, vel audiendi ſacrum in diebus feſtivis, & abſtinendi ab operibus ſervilibus, & similes leges ecclesiaſticæ non obligent in caſu neceſsitatis, & alia huiuſmodi, quæ apud omnes indubitata ſunt; nam quæ ſunt huiuſmodi univerſaliter in ecclesiâ recepta, & interpretata, quantumvis non ex aliqua ſcientificâ demonſtratione, ſed tantùm ſola bonâ fide teneantur abſque ulla controversiâ, morem gerunt rerum in ſe certarum, & realiter ac phisicè verarum; adeò ut nullam ingerant mentibus dubitationem regulariter loquendo, ac proindè sint omnibus moraliter certa.

990 Eiuſmodi igitur eſt certitudo moralis, quæ verè talis eſt, & non aliter. Quare si ab eiuſmodi conditionibus aliquid deficiat, non poterit verè dici moraliter certum. Et licet univerſaliter certitudo hæc moralis non sic a *Doctoribus* explicari ſoleat; ſed potiùs quod sit certitudo quædam proveniens ex communi prudentum exiſtimatione; non proindè talis modus dicendi noſtro contradicit, quininiò & noſtrum potiùs confirmat; quia viri prudentes communiter nonnisi hæc, & similia, quæ tales conditiones habent, exiſtimant certa: imò eorum certa exiſtimatio ex huiuſmodi conditionibus obiecti originem habet, & non aliundè.

991 Habet autem hæc certitudo moralis ſuam etiam latitudinem, ita ut una sit maior altera; unaquæque tamen ſufficiens eſt, si ſit juxta exigentiam materiæ. Quarè maior eſt moralis certitudo quod Roma ſit apud eos, qui eam nunquam viderunt, quam aliæ certitudines in exemplis ſuperiùs aſſignatis: quia maiora ſunt accidentia illa extrinſeca, quæ omnibus exhibentur pro eius exiſtentia veridicè affirmanda; & ea omnia defacto exigit Urbs phiſicè in rerum natura exiſtens, & propterea ea omnia exiguntur videri ab aliquo, ut ipſi ſit moraliter certum, quod Roma ſit: indè enim ei fit moraliter evidens & manifeſta; quia non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita, ideſt in manifeſto exiſtens; abſconderetur autem ſi ea signa non haberet; nec poſſet ut certa, etiam moraliter, prudenter exiſtimari. Mora-

lis

Eſt autem certitudo Judicis de delicito Rei pro. bato per teſtes, & eiuſdem juridicam confeſſionem, minor utique eſt prædicta, ſed ſufficiens tamen pro delicto, quod eſt factum quoddam particulare; quia certitudo facti particularis nō exigit maiora ſigna; & maximè cum ea tam. quam ſufficientia ſint ipſo jure firmata pro univerſali bono Reipublicæ, ſic urgente virtute juſtitiæ. Utráque autem minor eſt certitudo illa paupertatis, non tamen pro ea eſt minùs ſufficiens, quia ea ſigna tradit ad extra, & non alia, etiam vera, ac realis privata miſeria alicuius, ſic præcipuè tunc charitate imperante, ac movente ad aſſentiendum, & miſerendum. Et ita proportionaliter dicendum eſt de aliis materiis juxta ipſarum exigentiam, ſub quibus tamen quandoque contingit ſubeſſe falſitatem; at non proindè quidpiam in eis derogatur de eiuſmodi morali certitudine, & veritate.

992 Ex quibus ad propoſitum deducitur ex vi probabilitatis de licito nullatenus haberi poſſe hanc moralem certitudinem, quam prætendunt Probabiliſtæ; quod enim videtur ſolùm probabile in ſuea moris, non ſe oſtendit extrinſecùs omninò, ac prorſùs idem cum phiſicè & in ſe vero; quia non affert ſecum omnia ſigna, ſeu accidentia extrinſeca veritatis phiſicæ, adeò ut omninò, & in omnibus, pro quanto apparet, illam æmuletur; in cuius ſignum eſt, quod ſemper, & eſſentialiter ſecum affert formidinem partis oppoſitæ, ita ut in eo non poſſit intellectus omninò quieſcere, & cū illo adæquari, ſicut adæquatur ubi obiectum attingitur verè cum morali evidentia, & certitudine; niſi fortè eiuſmodi probabile ſit tale, quod ſit communiter ab omnibus in Eccleſiâ, & ſine controverſia receptum; tunc enim verè phiſicam veritatem in omnibus æmulatur, ita ut pro indubitata habeatur communiter, ſicut illa. At profectò tale probabile, non utcumque, & purè poſitivè probabile dici poteſt; ſed potiùs probabiliſſimum, & ad ſummum probabilitatis gradum evectum, in quo moralem certitudinem non inficiamur, ut infra demonſtrabimus. Cæterùm ſtantibus utrinque pro, & contra legem oppoſitis opinionibus, non poteſt intellectus per ſimilem aliquam moralem certitudinem utrobique adæquari, maximè lege in oppoſitum clamante pro parte ſibi favorabili; quia tunc opinio oppoſita ſtans pro commodo, & libertate contra legem, nulla talia accidentia evidenter exhibet, quæ ſic morem gerant phiſicæ veritatis, ut mens poſſit adæquari, & quieſcere in eius aſſenſu, nihil dubitando, vel ſaltem ut cum adverſariis loquar, ſine formidine, & incertitudine opinioni eſſentialiter annexa. Imò Pater Cardenas probabilitatis acerrimus defenſor *diſp. 15. cap. 4. ar. 3. num. 199.* docet certitudinem moralem, & evidentiam moralem, non ſtare cum formidine opinionis, nec cum probabilitate; ſed evehi ſupra omnem gradum probabilitatis, Verba eius ſunt: *Evidentiam autem moralem ſupra omnem probabilitatis gradum evehi indubium eſt; cum probabilitati intellectus reſiſtat, non autem certitudini morali, quæ ab omni prudenti intellectu formidinem excludit.* Vide lector qualiter Author iſte dicit evidentiam moralem (quæ ſola facit moralem certitudinem) evehi ſupra omnem gradum probabilitatis; id quod probat, quia intellectus reſiſtit probabilitati (hoc eſt non omninò illi acquieſcit, quia formidat errare) non autem reſiſtit certitudini morali, quæ ab omni prudenti intellectu formidinem excludit. Ergo ex ipſo moralis certitudo potiùs repugnat probabilitati, quam ex iſtâ ſequatur, alioquin non poſſet probabilitati reſiſtere, & illi non omninò acquieſcere, ſicut reſiſtere non poteſt morali certitudini excludenti omnem formidinem, quam alias probabilitas eſſentialiter includit.

993 Quod ſi P. Cardenas dicat repugnare utique moralem certitudinem opinioni directæ, nec poſſe inde haberi; non tamen repugnare reflexæ, ſed ex hac potiùs reſultare; cum certum ſit moraliter judicium illud reflexum: licitum eſt ſequi opinionem practicè probabilem. Si ſic, inquam, dicat: hoc certè eſt ludere verbis, ut ſupra ſuſiſſimè oſtendi; & hoc ipſum adhùc controvertitur inter Doctores, & ſub opinione eſt, cui Plerique reſiſtunt; cum tamen per ipſum, & ut mox vidimus, non poſſit intellectus morali certitudini reſiſtere, benè tamen probabilitati; ergo judicium illud reflexum ad ſummum probabile eſt, & non moraliter certum, dum illi plurimorum adhùc intellectus tenaciter reſiſtit. Maneat ergo firmum numquam ex opinione probabili nec directa, nec reflexa moralem aliquam certitudinem haberi poſſe.

§. III.

Satisfit inſtantiæ deſumptæ ex Decreto Alexandri VIII.

994 Poſſunt denique tertiò opponere Adverſarii contra reſolutionem noſtram Decretum Alexandri VIII. In quo inter alias propoſitiones damnatur tertia in ordine, quæ ſic aiebat: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam* atqui contingere poteſt, quod aliqua inter probabiles probabiliſſima ſit pro libertate, & commodo contra legem. Ergo falſum eſt quod uſus opinionis probabilis, ſi ſit in ſe contra legem, non excuſet à peccato.

995 Antequam huic argumento reſpondeam, præmittendum eſt primò id quod meritò advertit R. P. Tyrſus Gonzales Societatis Jeſu Præpoſitus Generalis, nempè genuinum eiuſmodi propoſitionis ſenſum eum eſſe, in quo illam ſimet Authores accipiebant, & præſertim Doctores aliqui Lovanienſes. Dicebant enim iſti

iſti

iſti non licere ſequi opinionem probabilem, etiam quocumque gradu ſummo probabilitatis pollentem, ac proindè inter probabiles probabiliſſimam; niſi veritatem in ſe re vera attingat agens, & certus omninò ſit, ſe nec materialiter errare; quia aliter ſe periculo committeret errandi, & errando etiam invincibiliter, adhùc peccaret, quia per ipſos invincibilis ignorantia non excuſabat. In quo conſtat eiuſmodi Authores cum Janſenio ſenſiſſe invincibilem ignorantiam non excuſare, quod procul dubio falſiſſimum eſt: non enim, ut diximus, & fatentur omnes, ad licitè agendum neceſſaria eſt certitudo illa phiſica, & evidentia veritatis in ſe, quæ multoties inveniri non poteſt, quacumque etiam diligentiâ adhibitâ; alioquin ad impoſſibile teneretur interdùm homo, quod nefas eſt dicere. Neque ſic potuiſſet excuſari Iacob ab acceſſu ad Liam, & alii Sancti Viri ſimiliter invincibiliter decepti, quos tamen Sancti Patres, & ipſa Sacra Scriptura expreſſiſſimè excuſant: quem quidem errorem propoſitio illa in ſe involuit.

996 Præmitto ſecundo quod opinio inter probabiles probabiliſſima poteſt ſecundùm varias acceptiones dici talis: & primò quidèm abſolutè, nullo habito reſpectu ad alias opiniones probabiles, adeò ut particula illa (inter probabiles) ſit omninò materialiter adiecta, eo quod non factâ comparatione ad illas dicitur probabiliſſima, ſed in ſeipſa abſolutè conſiderata; ſive ſint, ſive non ſint aliæ quæ aliquam, vel nullam probabilitatem habeant. Et hoc modo opinio probabiliſſima dicitur, quæ in ſe omnem prorsùs gradum probabilitatis exhaurit: ac proindè ubicumque collocetur, ſemper talis eſt; ſive ſola, & unica ſit, ſive inter alias opiniones conſtituta probabiles, vel etiam prorsùs improbabiles. Quemadmodùm ignis, quia abſolutè, & in ſe formam caloris habet perfectiſſimè participatam, & ſecundum omnem prorsùs gradum eius intenſibilitatem, dicitur abſolutè calidiſſimus, tàm ſolus, quàm in medio aliorum calidorum. Et hoc propriè, & rigoroſè loquendo ſignificat nomen ſuperlativum, ſi philoſophicè interpretetur (quidquid dicant Grammatici, qui minùs propriè nominum ſignificata accipere ſolent) & ratio huius eſt, quia nomen ſuperlativum, prout ſcholaſticis inſervit, eſt terminus quidam cathegorematicus ſignificans formam ſubiecto ſuo adiacentem ſecundùm modum perfectiſſimum eſſendi eius in ſubiecto, & nihil aliud: undè hic ſiſtit, & nullum reſpectum importat ad alia ſubiecta, quibus ſit fortè eadem forma participata. Sic calidiſſimum; frigidiſſimum, doctiſſimum, juſtiſſimum, & ſimilia, formam caloris, frigoris, doctrinæ, juſtitiæ, & ſimilium in ſubiecto intentiſſimam ac perfectiſſimè participatam ſignificant abſolutè, & nulla facta ad alia ſubiecta comparatione. Imò ſi non abſolutè, ſed reſpectivè ad alia ſubiecta tale quid dicatur, hoc ipſo re vera ſuperlativum ampliùs non erit, ſed comparativum; ſignificabit enim formam ſecundùm gradum maiorem in uno ſubiecto, quàm ſit in aliis, in nullo autem eſſe re vera ſecundùm gradum maximum.

997 Poteſt ſecundò opinio inter probabiles probabiliſſima dici quodammodo reſpectivè ad alias opiniones probabiles, & hoc dupliciter contingere poteſt; nam vel dicitur talis habito reſpectu, & factâ comparatione ad omnes prorsùs alias opiniones probabiles ſaltem morales, etiam in quibuſcumque aliis materiis quantumcumque diverſis a puncto, de quo eſt talis probabiliſſima: vel reſpectu tantùm ad aliquas, ſivè in diverſis, ſivè in eodem puncto. Et quidèm ſi primo modo comparata, ipſa ſit omnium aliarum opinionum moralium probabiliſſima, ita ut nulla alia moralis opinio ſit in Eccleſia Dei ſive circa idem punctum, ſive circa quæcumque alia agibilia, quæ maiori gradu probabilitatis potiatur, ſed omnes aliæ ſint minoris, vel ad ſummum æqualis probabilitatis, & ipſa omnes in probabilitate excedat, vel ſaltèm adæquet; ſive illæ aliæ ſint pro libertate, & commodo in propria materia, ſive pro lege: ſic coincidet cum probabiliſſimâ abſolutè dictâ ſuperiùs explicatâ; quia oportet quod eiuſmodi illa tantùm ſit, quæ in ſe omnem prorsùs gradum probabilitatis exhaurit; ita ut nedùm ſit graviſſimis, ac fortiſſimis rationibus præ omnibus aliis vallata; ſed etiam quod ſit communiſſimè ab omnibus recepta, & indubitata, ferè nemine contradicente, & in Eccleſia quaſi dogma certiſſimum habita, quantumvis non hactenus evidenter demonſtratum. Et ratio huius eſt quia cum in Eccleſia Dei non deſit aliqua moralis opinio in tot variis, & infinitis materiis ad mores ſpectãtibus, quæ tali ſummo gradu probabilitatis gaudeat; oportet quod hæc, quæ comparativè ad omnes alias probabiliſſima inter illas dicitur, eiuſmodi ſummo probabilitatis gradu non careat; alioquin non erit ipſa talis inter illas; ſed potiùs alia, quæ ſit huiuſmodi. talis autem ſummus gradus probabilitatis facit probabiliſſimitatem abſolutè ſumptam, & non purè comparativè ſeu reſpectivè ad alias: ac proindè ſic redit probabiliſſimitas illa abſoluta. Sed certè quæ talis eſt, quantumvis ad gradum ſcientiæ non pertingat, quia evidentiâ phiſicâ ac demonſtrativâ fortè caret, erit procul dubio moraliter certa, & infallibilis, quia communis ſenſus Eccleſiæ falli non poteſt; ac proinde eſto ſit pro commodo, & libertate, & non pro lege; certum tamen erit, & infallibile, quod etiam in rei veritate, & ex parte obiecti lex in ſe illi non obſtet: neque licet ſuper eiuſcemodi communi ſenſu ab aliquo ſanæ mentis dubitari, quantumcumque nondùm ſit ei in ſe evidens, & manifeſtus.

998 Si verò ſecundo modo comparata aliqua opinio dicatur inter probabiles probabiliſſima, reſpectivè ſcilicet tantùm ad aliquas, quæ

in

Digitized by Google

in materia morali ut verè probabiles circumferuntur, quas ipſa in uno, vel altero gradu probabilitatis excedit, vel etiam multò ampliùs, ſemper tamen infra ſummum; tunc procul dubio nimis impropriè, & abuſivè inter probabiles probabiliſsima dicitur: ſic enim re vera non pertingit niſi ad exceſſum tantùm comparativum, & dicenda eſt dumtaxat probabilior illis, non autem inter illas probabiliſsima. Fateor tamen quod ſi multus ſit exceſſus, ita ut ferè propè ſummus ſit; non incongruè poterit dici inter probabiles probabiliſsima; quia ſummus, & propè ſummus parùm diſtant; & quod parùm diſtat, nihil diſtare videtur. Cæterùm ſi aliqua quaſdam alias parum, & aliquantulum excedit; quis non videat falsò dici inter illas probabiliſsimam? Et multò falſiùs ſi ad unam, vel alteram in eodem puncto controverſiæ comparetur, & illas parùm in probabilitate excedat. Sic enim eſſet prorsùs confundere comparativum cum ſuperlativo, & in omni minima comparatione eſſet reperire probabiliſsimitatem; quo quid abſurdius dici poteſt? Conſtat autem totum hoc in phiſicis: quis enim aquam inter calidas calidiſsimam dicat, eo quod in tertio tantùm gradu calida unam vel alteram unum vel duos gradus caloris habentem excedit, cum tamen in tertio vix tepida dici debeat?

999 His itaque præmiſsis reſpondeo ad argumentum, primò, quod ſi opinio inter probabiles probabiliſsima ſit talis abſolutè, ſicut explicuimus in primo, & ſecundo modo dicendi (quo pacto de eâ ſic abſolutè ſumptâ intelligi debet prælata propoſitio expuncta ab Alexandro, utpotè quæ abſolutè de inter probabiles probabiliſsima loquitur) tunc negandum eſt ſuppoſitum minoris; ſupponit enim quod opinio inter probabiles probabiliſsima, abſolutè, & ſimpliciter talis, poſsit in ſe aliquando eſſe falſa, & à veritate etiam phiſicâ deficere; quod tamen falſum eſt; quia ſi talis ſit opinio, quod ſit communis ſenſus Eccleſiæ, & quaſi dogma receptus, à veritate deficere non poterit, ut diximus; ac proindè etiam ſi ſtet pro commodo, & libertate, & non pro lege; lex re vera ipſi non obſtabit nec formaliter, nec materialiter; eo quod libertas illa pro quâ talis opinio ſtat, erit in ſe veriſsima.

1000 Secundò reſpondeo quod eſto poſsit à certitudine phiſica, ſeu à veritate in ſe deficere, & eſſe phiſicè falſa, erit tamen moraliter certa, & tollens omnem prudentem formidinem, ſicut benè & doctiſsimè docet R. Pater Tyrſus Gonzales, ac proindè eſto ei lex in ſe phiſicè, & materialiter adverſetur, non tamen formaliter, ſeu moraliter; quia agenti morali ſola moralis certitudo requiritur, & ſufficit, ut diximus cum communi ſenſu omnium Theologorum, quando phiſica nullatenùs haberi poteſt; tunc enim intervenit invincibilis ignorantia, quæ à peccato excuſat. Et licet ignorantia invincibilis, juxta ea quæ ſupra docuimus, raro accidat in quæſtione juris, eſt tamen aliquando poſsibilis, & de facto occurrit in caſu probabiliſsimitatis abſolutæ, de quo in præſenti loquimur; ſupponitur enim tunc lex ipſa poſitiva omninò latens, et abſcondita, adeò ut à conditione veræ legis formaliter cadat ex inſufficiente eius promulgatione, niſi enim eiuſmodi ſupponatur, non poterit contra eam ſumma probabilitas abſolutè, et communis Eccleſiæ ſenſus prævalere.

1001 Sed hæc dicta ſint, ut fiat ſatis argumento juxta hypotheſim ſuam, & gratis dato, quod cum probabiliſsimitate eiuſmodi abſolutâ poſsit in ſe falſitas, & error conſiſtere: cæterùm exiſtimo id in Eccleſia contingere non poſſe etiam circa ius poſitivum; nam communis ſenſus Eccleſiæ eſt ſufficiens, & veridicus totius poſitivi iuris interpres, & idem dico de ipſa probabiliſſimitate abſolutâ, quæ ſine tali communi ſenſu Eccleſiæ conſiſtere non poteſt, ut oſtendi. Id tamen ſemper veriſſimum eſt, quod ſi ſub probabiliſſimitate ſic abſolutè ſumptâ, ſive per poſſibile, ſive per impoſſibile, contingit errare, error erit ex ignorantia invincibili; non ſolùm per ſcientiam, quæ ferè in omni probabilitate contingit, ſed etiam per reſolutionem in dubium, & electionem tutioris partis; quia in eâ habetur ſemper certitudo moralis, quæ omnem prudentem formidinem excludit, nec locum relinquit prudenter dubitandi, eo quod nulla tunc apparet ratio prudenter dubitandi ſeu formidandi de oppoſito; ſi enim aliqua eiuſmodi ſufficiens ratio pro oppoſito appareret, hoc ipſo non eſſet ampliùs opinio illa inter probabiles probabiliſſima abſolutè, & ſimpliciter; quia iam non eſſet in ſummo probabilitatis gradu, à ratione enim illa in oppoſitum diminueretur aliquantulum eius probabilitas; et fundaretur probabilitas oppoſita; ac proindè neque eſſet ampliùs communis ſenſus Eccleſiæ, & ſic nec abſolutè, & ſimpliciter inter probabiles probabiliſſima. Re vera tamen (ut dixi) caſum erroris ſub ea impoſſibilem cenſeo in quæſtionibus iuris. Admitto autem in quæſtionibus facti, & facilè, ob circumſtantias ſingulares, quæ facilè latere poſſunt, atque ideò facilè poteſt etiam probabiliſſimè iudicari factum aliter quàm ſit in ſe, & ſic phiſicè errari non obſtante eius abſoluta probabiliſſimitate; ſed nec tunc deeſt moralis certitudo, ut in variis exemplis facti oſtendimus.

1002 Si vero opinio dicatur impropriè, & abuſivè inter proabiles proabbiliſſima, reſpectivè ſcilicet ad aliquas, quæ in materia morali ut verè probabiles circumferuntur, quas ipſa in uno, vel altero gradu probabilitatis, vel etiam multò ampliùs excedit, ſemper tamen infra ſummum; tunc non ſumus in caſu propoſitionis damnatæ, quæ de probabiliſſima loquitur abſolutè, ut benè eam conſideranti patet; nam eiuſmodi opinio ſic abuſivè dicta re vera non eſt inter probabiles probabiliſsima, ſed probabilior il-

lis; quibus comparatur; ac propterea neque moralem certitudinem affert, & ſi in ea error contingat, non erit ex invincibili ignorantia; nec excuſabit; quia ubi neque moralis certitudo reperitur, ibi manet locus prudentis formidinis, quam oportet quod agens vincat per electionem tutioris partis, quando non poteſt per ſcientiam; quod ſi non faciat, erit ei error imputabilis, eo quod ſine debitâ cautelâ procedit ad opus, atque ideò imprudenter.

1003 Id quod etiam extendendum puto ad opinionem illam, quæ adeò excellenti probabilitate gaudet, ut propè ad ſummum gradum aſcendat, ſed illum re vera non attingit, quam diximus non incongruè dici poſſe inter probabiles probabiliſsimam, licet abſolutè talis non ſit: nam hæc etiam ad veram moralem certitudinem non pertingit, ſed propè illam perducit, ac propterea locum relinquit agenti alicujus moralis formidinis procul dubio vincendæ per electionem tutioris partis; alioquin si error ibi contingat, erit ei quoque imputabilis, ob camdem rationem adductam. Nec refert quod non incongruè dici poſſit inter probabiles probabiliſſima, re vera enim talis non eſt; neque non incongruitas locutionis eam re vera talem reddere poteſt: & propoſitio damnata de ea, quæ re vera eſt talis, & non propè talis intelligi debet, dum de eà abſolute loquitur, & in ſenſu rigoroſo eam ſui Authores accipiebant; quia contra moralem certitudinem ſentiebant, requirentes omninò certitudinem phiſicam, & veritatem in ſe, ita ut nulla ignorantia etiam invincibilis per ipſos excuſaret, quod erat error Janſenii, & ad hoc tendebat illa ſua propoſitio, quæ propterea ab Alexandro damnata fuit.

1004 Ex quibus patet, quod Decretum illud Alexandri non urget contra nos, qui morali certitudine contenti ſumus, eamque in opinione verè inter probabiles probabiliſſimâ reperiri fatemur. Ita quidem ſentio; quod ſi, quod abſit, in hoc ipſo mihi errare contingat, paratus ſum corrigi, & ex nunc Eccleſiæ infallibili judicio me ex corde ſubiicio. Cæterùm quod non in quacumque opinione etiam verè probabili ſit moralis certitudo; quod in eâ, ſi error contingat contra legem, ſit imputabilis, & non excuſet, per hoc quod ſit ſecundùm conſcientiam: quod ignorantia nativi juris numquam excuſet; quia non ſinit ignorari, benè tamen ignorantia facti: quod ignorantia juris poſitivi poſſit interdùm excuſare, nempè ſi non ex culpabili agentis negligentia ſit, quod ad ipſum non perveniat: & ſimilia, quæ hactenùs in ſuperioribus à me dicta ſunt: omnia ex D. Thoma præcipuè didici, quem tanti facit Eccleſia. Et indè invincibilem ignorantiam ſæpè in errore facti contingere, & interdùm circa jus poſitivum haberi poſſe, licet non tam facile, confeſſus ſum. Indeque opinionem verè inter probabiles probabiliſſimam (quam ex præfato decreto quemlibet tutò ſequi poſſe manifeſtè colligitur) vel numquàm à lege in ſe aberrare deduxi; vel ſi errare contingat, id in quæſtione facti præcipuè accidere, vel rarò in materia juris poſitivi, ſi quandò citra eorum culpam, ad quoſdam non pervenerit, exiſtimavit: eo quod inde probabiliſſimum in eis nullatenùs extare; atque indè utrobique moralem certitudinem haberi, & errorem ex invincibili ignorantiâ provenire, ſubjunxi. Idque in ſola tantùm vera & abſoluta probabiliſſimitate eſſe poſſibile docui; utpote in qua ſolùm videtur objectum omninò atque in omnibus veritatem phiſicam æmulari, & morem gerere objecti in ſe ac phiſicè veri, ita ut nulla appareat in oppoſitum ratio de illo prudenter dubitandi, quantumvis contingat phiſicè, & realiter aliter ſe habere; ſive hoc ſit poſſibile in Eccleſia univerſaliter in quæſtionibus juris, quod non admitto, ſive impoſſibile; ſive id accidat in quæſtione facti, aut juris poſitivi pro aliquibus ad quos ſpecialiter non potuit id pervenire, quod facilè occurrere poteſt ut dictum eſt.

§. IV.

Satisfit alteri inſtantiæ cuiuſdam Recentioris Catanenſis ex eodem Decreto Alexandri VIII.

1005 POſt hæc autem ſcripta præ manibus habui librum quemdam noviſſimè editum a D. Stephano Abbate Canonico Catanenſi, cui titulus erat Theologus Principis, ſeu politia moralis. Ubi eamdem ferè reſponſionem noſtram eidem argumento, quod ſibi R. P. Tyrſus Gonzales Societatis Jeſu Præpoſitus Generalis obiecerat ex præfato Decreto Alexandri VIII. traditam reperi, & à præfato Authore adverſus dictum R. Patrem Tyrſum ita reſpondentem impugnatam. Atque ideò eius impugnationem, pro quanto etiam contra me eſt, cogor adducere, & refellere. Impugnat itaque ſic: *Non videtur* (inquit) *verum opinionem probabiliſſimam inter probabiles excludere omnem prudentem formidinem, ita ut oppoſita, ut aiebat P. Tyrſus, obnubiletur, ac ſolùm relinquatur illi locus levis, & imprudentis haſitationis; nam in communi acceptione opinionis probabiliſſimæ nequit venire apud Theologos opinio moraliter certa; cum longè diſtet certitudo à probabilitate, ita ut quicumq; gradus meræ probabilitatis numquàm videatur attingere certitudinem.*

1006 Quod quidem argumentum ſecundò, & fortiùs ſic ibi proſequitur: *Nam*, inquit, *videtur implicans, quod opinio probabiliſſima inter probabiles ita obſcuret oppoſitam, ut tenui & imprudenti tantum probabilitati relinquat locum: nam vel probabiliſſima reddit oppoſitas moraliter falſas, & imprudenter probabiles; & ſic nequit fieri comparatio eius cum opinionibus probabilibus, ſicut fit in propoſitione damnata;*

ſata; ac proindè non erit inter probabiles pro probabiliſſima, quia imprudenter probabiles, & certò moraliter falsæ non ſunt probabiles: Vel oppoſitæ remanent probabiles; & ſic implicat quod opinio probabiliſſima ſit moraliter certa, quia ſi illæ oppoſitæ ſunt probabiles trahunt formidinem rationabilem, gravem, & prudentem. Mitto plura alia quæ ibi congerit ad explicandum quænam ſit opinio inter probabiles probabiliſſima ex vi nominis ſuperlativi, quod ibi cum Grammaticis ponderat, & ex quo tandem infert quod probabiliſſima coincidat in dicta propoſitione damnatâ cum probabiliore ſuis oppoſitis, ac per conſequens quod Alexander eo decreto damnaverit non eſſe licitum ſequi opinionem probabiliorem in eodem puncto cōtroverſiæ. Mitto, inquam, hæc; quia reſpondendo ad eius principalem impugnationem, manebunt ſimul ea omnia præoccupata.

1007 Reſpondeo igitur ad primam eius rationem, (ad ſecundam enim reſpondebitur infra num. 1027.) negando quod in communi acceptione opinionis inter probabiles probabiliſſimæ nequeat venire apud Theologos ſententia moraliter certa; ſi nomine opinionis probabiliſſimæ inter probabiles intelligatur illa, quæ verè, & propriè, atque abſolutè, & ſimpliciter dici poteſt talis. Talis enim verè, & propriè non eſt illa, quam dicit Præfatus Author, quæ ſcilicet comparata ad ſuas oppoſitas aliquē maiorem gradum habet probabilitatis ſuper illas; eiuſmodi enim ſolum eſt, & dici poteſt probabilior illis, non autem probabiliſſima inter illas. Id quod manifeſtè conſtat in rebus phiſicis; nemo enim ſolet aquam calidam ut quatuor calidiſſimam inter calidas dicere, eo quod aliæ ſint calidæ in minori gradu; neque abſolutè, neque reſpectivè quidem; benè tamen illis calidiorem. Quod licet prædictus Author agnoverit, atque ideò voluit in præfatà propoſitione expuncta damnari, quod non ſit licitum ſequi opinionem probabiliorem, eo quod nomine probabiliſſimæ inter probabiles juxta ipſius interpretationem venit opinio ſuis oppoſitis probabilior; nihilominùs cenſet hanc poſſe inter probabiles probabiliſſimam optimè dici. Sed ſalvâ eius pace, non benè loquitur; nam eiuſmodi probabilior nec eſſe, nec dici congruè poteſt inter probabiles probabiliſſima. Probabiliſſima enim inter probabiles, ſive abſolutè, ſive reſpectivè, ea ſolùm dici poteſt, quæ pertingit ad ſupremum probabilitatis gradum, ut ſuperiùs dixi, ita ut ſi etiam reſpectivè conſideretur ad quaſcumque alias probabiles, non ſolum quæ ſunt in eodem puncto controverſiæ, & ſibi oppoſitæ; ſed etiam in quibuſcumque aliis materiis diſparatis, à nulla poſſit in probabilitate excedi. Hoc enim ſonat ſuperlativum nomen ſic ſimpliciter, & abſolutè prolatum, ſicut in prædictâ propoſitione damnata. Quod ſi reſtringatur aliquo modo ad determinatam materiam, adhùc oportet quod pertingat ad ſupremum gradum, cuius ea materia poteſt eſſe capax, ita ut à nullo alio eiuſdem materiæ excedi poſſit: ex quo fit quod calidiſſima aquarum, ſeu aqua inter calidas calidiſſima illa ſolùm dici poſſit, quæ ad ſupremum gradum caloris, cuius aqua poteſt eſſe capax, pertingit; ita ut non poſſit ab alia excedi in caliditate; & non ſufficit quod ſit calidior aliis actu calidis exiſtentibus in minori gradu, ſed requiritur quod neque ſit poſſibilis alia calidior ipsa. Idem igitur dicendum eſt proportionaliter de opinione probabiliſſima inter probabiles.

1008. Si igitur opinio inter proabbiles probabiliſſima ſic accipiatur, ſicut re vera accipi debet, procul dubio habet ſecum moralem certitudinem, & in communi acceptione Theologorum pro eadem habetur opinio inter probabiles probabiliſſima, ac moraliter certa. Nam Theologi communiter exigunt moralem certitudinem ad licitè operandum, & communiter etiam docent licitè quemlibet operari ex opinione probabiliſſima, ergo inde moralem certitudinem haberi pro certo ſupponunt, alioquin inconſequenter id docerent. Imò Probabiliſtæ omnes expreſsiſſimè dicunt probabiliter licitum eſſe certò moraliter licitum; ergo probabile cum moraliter certo confundunt: quomodò ergo certum morale à probabiliſſimo ſegregabunt? Numquid plus certitudinis in probabili, quàm in probabiliſſimo invenient? quis hoc dicat?

1009 Præterà hoc ipſum efficaciſſimè ratione convincitur: nam moraliter certum, ut communiter exponi ſolet, dicitur quod omniū prudentium judicio ita eſſe exiſtimatur: & juxta expoſitionem à nobis ſuperiùs datam, dicitur id, quod ſic in omnibus verum phiſicum æmulatur, ut morem illius, pro quanto apparet, omninò, ac punctualiter gerat. At probabiliſſimè verum omnium prudentum judicio ita eſſe exiſtimatur, ſi ſit vere, & abſolutè probabiliſſimum, de quo in præſenti loquimur, & ſupra fusè explicavimus: & in omnibus verum phiſicum æmulatur, ut morem illius, pro quanto apparet, omninò ac punctualiter gerat; niſi enim eiuſmodi appareret, minùs probabilitatis haberet, quam aliud ità apparens, ac per conſequens non eſſet vere, & abſolutè probabiliſſimum pertingens ad ultimum, & ſupremum gradum probabilitatis, cum excederetur ab illo. Ergo vere, & abſolutè probabiliſſimum eſt verè moraliter certum.

1010 Ulterius ſi cognitio probabiliſſima non eſſet moraliter certa; jam cognitio moraliter certa eſſet aliqua ſpecies cognitionis diſtincta à cognitione probabiliſſima: ſed non poteſt aſsignari qualis ſpecies cognitionis ſit; nam omnes ſpecies cognitionis ad iſtas reducuntur, videlicet vel ſcientiæ, vel fidei, vel opinionis, vel denique intuitivæ ſeu experimentalis: ſed cognitio moraliter certa, non poteſt eſſe ſcientifica,

ca, vel fidei, vel experimentalis; quia cognitiones iſtæ ſunt infallibiles; cognitio autem moraliter certa ſtat cum fallibilitate, ergo oportet quod ſit opinionis probabilis in ſuo gradu ſummo; alioquin aſſignetur ad quod genus cognitionis reducatur.

1011 Denique hoc ipſum oſtenditur ex D. Dionyſio de Cœleſti Hyerarchia; cujus eſt dictum illud, quo ſæpiſsimè utitur D. Thomas, nempè quod *ſupremum infimi attingit infimum ſupremi.* Cum igitur cognitio via probabilitatis ſit infima cognitionum, oportet quod in ſuo ſummo, & ſupremo gradu attingat quodammodò quod eſt infimum cognitionis ſuperioris, qualis eſt ſcientia, vel fides divina; cognitio autem ſcientiæ, vel fidei divinæ attingit objectum certò, & infallibiliter; infimum autem certitudinis, & infallibilitatis, eſt certitudo, & infallibilitas moralis, quæ ſtare poteſt cũ fallitate in ſe, & ex parte objecti cogniti, ut ſuperiùs oſtenſum eſt. Ergo cognitio probabiliſsima, quæ eſt ſupremum cognitionis probabilis non pugnat cum certitudine, & infallibilitate morali, imò illam neceſſariò debet attingere, eamque in ſe importare.

1012 Sed quid hic ampliùs immoror? Ipſum decretum Alexandri VIII. expreſsè hoc comprobat, dum propoſitionem illam expungit, quæ negabat licitum eſſe ſequi opinionem inter probabiles probabiliſsimam: eâ enim ſemel expunctâ infallibili Summi Pontificis decreto, manet jam certum, & infallibile licere eam ſequi. Ergo quidquid opinione probabiliſsima licitum eſſe ſancitur, licitum eſſe certum eſt morali ſaltem certitudine; idque ex hoc ipſo, quod opinione probabiliſsima ſancitum eſt. hoc enim eſt, quod ſuo decreto decernit Summus Pontifex, nempè certum eſſe licere, quod licere affirmat opinio inter probabiles probabiliſſima, ergo quidquid affirmat opinio probabiliſſima certum eſt ſaltem morali certitudine, ſufficiente ad non peccandum, ex ipſo Pontificis teſtimonio. Ergo opinio probabiliſſima eſt in ſe moraliter certa, ac proindè excludens omnem prudentem ſeu moralem formidinem. Perperam igitur præfatus Author id negat.

1013 Neque dicat Pontificem utique eo decreto declaraſſe licitum eſse ſequi opinionem inter probabiles probabiliſsimam; non tamen declaraſse illam habere ſecum in ſe certitudinem moralem. Non (inquam) ſic dicat, nam hoc ipſum dicere abſurdum eſt, & in propriis terminis repugnans: quandoquidem quod authoritativè declarat Pontifex, ſupponitur in ſe verum, & certum; ergo ſi declaravit licitum eſſe ſequi opinionem inter probabiles probabiliſſimam, ſupponitur eſſe in ſe verum, & certum ſaltem morali certitudine licere, id quod licitum eſse affirmat opinio probabiliſsima; neque aliundè id certò licitum eſſe declarat, niſi ex eo quod licitum eſse affirmat opinio illa probabiliſsima: ita ut id certò licitum ſuo decreto dicat Pontifex, quod licitum eſse dicit opinio illa: nam judicium certum Pontificis eſt tamquam de proprio objecto judicato, de ipſo judicio opinionis probabiliſſimæ, ac proindè ſupponit illud objectivè, & in ſe certum ſaltem morali certitudine, quæ ſufficiat ad prudentem praxim, & licitam illius ſequelam. hoc enim eſt quod formaliſſimè judicat, & declarat, nempè licere, quod licere probabiliſſimum eſt; & eatenus licere, quatenùs eſt probabiliſſimum licere; ac proindè certò licere, quia licere probabiliſſimè dicitur.

1014 Certè valdè miror de hoc Authore, qui nomine opinionis probabiliſſimæ inter probabiles in præfata propoſitione expunctâ contendit venire probabiliorẽ ſuâ oppoſitâ ſtante pro lege, ac proindè infert damnari ab Alexandro, quod non ſit licitum ſequi opinionem probabiliorem ſtantem pro commodo, & libertate, relicta etiam tutiore pro lege. Quod, ni fallor, idem eſt ac dicere ſaltem implicitè: nunc certum eſt, & de fide tenendum ut potè à Pontifice declaratum, quod opinio probabilior ſufficit ad licitè operandum; & tamen adhuc contendit poſt dictum decretum, quod opinio probabiliſſima, quantumcumque excedat in ſua probabilitate, numquam ad hoc pertingit, quod ſit moraliter certa, ut aiebat R. P. Tyrſus; quia, inquit, certitudo longè diſtat a probabilitate: quaſi certitudo ſic diſtans à probabilitate, minùs diſtet à probabiliore, quam à probabiliſſima opinione, ac proindè ſit cum iſtâ incompoſſibilis, cum probabiliore verò compatiatur; cum tamen per ipſum certum ſit ex præfato decreto id, quod probabilior affirmat licere, eſſe re vera licitum, juxta ejus interpretationem.

1015 Sed forte reſpondebit recens iſte Author, ſe neque in opinione probabiliore hanc moralem certitudinem admittere: ſed ſolùm contendere certum eſſe licere illam ſequi; & fundare hanc certitudinem non in ipſa probabilioritate, ſed in decreto Summi Pontificis; & etiam in judicio reflexo, ad quod ultimatè cum aliis Probabiliſtis recurrit, ut videre eſt apud ipſum.

1016 Verumtamen hæc ſua reſponſio non ſubſiſtit: nam ſi per ipſum certum eſt licere ſequi opinionem probabiliorem etiam ſtantem contra legem; undecumque id ſibi certum eſſe dicat, ſive ex Decreto Pontificis, ſive ex judicio illo reflexo Probabiliſtarum; ſemper convincetur ad hominem de falſo; & primò quidem ſi ex Decreto Pontificis dicat id ſibi certum eſſe: de hoc ipſo contra ipſum valdè mirandum eſt; cur ſcilicet non in ipſa probabilioritate hanc moralem certitudinem fundat, de qua contendit decretum illud intelligi? quandoquidem in illius morali certitudine Decretum ipſum fundatur, eamque ſupponit, & declarat; ſi enim de illa decernit Pontifex, ut ipſe interpretatur; procul dubio in illâ fundatur ratio liciti; non enim Pontifex quaſi doloris certitudinem li-

citu

Digitized by Google

cui applicat actui aliàs licito judicato per probabilioritatem; ſed quaſi innixus in eo ut ſic formaliter judicato exiſtentem ſuo Decreto declarat: niſi enim licitum illud ſit probabilius judicatum, quia probabilius tale, eſſet moraliter certum; non poſſet Pontifex certè declarare de ipſo quatenus formaliter probabiliore; & tamen de ipſa probabilioritate per ipſum Pontifex declarat formaliter; & non de ipſo licito ſubſtrato probabilioritati; ergo ex probabilioritate declarat illi ſubſtrato rationem liciti provenire: ergo ſi certa ſit declaratio Pontificis, certum erit illud eſſe certò licitum ex probabilioritate, ac per conſequens agnoſcit Pontifex ipſam probabilioritatem tribuere ſuo ſubſtrato moralem certitudinem liciti, & hoc declarat. Ergo velit nolit, Præfatus Author, oportet quòd ultimatè fateatur probabilioritatem ipſa tribuere ſuo objecto judicato formaliter moralem certitudinem, ad id ipſum cogente Pontificis Decreto juxta ipſius tamen interpretationem.

1017 Si verò dicat ex judicio illo reflexo Probabiliſtarum; in primis videtur manifeſtè ad vomitum redire: hoc enim ipſum eſt quod antea ipſe contra Probabiliſtas impugnaverat, ut videre eſt apud ipſum; & tandem ad illud recurrit volens nolens pro tuitione ſuæ probabilioritatis in conflictu argumentorum deſperatæ, non minùs quàm alii Probabiliſtæ, quos quoad judicium reflexum impugnaverat. Sed quidquid ſit de hoc; refugium illud hactenus fuit in ſuperioribus, dum contra alios Probabiliſtas agebamus, impugnatum.

1018 Poſtremò ad majorem veritatis evidentiam ampliùs oſtenditur moralem certitudinem opinioni verè, & abſolutè inter probabiles probabiliſſimæ, de qua re vera loquitur præfatum Decretum Alexandri, nullatenùs repugnare, imò ipſi poſitivè competere: & quidem ei non repugnare manifeſtatur ſic: nam opinio probabiliſsima ex ſuo formali, & intrinſeco conceptu, non importat aliquod prædicatum, cui poſſit eſſe repugnans certitudo moralis; niſi quod, cum ipſa ſit contenta ſub genere opinionis, quæ eſſentialiter dicitur aſſenſus quidam in unam partem cum formidine partis oppoſitæ, videtur non poſſe compati cum certitudine: formido enim, ne res oppoſito modo ſe habeat, non eſt cum certitudine compatibilis; quia quod eſt certum, non poteſt aliter ſe habere. Atqui ex hoc capite non repugnat ei moralis certitudo, ſed phiſica ſeu metaphiſica, qualis eſt ſcientifica, vel fidei divinæ; nam quod eſt ſolùm moraliter certum, poteſt aliter ſe habere in ſe, & phiſicè, ſeu methaphiſicè loquendo; ſtat enim certitudo moralis cum falſitate rei in ſe, & nullatenus repugnat. Ergo ex nullo capite opinioni præcipuè probabiliſsimæ repugnat moralis certitudo. Quod autem ei poſitivè competat, id ei contingit ex ſummo, & perfectiſsimo gradu probabilitatis in quo eſt; quod nequit de aliis opinionibus verificari. Certum moraliter enim dicitur quod omnium prudentum exiſtimatione pro vero habetur; tale autem haberi non poteſt ab illis, niſi quod eſt ibi ſummè probabile, ita ut nulla ſit eis ratio ſufficiens prudenter ſeu moraliter formidandi de oppoſito; ſicut enim res judicata videtur in omnibus veritatem phiſicam æmulari, & morem omnium illius, pro quanto apparet, in ſe gerere.

1019 Advertere itaque debebat Præfatus Author, ſicut & omnes alii debent advertere, quòd certitudo moralis non eſt aliqua certitudo indeficiens; ſicut ſcientifica, aut fidei divinæ; neque eſt certitudo ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & cum addito, nempe quæ talis habetur ſecundùm communem exiſtimationem prudentum; ac proinde quandoque eſt deficiens à veritate in ſe: atque ideò cum ipſa poteſt adhuc ſtare aliquando formido, nempe phiſica ſeu metaphiſica, non tamen moralis. Quod ſic exemplis magis illuſtro: ſi enim v.g. videam elevari Hoſtiam à Sacerdote celebrante, certus ſum moraliter ego, qui ſum fidelis, quòd ibi ſit Chriſtus; & nihilominùs phiſicè, & metaphiſicè non ſum certus, & falli poſſum, quia fortè ille non conſecravit; vel quia fortè ille non fuit validè ordinatus, ita ſit nec ipſe poſſit de ſua conſecratione metaphiſicam ſeu phiſicam certitudinem habere; atque ideò poteſt etiam ipſi ſuboriri aliqualis formido metaphiſica, non tamen moralis ſeu prudentialis; ac propterea moraliter debet illam rejicere, & quieſcere prudenter in ſua morali certitudine. Et judex certus eſt moraliter de ſua juſtitia, ſi Reum confeſſum, & per teſtes plenè convictum damnat; & tamen phiſicè falli poteſt, & poteſt aliqualiter de tali contingentia phiſicè formidare, non tamen moraliter; atque ideò debet moraliter certus quieſcere; & ſic de mille aliis, & infinitis exemplis, quæ poſſent adduci in quæſtione facti: nam in quæſtionibus juris ut dixi, & iterùm dico, vix caſus eſt poſſibilis. Et ideò dixi ſupra quòd opinio probabiliſsima, ſi verè ſit abſolutè talis in quæſtionibus juris, non contingit ibi error. Sed quidquid ſit de hoc: id hic pro certò concludendum eſt, quòd cum morali certitudine interdum res aliter ſe habet, atque ideò cum illa poteſt quis, ne res aliter ſe habeat, phiſicè formidare. Ex quo fit quòd quantumvis opinio probabiliſsima contineatur ſub genere opinionis probabilis, cui eſſentiale eſt formidare ne res opinata phiſicè aliter ſe habeat, non propterea inferri poteſt, quòd non habeat moralem certitudinem, ſtat enim ſimul quòd ſit moraliter certa, & quod ei adhuc competat eſſe cum formidine phiſica ſeu metaphiſica ne res phiſicè aliter ſe habeat, quia certitudo moralis non opponitur incertitudini, & formidini phiſicæ, ſunt namque diverſi generis, benè tamen morali.

1020 Ex quibus reſolvi poteſt difficultas il-

la: An ſcilicet opinio probabiliſſima admittat probabilitatem aliquam in oppoſitam, vel illam omninò deſtruat? Videtur enim ex dictis quod illam debeat omninò deſtruere, eo quod cum ipſa ſit moraliter certa, hoc ipſo ejus oppoſita evadit moraliter falſa, ac proinde improbabilis. Et re vera ita eſt: quod facile, & expreſſe vel ipſi Probabiliſtæ fatentur; ut conſtat ex Patre Cardenas, & vidimus ſupra.

1021 Verumtamen ad maiorem hujus reſolutionis evidentiam præmitto quod præfata difficultas non habet locum in omnium ſententia, ſed ſolùm in ſententia eorum, qui admittunt in eodem intellectu poſſe ſimul conſiſtere duas opiniones probabiles oppoſitas; non autem eorum qui id negant, quibus ipſe me ſubſcribo: eſt namque in hoc diſſenſio inter Doctores; & radix diſſenſionis eſt ex vario conceptu opinionis probabilis. Multi enim, cum quibus ego ſentio, dicunt quod opinio probabilis ea eſt, in quam intellectus, diſcuſſis, & benè pro utraque parte, ſi quæ urgent, ponderatis rationibus, naturali pondere utpote in magis apparentem veram, & ut talem à ſe ſibi iudicandam trahitur, atque neceſſitatur aſſentiri potiùs, quàm in alteram; non enim eſt ei liberum quamlibet partem opinari; ſed eò oportet neceſſariò ferri, quò rationes prævalendo ipſum magis urgent: Unde non poſſunt in eodem intellectu conſiſtere duæ opiniones probabiles oppoſitæ, quia non poſſunt ambæ ſimul, quaſi utraque apparens magis vera, quàm altera, iudicari; ſed una tantùm; & hæc non pro ſua libertate, ſed ex maiori veri ſpecie apparente in illà, ac efficaciùs ipſum trahente poſt combinationem rationum, & latam abipſo veluti finalem ſententiam pro meritis ipſius obiecti, cui fortiores rationes aſſiſtunt: quare oppoſita redditur ei improbabilis, hoc ipſo quod vim non habet ad ſe illum trahendi, ſicut illa. Quod ſi utraque æquales habeat rationes, ita ut neutra vincat aliam; neutra erit ei probabilis, ſed utraque dubia. Alii verò & præcipuè Recentiores dicunt unam vel alteram gravem rationem ad opinionem probabilem ſufficere, & poſſe intellectum uni vel alteri liberè adhærere; imò ſimul utrique parti, & utramque probabilem ſibi habere; vel unam altera probabiliorem, quia validiorem rationem habet. Et idem dicunt de probabilitate extrinſeca pro varietate Doctorum ſive parium in authoritate & numero; ſive imparium.

1022 Ego autem hunc diverſum modum dicendi iſtorum exiſtimo, ni fallor, ex gravi æquivocatione eorum provenire: æquivocant enim, & confundunt probabilitatem, quæ dicitur de opinione, cum ea, quæ dicitur de obiecto, non quidem ut formaliter opinato, ſed ut purè probato. Certum enim eſt, quod obiectum, quod aliqua gravi ratione probatur, poteſt inde probabile dici; ſed non per hoc dicitur opinatum; quia per hoc præcisè non eſt obiectum opinionis ſeu intellectus tandem opinantis, ſed potiùs intellectus conſiderantis illud ſub illà ratione tantùm, quæ obiecto illi aſſiſtit; ſicut cum ego pondero rationem alicuius Doctoris contra me ſentientis, utique attingo, & conſidero obiectum, hoc eſt ſententiam illius ſub ſuâ ratione, & video vim, & efficaciam, quam habet in ſe; ſed non proinde ita tandem opinor, ſed potiùs oppoſitum; quia licet ratio illa vim aliquam faciat, non proinde mihi tantam vim infert, ut me retrahat ab opinione meâ, in quam maiori rationum pondere tractus ſum; quantumvis ratione illà præcisè, & ſolitariè conſideratâ videam obiectum illud inde quodammodo probari; ac propterea ex illa dici poſſe etiam mihi probabile, non autem opinabile, & hujuſmodi actus mei intellectus, quo tale obiectum ut illatum præcisè ex ratione illà attingo, eſt etiam mihi ratiocinatio quædam ſeu diſcurſus formaliter probabilis inferens ſuo modo obiectum illud ſecundum quod ex illa præcisâ ratione ſolitariè ſumpta de facto infertur, non tamen eſt opinio, ſeu aſſenſus in illud opinativus. Ex quo patet quod probabilitas, quæ dicitur de opinione, ſeu ſecundùm quam opinio dicitur probabilis, eſt longe diverſa à prædicta probabilitate eiuſmodi ratiocinationis ſpecificatæ ab obiecto ut ex illà præcisâ ratione probato, non autem ut à me opinato; ſicut probabilitas obiecti opinati eſt etiam longe diverſa à probabilitate obiecti dicto modo præcisè probati. Et diverſitas conſiſtit in hoc, quod probabilitas opinionis debet eſſe talis, ut ſecundùm illam intellectus tandem ſententiam proferat, in qua magis quieſcat, viſis hinc inde meritis utriuſque partis; quod non accidit in præfata ratiocinatione unius partis, ſine ultimato aſſenſu in illam, & probabilitas obiecti opinati debet eſſe talis, ut ſecundùm illam obiectum ſuis meritis vincat in veriſimilitudine oppoſitum; quod non accidit in obiecto ut præcisè ſua ratione probato, nullà factà eius comparatione ad oppoſitum, ſi fortè ab illo in veriſimilitudine vincatur, & ſuperetur. Quare nos eiuſmodi diverſitatem attendentes, dicimus non poſſe in eodem intellectu eſſe ſimul plures opiniones probabiles, quia comparatis meritis utriuſque partis, non poteſt intellectus judicium ſuum, & ſententiam proferre in favorem utriuſque, ſed neceſſitatur ſententiam veluti definitivam proferre pro ea parte, quæ fortiùs rationibus ſuis ſe oſtendit veriſimilem. Et ratio huius neceſſitatis eſt, quia intellectus naturâ ſuâ ubique verum quærit, in quo quieſcat tamquam in obiecto proprio ſui ſpecificativo; & ubi illud non poteſt evidenter, & certò invenire, nititur quo magis poteſt vias omnes circuire, ut illud inveniat, & diligentiſſima inquiſitione quærit, ut ſibi aliquo modo ubi lateat indicetur; atque ideo per ſigna eius characteriſtica, & ſpeciem eius quaſi ſciſcitando ſatagit invenire; ac proinde ubi talia characteriſtica ſigna, & veri ſpeciem magis videt, ibi potiùs dilectum ſuum latere; &

licet

Licet velit, tamen tempiſſe tandem iudicat; quantumvis ſemper formidet, ne forte decipiatur; nihilominus non poteſt inde diſcedere, quia non alibi videt maiora ſigna, aut magis ſpeciem illius expreſſam; & hoc procul dubio ei continget, ubi fortiores rationes urgent; ibi enim, & per eas veri ſpecies magis oſtenditur cum ſuis ſignis characteriſticis. Quod ſi utrinque ex parte æqualia ſigna, & æquè veri ſpecies videatur, neſciet intellectus quò ſe vertere, aut quò inclinari ac quieſcat, cor eius quaſi inveniens ſuo theſauro abſcondito, atque ideò manebit in medio anceps atque ſuſpenſus, & dubius, neutri parti aſſentiendo. Alii verò qui eiuſmodi diverſitatem probabilitatis confundunt, ubi vident quamlibet partem diſparatè ſumptam quoque modo etiam eidem intellectui probari poſſe ratione aliqua ſibi præciſè ſufficiente, abſque ulla comparatione ad partem oppoſitam; ibi opinionem probabilem pro qualibet parte etiam eidem intellectui eſſe credunt. Atque ideò definiunt opinionem probabilem eam eſſe quæ alicui gravi ſeu prudenti rationi innititur. Nos autem non ſic, ſed dicimus eſſe aſſenſum intellectus in unam determinatam partem cum formidine partis oppoſitæ. Aſſenſus autem in unam determinatam partem importat judicium intellectus definitivum unius partis cum rejectione partis oppoſitæ poſt diſcuſſionem meritorum utriuſque; licet ex ratione adverſa alterius partis adhùc aliqualiter reclamante oriatur in judicio illo definitivo aliqua formido; ſed non proindè poteſt intellectus ad aſſenſum illius trahi; neque enim poſſibile eſt duabus contradictoriis aſſentiri; neque clamor ille tantum proficit, ut ad ſe illum revocet. Sed hæc obiter dicta ſint; neque enim eſt præſentis inſtituti ea ex profeſſo hic ſtabilire, ſed ſufficit inſinuaſſe.

1023 Suppoſita itaque aliorum ſententia quod plures opiniones probabiles poſſint ſimul in eodem intellectu conſiſtere, quantumvis inter ſe oppoſitæ, ſuboritur difficultas de opinione probabiliſſima, an hæc adhùc probabilitatis locum relinquat opinioni ſibi oppoſitæ, præcipuè ſi probabiliſſima ſupponatur moraliter certa, ut dictum eſt?

1024 Cui difficultati ex dictis reſpondeo quod opinio probabiliſſima, quæ verè, & abſolutè eſt talis, quæ ſcilicet eſt in ſummo, & ſupremo gradu probabilitatis, non relinquit in eodem intellectu probabilitatis locum opinioni ſibi oppoſitæ; ſed ſua probabiliſſimitate deſtruit probabilitatem illius nedùm moraliter, ſed etiam phiſicè ſeu metaphiſicè, & reddit illam utroque modo improbabilem: & ſua morali certitudine reddit illam certò moraliter falſam; non autem phiſicè ſeu metaphiſicè falſam; atque ideò poteſt ſtare cum phiſica ſeu metaphiſica formidine, ne forsè illa ſit vera in ſe. Hæc reſolutio licet aliquibus fortaſſis videbitur nova, in ſe tamen veriſſima eſt, quam ſic oſtendo quoad omnes partes: & primò quoad primam; nam magis opponuntur in eodem intellectu duæ probabilitates oppoſitæ, quam duæ oppoſitæ qualitates in eodem ſubiecto: ſed qualibet qualitas in ſummo, & ſupremo gradu intenſa deſtruit omnino oppoſitam ab eodem ſubiecto. Ergo qualibet probabilitas in ſummo, & ſupremo gradu deſtruit omninò oppoſitam ab eodem intellectu. Conſequentia ſequitur. Et minor conſtat, non enim caliditas v. g. in ſummo, & ſupremo gradu permittit in eodem ſubiecto minimum gradum frigiditatis. Maior autem probatur quia duæ probabilitates oppoſitæ opponuntur contradictoriè, & privativè idest penes eſſe & non eſſe: qualitates verò oppoſitæ opponuntur contrariè, ut communiter dicitur. Præterea ſi opinio probabiliſſima permitteret in eodem intellectu probabilitatis locum aſſertioni ſibi oppoſitæ, eſſet & non eſſet probabiliſſima, quod eſt abſurdum manifeſtum: probatur hæc ſequela, eſſet enim probabiliſſima, & in ſummo gradu probabilis, ut ſupponimus; non eſſet autem talis quia ex quo Aſſertio ſibi contradicens eſſet probabilis, ipſa à ſua probabilitate aliquantulum minueretur, & ſic non eſſet ampliùs in ſummo gradu probabilitatis: quomodo enim poteſt eſſe ſummè probabile aliquid licere, ſi ſit adhùc probabile non licere? jam enim ex huius probabilitate minueretur probabilitas illius: ergo opinio probabiliſſima ſi verè, & methaphiſicè ſit talis, deſtruit omninò probabilitatem aſſertionis ſibi oppoſitæ tam phiſicam ſeu metaphiſicam; quam etiam, & fortius moralem; quod enim eſt metaphiſicè improbabile, nec poteſt moraliter probabile exiſtimari.

1025 Probatur etiam eadem reſolutio quoad ſecundam partem, quod ſcilicet opinio probabiliſſima ſua morali certitudine reddat aſſertionem ſibi oppoſitam certò moraliter falſam, non autem phiſicè, ſeu metaphiſicè, falſam. Nam quod certò moraliter exiſtimatur eſſe verum, nõ compatitur cum hoc quod poſſit ſimul exiſtimari falſum; alioquin exiſtimaretur certò, & non certò, eſſe verum, quod implicat: ſed ita contingeret, ſi opinio moraliter certa, ſicut ex dictis ſupponitur probabiliſſima, non redderet certò moraliter falſam aſſertionẽ ſibi oppoſitam, ſed permitteret poſſe exiſtimari veram; nam hoc ipſo poſſet ipſa exiſtimari falſa; & ſic exiſtimaretur certò, & non certò vera. Ergo opinio probabiliſſima ſua morali certitudine reddit aſſertionem ſibi oppoſitam certò moraliter falſam; non autem phiſicè, ſeu metaphiſicè falſam; quia ut patet ex dictis cum morali certitudine ſtat ſimul poſſe rem phiſicè & in ſe, ſeu methaphiſicè aliter ſe habere. Ex quo patet ultima pars, videlicet quod opinio probabiliſſima in ſe moraliter certa, & deſtruens omninò probabilitatem aſſertionis ſibi oppoſitæ, reddenſque illam certò moraliter falſam, adhuc poſſit ſtare cum phiſica, ſeu metaphiſica formidine, ne forte aſſertio ſibi oppoſita ſit vera. Quæ eſt tota reſolutio noſtra.

1026 Ex quibus ſequitur quod opinio probabi-

babi-

[illegible] cum probabiliſsima moralis; ſed illud non [illegible] totum genus opinionum probabilium, quibus eſſentiale eſt habere formidinem partis oppoſitæ; ſed ſolum in eo genere obtinet ſupremum locum, & ſummam perfectionem; dato ne eius perfectionis attingit infimam ſupremi, vel infimum cognitionis alterius generis ſibi ſuperioris, puta ſcientiæ, vel fidei divinæ; quod quidem infimum eſt certitudo, non abſolute, & ſimpliciter, ſeu phiſice & metaphiſice, qualis eſt certitudo ſcientiæ, & fidei; ſed ſecundum quid, hoc eſt certitudo moralis, hæc enim eſt infima certitudinum; & ratione huius exuit omnem moralem formidinem, licet non phiſicam ſeu metaphiſicam; ut dictum eſt; atque ideo ſufficit ad prudenter, & moraliter agendum; & ſi in ea contingat error, erit ex invincibili ignorantia, & excuſabit; ut diverſis exemplis, & præcipue in errore facti nonnullis oſtendimus.

1027 Et per hæc patet reſponſio ad ſecundam rationem, quam contra nos tegebat Rdus. [illegible] Canonicus Catanenſis adductam ſupra num. 1006. reſpondeo enim ad eius dilemma, quod opinio probabiliſsima reddit utique aſſertiones ſibi oppoſitas improbabiles, & certo moraliter falſas: Et ad impugnationem ſecundam, quam ibi adducit, dicens, quod hoc non poſſet fieri comparationibus cum opinionibus probabilibus, ſicut fit in propoſitione damnata; & proinde non eſſe inter probabiles probabiliſsimam, *quia improbabiles* (*inquit*) *eſſent*, *& moraliter falſæ illæ, quæ ſunt probabiles*: ad hanc (inquam) impugnationem nego ſuppoſitum ſuum: ponit enim Auctor ille, quod opinio inter probabiles probabiliſsima dicatur, & ſit talis per comparationem ad ſuas oppoſitas probabiles; quod tamen falſiſsimum eſt; comparativè enim ad illas, etiam ſi eſſent verè probabiles, non poſſet dici ſuperlativè, etiam ſi illas in gradu probabilitatis excederet, probabiliſsima, ſed probabilior; exceſſus enim purè comparativus probabiliorem conſtituit, non probabiliſsimum: quod ipſemet ibidem optime animadvertit, & propterea de opinione probabiliore expoſuit Decretum Alexandri. Sed in hoc ipſo valde deceptus fuit; nam ibi in propoſitione damnata de probabiliſsima inter probabiles ſit ſermo, & non de probabiliore ſuis oppoſitis. Quare probabiliſsima inter probabiles, de qua propoſitio illa loquitur, & Decretum, eſt illa quæ ſupremum, & ſummum gradum probabilitatis abſolutè in ſe obtinet, & non per exceſſum purè comparativum ad alias, ut diximus ſupra; quæ dicitur inter probabiles talis, non quia comparata ad illas in aliquo gradu excedit; ſed quia contenta intra idem genus probabilium, & in medio earum, ipſa ſummum, & ultimum gradum probabilitatis habet; ad quod ſatis eſt, quod intra totum genus probabilium ſint plures, & plures verè probabiles in quacumque alia materia quantumcumque diſparata

[illegible] ſuit, & non requiritur, quod ſint probabiles eius oppoſitæ, in eadem materia, ſeu in eodem puncto conſideratæ. Nam iſtæ reddiuntur ab ipſa prorſus improbabiles, & certo moraliter falſæ, ac proinde moraliter nullæ, & nullam formidinem, quo tamen ſint, quod adhuc in [illegible] improbabilitate) tam phiſicè, quam morali, & in ſua falſitate certæ moraliter, non tamen phiſicè, & metaphiſicè certa, poſſunt [illegible] formidinis phiſicæ ſeu metaphiſicæ [illegible] ut diximus ſupra; & [illegible] probabiliſsima non extrahitur de genere opinionum, quibus eſſentiale eſt formidinem de parte oppoſita, quia adhuc in ſua morali certitudine locum habet aliquam formidinem) ut ſic quin nunquam ſit in ſuo genere ſuprema cognitio, videatur nihilominus eſſentialiter inferior, & diminuta paulò minus ſi cognitione ſuperioris generis, qualis eſt ſcientia, & fides divina; quæ ſunt omnimodè certæ, & infallibiles etiam phiſicè, & metaphiſicè.

1028 Obiiciunt tandem adverſarii ingentem Doctorum numerum contra nos ſententium, & contendunt multitudine vincere, quos hactenus promiſſis ſæpe ſuis demonſtrationibus convincere non potuerunt: quaſi multitudo ſolentium, qualiſcumque ſint, ſive ingeniorum ſuorum voluptati, ſive ut vulgo placeant, aliorum commodo ſæpe ſæpius indulgentium, contra agitatam veritatem, & Sanctorum Patrum doctrinam aliquid prævalere poſſit; Jam ex Patribus vidimus, convincentibuſque rationibus oſtendimus ſenſa noſtra: quid ergo refert inviiſis hæc obiectio multitudinis, contra quam hactenus dimicavimus? Nõ ſunt igitur iſti audiendi, ſed reiiciendi potius à nobis, ut monet Doctiſſimus Dominicus Gravina *lib.* 4. in Cherubim Paradiſi *pag.* 325. de quibus hæc habet: *Quantum ad nonnullos Scriptores ſunt in eadem ſalebra, qui ſub ſpecie opinionis probabilis vendiderunt multa, quæ abſtinentiam, & ieiunia profundunt, pudicitiam emolliunt, prudentiam huius ſæculi extollunt, & iuſtitiam tam diſtributivam, quàm commutativam pervertunt.* Hæc ille. Addo quod multitudo hæc numero quidem eſt multa, non pariter authoritati, quæ Doctoribus debetur, quia pauci eorum ſunt qui pro Doctorum munere, & debito proprii officii procedunt, nempe benè diſcuſſo, & diſpecto huius cauſæ articulo; Plerique enim paucos hos quoſdam cæco modo ſequuntur; & tamen Doctorum numero aggregantur.

1029 Sed ne videat argumentum hoc quaſi per contemptum diffugere, adhuc ſtando in vi multitudinis reſpondeo, maiorem Doctorum numerum ſtare pro ſententia noſtra, ſi ſincerè, & fideliter fiat collatio numeri ad numerum; pro nobis enim militat tota antiquitas Doctorum, & bona pars Recentiorum, quos longum eſſet hic nominatim recenſere; & inſuper eſſet [illegible] agere; nam plures alii ante me [illegible]

oſtenderunt, ut videri poteſt apud Mercorum, Baronium, Gonetum, Contenſonum, Tyrſum Gonzales nunc Præpoſitum Generalem Societatis, & multos alios, qui de hac materia ſcripſerunt. Quod ſi quis noluerit his fidem adhibere, ipſe ſibi probet proprio ſtudio, Authores ipſos, & antiquos, & Recentiores, ſingulos perquirendo. Caveat autem, ne fidat Adverſariis noſtris, qui plures pro ſe citant, paucos verò contra ſe, omiſsa ex induſtria totà univerſitate antiquorum quaſi illi non ſint in numerum computandi; vel quaſi illorum doctrina præ ſenio ſit infirma; ſed quis dicat eos præ antiquitate de Doctorum catalago deleri? Aut quis eos voce privavit, ut votum eorum pro nullo hac noſtra tempeſtate ab aliquibus habeatur? Experimur enim quod moderni iſti Probabiliſtæ toti ſunt in ſolis Recentioribus citandis, quaſi in ſæculis prioribus nõ fuerint in Eccleſia Doctores, & Theologi, qui de hac materià ſcripſerint. Quid eſt hoc, niſi quia eorum doctrinam pro antiquatâ habent, & quaſi parvipendunt? Cum tamen doctrina eorum eò verior haberi debeat, quò antiquior & in primitivâ Eccleſiâ floruerit. Undè conſilium Spiritus Sancti eſt eorum ſapientiam exquirere, Eccleſiaſtici *cap.* 39. dicentis: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens.* Hos igitur veritatis amator quiſquis fuerit, diligenter exquirat, hos adnumeret aliis noſtri ſæculi, & videbit longè numeroſiores eſſe, & præſtantiores ſtantes pro nobis, quàm contra nos.

CAPUT XII.

De aliis improbationibus, vel veriùs eiſdem, iterùm, & noviſſimè inculcatis adversùs nos à R. P. Paulo Segneri Societatis Jeſu, & plus nimio amplificatis.

§. I.

Profertur motivum huius Authoris ſeu prætextus ab ipſo aſſumptus ſcribendi ſuper uſu probabilium opinionum: & ſimul aperitur in quo ſenſu abundet: & cur eius improbationes hîc ſpecialiter ventilentur.

1030 MOtivum (ſive dicas veriùs prætextum) iſtius Authoris ſcribendi ſuper uſu opinionum practicè, etiam minùs probabilium, fuit, quia fortè ſuper hoc fuit requiſitus ab innominato quodam Illuſtriſſimo Antiſtite, cui oportuit reſpondere, & votum ſuum quaſi vivæ vocis Oraculo per Epiſtolam tradere. Sic enim manifeſtè colligitur ex proprio eius facto, dum non librum aliquem ad hoc deſtinavit, ſed epiſtolam quamdam italicè conſcriptam, & publicæ luci traditam cum hoc frontiſpicio: *Lettera di Paolo Segneri della Compagnia di Gesù all'Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signore, e Padrone Colendiſſimo Monſignor N. N. sù la materia del Probabile. In Colonia preſſo Baldaſſare d'Egmond*, 1703.

1031 In eà autem concorditer cum aliis Probabiliſtis in ſenſu illo abundat; videlicet licitum eſse, & unicuique tutum ſequi opinionem etiam minùs probabilem, relictà oppoſità ſtante prò lege, etiam probabiliore. Unde non ſine animi ſui mœrore ibi conqueritur, quod velint aliqui opinionem minùs probabilem dè humanà praxi relegare, quam & innocentem, & commiſeratione dignam appellans, compatiendo ibidem deplorat; eo quod cum improbabili utique Rea, & exilio dignâ, ex errore (ut ipſe credit) intolerabili eam quaſi omninò eamdem computaverint: atque ideò vice illius hanc apprehendentes exilio dignam fecerint in innocentia ſuà. Atque hinc proclamat errorem hunc fuiſse in cauſa ſummi horroris, & odii a quibuſdam tenaciter concepti adverſus illam, & ſuſcitati clamoris, ſive ſtrepitus Antiprobabiliſtarum. Ex quo planè colligitur Authorem iſtū pro certo ſupponere cum aliis Probabiliſtis opinionem verè practicè probabilem eſse in ſe tutam agendorum regulam; dum aliorum ſtrepitus, & clamores indè credit procedere, quod minùs probabile pro improbabili accipiant; quaſi quod niſi in hoc, ut ipſe putat, errarent, unanimiter cuilibet probabilitati ſe ſubſcriberent; & ex toto ceſſarent ſtrepitus, & clamores noſtri, qui ex uno hoc errore provenire creduntur.

1023 Cæterùm quod verè in ſe eſt practicè probabile, hoc ipſo plenum (inquit) omni honeſtate ſupponitur, & dignum quod in praxi approbetur, & tuto, eligatur. Nec aliud (ſubdit) fuit unquam in Eccleſia ab Antiquis quæſitum ad operãdum in genere moris. Atque hinc eructat, quod velle nunc oppoſitum introducere, eſſet velle univerſum Orbem iterùm ad ſcholas remittere, ut dediſcant omnes, quod hactenùs ab Antiquis didicere. Vide lector quam abundantiùs aliis Theologus iſte Æmulator ſit traditionum omnium Probabiliſtarum noſtri temporis; ut videre eſt in hac ſuâ Epiſtolà per totam. Ibi enim cum illis, & per eaſdem omninò ſemitas incedens, ſe exhibet probabilitatis practicæ Defenſorem acerrimum: Imò & ſuper illos, utpotè qui de proprio ſuperaddit in ipsâ elocutionis ſuæ texturà fucatum quemdam eloquentiæ modum, quo ſolent de more ſuo Oratores ad ſe animos auditorum trahere, & faciliùs ſuadere quidquid ſibi placuerit, etiam ſi fortè ſit in ſe falſum.

1033 Quare hæc præcipua cauſa eſt, & potiſsima ratio, quæ me impellit ad eius epiſtolam ſpecialiùs examinandam; timeo enim inde grave viris ſimplicibus periculum imminere: ſolent enim iſti in compoſitione ſermonis faciliè capi, & in ſplendore humanæ eloquentiæ hallucinari; et maximè ſi quæ placent, atque ſibi favorabilia proponuntur, ſicut accidit in propoſi-

to noſtro. Quod ſi ad hæc accedat magnum quoque Oratoris nomen, quis neget fieri in Auditoribus tenaciùs fidem, quaſi ab Oraculo deſuper acceptam? Jam verò non deeſt huic viro nomen inter multos noſtri temporis in Italia benemeritos; cum præ ſuſcepto Evangelicæ prædicationis munere, laudabiliterque peracto, ſit ferè ab omnibus (& condignè quidem) vir hactenùs creditus Apoſtolici pectoris; & profectò hujuſmodi eum eſſe ſatis indicant plura eius opera ad utilitatem publicam, & ſalutem animarum conſcripta, quem & ego cum aliis ingenuè fateor, & citra omnem invidiam commendo. Verumtamen indè magis ſuccreſcit in me dolor de tanto viro, quod poſt tot labores in ædificationem populorum ſuſceptos, in unâ hac ſuâ Epiſtolâ videatur tandem defeciſſe. Ex quo operæ pretium duxi, imò & neceſſarium, non confusè cum aliis Probabiliſtis, & tacitè impugnatum præterire (quod certè hactenùs à me ſatis actum eſſe cenſeo in ſuperioribus dictis adversùs totam practicæ probabilitatis doctrinam; neque enim ipſe in hac epiſtolâ ſuâ quidpiam affert novi roboris, quod non fuerit ab aliis traditum) ſed explicitè, & ſpecialiùs, ut non decipiantur ſimplices fortè credentes, poſt ſingulas impugnationes meas, virum tanti nominis adversùs me tandem doctrina ſua oppoſitum ſigillaſſe non impugnatum. Quare ad hujuſmodi deceptionis periculum avertendum, totam eius epiſtolam quoad ſingulas eius partes ſingulari examine ſubiiciam, ut infra.

§. II.

Referuntur fideliſſimè, & ſimul impugnantur, quæ in primâ parte huius Epiſtolæ affert præfatus Author in favorem practicæ probabilitatis.

1034 ANtequam verò opus hoc aggrediar, præmonitum te volo, lector, me huiuſmodi epiſtolam incidenter præ manibus habuiſſe ad paucas horas à religioſo quodam viro Româ, undè illam attulerat, ad ſuam patriam redeunte, qui non plus temporis mihi conceſſit, niſi ut eam legerem, & breviter ſignarem quoad ſenſum ſingula, quæ ibi continebantur iuxta numerum periodorum. Quod dico, ut non mireris, ſi infra ubi oportuerit doctrinam eius referre, & Textum ipſum citare, non ad literam, & verbaliter illum referam; nec italicè, ſed latinè, in verbis tamen omninò æquivalentibus, & ſummatim Authoris ſenſum reddentibus fideliſſimè, quæ propterea charactere curſivo quaſi originalia impreſſa volui, licet non ſint, cum epiſtola tota ſit italicè conſcripta. Non deſinam tamen interdùm nonnulla etiam italicè referre (ſemper tamen ſummatim, & cõpendioſiùs) quæ volui ſpecialiùs ſignare, ubi nimirùm animadverti plus energiæ haberi pro modo loquendi Authoris, quàm ipſe potuiſſem compendio, & latinè exprimere, de quo conſultò te præmonere volui, ut indè agnoſcas me ingenuè, & fideliter omninò ſcribere, nec iota unum roboris velle propriis Authoris verbis adimere; quemadmodum poteris totum hoc facilè tibi comprobare, ſi quæ referam cum ipſâ originali epiſtolâ conferas.

1035 Procedamus itaque ad doctrinæ examen, quam promit Author iſte in epiſtolâ ſuâ. Certè non inficiatur Pater Segneri relegandas eſſe ſententias laxas ab hominum praxi; imò id per totam ferè epiſtolam ſuam ſancto zelo ſupponit, & ingenuè profitetur; quod ulteriùs tamquam ſolidum fundamentum poſuit totius doctrinæ ſuæ, affirmans utique, atque in intentione nobiſcum conveniens, optimum eſſe conſilium, imò & neceſſarium quaſcumque laxas opiniones e noſtris finibus longiùs amandare. Sed videamus quid ſuper hoc ſolido fundamento incipiat ſuperædificare. Ecce quid; liberum uſum cuiuslibet opinionis practicè probabilis, & etiam minùs probabilis. Sed quâ bonâ conſequentiâ? quia, inquit, opinio etiam minùs probabilis, hoc ipſo, quod probabilis, nequit eſſe laxa; nam ſententiæ laxæ nunquam ſunt probabiles: undè opiniones minùs probabiles non ſunt ab hominum praxi relegandæ ad finem cohibendi ſententias laxas; quia importunè hoc modo obviaretur iſtis. Ita in exordio, ſeu in prima parte epiſtolæ ſuæ incipit ædificium ſuum. Audi eius verba *num. 1. Dare in bando il meno probabile non è opportuno rimedio alle ſentenze larghe, perche queſte non ſono mai probabili*. Et hinc infert non eſſe minùs probabile de praxi noſtrâ relegandum.

1036 At tu pondera nunc mecum, lector, ſi ſit hoc ſuper fundamento illo benè ædificare, an potiùs ipſum fundamentum deſtruere. Si verum eſt, quod oportet laxas ſententias relegare, idque iam ingenuè fatetur P. Segneri: quomodo ſuper hoc ædificat, non eſſe minùs probabiles de licito relegandas? Dicat ipſe, & exponat mihi, quid interſit inter minùs probabiles de licito, & ſententias laxas. Certè quod minùs probabile eſt licere, quàm eſſe illicitum, idem eſt, ac videri magis illicitum, quàm licere; ut conſtat ex propriis terminis: & ſentire procul dubio licere, quod videtur in ſe eſſe potiùs illicitum, non erit laxè ſentire? Et quid laxius eſſe poteſt, quàm ſentire licere, quod ſincerè, & ingenuè agnoſcitur potiùs eſſe illicitum? Et nihilominùs hoc ſonat minùs probabile de licito. Non ergo invicem cohærent duo hæc dicta: relegendas eſſe ſententias laxas: & non eſſe relegandas minùs probabiles de licito; ſed hoc ſecundum deſtruit primum, & econtra. Quâ ergo bonâ conſequentiâ P. Segneri ſuper primo conſtruit hoc ſecundum?

1037 Quod ſi dicat P. Segneri nequaquam laxè ſentire, qui id licitum eſſe ſentit, quod ſibi potiùs videtur non licere; quando, hoc non obſtante,

ſtante,

Digitized by Google

ſtante, videtur ipſi ſaltem minùs probabiliter licere: aperiat nobis quando quis dicatur laxè ſentire; ut ſic ab ipſo diſcamus ex proprio charactere laxas ſententias agnoſcere, & relegare. Fortaſſis dicet: quando quis improbabiliter ſentit aliquid licere: nam ut ipſe dixit: ſententiæ laxæ numquam ſunt probabiles. Benè. At iterùm peto ab ipſo: quando quis improbabiliter ſentit aliquid licere? an ſcilicet quando in ſe eius ſententia eſt re verà improbabilis, licet ſibi non talis appareat? an verò quando iam ipſi conſtat improbabilitas illius? hoc ſecundum dici non poteſt; nemo enim ſentire poteſt, quod clarè agnoſcit eſse omninò improbabile; niſi enim quis aliquo ſaltem modo ſibi ſuadeat aliquid eſſe verum, non poterit illud quodammodò ut verum accipere, & ſentire: & ſic numquam eſset alicui propria ſententia improbabilis, ac per conſequens nec laxa, & releganda; eſset enim de ſubiecto non ſupponente. Si verò dicatur primum: iterum peto: & quando ſententia aliqua eſt in ſe improbabilis, ſubindeque laxa, & releganda? Reſpondeat P. Segneri, & edoceat nos, ut opportunum remedium præbeat laxis ſententiis relegandis, qui importunum reputat exilium minùs probabilium. Inſtruat nos characteriſtica ſigna improbabilium, & rationem eas agnoſcendi generatim reddat; vel eas deſignet ſingulatim.

1038 Verùm quidquid ad hoc dicet, non erit eius remedium opportunum: nam ſi generatim reſpondeat per notionem, ſeu definitionem opinionis probabilis, ut ſolent dicere Cóprobabiliſtæ ſui, videlicet eam eſſe verè opinionem probabilem, quæ gravi, ac prudenti rationi innititur, nec evidenti rationi opponitur, aut ſcripturæ teſtimonio, vel Conciliis, aut Pontificum Decretis, aut Sanctorum Patrum traditionibus, vel Theologorum omnium judicio, communique doctrinæ, nihil efficiet; quia quilibet ſuæ opinionis Author huiuſmodi conditiones ſuis ineſſe opinionibus affirmabit; & quas unus, vel alter, alicui opinioni deficere opponet; alter ex adverſo nequaquam deeſſe contendet; ita ut quod una ab uno improbabilis judicatur, ab altero ſatis probabilis pronuncietur; id quod experimur in dies inter Authores, ubi eſt reperire varietates opinionum; ut ſemper ſupponimus: nam niſi hoc ſupponatur, non erimus in caſu opinionis improbabilis relegandæ. Ex quo etiam conſtat, quod neque ſi voluerit P. Segneri à ſemetipſo ſingulas improbabiles deſignare, id ipſi poterit prodeſſe; cùm ex adverſo numquam deſint alii eas ſatis probabiles dicturi. Quid ergo efficiet quis in medio poſitus, videns hinc indè eamdem ſententiam, improbabilem, & probabilem dici? Poterit ne indè definitivè, ut in ſe improbabilem habere, ita ut eam debeat relegare? Certè quod non; quia quantumcumque P. Segneri, vel quivis alius ita definiat, non proindè illa in ſe improbabilis erit; cùm adhuc in ſe maneat probabilis aliis. Ergo ſi velit quis practicè cum iſtis ſentire, adhuc practicè probabiliter ſentiet, nec erit ei tunc huiuſmodi ſententia laxa, utpotè quæ evadet ipſi practicè probabilis, qualis numquam laxa ſententia eſſe poteſt juxta dictum Patris Segneri.

1039 Præterea dicat P. Segneri cur ſententiæ laxæ nũquam ſint probabiles. niſi enim huius rationem reddat, convincitur manifeſtè id falſum eſſe, & gratis omninò dici, atque ex doloſa quadam induſtria, ut opiniones probabiles, quaſi incompoſſibiles cum horrore laxitatis, nemo deinceps benè affectus legibus in ſuſpicione haberet. At nulla quidem de hoc ratio reddi poteſt; nam laxa ſententia in materià morum propriè loquendo, ea eſt, quæ à rigore, quo lex re verâ nos adſtringit, liberos omninò eſſe docet, atque ſolutos; ita ut quodammodo, hoc eſt, declarando, vincula legis laxet, ut indè liberi effugiamus, cùm tamen re vera teneamur vincti; idem enim eſt laxare, ac remittere, & ſolvere aliquid, quod vinctum ſupponitur, & aliquo vinculo alligatum: quare ex vi vocabuli conſtat, quod ſententia laxa dicenda ſit omnis opinio falſa contra legem; quia omnis huiuſmodi opinio, & ſola, eſt, quæ vinctos lege ſupponit, & declarat ſolutos, ſeu ſolvit declarando, aut pronunciando non vinctos. At opinio falſa contra legẽ procul dubio probabilis eſſe poteſt; quia falſum ex hoc quod in ſe falſum eſt, non repugnat eſſe probabile: imo Philoſophus dicit, quod interdùm falſa ſunt probabiliora veris. Ergo ſententiæ laxæ poſſunt optimè eſse probabiles. qua ergo veri ſpecie pronunciat P. Segneri ſententias laxas numquam eſse probabiles? Imò potiùs econtra, ſi vera eſt notio hæc, quam de ſententià laxà ex vi eiuſdem vocabuli dedimus, omnis opinio probabilis, quæ non eſt pro lege, ſed contra, ſi ſit in ſe falsa, erit quoque in ſe ſententia laxa; atque indè per converſionem per accidens, dicendum, quod aliqua ſententia laxa ſit verè probabilis.

1040 Quod ſi adhuc non ſit tibi à me ſatis probatum (lector) quod ſententiæ laxæ ſint multoties verè probabiles: recole authoritatem Auguſtini, quam ſupra adduxi *ex lib.* 3. contra Academicos *cap.* 16. ubi probat Auguſtinus exemplo orationis Catilinæ, poſſe omnia ſcelera probabiliter licita ſuaderi; & indè redarguit eos, qui dicunt non poſſe huiuſmodi laxitates eſſe verè probabiles. Perperàm ergo dicit P. Segneri ſententias laxas numquam eſſe probabiles; & manifeſtè in hoc contradicit Auguſtino, & veritati. Et certè niſi ſententiæ laxæ poſſent eſse interdùm verè probabiles, nec poſsent eſſe ſententiæ Doctorum; nemo enim iſtorum ſine aliquà ſaltem probabilitate aliquid affirmat, vel negat: nemo ſine aliqua, ſaltem ſibi gravi, ac prudenti ratione reſolvit, cui juxta modum dicendi Probabiliſtarum innititur opinio probabilis. Ergo ſi ſint in mundo ſententiæ

tiæ laxæ iſtorum (ut ſupponimus, alioquin quæſtio eſſet de ſubiecto nõ ſupponente) oportet dicere eas eſſe probabiles. Ergo falſum eſt ſententias laxas numquam eſſe probabiles. Ergo ſuper illo ſemel jacto fundamento Patris Segneri, videlicet relegandas eſſe ſententias laxas, utique in ſe ſolido, & veriſſimo, non benè ſuperædificatur illud, quod ipſemet ſuperaddit; non eſſe relegandas opiniones probabiles, nec minùs probabiles; quaſi quod indè importunè abviaretur ſententiis laxis; cum iſtæ, ut ipſe credit, ſint omninò extra genus probabilium. Ecce quomodo in initio ædificii ſui deficit, & dum ſupercouſtruere intendit, deſtruit fundamentum ipſum, quod poſuerat.

1041 Inſiſtit nihilominùs P. Segneri, & intendit ſtabilire ædificium ſuum, probando ſententias laxas numquam eſſe probabiles. Unde in dicta *Epiſt. num.* 3. ſic probat: *Primò* (inquit) *quia doctrinæ probabiles nequeunt contra ſe habere principium aliquod certum, vel deciſionem, vel dogma, aut reprobationem à Vaticano, aliter non manerent ampliùs probabiles. Econtra verò doctrinæ laxæ id habere poſſunt, & ſæpè habent, ut conſtat in pluribus ab Eccleſia damnatis*. Ita hic æquivalenter per ſua italica verba. Sed quære Tu, & perquire lector, ſi verba hæc aliquid probent: mihi quidem probant nihil; nam doctrinæ probabiles æquè poſſunt contra ſe habere omnia hæc, quæ ipſe enumerat, ſicut ſententiæ laxæ; ut experientiâ manifeſtum eſt: experimur enim plures, & plures opiniones Doctorum, quæ ipſis, & aliis quoque fuerant verè probabiles, & ut tales in libris, & codicibus ſuis publicè commendatæ, & nihilominùs fuiſſe tandem ut laxas, erroneas, & ſimilibus cenſuris ab Eccleſia expunctas; ex quo manifeſtè conſtat doctrinas probabiles poſſe cum laxis coincidere, & econtra laxas cum verè probabilibus. Quod autem poſtea poſt Eccleſiæ cenſuram non manſerint nobis ampliùs probabiles, nihil refert; quia hoc provenit ab extrinſeco infallibili teſtimonio Eccleſiæ declarantis nobis falſitatem earum, ex quo incipimus noviter per fidem agnoſcere, & infallibiliter id, quod antea occultum erat; ac proindè mutatur obiectum opinionis probabilis, quia falſum incertum, & occultum tranſit in certò falſum cognitum; obiectum autem opinantis nequit eſſe certò falſum cognitum, benè tamen falſum occultum, & incertum, ut per ſe patet intelligenti terminos.

1042 Secundò ulteriùs procedit P. Segneri ad probandum idem, quod ſupra, per ſimilia ſequentia verba, videlicet: *Doctrinæ probabiles non ſunt hominibus ſine paſſionibus probabiles, niſi ſint habiles, ut judicioſos trahant ad prudentem aſſenſum, atque ideò opus eſt, ut ſibi aſſiſtant rationes validæ, ſubſiſtentes, & ſenſatæ, quod dici non poteſt de doctrinis laxis*. Sic habet æquivalenter num. 4. Sed neque conditiones iſtæ doctrinæ probabilis aliquid probant, ut in ſuperioribus dictum eſt; quia omnes dictæ conditiones poſſunt doctrinis laxis æquè competere; nam doctrinæ laxæ, ut vidimus, indè laxæ dicuntur, & ſunt, quia rigorem veræ legis contra legem laxant, & tollunt; undè propriè loquendo omnes opiniones falſæ in ſe contra legem verè laxæ ſunt: certum eſt autem quod multæ doctrinæ verè probabiles, & habentes rationes validas, ſubſiſtentes, ſenſatas, & ſufficientes, ut judicioſos trahant ad prudentem aſſenſum, in linea opinandi tamen, hoc eſt ad aſſenſum formidoloſum, pro quanto poteſt ratio ſpeculativa, quærens veritatem in ſe ex meritis obiecti, judicare, ut munus eſt proprium opinantis, ſunt nihilominùs falſæ in ſe contra legem, ac per conſequens laxæ. Sicut enim non obſtantibus cunctis hiſce conditionibus, poſſunt nihilominùs eſſe in ſe falſæ, & remittere rigorem veræ legis adversùs legem; ita iiſdem conditionibus non obſtantibus poſſunt eſſe in ſe laxæ; licet non laxæ ab Authoribus exiſtimentur, quia putantur ex rationibus ſuis veræ, & non contra legem: ſed ſicut ipſi decipiuntur in earum falſitate agnoſcendâ, ita & in agnoſcendâ laxitate: re verâ tamen ipſæ in ſe ſicut falſæ ſunt, & contra veram legem, ita & ex hoc ipſo ſunt in ſe verè laxæ. Quare diſcurſus Patris Segneri videtur manifeſtè in æquivoco laborare; quia dum doctrinas expreſſo nomine laxas appellat, eas accipit ut expreſſè, & quaſi evidenter à nobis cognitas, ſicut in ſeipſis ſunt everſivæ veræ legis, quo pacto certum eſt eas non poſſe eſſe probabiles: at accipiat ipſe, ſicut nos eas accipimus, videlicet ut nobis incognitas, & incertas quoad earum falſitatem, & laxitatem; & tunc videbit eas utique poſſe in ſuâ verâ laxitate fieri probabiles. Ponderet exempla, quæ ſupra nos adduximus de uſuris, & aliis ſceleribus, quæ nominat Auguſtinus *loc. cit.* contra Academicos, quæ procul dubio ſub expreſſo titulo uſurarum, & ſcelerum, ſicut ſunt in ſe, nequeunt eſſe probabilia; at mutato titulo, & ignoratâ eorum quidditate in ſe, facilè poterunt in probabilia tranſire. Tollat igitur æquivocationem nominis, & fatebitur nobiſcum ſententias laxas poſſe eſſe verè probabiles.

1043 Tertiò ad idem probandum *num.* 5. recurſum habet ad approbationem librorum, dicens: doctrinæ probabiles approbantur à Doctoribus ſuperioribus omni exceptione maioribus, qui illas examinant, & approbatione ſuâ teſtantur, *che il ſeguirle non ſia disdetto*; Non ſic autem eſt de laxis. Sed ſi reflexio hæc valeret, non eſſet ex Doctoribus aliquem approbatum invenire, qui huiuſmodi opinionum ſequelæ explicitè contradiceret: quod tamen conſtat eſſe falſiſſimum: neque quæ ego nunc ſcribo contra huiuſmodi tutam ſequelam, in lucem umquam approbata prodiiſſent, ſed quid dico de his, vel ſimilibus invicem ſibi contradi-

Digitized by Google

tradicentibus Doctorum doctrinis? Doctrinæ illæ laxæ ab Eccleſiâ jam hactenùs expunctæ nonne ſingulæ antea à Doctoribus Superioribus examinatæ, & approbatæ prodierant? & nihilominùs in ſe falſæ erant, & laxæ, & inſuper ſimul probabiles, quandiù earum falſitas, atque laxitas occulta fuit. ad nihilum ergo valet approbatio illa Doctorum Superiorum, nec poſſumus illi confidere.

1044 Rursùs P. Segneri num. 6. proſequitur ad idem amplificans ſic diſcurſum ſuum: *L'uſo delle ſentenze larghe* (inquit) *bene ſi condanna, perche poſſono eſſere temerarie, ſcandaloſe, ſcorrette, e cauſa di rovine: ma ciò non s' avvera delle probabili. Si formino giuſti i termini. Il termine di probabile è termine tutto pieno di ſenſo honeſto; perche ſicome amabile altro non è, che degno d'eſſere amato, apprezzabile degno di prezzo; coſsì probabile d'eſſere approvato. Involve dunque contradictione, che il certo probabile in practica non ſia lecito di ſeguirſi. coſsi notò Medina nella* 1. 2. *q.* 19. *a.* 7. Verùm ſatis conſtat ex dictis diſcurſum iſtum totum eſſe æquivocationibus plenum; nam cum totam vim ſuam in ipſis terminis ponat, & illos nimis æquivocè accipiat, non poteſt eius diſcurſus niſi æquivocationibus ſcatere, quibus ſemel detectis tota vis probationis eius diſſolvitur. Attendamus itaque quo pacto id probat, quo dicit. Dicit ipſe: *L'uſo delle ſentenze larghe benè ſi condanna, perche poſſono eſſere temerarie, ſcandaloſe, ſcorrette, e cauſa di rovine: ma ciò non s' avvera delle Probabili.* Nego ego hanc poſtremam partem. Probat ille ſic dicens: *Si formino giuſti i termini. Il termine di probabile è termine tutto pieno di ſenſo honeſto.* Quaſi velit dicere: non poſſunt de probabili affirmari termini illi, qui de laxis ſententiis prædicantur; & unde habent, quod debeant condemnari, quatenùs videlicet, ut ipſe ait: *poſſono eſſere temerarie, ſcandaloſe, ſcorrette, e cauſa di rovine.* Verumtamen peto ab eo, ut primò dicat mihi, quid ipſe accipiat ſub termino illo (*ſentenze larghe*) quibus prædicata illa attribuit: Poſſunt enim ſententiæ laxæ accipi dupliciter, hoc eſt vel ut laxæ formaliter, & explicitè, quo pacto ex proprio terminorum ſignificatò important de formali diſſolutionem veræ legis, indè enim dicuntur ſententiæ formaliter laxæ; niſi enim legem diſſolverent, nec contra illam eſſent, nec laxæ poſſent ullatenùs dici, ut conſtat ex naturâ ipſius ſignificati. Vel ut laxæ materialiter, quod eſt dicere, ut purè ſententiæ ſunt, quæ licet in ſe diſſolutionem legis involvant, illam tamen non præ ſe ferunt explicitè, & quoad nos, imò putantur nequaquam legem diſſolvere, nec contra illam eſſe; ideo enim ſententiæ de licito ſunt; niſi enim ex vi noſtri diſcurſus, & rationum quibus innitimur, apparerent nobis nequaquam legem diſſolvere, non poſſent apud nos ſententiæ eſſe: & hoc modo licet in ſe laxæ ſint, non tamen laxæ ſunt nobis: Dicat nunc ergo ipſe an primo, vel ſecundo modo ſententias laxas accipiat; nam alioquin ſi utrumque modum confundat, non ſine æquivocationibus incedet. Si autem dicat ipſe, ſe illas accipere primo modo, nempè ut formaliter, & explicitè laxas; ſic ſententiæ non ſunt, nec eſſe poſſunt, aut inveniri apud aliquem Doctorem, imò neque apud aliquem quantumcumque rudem; implicat enim quod quis ſentiat licitum eſſe id, quod explicitè agnoſcit contra legem eſſe, eamque diſſolvere. Si verò dicat ſe accipere illas ſecundo modò, ſicut nos accipimus, & ipſe accipere debet, nam de his procedit controverſia noſtra, dum de ſententiis, & opinionibus loquimur: ſic verum dicit, dum ait in maiori, quod ſententiis laxis ea prædicata conveniant in ſe; at convenire etiam quoad nos eſt falſiſsimum. Ac proindè ſi ipſe in maiori intelligat ea prædicata ſententiis illis convenire quoad nos abſolutè, & aſſertivè: negabimus. Si verò intelligat convenire illis in ſe; non tamen quoad nos aſſertivè, ſed ſolùm, & ad ſummum dubitativè, ſeu formidoloſè, prout proprium eſt ſententiarum, & opinionum probabilium; ſic concedimus. Sed tunc negabimus minorem, quod videlicet totum hoc nequeat de probabilibus verificari. Probet igitur ipſe minorem hanc, ſi velit concludere intentum ſuum.

1045 Jam verò hanc accingitur probare. Audiamus. *Si formino*, inquit, *giuſti i termini. Il termine di probabile è termine tutto pieno di ſenſo honeſto; perche ſicome amabile altro non è, che degno d'eſſer' amato, apprezzabile degno di prezzo; coſsì probabile d'eſſer' approvato &c.* Sed nunc peto ab ipſo, quid ſibi velit terminus ille (*Probabile*) quem honeſtate plenum dicit, & approbatione dignum, & quo genere approbationis, ita ut non poſſint ei in ſe competere prædicata illa, neque quoad nos, ſaltem dubitativè, & formidoloſè; ſicut attribuuntur ſententiis in ſe laxis, non tamen nobis, ut formaliter, & explicitè pro laxis acceptis? niſi enim hoc nobis explicet, æquivocationibus implicabitur. Poteſt enim, probabile, dupliciter dici honeſtate plenum, & approbatione dignum, ut in ſuperioribus ſatis dictum eſt; videlicet, vel in genere opinativo; vel in genere electivo. Stat enim quod aliquid ſit honeſtate plenum, & approbatione dignum in uno genere, non autem in alio genere. Quod enim attentis meritis obiecti ſub pondere dumtaxat rationum probabilium fortiùs intellectum ſpeculativum movet ad aſſenſum de licito, quàm de illicito; dicitur quodammodo honeſto ſenſu plenum, & approbari dignum, ut licitum, à ratione ſpeculativâ quærente veritatem in ſe, ut purè ſpeculabilem, & penès conformitatem ſui ad obiectum prout in ſe obiicitur vigore rationum ſpeculandum, & purè cognoſcendum, præſcindendo ab electione eius in ratione medii ad efficacem conſecutionem finis, quem agens ſupponitur velle omninò ſibi aſſequi. At non per hoc dici poteſt

honeſto ſenſu plenum, & approbari dignum, ut licitum, à ratione practica quærente veritatem practicam, hoc eſt conformitatem ſui ad appetitum rectum per efficacem intentionem finis, ut illum certò, & effectivè aſsequatur, ſicut certò per praxim, & operationem ſuam velle aſsequi ſupponitur; quia judicium illud rationis ſpeculativæ de licito, cum ſit cum formidine de illicito, nequit eſse conforme huic appetitui recto agentis aſsequendi certò finem ſuum, ac per conſequens non eſt dignum ut approbetur à ratione practica ſolùm quærente, & inſtante de medio ſaltem moraliter certo pro conſecutione finis; nec poteſt dici honeſto ſenſu plenum in hoc genere electivo medii ad certò conſequendum finem, cum explicitè videat agens in ipſa formidine illius judicii ſpeculativi fraudari poſse ab appetitu recto ſuo, a quo nullatenùs fraudari velle ſupponitur. Dicat ergo P. Segneri in quo genere accipiat *ly probabile*. Si enim dicat in genere opinativo, ſic verum dicit quod ſit honeſto ſenſu plenum, & approbatione dignum, non tamen abſolute, & ſimpliciter, & ſine formidine illiciti, & inhoneſtatis; quia non eſt judicium aſſertivum certum de ſenſu illo honeſto, quo plenum dicitur, neque approbatione certa dignum; ſed formidoloſa, incerta, & fallibili; quare ſi contingat in ſe eſse falſum, verificabuntur de illo in ſe prædicata illa, quæ laxis ſententiis conveniunt; imò etiam quoad nos, non quidem aſsertivè, ſed dubitativè, & formidoloſe, ſicut de ſententiis laxis in ſe, & materialiter ſumptis, non tamen formaliter, & explicitè inquantum hujuſmodi quoad nos. Ex quo conſtat falſam eſse minorem illam intellectam de probabili ſic accepto, quod ſcilicet de eo non verificentur prædicata illa, quæ laxis ſententiis conveniunt. Si verò dicat ſe accipere *ly probabile* in ſecundo genere, nempè electivo; ſic verum dicit, quod ſit honeſto ſenſu plenum, & approbari dignum, ut eligatur practicè. At hujuſmodi non eſt probabile opinativum; benè tamen judicium aliud longè diverſum, quod pertinet ad prudentiam, ut fuſiùs diximus ſupra. Ipſe verò quia unum probabile ab alio non diſtinguit, ſicut nec diſtinguunt alii Probabiliſtæ, ſed omnes eadem voce decepti, de probabili opinativo, & ſpeculativo, ad probabile electivum, & practicum tranſeunt; (nam licet mentionem faciant de probabili ſpeculativo, & practico, non tamen in hoc noſtro ſenſu illa diſtinguunt, quia utrumque collocant ſub genere opinativo, ut vidimus ſupra;) ideò omnes in æquivoco laborant, & P. Segneri cum illis; ac propterea videtur ſibi concludere, ſed non concludit, quia pro eodem reputat probabile in genere purè cognoſcitivo, quod eſt objectum prudenter opinantis, & probabile in genere electivo ad finem conſequendum, quod eſt objectum prudenter operantis. Unde malè alii tribuit, quæ propria ſunt iſtius. Ex quo malè concludit loco citato dicens: *Involve dunque contradizione, che il certo probabile in pratica* (pro quo accipit probabile opinativum) *non ſia lecito di ſeguirſi, come notò Medina* 1. 2. q. 19. a. 7. hoc eſt quod non ſit approbari dignum ut eligibile ad finem conſequendum, quod competit ſoli probabili, ſeu approbabili in genere electivo.

1046 Nec refert, quod ita notaverit, vel ſenſerit Medina *dicto loc. cit.* licet re verâ non dixerit ibi Medina, ſed ſolùm quod ſit licitum opinionem probabilem ſequi; ſed id non probet ex vi termini (*Probabile*) quaſi notans ejus ſignificatum, ut inde id dicat honeſto ſenſu plenum, ſicut procedit P. Segneri; ſed aliundè. At quidquid ſit de hoc: quid refert ſi Medina ſic notaſſet? non ſic notavit Auguſtinus, non ſic D. Thomas, non ſic alii Sancti Patres, quos ſupra adduximus, ſed notarunt oppoſitum, quod ſcilicet probabile opinativum non ſit tutò approbabile electivè, quia alioquin omnia ſcelera eſſent optimè eligibilia, ut infert Auguſtinus contra Academicos ſupra allegatus. Neque eſſet peccatum agere juxta opinionem probabilem in ſe falſam; ſicut peccatum eſſe expreſse aſſeruit D. Thomas *quodlib. illo* 8. *a.* 13. & idem vidimus ex aliis SS. Patribus.

1047 Quod ſi velit P. Segneri contra ſe audire iterùm Auguſtinum in alio loco, attendat illum ſuper *lib.* 1. *retract. cap.* 8. *lib.* de quantitate animæ *cap.* 7. attendat quid dicat de prætendentibus veritatem rerum ſuâ ratione comprehendere. Sic enim ibi inquit: *Tales enim homines, quorum profectò maxima multitudo eſt, ſi ratione velint verum comprehendere, ſimilitudinibus rationum facillimè decipiuntur, & in varias, noxiaſque opiniones ita labuntur, ut emergere inde, ac liberari aut numquam, aut ægerrimè queant. His ergo utiliſſimum eſt excellentiſſimæ authoritati credere* (quam videlicet faciunt ſtudiis ſuis magni, & divini Viri, ut antea explicaverat) *& ſecundùm hoc agere vitam: quod ſi tutiùs putas, non ſolùm nihil reprehendo, ſed etiam multùm approbo. Si autem cupiditatem iſtam refrænare non potes, quâ tibi perſuaſiſti ratione pervenire ad veritatem, multi, & longi circuitus tibi tolerandi ſunt, ut non ratio te adducat, niſi ea, quæ ſola ratio dicenda eſt, ideſt vera ratio: & non ſolùm vera, ſed ita certa, & ab omni ſimilitudine falſitatis aliena, ſi tamen ullo modo hæc ab homine inveniri poteſt, ut nulla diſputationes falſæ, aut veriſimiles ab ea te poſſint traducere.* Ponderet P. Segneri verba hæc Auguſtini; & ſecum cogitet, & recogitet, quam expreſsè reprehendat Doctor Sanctus homines, qui affectant propriâ ratione ſibi quærere veritatem, & confidere ratiocinationibus ſuis, *quorum* (inquit) *profectò maxima multitudo eſt.* Et hujuſmodi ſunt opinatores, ſeu Probabiliſtæ, qui procul dubio in magno numero ſunt, & affectant propriâ ratione verùm ſibi comprehendere. Sed quid de eis dicit Auguſtinus? Audiat P. Segneri;

Digitized by Google

generi; dicit Auguſtinus, quod iſti tales *ſimilitudinibus rationũ facillimè decipiuntur, & in varias noxiaſque opiniones ita labuntur, ut emergere indè, ac liberari, aut numquam, aut ægerrimè queant*. Ecce quomodo noxias opiniones probabiles appellat, in quas iſti tales labuntur; & de opinionibus probabilibus loquitur, in ſe tamen falſis; dum expreſsè ait, quod catenùs in illas labuntur, quatenùs *Similitudibus rationum facillimè decipiuntur*. Et ideò ut à noxiis huiuſmodi opinionibus liberentur conſulit eis Auguſtinus, ut ab hoc pruritu quærendi ſibi verùm propria ratione, & viâ probabilitatis abſtineant, & adhæreant potiùs magnis, & divinis viris, qui veritatem attigerunt, & excellentiſſimæ eorum authoritati credant, & ſecundùm eorum doctrinam vitam agant. Unde ſubdit: *His ergo utiliſſimum eſt excellentiſſimæ authoritati credere*, eorùm ſcilicet, qui ſunt magni, & divini Viri, de quibus immediatè antea mentionem fecerat, *& ſecundùm hoc agere vitam*. Et poſt hæc addit: *quod ſi tutius putas*, ſupple: conſilium iſtud, *non ſolùm nihil reſiſto, ſed etiam multùm approbo*. Et tandem concludit: *Si autem cupiditatem iſtam*, nempè pruritum quærendi ſibi verùm propria ratione, *refrænare nõ potes, quà tibi perſuaſiſti ratione pervenire ad veritatem, multi, & longi circuitus tibi tolerandi ſunt, ut non ratio te adducat, niſi ea, quæ ſola ratio dicenda eſt, ideſt vera ratio*. Ecce quomodo non quacumque etiam gravi, & prudenti ratione, qualis eſt ratio probabilis, vult Auguſtinus tales adduci debere, ſed quæ ſola ratio dicenda eſt, ideſt vera ratio, ut ipſemet explicat. Et ulteriùs ſuperaddit: *Et non ſolum vera, ſed ita certa, & ab omni ſimilitudine falſitatis aliena, ſi tamen ullo modo hæc ab homine inveniri poteſt, ut nullæ diſputationes falſæ, aut veriſimiles ab eâ te poſſint traducere*. Quid clariùs ab Auguſtino dici poteſt, qui veram, rationem, & non ſolùm veram, ſed ita certam, ut nullæ diſputationes falſæ, aut veriſimiles a vera & certa ratione traducere poſſint: non ſic autem eſt ratio probabilis, quantumcumque in ſe gravis, & prudens, quæ poteſt in falſam diſputationem, & ſolùm veriſimilem traducere. Ergo Auguſtinus probabile opinativum, præcipuè ſi contingat in ſe eſſe falſum, non reputat eſſe probabile eligibile ad agendum, neque eſſe idem cum approbabili in genere electivo ſicut credidit P. Segneri, aut notavit Medina, juxta quod ipſe illum refert, & citat.

1048 Neque credat P. Segneri, quod dum Auguſtinus in præallegato textu conſulit huiuſmodi hominibus, ut potiùs excellentiſſimæ authoritati eorum, qui ſunt magni, & divini Viri, credant & ſecundùm doctrinam eorum agant; voluerit eos ad probabilitatem illorum remittere, ſupponendo quod illi Viri magni, & divini non tranſcendant lineam cognitionis probabilis in ſe ſemper fallibilis. Nam hoc falſiſſimum eſt, Auguſtinus enim ſupponit de magnis illis, & divinis Viris, quod ſemper ſecundùm rationem veram, & non ſolùm veram, ſed etiam ſibi certam, ac propterea ſecundùm veritatem in ſe judicent, & ſecundùm ſcientiam; vel ſi quid ſecundùm opinionem reſolvunt, ſemper pro lege, numquam contra legem, unde numquam in opiniones noxias & ſimilitudinibus rationum labuntur. Alioquin ſi oppoſitum ſupponeret, jam illos pares faceret eis; qui ob pruritum opinandi juxta ſimilitudines rationum in varias, & noxias opiniones labuntur, & ſic vanum eſset eius conſilium, ut a falſis, & noxiis opinionibus liberarentur; & in vacuum, & quaſi aerem verberans reprobaſſet opiniones iſtorum; ſi eaſdem, vel ſimiles in Viris illis approbaſſet.

1049 Poſt hæc P. Segneri, utpotè qui nedùm opinionem probabilem tueri intendit, ſed etiam minùs probabilem ſtantem contra legem, contra Probabilioriſtas *num. 7.* ſic arguit: *Se ſi dirà interdirſi non tutte, ma le meno probabili. Replico; queſte ſono anco certamente probabili, o nò? Se ſono, dunque non ſono larghe, perche le larghe non hanno quei requiſiti di ſopra, &c.* Ad hanc autem redargutionem prout contra Probabilioriſtas urget, ipſi reſpondeant. Ego verò dico juxta ſuperius dicta, me neque probabiliores abſolutè admittere, neque minùs probabiles abſolutè reiicere; ſed utraſque cenſeo ſub duplici illâ limitatione, ſeu conditione ſuperiùs explicatâ poſſe ſine peccato ad praxim deduci; non poſſe autem, ſi una vel altera conditio deficiat; ut ſi ſint in ſe falſæ contra legem; vel ſi ad praxim deducantur conſcientiâ trepidante; quia ſic deficiunt à veritate legis, de quâ procul dubio erat prudenter dubitandum ex vi formidinis opinioni probabili eſſentialiter annexæ, unde poterat, & debebat agens periculum præcavere; vel deficiunt à bonâ fide ſimiliter ipſi agenti neceſſariâ, atque ideò non excuſant. Cæterùm ſi veræ fuerint & bonâ fide ad praxim applicentur, eas ſine peccato libenter admitto tam probabiliores, quam etiã & minùs probabiles. Non enim ego opiniones, ex eo quod magis, vel minùs probabiles ſint, admitto, vel reiicio; ſed ex quo legibus, vel conſcientiæ interdùm faciunt operantem practicè adverſari; & voluntariè quidem, dum formidine ſua ſatis illum admonent de periculo, quod præcavere debet; ita ut ſi formidare, & præcavere contemnat, & indè in periculum incidat, fiat ei error contra legem in ipsâ suâ temeritate culpabilis: ſi verò non erret contra legem, ſed formidet, & nihilominùs agat, evadat protinùs agens malæ fidei, ac propterea peccet. Undè non urget contra me huiuſmodi redargutio. Dum igitur arguit præfatus Author dicens: vel minùs probabiles ſunt certò probabiles, vel non. Reſpondeo eas eſſe. Et ad id, quod indè deducit dicens: ergo non ſunt laxæ: nego conſequentiam; quia ut vidimus opiniones

pro-

probabiles, ſi in ſe falsæ ſint, veriſſimè laxæ ſũt, dum rigorem veræ legis laxant, & tollunt; indè enim, & non aliundè ſententiæ laxæ dicuntur. Si verò in ſe ſint veræ, & agens nihilominùs practicè formidando juxta illas agat, tunc licet in ſe laxæ non ſint, tamen practicè formidatæ laxum reddunt operantem ex malâ fide, in quam illum inducunt.

1050 Fruſtra igitur P. Segneri *num*.8. aſſignat doctrinam de veris, & certò probabilibus juxta definitionem Philoſopi, ut ea contradiſtinguat ab improbabilibus. Et fruſtra etiam *num*. 9. dicit ideò multos errare, quia ignorant quid ſit minùs probabile, illudque cum improbabili confundunt, ac propterea relegandum putant, ſed perperàm: ſicut malè, inquit, deſpiceretur numiſma aureum Italiæ, quia minùs valoris eſt, quam illud Hiſpaniæ. Fruſtra, inquam, hæc dicit, & nimis vanè exemplificat: nam ego probabile cum improbabili non confundo, & optimè ſcio quæ ſint verè & certò probabilia juxta definitionem Philoſophi; imò indè in ſuperioribus dixi multa Recentiorum probabilia non eſſe talia, quantumvis ab ipſis probabilia dicantur; undè ipſi potiùs, & frequenter, probabile cum improbabili confundunt. Ego autem probabilia ſua nolo judicare, ſed ea illis ut probabilia gratis admitto, ſive in ſe, ſive non, quia etiam quod talia ſint, tutò eligibilia eſſe non poſſunt, eo quod ſi contingat eſſe in ſe falſa contra legem, nequeunt eligentem excuſare; quia incautè, & imprudenter ea eligit, ſemel monitus ab ipſâ intrinſecâ illorum formidine de periculo. Vide ergò, lector, an nos, vel potiùs ipſi probabile cum improbabili confundant: nos enim probabiles ipſorum opiniones dicimus, quia tales ipſimet affirmant; quod ſi tales non ſint, ſed improbabiles, non nos eas confundimus, ſed ipſi potiùs ante nos; qui abſolutè eas tradunt ut ſibi probabiles; nos verò ad hominem contra eos loquentes, & quaſi poſt ipſos gratis abeuntes, permiſſivè eiſdem ut probabiles damus, ut impugnemus prætenſam eorum ſecuritatem in probabilibus ſuis etiam ex ſuppoſitione ipſorum verè probabilibus; quia neque iſtis ſecuritatem tribuimus; in hoc enim eſt cum ipſis tota controverſia noſtra, num ſcilicet inſit probabilibus ſecuritas? Et non quibus inſit vera probabilitas? ac propterea hac præſuppoſitâ, jus ſecuritatis contendimus amputare: non quia probabile cum improbabili confundimus; ſed quia probabile, ut probabile, quale in ſe eſt, exiſtimamus, & non plus. Eſt autem probabile in ſe, ut toties diximus, incertum, formidoloſum, & non ſecurum: undè ergo ipſi ex illo certitudinem, & ſecuritatem ſibi promittunt? Ipſi igitur potiùs terminos confundunt; dum incertum, & formidoloſum, atque periculo plenum pro certo accipiunt, & quaſi nulli periculo ſubiectum. Et hæc eſt in eis vera cauſa erroris; non autem in nobis, quaſi probabile cum improbabili confundamus. Non ergo ipſi contra nos poſſunt dicere, ut dixit P. Segneri: formentur benè termini: Terminus (probabile) eſt ſenſu honeſto plenus: nam ratione ſuæ intrinſecæ formidinis facilè contingit eſſe omnì ſenſu honeſto vacuus, & penitùs inanis. Nos autem contra ipſum optimè dicimus: formentur benè termini: Terminus (probabile) eſt ex ſe formidine illiciti plenus. Undè ergo ei accedere poteſt ſecuritas, vel certitudo liciti? Atque hinc vide lector quàm importunè exemplum illud adducitur de aureo Numiſmate Italiæ, & Hiſpaniæ: Utrumque enim certum eſt tanti valere in ſe, pro quanto recipitur, licet unum minoris pretii ſit, quam aliud. Non ſic autem eſt probabile, ſi ad praxim admittatur, quia cum recipitur ad praxim, non pro quanto valet in ſe recipitur; ſed pro maiori valore, quem re verà non habet: in ſe enim ratione ſuæ formidinis ſibi intrinſecæ eſt de falſitate, & de periculo illiciti ſuſpectum, & tamen P. Segneri cum aliis Probabiliſtis vult recipiendum eſſe ad praxim pro certo, & ſine ulla formidine periculi. Opportunum igitur exemplum eſſet, ſi ſupponeretur aureum numiſma Italiæ recipiẽdum eſſe pro valore alterius Hiſpaniæ; vel ſi ſupponeretur eſſe in ſuſpicione, ne fortè ſit falſatum, ſicut ſupponitur probabile ratione ſuæ formidinis ſatis eſſe de periculo errandi ſuſpectum: dicat autem tunc in tali ſuppoſitione P. Segneri quid ageret, ſi ſibi a ſuo debitore tale numiſma ſolveretur, reciperet ne illud pro credito ſuo? Certè quod non, ſi prudenter agere vellet. Ergo ſic quoque dicendum de probabili in propoſito noſtro.

1051 Rursùs P. Segneri ibidem prætendit hoc ipſum confirmare exemplo cuiuſdam opinionis D. Thomæ circa quæſtionem illam, an ſcilicet ſit neceſſarium circumſtantias aggravantes intra tamen eamdem ſpeciem confiteri? D. Thomas enim docuit partem negativam, quam P. Segneri dicit eſſe ſibi minùs probabilem alterâ oppoſitâ. Et nihilominùs ea communiter recepta eſt. Sed neque hoc probat aliquid contra me; quia ad huiuſmodi ſententiam D. Thomæ reſpondeo, ſicut alibi alteri ſententiæ D. Thomæ reſpondi ſupra, quod ſcilicet dici poteſt primò huiuſmodi ſententiam fuiſſe ingenio D. Thomæ ſcitam, & non brobabilem; quod & ratio ipſa, quâ illam probat D. Thomas, ſatis oſtendit: quia nimirum circumſtantiæ, quæ non tribuunt peccato novam ſpeciem; vel ſi tribuunt, non tamen talem, quæ ſit ſpecies peccati mortalis, non aggravant mortaliter, ſed venialitèr: certum eſt autem quod venialia quantumcumque in ſua lineâ gravia, non ſunt de neceſſitate confeſſionis. Ergo circumſtantiæ quæ ſic aggravant peccatum, ut ſupra illud non addant malitiam ex ſe mortalem, ut ſupponitur; ſi enim hanc adderẽt, jam novam ſpeciem licet per modum circumſtantiæ adiungerent priori peccato; non ſunt neceſſariò confitendæ.

Nec

Nec refert quod ibi D. Thomas aſſertum ſuum probabilius appellat, & non certum, aut demonſtratum, quia fortè ex modeſtiâ id fecit. Secundò dici poteſt cum eodem D. Thoma, id utique tantùm probabilius eſſe, non tamen minùs probabile, ut credit P. Segneri: ſed ſive probabilius ſit, ſive minùs probabile, quid indè contra me? Numquid quà tale, tutum, & ſine periculo erit? Aut ſi in ſe falſum ſit contra veram legem, omittentem huiuſmodi circumſtantias confiteri, excuſabit? Non certè: etiam cum toto D. Thoma. D. Thomas enim ratione ſuâ poteſt id efficere probabile: at tutum, & ſecurū efficere non poteſt. Imò hoc ipſo, quod illud non plùs quàm probabile, vel etiam probabilius efficit, ſimul illud conſtituit cum ſuâ formidine de illicito, & declarat periculo non carere. Nec ibi nos inſtruit, ut juxta huiuſmodi probabilitatem ſuam, aut in fide ſuâ ſic operantes certi ſimus, non fore peccaturos; alioquin ſibi contradiceret, cum aliter expreſſè doceat nos, ubi de ſequela probabilium ex profeſſo egit, ut vidimus *ex quodlib. illo* 8. *art.* 13.

1052 Et ſi replicet P. Segneri: ut quid igitur D. Thomas probabile illud docuit? Reſpondeo, quia ſic oportuit pro munere ſuo, quod ibi gerebat. Diſtinguantur munera, & fiet hoc quod dico omnibus manifeſtum. Profectò, ut toties explicavi, aliud eſt munus ſpeculantis veritatem prout eſt in ſe: & aliud munus inquirentis, quâ viâ ſit incedendum ad prætenſum aliquem determinatum finem; ſicut alius eſt utriuſque muneris finis. Qui enim ſpeculatur obiectum aliquod, ſoli veritati attendit, & poſt illam toto conatu abit, ut inveniat, & videat ubi ſit; neque aliud prætendit ſibi, niſi adæquari cum obiecto ſicut eſt in ſe eo meliori modo, quo poteſt; quare totus ab obiecto in ſe ſpeculabili pendet; & non eſt in poteſtate eius dicere de illo, quod voluerit, ſed cogitur ab illo, ut ſic judicet, ſicut magis apparet eſſe in ſe. At qui inquirit quâ viâ ſit ſibi incedendum ad prætenſum aliquem finem, attendit utilitati mediorum; undè non tàm verum quærit, ut adæquetur intellectus cum illo, ſed potiùs quærit bonum utile, ut per iſtud impleatur appetitus eius aſſequendo finem ſuum efficaciter, quem prætendit. Contingit autem multotiès, quod id, quod videtur in ſe verius eſſe, ſit minùs utile ad cōſecutionem alicuius finis: atque ideò in tali caſu oportet quod varientur judicia, ita ut qui primum munus aſſumit, judicet uno modo; & qui aſſumit ſecundum, judicet alio modo; quia primus judicat ad ſciendum, ſecundus verò judicat ad agendum. Et ita contingit in propoſito noſtro, ubi de licito agimus; nam licitum aſſumi poteſt ut judicandum juxta hæc duo munera, ita ut qui illud aſſumit ut judicandum ad ſciendum, illud judicet ſecundùm quod ei apparet in ſe veriùs: qui verò illud aſſumit ut judicandum ad agendum, illud judicet ſecundum quod ei apparet ſibi utilius ad finem. Utilius autem eſt agenti volenti omninò benè, & licitè vivere tanquam finem a ſe efficaciter intentum, ut ſuppono, eligere partem ſtantem pro lege, etiam ſi minùs vera in ſe videatur, quam oppoſitam pro commodo, judicatam in ſe, & ſpeculativè veriorem, quando hæc non eſt certa; quia per hanc poteſt agens fraudari à fine ſuo, non tamen per illam: econtra verò ſpeculator magis accedit ad finem ſuū per iſtam, quam per illam. D. Thomas igitur ubi opinatur, aſſumit munus ſpeculantis, & edocet nos de veritate ut purè ſpeculabili. Ex quo fit quod videntes nos illum ſic opinari, poſſumus utique benè, & debemus opinari cum illo; ſed non proindè tuti ſumus agendo, quod ille opinatur; quia indè non docet nos agere, ſed opinari: agere autem, vel qualiter juxta opiniones agendo operemur, cum, vel ſine peccato, alibi ex profeſſo doctrinam tradit, ubi ſuſcipit munus edocendi nos ad agendum, nempè *quodlib. illo ſuperiùs citato* 8. *art.* 13. & indè oportet ad propoſitum doctrinam accipere.

1053 Proſequitur ulteriùs P. Segneri *num.* 10. elocutionem ſuam dicens multos improbabilia expendere ut probabilia; & indè, inquit, ortum fuit, quod adverſus probabilia tot Adverſarii ſe erexerint, & tot clamores fuerint excitati, eo quod ſub ſpecie probabilium multæ laxæ ſententiæ, & improbabiles circumferebātur. At tanto inconvenienti, ſubiungit præfatus Author, non opportunè occurritur minùs probabiles relegando, ſed potiùs eas ab improbabilibus diſcernendo. *Et num.* 11. *&* 12. addit, quod ſi qui laxas ſententias docent, eas minùs probabiles appellarent, foret utique remedium opportunum; at illi non ſic, ſed probabiliores eas dicunt. Ergo ad nihilum prodeſt minùs probabiles relegare. Sic Author iſte pro minùs probabili diſcurſum ſuum inculcat. Verumtamen ad hoc dico ego parum eſſe, ſi multi improbabilia venditent ut probabilia; neque enim propterea ſatis remedium haberetur contra laxas ſententias, per hoc quod illa ſimpliciter diſcernantur; quia, ut ſupra oſtendi, non ſolùm improbabilia poſſunt eſſe laxa, ſed etiam probabilia imò omnes opiniones probabiles in ſe falsæ contra legem, hoc ipſo quod contra legem ſunt, dicuntur verè, & propriè laxæ in ſe, licet non laxæ reputentur, ſicut nec falsæ, & contra legem apprehenduntur. Hæc profectò eſt cauſa, undè & P. Segneri, & cum eo Probabiliſtæ omnes decipiuntur, quia non advertunt quid ſibi velit terminus iſte (ſententiæ laxæ) & credunt plus ſignificare, quàm re verà ſignificet: nam terminus iſte complexus tantùm, & dumtaxat ſignificat ſententias, quæ in ſe contra veram legem ſunt, & illam deſtruunt, & diſſolvunt, faciuntque homines diſſolutè vivere, hoc eſt agere contra legem, & quaſi, à vinculis eius eſſent ſoluti, cum non ſint. Ipſi verò illum accipiunt in ampliori ſignificatione; nam credunt ſignificare hoc ipſum cum addito;

videlicet; & quod totum hoc ſit nobis cognitum; quod tamen eſt falſum; quia ſi ad hoc ut ſententiæ eſſent laxæ, exigeretur etiam eſſe nobis ut tales cognitas, non poſſent eſſe ſententiæ; nemo enim poteſt ſentire aliquid eſſe ſibi licitum, & in eo agendo eſſe à lege ſolutum, ſi ſemel agnoſcat illud eſſe contra legem, & in eo agẽdo eſſe à lege ligatum: ut igitur & ſententiæ ſint, & laxæ dicantur, & ſiat inde terminus ille complexus (ſententiæ laxæ) oportet quod qui eas ſuſtinent, non agnoſcant eſſe laxas, & diſſolvere legem; ſeu quod idem eſt, eſſe in ſe falſas; licet in ſe falsæ ſint, & laxæ. Ex quo fit poſſe eas eſſe Authoribus ſuis probabiles, quod negari non poteſt. Quis enim neget plures opiniones verè probabiles ſtantes pro commodo, & libertate, & contra legem eſſe in ſe falſas? Quo igitur fundamento dicere poſſunt ſententias laxas numquam eſſe probabiles; niſi quia accipiunt terminum illum complexum in ampliori ſignificatione, & cum addito illo cognitionis noſtræ? Ex hoc enim tantùm ſuperaddito poſſunt reddi improbabiles. Nec refert ſi aliquibus fortè ſint cognitæ ut falsæ & laxæ; ſatis enim eſt quod multis ob rationes, quibus innituntur, videantur veræ: alioquin oporteret dicere quod omnes opiniones probabiles ſint in ſe veræ, vel ſaltem videantur omnibus veræ, & nullæ ſint opiniones probabiles in ſe falsæ, vel quæ habeant Authores oppoſitos, qui falſas illas judicent. Cum igitur hoc falſum ſit, & abſurdum etiam apud ipſos Probabiliſtas, & apud omnes, qui communiter admittunt dari ſententias probabiles in ſe falſas, etiam ſtantibus ex adverſo ſententiis oppoſitis, jam manifeſtè apparet falſum eſſe ſententias laxas generaliter nullas poſſe eſſe probabiles; quidquid ſit de aliqua in particulari, & ferè communiter rejectâ ab omnibus. Sed non hanc tantùm oportet remedium habere, ſed omnes, quæ in ſe laxæ ſunt, etiam ſi non manifeſtè cognitæ, quibus procul dubio non poteſt occurri per ſcientiam aliquam diſcretivam. Ergo non poteſt eis remedium adhiberi ſegregando, & diſcernendo illas ab aliis, ut prætendit P. Segneri, & cum eo cæteri Probabiliſtæ. Ergo voce tantùm, & forinſecùs dicunt ſententias laxas eſſe relegandas, quia ob vocem illam (laxas) quæ de ſe pias aures offendit, erubeſcunt non fateri nobiſcum relegandas eſſe; re verâ tamen eas ſuâ doctrinâ protegunt, & ſub probabilitatis larvâ cohoneſtant, nec ullo opportuno remedio eis occurrunt. Verum ergo remedium eſt ipſiſmet pro probabilibus debitam cautionem ponere, ſicut nos poſuimus, & non illis multùm confidere, ſicut ipſi confidunt.

1054 Perperàm ergo P. Segneri importunum appellat remedium noſtrum, imò & illud Probabilioriſtarum: nam licet iſti non omninò occurrant ſententiis laxis, ut ſupra oſtendimus, eas tamen in bona parte compeſcunt, quia pauciores evadunt, dum magna earum copia de toto genere probabilium imputatur. Neque ex eo, quod qui laxas ſententias tenent, non minùs probabiles eas appellant, ſed potiùs probabiliores, omninò inutile evadit Probabilioriſtarum remedium, ut arguit P. Segneri; quia multi non ab earum Authoribus accipiunt gradum probabilitatis, ſed vel ab aliis, vel à ſeipſis expendendo rationes illorum; faciliùs enim eſt vim rationum expendere, & de maiori, vel minori probabilitate iudicare, quàm falſitatem opinionis abſolutè cognoſcere, eiuſque improbabilitatem abſolutè ſtabilire: quare potiùs remedium Patris Segneri omninò inutile ex hac ſuâ ratione dicendum eſt; quia qui ſententias laxas docent, eas numquam in ſe laxas, aut falſas appellant, benè tamen aliquando minùs probabiles, ut videre eſt multoties apud P. Antoninum Diana, & alios, qui ſententiam ſuam docentes, ſuperaddunt nihilominùs oppoſitum eſſe probabilius. At nemo umquam dixit ſuam eſſe laxam, & falſam; nec talem eſſe poſſunt alii abſolutè iudicare, quia in materiâ controverſibili ſemper ſupponitur veritas in ſe aliqualiter occulta. Unde ergo habebimus quas ſententias laxas debeamus iudicare, ut illas de medio tollamus? Niſi enim eas manifeſtè in ſe falſas, & contra legem eſſe, eamque diſſolvere cognoſcamus, quo pacto poterimus abſolutè ut laxas, & improbabiles habere? profectò ſemper dubii, ſemper formidoloſi in iudiciis noſtris erimus, ſuppoſito præſertim, quod materia ſit apud Doctores aliqualiter controverſa, ut contingit in omnibus ferè ſententiis.

1055 Quod verò P. Segneri ad divertendum potiùs ab Authoribus noſtræ ſententiæ, vel Probabilioriſtarum, *dicit num: 13. 14. & 15.* quod multi Doctores dicunt licere ſequi opinionem minùs probabilem, & nihilominùs non docent ſententias laxas, ut Toletus, Suarez, Sanchez, Azorius, Leſſius, Layman, Valẽtia: econtra verò alii minùs probabilem damnant, & tamen laxas ſuſtinent, ut Julius Mercorus, quem citat 3. *p. praxis limit.* 2. *n.* 24. ubi ut ipſe P. Segneri refert: *Dice eſſer lecito per neceſſità di traffichi tornar à caſa propria d'una femina, da cui più volte ſi laſciò vincere carnalmente, perche in tal caſo non è tenuto ad incorrere il danno certo temporale, per evitar l'incerto ſpirituale, che è già dottrina larga*. Et ſimiliter dicit de Caietano, qui V. Ieiunium, ut non peccare mortaliter, qui illud frangeret non ex contemptu, vel inobedientiâ debitâ Eccleſiæ, & alia huiuſmodi ab Eccleſiâ damnata. Id ipſum quoque affirmat de multis aliis Doctoribus, puta de Joanne Gerſone, Angelo de Clauſo, Troyamala, Tabiena, Soto, & aliis, qui plures laxas opiniones docuerunt. Quod, inquam, de iſtis dicit, nihil contra me probat, aut contra Probabilioriſtas: Imò potiùs contra ipſum poſſum ad hominem retorquere, nam ſi viri iſti, & graves Doctores damnant opinionem minùs probabilem, & nihilominùs inveniuntur plures

laxas

laxas ſententias docuiſſe, oportet dicere iſtas fuiſſe ipſis viſas probabiliores; & ut tales alias tradidiſſe, nec eas agnoviſſe ut falſas in ſe, & contra legem, nec per conſequens ut laxas. Ergo ſententiæ laxæ nedùm probabiles; verum etiam probabiliores interdùm eſſe poſſunt; & quod plus eſt, etiam Doctioribus viris, & magni nominis: & hoc eſt quod dixit Auguſtinus ſupra allegatus contra Academicos de multis ſceleribus, & facinoribus, nimirùm facilè probabilia fieri etiam apud Sapientiſſimos Iudices. Ergo quiſquis voluerit à laxis ſententiis declinare, opus eſt ei, quod nec probabilibus confidat. Quid ergo prodeſt Patri Segneri Authores notaſſe de ſententiis laxis? hoc ipſum enim contra eius doctrinam militat, non contra noſtram.

1056 Interim verò vellem ab eo doceri, & curioſè audire, unde noverit præfatos Authores plures ſententias laxas docuiſſe? Econtra verò nullas tales dediſſe Toletum, Suarez, Sanchez, Azorium, Leſsium, Layman, & Valentiam? Si quam de primis dicat noſſe, eo quod viderit ab Eccleſia proſcriptam; benè dicit: ſed hæc notitia potuit ei contingere poſt Eccleſiæ cenſuram; dicat autem mihi, undè hoc ipſum noſſet, ſi Eccleſia non damnaſſet? Et undè reliquas, quas nondùm Eccleſia proſcripſit? Et ſimiliter quo ſolido fundamento certus eſt de ſecundis, quod nullas tales dederint in codicibus ſuis? Numquid omnes iſtorum ſententiæ in favorem libertatis, affirmantes de licito, ſingulæ in ſeipſis veræ ſunt, & nullæ falſæ? Si audeat hoc dicere, fidem aſtruat Auditoribus ſuis, ut credant, ſi poſſunt; mihi enim eſt prorsùs incredibile, nec credam; alioquin oporteret credere ſingulas aliorum oppoſitas eſſe omnes falſas. Si quam verò inter multas dicat poſſe eſſe falſam; jam hæc una ſaltem, cum contra legem ſit, & ſtans pro libertate, veram legem diſſolvit, ac propterea in ſe laxa propriiſſimè dicenda eſt, & nihilominùs ipſe eam inter probabiles collocat, & neque falſam, neque laxam agnoſcit. Ergo aut fateatur nobiſcum ſententias etiam laxas poſſe eſſe probabiles; aut aliam notionem nobis tradat de ſententia laxâ, ſi tamen habet. Et dicat tandem: numquid probabilis non eſt ſententia illa, quam ipſe de laxitate notat, Iulii Mercori? Probabile à Probabiliſtis dicitur, quod gravi, prudenti, ac ſolidæ rationi innititur: quis autem neget gravi, ſolidâ, atque prudenti ratione huiuſmodi ſententiam probari? fundatur enim in hoc, quod periculum illud, ſeu occaſio peccandi cum tali fœminâ non eſt cum acceſſu ad illam proximè connexa ex naturâ ſuâ abſolutè, & ſimpliciter; alioquin nullus poſſet ex quacumque utili cauſâ ad illam accedere, & cum eâ aliquid tractare: ſed fit proxima ex indiſpoſitione accedentis, & pendente inſuper ab eius voluntate; ita quod ſi huic indiſpoſitioni obvietur, nulla ibi ſit occaſio proxima peccandi (quæ debet ſemper vitari) quantumvis maneat occaſio quædam remota non omninò contemnenda, ſed cautè impedienda, ne fiat proxima; id quod fit per interioris animi optimam diſpoſitionem, & firmum propoſitum honeſtè tantùm agendi cum illa negotium, quod oportet agere ſibi aliàs utile, & neceſſarium; in qua diſpoſitione ſupponit Mercorus optimè conſtitutum eum, qui ad illam accedit ex pura neceſſitate proprii intereſſe: factâ autem hac ſuppoſitione occaſio illa redit in naturam ſuam, videlicet in naturam occaſionis remotæ, & qualis eſſet reſpectivè ad omnes alios, qui numquam cum illa peccaverunt, atque ideò non eſt vitanda; quia tunc evadit moraliter certus accedens nõ fore peccaturum, licet non poſſit eſſe phiſicè certus; ſicut nec alii poſſent ita certi eſſe; quia nemo poteſt de ſemetipſo confidere; ſed oportet ſemper timere coram Deo, & ſperare in illo, & auxiliis eius divinæ gratiæ, & ita agere actus ſuos. Et in hoc ſenſu loquitur Mercorus. Non ſic autem ſupponi poteſt diſpoſitus, qui ex nullâ neceſſitate, ſed ex purà ſuà libera voluntate, & beneplacito, accederet ad talem mulierem, cum qua pluries lapſum paſſus eſſet. Et hoc eſt quod dicit, non teneri eum incurrere damnum certum temporale, ut vitet ſpirituale ſibi incertum: ſi tamèn in his terminis verè loquitur, & non cautiùs; nam illum in fonte non vidi. Ergo ſententia Mercori probabilis eſt, & tamen eam inter laxas reponit P. Segneri.

1057 Sed dicat inſuper undè eam inter laxas habet? Quandoquidem illam docent Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 9.* Sanchez *tom. 1. moral. lib. 1. cap. 8. num. 3.* & apud ipſum Suarez, qui ſunt ex illis ab ipſo ſupra nominatis, de quibus ait non tradere ſententias laxas. Audiat verba Layman: *Proximas occaſiones evitare obligamur; excipe tamen niſi proxima occaſio peccandi mortaliter, ſine gravi incommodo corporis, famæ, vel fortunarum tolli non poſſit; tunc enim conſilium eſt, non præceptum.* Sic. *loc. cit.* Et idem habet Sanchez, & Suarez citati ſupra, ut videri poteſt apud ipſos. Cur ergo P. Segneri laxam dicit, ſi verum eſt quod de iſtis Doctoribus dixerat, non tradere ſententias laxas? Ut video, quidquid videt doceri à noſtris in favorem libertatis, laxum appellat; quod verò venit à ſuis dictum, totum probabile eſt, & honeſto ſenſu plenum.

§. III.

Refutantur quæ habet Author iſte in Secunda Parte ſuæ Epiſtolæ, & impugnantur.

1058 IN ſecunda parte eiuſdem Epiſtolæ contendit P. Segneri fore homines in deſperationem ituros, ſi obligarentur ad minùs probabiles opiniones vitandas, cum non facilè poſſint quis probabiliores diſcernere; & præcipuè ſi rudis ſit, vel minùs doctus Authoribus, qui pro utraque parte ſentiunt. Ita ſe explicat

plicat uſque *ad num.* 21. ſed hæc ratio ſi quid probaret, æquè probaret contra ipſum; quia Ineruditi, vel minùs Docti non facilè poſſunt Authorum ſententias diſcernere probabiles ab improbabilibus, & laxis; & tamen ab ipſo obligantur homines ad laxas, & improbabiles vitandas. Quod autem hoc difficillimum ſit indoctis, vel minùs doctis conſtat, quia iſti non poſſunt Doctiores ſe diiudicare expendendo rationes ipſorum, quia ad hoc requiritur maior ſufficientia doctrinæ, & acutius ingenium ſuper illis. Ergo videntes illos inter ſe opponi, & ſcientes non poſſe illos ſequi, niſi prius improbabiles, à verè probabilibus ſecernant, maximè cum illi ſententias ſuas, etiam laxas, probabiles, imò probabiliores ſingulas affirment, ut dixit ſupra idem P. Segneri, iam in deſperationem inciderent. Et ſic in eodem periculo verſarentur. Non ſunt ergo hæc terriculamenta ad probandum, ſed ad divertendum potiùs excogitata, re verà tamen vana, & inefficacia ſunt.

1059 Directè autem ad huiuſmodi deſperationem evacuandam dico, eam non urgere contra me, quia ut multoties dixi ſupra, & iterum dico, ego non obligo homines ad minùs probabiles opiniones vitandas abſolutè, quaſi quod velim eos peccare ſemper, & quandocumque eas ſequuntur. Hoc enim eſſet illos obligare ſupra legem, & nova onera imponere, atque leges multiplicare, quæ re vera non ſunt. Sed tantum dico eas, imò etiam probabiliores, non eſſe ex natura ſuà tutas; quia ſi ſint in ſe falſæ contra veram legem, lex illos condemnabit, & probabilitas non excuſabit. Moneo itaque ego homines ut cautiùs vivant; & non cõfidant probabilitati, ſed diligenter legibus attendant, ut non infringant illas, ad quas procul dubio tenentur. Legum autem obligatio non in deſperationem inducit, niſi eos, qui vellent ſine lege vivere. Quare ego tantum obligationis volo habere ignorantes, quantum volo habere ſcientes, nec plùs, nec minùs. Scientes autem legem, tunc ſolùm peccant, quando contra illam agunt in ſcientià ſuà; ergo etiam ignorantes tunc ſolùm peccant, quando contrà legem agunt in ignorantia ſuà; imò addo, niſi eorum ignorantia ſit invincibilis, quia tunc neque contra legem agentes peccant; ac per conſequens plùs iſtis indulgeo, quàm ſcientibus. Sive ergo ſciant homines, ſive ignorent legem, non maiori periculo exponuntur peccandi cõtra legem in ſententià meà: ſed æquè peccabunt, vel non peccabunt, etiam minùs probabile ſequendo in ignorantià ſuà, ſicut ſcientes. In quo ergo deſperabunt indocti? Jam enim æquè in nullo, vel in eodem peccato erunt, ſive agant cum opinione probabili, ſive cum ſcientia; & æquè tenebuntur ab aliquo actu abſtinere cum ſcientia, ac cum opinione probabili. (intellige tamen hæc, ſi non ad plus ipſimet ſe obligent ex propria conſcientia ſuà) ergo ſi in nihilo gravantur, undè erit eis diſperationis occaſio? aut quæ erit eorum oppreſſio, de quà dolere poſſint, & indè exaſperari? An fortè dolebunt de ignorantia ipſa, & defectu ſcientiæ formaliſſimè ſumpto? Certè quod non, æquè enim ſcientià privati ſunt ſtando in Probabiliſtarum ſententià. Ergo ſi dolent, & deſperant, de vero onere legis dolent, quod vellent prætextu probabilitatis à ſe excutere, & videntes non poſſe in ſententià noſtrà, indè deſperant. Deſperant utique non de ſalute, quaſi ſibi à nobis facta difficiliore, hoc enim falſiſſimum eſt; ſed de licentioſà illà libertate pro votis concupiſcentiæ ſuæ contra legem, quam vident ex ſententià noſtrà ſibi cohiberi.

1060 Nititur nihilominus Pater Segneri oſtendere deſperationem hanc *num.* 22. dicens: *E queſta diſperatione accreſcerebbeſi d'avantaggio al penſare, che giogo sì intolerabile ſi verrebbe loro ad imporre fuor di raggione; conciofiache il ſentirſi obligato ad una legge certa, è coſa, che non diſpiace alle anime buone; ma il ſentirſi obligate ad una legge dubia, è coſa, che fino all'intimo le feriſce. la legge non è legge fino che non ſia baſtevolmente promulgata: onde è, che da dotto ſentì Graziano alla diſtinzione 3. quando egli ſcriſſe: leges inſtituuntur, dum promulgantur, formantur, cum moribus utentium approbantur. Nè da ciò punto diſcordò S. Tomaſo nella 1. 2. q. 90. a. 4. quando trattando della lege inſegnò, non baſtar che queſta ſia opera di raggione; non baſtare, che ſi ordini al ben commune, ne ſolo al particolare, com'è del precetto; non baſtare, che venga da chi preſiede all'intera comunità; convenire di più, ch'ella ſi promulghi: undè promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc, quod lex habeat, uam virtutem. Ora come può dirſi mai promulgata una legge a ſufficienza, intorno a cui ſono già tanti ſecoli, che i Dottori non altro ſan, che contendere ſe vi ſia? Chi dice, che ella vi è. Chi dice, ch'ella non v'è. Fino a che la legge perſiſte entro à tali termini di contraſto, non è ancor legge, è opinione; e ſe è opinione (tenga pure ciaſcuno qual vuole) per quanto ella ſia probabile, non è legge.* Hæc P. Segneri ad literam *dicto num. cit.* Sed ſi quæ dicit in toto hoc diſcurſu benè expendantur, conſtabit nihil prorsùs indè probari.

1061 Ea itaque articulatim expendamus: *E queſta diſperatione* (inquit) *accreſcerebbeſi d'avantaggio al penſare, che giogo sì intolerabile ſi verrebbe loro ad imporre fuor di raggione:* Supponit hìc quod dixerat, nimirùm in deſperationem de propria ſalute homines incidere ex difficultate illa diſcernendi probabiliores ſententias à minùs probabilibus, ſi ad illas reſtringerentur, ut volunt Probabilioriſtæ, contra quos hìc directè procedit (quod fortiùs quidem contingeret, ſi nec in illis forent tuti iuxta doctrinam noſtram) & augeri magis indè ſibi ſuadet, atque aliis facilè ſuadendum aſſumit, eorum cõſiderationi anteponendo intolerabile quoddam iugum, quod ſibi gratis omninò, & irratio-

nabi-

nabiliter imponerent. Et quò illud fortiùs eorum animis imprimatur, ſuper omne ardunm ſic elocutione ſua deſcribit: *Concioſiache il ſentirſi obligato ad una legge certa è coſa, che non diſpiace all'anime buone; ma il ſentirſe obligata ad una legge dubia, è coſa che ſino all'intimo le feriſce.* Sed verba hæc ſi quam vim habent, totam energiæ oratoris tribue lector: cæterùm in ſeipſis ſunt velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, & nihil probant: & ſi quid probarent, non minùs contra ipſum concluderent. Ipſe enim ab initio epiſtolæ ſuæ fundamentum illud poſuit, amputandas eſſe, & ab humana praxi relegandas ſententias Doctorum laxas, quãtumcumque eas Authores ſui probabiles, imò & probabiliores dicant, in quibus diſcernendis non minùs difficultatem ſentiunt homines præcipuè indocti, quam in minùs probabilibus ſegregandis; ergo fiet eis ſemper lex incerta, & dubia, etiam in ſententiâ huius Authoris, ut ſupra oſtenſum eſt, ad quam ſentire ſe obligatos, res eſt profectò, quæ uſque ad interiora viſcera eorum animos ferit iuxta dictum Patris Segneri, ac proindè in eamdem incident deſperationem. Quod ſi hoc contra ipſum non concludunt, neque valebunt adverſus Probabilioriſtas, aut ſententiam noſtram.

1062 Directè autem dico fruſtra eum per illa emphatica verba uſque modo oraſſe, in nihilo enim poſſunt ſententiam meam tangere; quandoquidem ego millies proteſtatus ſum, & iterum proteſtor, me nolle homines in aliquo vel minimo ſupra legem veram obligare; ſed ſolùm, & dumtaxat in quo eos lex verè ligat; atque ideò ſemper docui numquam aliquem ad peccatum obligari ſequendo opinionem etiam minùs probabilem, niſi ex ſuppoſitione, quod lex in ſe illum ad peccatum obliget: lex autem, quæ ſupponitur, licet abſolutè certa non ſit, ex hypotheſi tamen, quod re verà ſit, iam certa evadit ſupponenti; & de eà ut certà ex vi eiuſdem ſuppoſitionis quidquid dicit, affirmat, dum facta tali ſuppoſitione de illà quis diſcurrit. Quare ego neminem ſub peccato obligo ad legem aliquam incertam, & dubiam; ſed ad omninò certam licet ex ſuppoſitione. Nec refert ſi abſolutè non ſit certa, & evidenter cognita agenti, ſi ſit re vera, vel non ſit; quia neque ex hoc capite illum ad legem obligo, ſi in ſe non ſit, niſi ipſemet ſe obliget ex vi conſcientiæ ſuæ. At ſi in ſe lex ſit, tunc utique ad peccatum illum obligo, ſed quia tunc lex iam certiſſima in ſe eſt. Quod ſi in hoc ipſo velit deſperare, non eſt illi tunc occaſio data ex ſententiâ noſtrâ, ſed potiùs accepta ab ipſo ex lege exiſtente, quam vellet prætextu ſuæ incertitudinis ſubiectivæ contra ſe non exiſtere, ut liberiùs poſſet pro concupiſcentiâ ſuâ contra legem agere. Ponderet hæc benè P. Segneri; pondera & Tu quoque lector, quæ dico; & videbis undè ſit, & qualis, perorata à Patre Segneri deſperationis occaſio, an ex ſententiâ, quam docemus, an potiùs ex cuiuſcumque concupiſcentiâ malâ; an data à nobis, vel potiùs ab hominibus accepta. Pondera ſimiliter quò tendat benignior, ut ipſimet dicunt, Probabiliſtarum ſententia, an ad non ſubiiciendum homines iugo illi intolerabili, atque duriſſimo ſupra leges, an potiùs ad excutiendum a ſe ſuave iugum earum.

1063 Et ſi velis hoc ipſum evidentiùs inſpicere, expende poſteriora verba, quæ ad allegata ſuperaddit P. Segneri, quaſi ex Gratiano, & D. Thoma comprobata, cum tamen longe diſtent à mente utriuſque, ſic enim ſubdit: *Onde e, che da dotto ſentì Gratiano alla diſt. 3. quando egli ſcriſſe: leges inſtituuntur, dum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur. Nè da ciò punto diſcordò S. Tomaſo nella 1.2.q.90. a.4. quando trattando della legge inſegnò, non baſtar, che queſta ſia opera di raggione; non baſtare, che ſi ordini al ben commune, ne ſolo al particolare, com' è del precetto; non baſtare che venga da chi preſiede all' intera communità, convenire di più ch' ella ſi promulghi: undè promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc, quod lex habeat ſuam virtutem.* Sed quid ſub hac doctrinâ ab ipſo peroratâ, & ex Gratiano, & D. Thoma depromptâ, ſub ſumit? Ecce minorem ſubſumptã: *Ora come può dirſi mai promulgata una legge a ſufficienza, intorno a cui ſono già tanti ſecoli, che i Dottori non altro fan, che contendere ſe vi ſia? Chi dice che ella vi è. Chi dice che ella non v' è.* Quod eſt manifeſtè ſubſumere: lex de qua ſunt variæ opiniones, non eſt ſufficienter promulgata. Attendamus nùnc quò hæ duæ præmiſſæ tendant tàm eleganter diſpoſitæ, & benè concinnatæ. Ecce conſequentiam: *Fino à che* (inquit) *la legge perſiſte entro à tali termini di contraſto, non è ancor legge, è opinione, e ſe è opinione (tenga pure ciaſcuno qual vuole) per quanto ella ſia probabile, non è legge.* Ecce quò tendit prætextus ille incertitudinis ſubiectivæ, ad quam tam benignè reſpicit ſententia probabiliſtarum, ad amputandas leges, ad infringendam eis vim obligandi, & jugum ipſarum, quod ſuave ſupponitur, abiiciendum; & non ad aliud quaſi à nobis ſupra leges impoſitum removendum, quod utique durum eſſet, & intolerabile ex hoc ipſo, quod leges jam indiſcretè ſuperexcederet. Non ſic autem ſententia noſtra, quæ nec vult legibus vim ſuam adimere, nec novam deſuper inferre, ut dictum eſt; ſed ſic jugo legum ſubiicit homines in incertitudine ſuà, quod ſi incautè procedant, non effugiant culpam, ubi leges ſunt, quia iſtæ contra eos proclamant, eo quod contempſerint iuriſdictionem ſuam, cui debebant ſe ſubmittere, & indemnitati earum per debitam cautionem cõſulere; econtra verò ubi leges non ſunt, non gravantur à nobis, nullà tunc lege in contrarium proclamante, niſi fortè ipſimet ſe gravent conſcientiâ ſuâ intùs quodammodo, licèt falsò, proclamante pro illis, & nomine earum,

Digitized by Google

quaſi re verâ exiſtentium. Atque hinc manifeſtè apparet diſcrimen inter ſententiam Probabiliſtarum, & noſtram, quod noſtra jura legum contra homines tuetur, ubi ſunt; ſed non gravant illos novo aliquo onere, quod non eſt: illa verò tuetur homines contra legem, ubi ab onere, & jugo illius liberi non ſunt. Ergo noſtra occaſionem deſperandi non præbet hominibus, quia eos in nullâ anguſtiâ conſtituit, neque alicui rigidæ obligationi eos ſubjicit, niſi legis, ſub qua procul dubio nemo rationabiliter deſperat. Illa verò rigorem legis aufert, & præſumptuosè ſe erigit contra legem, & prætextu removendi ab hominibus anſam deſperandi, conſtituit illos præſumptuoſos, & legis veræ contemptores.

1064 Vidimus itaque ex dictis quò tendat benigna ſententia Probabiliſtarum, & quod cò defacto collimet diſcurſus Patris Segneri. Sed expendamus nunc an ſaltem ſpeculativè concludat. Et dico abſolutè quod non. nam licet veriſſima ſit maxima illa de conditione legis, quod indigeat neceſſariò promulgari, ut virtutem legis obtineat, ut benè ex Gratiano, & D. Thoma refert; minor tamen ſub maximâ illa ſubſumpta falſiſſima eſt, ut fusè ſupra oſtendimus. Non enim ex hoc, quod lex apud Doctores controvertitur hinc, indè, dici poteſt non ſufficienter promulgata, & quod quandiù ſub controverſia manet, non eſt lex. Alioquin, ut diximus, nullæ eſſent leges in mundo, quia nulla lex poteſt tam articulatè, & quoad omnes caſus ſub ipsâ combinabiles diſtinctiſſimè proponi, & verbis incontrovertibilibus expreſſari, ut non poſſit in aliquo, & maximè pro varietate ingeniorum, per varias formalitates variè intelligi; quia ſic oporteret Legiſlatores in condendis legibus volumina implere, quod eſt abſurdum maximum, & illis omninò impoſſibile. Satis ergo promulgari dicitur lex ſub verbis intelligibilibus in ſeipſis, ita ut poſſint ſenſum reddere à Legiſlatore intentum, etiã ſi poſſit à multis controverti; undè nulla lex in ſe obſcura ſupponitur, ſed clara pro quanto ſatis eſt ad ejus promulgationem: & hinc eſt, quod licet à multis poſtea controvertatur ſenſus illius, numquam tamen deſunt, qui illam in vero legitimo ſenſu accipiant, nempè illi, qui ſtant pro ea; non enim aliundè verum ſenſum accipiant, niſi ex ipsâ lege in ſuo tenore promulgatâ: redditur autem aliqualiter obſcura ex iplis potiùs Doctoribus opponentibus, non quod ſit talis in ſeipſa. Sed iſti oppoſitionibus ſuis non poſſunt eam reddere, non ſatis promulgatam in ſeipsâ, & à debitâ ſibi conditione dejicere. Videantur, quæ ſupra ſuper hoc dicta ſunt.

1065 Sed videamus ulteriùs contra Patrem Segneri, ſi ex maximâ illa Gratiani, & D. Thomæ, quorum authoritate munitus ſe credit ſuo diſcurſu de nobis triumphare, ſic diſcurrat idem D. Thomas, aut Gratianus; an potiùs contra ipſum ſentiant. Nam ſi iſti oppoſitum ſentiunt, manifeſtè colligitur non poſſe intentum ſuum ſuper maxima illa, & authoritate illorum rationabiliter fundari; nec poſſe ſub illa ſubſumi minorem, quam ipſe ſubſumit, ac propterea ipſum deficere in diſcurſu ſuo. Jam verò perſpicuum eſt D. Thomam ſentire in varietate opinionum legem ſubſiſtere in ratione legis, & cum virtute ſua ſufficiẽter obligandi. Ut enim toties vidimus *quodlibet. 8. a. 13.* dicit: *Quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem: & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato quamvis non faciat contra conſcientiam; ſic enim contra legem Dei facit.* Ecce quomodo expreſsè ſupponit in varietate opinionum legem Dei manere in ratione legis obligantis ad peccatum; alioquin non poſſet dicere facientem juxta conſcientiam opinionis ſuæ in ſe falsæ contra alteram opinionem oppoſitam in ſe veram, peccare contra legem Dei quia juxta dictum Patris Segneri *quandiù lex manet ſub variis opinionibus, non eſt lex, ſed opinio; & ſi opinio eſt (teneat quiſque quam voluerit) quantumcumque probabilis ſit, non eſt lex.* In quo manifeſtè D. Thomæ contradicit aſſerenti illum tunc peccare contra legem. Quid fortiùs contra Patrem Segneri dici poteſt? Nec oppoſitum inveniri poteſt ex Gratiano. Sis tu interim judex lector.

1066 Id verò, quod ibidem P. Segneri, orando de more, ſubdit. *Quod ſi voluiſſet Deus, v. g. homines obligare ad confitendum circumſtantias notabiliter aggravantes, non mutantes ſpeciem; nonne modum reperiſſet, ut id clarè præciperet? Et tamen id non fecit, adeò ut D. Thomas ſenſerit ut probabilius oppoſitum; quod ſi non poſſem ego D. Thomam ſequi, etiam ſentiendo cum aliis ut minùs probabilem ejus ſententiam; nonne quædam crudelitas eſſet? Quia oporteret aliorum ſententiam, per me probabiliorem, habere pro lege. Ex quo eveniret omnes probabiliores in quocumque genere continuò evadere leges, adeò ut paulatim Populus Chriſtianus inveniretur legibus gravatus, magis quàm Populus Hæbreorum in dolente fortunâ ſuâ. Et inſuper quibus legibus? non quidem lotionum, quæ ſenſibus placerent, ſed iis, quæ humanam libertatem luctuosè ſubjugarent. Et poſſet Chriſti jugum amplius ſuavitatis titulo gloriari?* Sic æquivalenter in ſuo idiomate eructat Author iſte *loc. cit.* Sed id, inquam, cum tota hac verborum ejus conglobatione ſine fructu eſt, nec aliquid probat; nam totum poſſet in ipſum retorqueri, & fortaſſis efficaciùs. Poſſem enim ipſe ab oppoſito ſenſu, pariformiter orando, dicere ſub eodem exemplo alterius opinionis oppoſitæ Divo Thomæ, ſibi tamen probabilioris, de circumſtantiis ſcilicet

Digitized by Google

licet notabiliter aggravantibus neceſſariò cõfitendis (nam de ſententia D. Thomæ ſupra ſatis dixi) poſſem, inquam, dicere quod ſi noluiſſet Deus homines obligare ad eos confitendũ, nonne modum reperiret, ut clarè eas à lege confeſſionis exciperet? Et tamen id non fecit, adeò ut Pater Segneri cum Henriquez, Suarez, Coninckio, & aliis ſenſerit tamquam probabilius, homines ad id, teneri, ut ipſe teſtatur. Quod ſi ex hoc quod Deus id non fecerit, vellem ego iſtorum ſententiam de crudelitate redarguere, eamque ut certò falſam damnare; quid diceret P. Segneri cum aliis? Diceret ne me indè benè inferre, quod certò non ſit huiuſmodi lex, an potiùs negabit deductionem meam? Si diceret primum, contradiceret ſententiæ ſuæ, & crudelitatis notam non effugeret, quia legem poneret ſuper cervices hominum, quæ certò non eſset, ſubindeque duram, & intolerabilem. Si verò negabit deductionem meam, cur ego non benè ſimiliter et ſuam? Poteſt P. Segneri legem de huiuſmodi circumſtantiis neceſsariò confitendis ſuſtinere, non obſtante quod Deus id clarè non expreſserit, et nos non poterimus quidpiam ſub lege comprehendere, quod clarè, et incontroverſibiliter, in ipſa lege expreſsum non fuerit? Si ipſe hic docet, quod ubi eſt varietas opinionum, et lex quandiu manet ſub quæſtione Doctorum, non eſt lex, ſed opinio: quomodo ipſe in opinionibus ſuis poteſt aliquid de legibus affirmare? iam dum aliquid ſub lege comprehendit, ſimul à lege idipſum ſubtrahit, & in eodem dicto ſibi contradicit; nam dicit ſimul de eo legem eſſe, et legem non eſſe, ſed opinionem. Quid ergo de lege quærit? aut quid pro lege concludit probabiliter, quam certò tenet non eſſe legem? deberet potiùs in lege opinabili, quæ ſcilicet ſub quæſtione eſt apud Doctores, ſemper contra legem ſtabilire, & numquam per eam homines ad aliquid obligare. Ex quo eveniret quod omnes opiniones in quocumque genere hinc indè probabiles continuò leges redderent non leges, adeò ut paulatim Populus Chriſtianus inveniretur omninò à legibus abſolutus, & ſine legibus vivens magis quàm Populus Lacædemonum ante Lycurgum. Et lex Chriſti, quæ via eſt, quà itur ad Cœlum, poſſet iuxta evangelicum dictum arcta prædicari? Hæc quidem vera inconvenientia ſunt, & abſurda, quæ ex Probabiliſtarum ſententiâ neceſsariò conſequuntur, non quæ ex noſtrâ dededucit Pater Segneri; non enim in traditâ à nobis doctrinâ fit multiplicatio illa legum, quam Author iſte credit, imo ne quidem unam adiungimus, quæ in ſe vera non ſit, dum numquam ad peccatum homines obligamus quamlibet opinionem ſequentes, niſi re verà lex ſit, quæ ad peccatum eos obliget, ſicut opinamur: ſi verò in ſe nulla ſit lex, ad nihil obligabit opinio noſtra, ſed manet ſimplex opinio, quam qui etiam gratis vult reiicere, ſequens oppoſitam minùs probabilem, non peccat; ut toties diximus. Ubi eſt ergo multiplicatio illa legum, quam P. Segneri ex noſtra ſententia infert? Ubi luctuoſa illa captivitas humanæ libertatis? Numquam per nos opiniones noſtræ quantumcumque probabiliores in leges tranſeunt, niſi leges in ſeipſis ſint, & tunc neque ipſæ leges ſunt, aut quaſi eas imponentes; ſed illas exponunt, quæ in ſeipſis ſunt. Quod ſi eas homines quandoque in ſuas conſcientias transferunt, ipſi ſibi tunc leges imponunt, non nos; nos enim ipſis tamquam opiniones tradimus de legibus, quia ſic de illis opinamur; nec alium effectum illis tribuimus, niſi opinionum; ita ut ſi veræ ſint, legem oſtendant, cui ſe homines ſubiicere debent, & obedire, alioquin peccabunt contra legem: Si verò falſæ, omni proſsùs effectu careant, quantumcumque ab hominibus etiam gratis, & omninò liberè in praxi deſpiciantur. At contrà Probabiliſtæ opinionibus ſuis etiam in ſe falſis volunt ſemper effectum ſuum tribuere contra legem, ut ſcilicet illam omninò tollant de mundo; ergo ipſi potiùs legem conſtituunt contra legem, ex quo verè ſequitur, quod paulatim mundus erit ſine omni lege victurus. Hæc mecum benè pondera, lector, ut indè me iudices.

1067 Aliud inconveniens ulteriùs adducit P. Segneri quaſi ex Probabilioriſtarum ſententia deductum, & fortaſſis diceret ex noſtrâ; ex illa enim ait *num. 23. Succederebbe, che le meno probabili a pratticarſi, diventerebbero in breve le più probabili. Perocche il mondo vuol eſſer ſempre quello, che ſempre fù con divario nõ rilevante, e però quando ſi miraſſe egli ſtringere ad un tal ſegno, qual ſi dicea, non cõterrebbe più la ſua ſcienza ne i limiti di moſtrare che ſia ſentẽza fondata potere ne' dì feſtivi dipingere (per eſſempio) di profeſſione, andare al ballo, alla barriera, andare al Teatro più toſto, che al veſpro: ma la ſtenderebbe a provare, che tal ſentenza ſia fondata anche più della ſua contraria. Il che sẽza dubbio portarebbe nel Popolo Criſtiano molto più di rilaſſatezza, &c.* Sed hæc pura verba ſunt inania, & vacua; non enim tale inconveniens re verà ſequitur ex Probabilioriſtarum ſententiâ, aut noſtrâ, ut benè conſideranti patet; ſed ex hominum malitiâ affectantium licentioſiùs vivere juxta pravas inclinationes ſuas, acceptâ, non tamen datâ occaſione ab illis vel à nobis.

1068 Præterea ibidem ex tali inconveniẽti licet vanè adducto, ut dixi, quaſi benè inferendo intentum ſuum ait: *E però a volere, che il Mondo camini bene in tal genere, o mio Signore, che ſi ricerca? Si ricerca a mio credere, che non eſca, dirò così, da i termini a lui prefiſſi da' ſuoi maggiori: ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui. prov. 22. 28. gli antichi, che che ſi dicano alcuni ſenza provarlo, ne poterlo mai provare per tutta l'eternità, ſon iti con queſta regola. Dove la legge*

ge era certa attenerſi a quella, dove era dubia, diporre la dubietà con cercare il parere di huomini dotti, quando eſſi tali non erano à ſufficienza: con ventilarlo, quando erano. Dove i pareri erano ben fondati di quà, e di là, attenerſi a quei che gradiſſero con fidanza di non errare. Onde è, che per teſtimonianza di S. Antonio, di Umberto, del Nider, e di altri sì gravi Autori correva queſta regola come data da Alberto Magno: Frater ſimplex, vel quilibet homo cum ſalute poteſt ſequi in conſiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicuius magni Doctoris opinionem ſequatur. Sed neque hæc verba in ſe veritatem habent; non enim Patres noſtri probabilitatis terminos poſuerunt nobis, quos tranſgredi non debeamus: Neque iuxta eiuſmodi regulam incedebant, ut Author iſte pro certo ſupponit, ita ut oppoſitum liberè dicat à nobis ſine probationibus affirmari, nec probari poſſe per æternitatem totam; nos enim id ſatis, & brevi quidem tempore demonſtravimus ſupra ex pluribus Sanctis Patribus, & luce meridianà clarius nominatim oſtendimus ex Auguſtino, & Thoma facilè à Deo quaſi duobus maioribus luminaribus Eccleſiæ ſuæ conſtitutis. Et ad teſtimonium S. Antonii, vel ut cum aliis communiter dicamus, S. Antonini Archiepiſcopi Florentini dixi pariformiter ſupra ad ſatietatem. Ad regulam verò quaſi ex Magno Alberto traditam, atque eo tempore fortè per omnium ora currentem, ut Pater Segneri refert, cui quà par eſt humanitate, officioſam fidem adhibeo, poſſum dupliciter reſpondere. Primò quod Albertus locutus fuerit in conſiliis, non autem in præceptis legum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ut conſtat ex ipſo textu allegato ibi: *Frater ſimplex, vel quilibet homo cum ſalute poteſt ſequi in conſiliis quamcumque opinionem voluerit.* Nam viri ſimplices multotiès pro ſalute conſulunt de his, quæ ſunt de conſilio, ut ſi ſit ſibi melius ſtare in ſæculo quã Religionem ingredi, quia neſciunt in ſimilibus ſe reſolvere. Vel ſecundò, ſi locutus fuit de legibus, reſpondeo Albertum id dixiſſe, non ſic liberè, ut dicunt Probabiliſtæ, ſed cum magna reſtrictione, & tali, ut non poſſit in opinione error moraliter contingere, quod conſtat ex limitatione illà: *dummodò alicuius Magni Doctoris opinionem ſequatur.* Magnus autem Doctor, ſi ſit verè talis, nihil ſibi abſolutè reſolvit, quin re verà verum eſſe, & certum ſaltem moraliter videat, ita ut eius opinio ſemper præſumatur vel probabiliſsima, ac per conſequens ſaltem moraliter certa, vel ſtans pro lege; quia Magnus Doctor in materià morum intelligi debet, qui eſt utrâque doctrinâ doctus, practica nimirùm, & ſpeculativà, quod eſt dicere: pollens ſcientià, & ſanctitate in gradu heroico; & hoc confirmo ex Auguſtino; qui ut vidimus ſupra *num.* 1047. ſimilem regulam tradidit de ſtando in ſententiis cum Magnis, & divinis viris; & ſimul ibi evidenter oſtendimus ex ipſomet Auguſtino, quod debeant intelligi tales qui nedùm vera, ſed etiam ſibi certa doceant, ad quem locum hic me remitto.

1069 Unde valdè miror, quod tandem Author iſte in fine huius 2. *p. ſuæ epiſtolæ num.* 24. velit etiam cum Auguſtino intentum ſuum concludere, cum tamen Auguſtinus perpetuò contra probabilitatem pugnaverit, ut fuſiſſimè ſupra oſtenſum eſt. Sed attendamus ſi ex Auguſtino re verà concludat, quod prætendit. Adducit itaque *num. cit.* Auguſtinum *ep.* 19. ad Hieronymum, ſic loquentem: *Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinàque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi, licet per illos Anthores Canonicos, licet probabili ratione* (in textu tamen originali Auguſtini non legitur ſic, ſed de hoc alio modo: *Sed quia mihi vel per alios Authores Canonicos, vel probabili ratione*) *quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Poſtquæ relata Auguſtini verba, ad eum, cui ſcribit, ſic loquitur: *Dunque io prego la bontà di V. S. Illuſtriſſima a fare con eſſo me due ponderationi. Prima qual foſſe il pregio, in cui da queſto gran Santo tenevaſi una raggione, non dico probabiliſſima, ma probabile, quando andava in traccia del vero, non la poſponeva, ſe non a i detti degli ſcrittori Canonici, cioè agl'irrefragabili; ſapendo egli bene nel reſto, che il diſprezzare una raggione prabábile nelle controverſie morali, che ſon sì incerte, era fatto di mente altera, e perche tale non era appunto la ſua, diſſe egli coſsì umilmente di reſtare in queſte perſuaſo dalle raggioni ancora probabili: quod mihi ratione probabili ſuadere potuerunt. Di poi la prego a ponderare di vantaggio, che ne anco il Santo a quello ſolo acquietavaſi, che con sì fatte raggioni gli fuſſe perſuaſo per vero in tutto, cioè per cotanto vero, che egli neceſſariamente l'aveſſe tener per tale con giudizio aſſoluto, fermo, forte, e come il dicono alcuni, non fluttuante. Signor mio nò. acquietavaſi a quell'iſteſſo, che gli foſſe provato per ſimil via, non allontanarſi dal vero: Quod à vero, non abhorreat. Ma che altro è il proprio dell'opinione detta meno probabile, ſe non queſto: non abhorrere a vero?* Vide, lector, quà Auguſtini authoritate prætendit P. Segneri pro ſe concludere, & quibus ponderationibus, quæ profectò nec minimum conducunt ad rem ſuam. Ibi enim Auguſtinus nihil penitùs de probabilitate, vel magno illo rationis probabilis pretio habet, nec expreſsè, nec tacitè; neque ex modo eius loquendi poteſt ullatenùs colligi, quod eam in magno illo pretio habuerit, ut amplificat P. Segneri; neque denique quod in controverſiis moralibus, aut in aliis quibuſcumque eà contentus fuerit, in eaque quieverit: imo potiùs videtur expreſsè contrarium ſenſiſſe, ſi benè attendatur argumentum ipſum eiuſdem epiſtolæ ſuæ. Ibi enim intendit Auguſtinus concludere Hieronymo

ſe non poſſe in quæſtionibus Sacræ Scripturæ eius opinionibus acquieſcere, & non contradicere, donec ſibi fuerint evacuatæ difficultates, ita ut maneat omninò intrinſecùs adæquatè perſuaſus. Hoc autem omninò contrarium eſt expoſitioni Patris Segneri, & magno illi pretio, in quo rationem unam probabilem ſuiſſe teſtatur apud Auguſtinum. Quod autem huiuſmodi ſit Auguſtini epiſtolæ argumentum, conſtat manifeſtè ex tenore, & fine, quo eam ſcripſit Auguſtinus. Nam intentio, & finis Auguſtini ibi fuit Hieronymo ſatisfacere, qui de oppoſitionibus Auguſtini contriſtatus fuerat, & quaſi dolens reſcripſerat, ut deinceps cautiùs ſecum ageret; quia fortè antea in aliquo impugnando exceſſerat; quod ex verbis eiuſdem Auguſtini in eadem epiſtolà manifeſtè colligitur, ubi ſic primò Hieronymũ alloquitur: *Petis, vel potiùs fiduciâ charitatis iubes, ut in ſcripturarum campo ſine noſtro invicem dolore ludamus*. Ecce quomodo ſupponit Auguſtinus Hieronymum ad ipſum ſcripſiſſe aliquantulum contriſtatum, & de ſe dolentem; ac propterea petentem, ut in ſcripturarum campo (ideſt in quæſtionibus ſcripturarum) deinceps ſine ipſorum invicem dolore, videlicet ſine animi contriſtatione, luderent. Huic autem quærimoniæ prætendit ibi ſatisfacere Auguſtinus, petendo priùs ab eo veniam, ſi fortè in aliquo de exceſſu ſuſpicatus fuerit Hieronymus, ut in eadem epiſtolà videri poteſt: poſtea verò occaſione acceptâ ex voce illa (*ludamus*) quâ uſus fuerat Hieronymus, incipit eleganter de illius ſignificato perquirere, & in quo ſenſu eam accepiſſet Hieronymus, ut ſic paulatim deveniret ad intentum ſuum, & Hieronymo plenè ſatisfaceret; ac propterea eam primò interpretando in proprio ſenſu, dicit ſe malle seriò in ſcripturarum campo, quàm ludentem agere. Poſtea eam interpretando pro facilitate, & promptitudine diſſerendi de ſcripturis, quaſi indè voluerit Hieronymus ingenium Auguſtini commendare; ſtatim huiuſmodi, & maiores laudes in Hieronymum ipſum convertit. Tertiò interpretando illam pro quadam placiditate, ſeu hilaritate, quam eſſe inter chariſsimos diſſerentes decet; ſic ait: *Si propter hanc hilaritatem putaſti dicendum eſſe, ludamus: ſive illud apertum, & planum ſit, undè colloquimur; ſive arduum, atque difficile; hoc ipſum edoce, obſecro te, quonam modo aſſequi valeamus; ut cum fortè aliquid nos movet, quod nobis etſi non cautiùs attendentibus, certè tardiùs intelligentibus, non probatum eſt; & quid nobis videatur, contra conamur aſſerere, ſi hoc aliquantò ſecuriore libertate dicamus, non incidamus in ſuſpicionem puerilis iactantiæ, quaſi noſtro nomini famam, viros illuſtres accuſando, quæramus? Si autem aliquid aſperum, refellendi neceſſitate, depromptum fuerit, & quo tolerabile fiat, leniore circumfundamus eloquio; ne litum melle gladium ſtringere iudicemur? Niſi fortè ille modus eſt, quo utrumque hoc vitium, vel vitii ſuſpicionem caveamus, ſi cum doctiore amico ſic diſputemus; ut quidquid dixerit, neceſſe ſit approbare; nec quærendi ſaltem causâ liceat aliquantulum reluctari. Tum verò ſine ullo timore offenſionis tamquàm in campo luditur: ſed mirum, ſi nobis non illuditur. Ego enim fateor charitati tuæ ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam.* Ecce quomodo paulatim devenit Auguſtinus ad intentum ſuum, quod erat Hieronymo ſatisfacere, & omnem offenſionis ſuſpicionem illi auferre per hunc diſcurſum ſuum, quo tandem concludit, ut conſtat ex eius verbis, excuſandum fore, ſi quid aſperum inter differentes contingat ex refellendi neceſſitate proferri, quia non eſt modus aliquis poſſibilis id evadendi totaliter; cum id, quod ad refellendum neceſſarium eſt, etiam ſi leniore circumfundatur eloquio, adhuc ut gladius melle litus apprehendi poſſit, ut inquit Auguſtinus; ac propterea modus ille tantùm ſupereſſet, ut quidquid dicat Doctior amicus, ab altero approbetur, quod non probat Auguſtinus, ſed potiùs vituperat, quia vel illuſio eſſet; vel firma adhæſio quaſi indefectibili teſtimonio, cum non ſit. Et indè ingenuè fatetur Auguſtinus, ſe nulli huiuſmodi honorem deferre, niſi Canonicis ſcriptoribus, ut conſtat ex citatis verbis, poſt quæ immediatè ſubdit ea, quæ pro ſe P. Segneri refert: *Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinâque præpolleant &c.* & tandem ad ipſum Hieronymum poſt citata verba ait: *Nec te mi frater ſentire aliud exiſtimo: proſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle tamquàm Prophetarum, vel Apoſtolorum, de quorum ſcriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium eſt*. Vide lector ſi in toto hoc Auguſtini diſcurſu verbum aliquid ſit, quod poſſit Patris Segneri intentioni favere: Vide ſi tanti faciat rationem probabilem Auguſtinus, ut in ea quieſcat, qui nec dictis Hieronymi, nec aliorum quantalibet ſanctitate doctrinâque pollentium acquieſcere velle ſe proteſtatur, niſi ipſum vel per alios Authores Canonicos, vel ratione probabili tandem vicerint, id enim ſonat ibi verbum illud (*perſuadere potuerunt.*) ſuppoſito toto illo Auguſtini diſcurſu, & fine, in quem tendebat, probandi videlicet Hieronymo, ſe illi non præiudicaſſe in ſubſtantiâ facti non acquieſcendo, imò reſiſtendo doctrinæ eius, quæ procul dubio improbabilis præſumi non poteſt, hoc ipſo quod Hieronymi erat. Quare Auguſtinus ſub voce illâ (ratione probaqili) in qua vim facit P. Segneri, non quamlibet rationem probabilem intellexit, ſed illam, quæ efficaciter convincit, & quæ vel demonſtrativa eſt, vel propè demonſtrativa, ac proindè probabiliſsima ſaltem, ita ut ingenium Auguſtini etiam actu reſiſtentis

perſuaderi poſsit ad mutandum; & retractandum proprium ſenſum; nam de illa loquitur, qua vult ſibi perſuaſum id, quod non vult putare verum ex eo, quod ita ſentiant viri ſummi, & quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpollentes, qui procul dubio præſumuntur aliquâ verâ probabilitate id ſentire. Ex quo manet omninò vanas eſſe ponderationes illas, quas ſecum habere rogat ſuum illum Illuſtriſſimum dominum, cum omninò extraneæ ſint ab Auguſtini mente, ut videre eſt in totâ eius epiſtola, eiuſque diſcurſu, quam conſultò ad literam retuli.

1060 Atque hinc quoque apparet vanè indè concludere, hunc modum univerſum Orbem ſemper tenuiſſe in moralibus controverſiis: *Queſto fù il procedere proprio dell'Univerſo nelle controverſie morali. Il volerne ora inventare un'altro noviſſimo, è volere, che il mondo gia decrepito torni a ſcuola, affine di diſſimparare dolente ciocchè imparò*. Non enim nos novum modum docemus, ſed antiquum, & quem Sancti Patres nobis in codicibus ſuis reliquerunt, à Recentioribus tamen derelictum, atque eorum induſtriâ, & adinventionibus relégatum, quem nos iterum revocamus, & Eccleſiæ reſtituimus. Quod adcò verum eſt, ut palàm dixerit Caramuel, Probabiliſtarum facilè Princeps, in ſuà fundamentali Theologiâ: *Tota moralis Theologia nova eſt. Quis enim negare audebit eſſe hodiè in Diana centenas opiniones probabiles, quæ Auguſtino, & antiquis Eccleſiæ patribus ignotæ fuerunt?* Non ergo nos novas ſcholas inſtituimus, ut dolens Mundus de anteà ſuſceptâ Patrum doctrinâ, novam ſuſcipiat à nobis; ſed ipſi potiùs ſuas noviſsimè aperiunt, ut doctrinas tradant, Auguſtino, & antiquis Eccleſiæ Patribus ignotas.

§. IV.

Referuntur quæ idem Author habet in tertia parte eiuſdem ſuæ epiſtolæ, & impugnantur.

1071 MA che? (inquit hic *num. 25.*) *Non hà dunque da eſſervi il ſuo rimedio all'opinar sì licentioſo, e sì libero di più d'uno? Signor mio sì. Vi hà da eſſere. E vi ſarà ſolo, che venga ſtabilito fra noi ciò, che onninamente ci vuole, affine che un'opinione ſi poſſa meritamente chiamar probabile, perche dalla prava interpretazione di ciò ſono proceduti in buona parte gli ſtrepiti, che non sò quanti Moderni hanno ſollevato contro la ſentenza benigna, tacciandola rea di morte, quando più toſto ella è quella, che ad innumerabili anime dà la vita.* Hæc autem nuda, & pura verba oratoria ſunt, quæ proponuntur, ſed non probantur. Audiamus tamen eius remedia, ut abuſui licentioſè, atque liberè opinandi, & indè laxis opinionibus obvietur.

1072 *E primieramente* (ſubiungit) *ſi figurano alcuni, che il probabile ſia l'iſteſſo nel caſo noſtro, che il veriſimile; onde ne cavano, che ſiccome non è prudenza aderire a ciò, che ſi ſcorge haver meno del veriſimile, cioè di ſimile al vero, così ne anche prudenza ſia l'aderire a ciò, che ſi ſcorge haver meno del probabile. Ma quale abbaglio più chiaro? Tutto ciò che è probabile, è veriſimile, non ſi nega: ma non così tutto ciò, che è veriſimile, è probabile. Il temerario mira veriſimile il male, di cui ſoſpetta, e pure egli pecca, perche da veriſimile paſſa innanzi a volerlo di più riputar probabile. Ma perche pecca? Perche il probabile è ſempre un veriſimile ben fondato, cioè fondato in ragioni ſode, ſuſſiſtenti reali, quali il temerario non trova nel ſuo ſoſpetto. Il puro veriſimile non è tale. Talora hà l'eſſere in una mera apparenza; tanto che i medeſimi errori, come ſono le ſentenze dannate già dal Vaticano per erronee, per empie, ed infin per ereticali, poſſono havere tuttavia di molto ſimile al vero, e pure niente poſſono le miſere havere più di probabile.* Ecce quod remedium parat Pater Segneri ad ſententias laxas longè removendas a nobis, ut diſtinguamus inter veriſimile, & probabile. Atque hinc edocet nos de utriuſque deſcrimine.

1073 Quam verò ineptum hoc remedium ſit, indè conſtat, quia ineptiſſimè doctrinam tradit de huiuſmodi diſcrimine. Nos quidem in ſuperioribus vidimus D. Bernardum probabile in veriſimili conſtituere, & nullatenùs in illis diſcrimen agnoſcere: & P. Segneri, Joannem de Cardenas ſecutus, quem ibi ex Bernardo impugnavimus, ſuper Bernardum intellexit? At quidquid ſit de hoc. Si verè intellexit, illud aſſignet. Ait autem non dici ad convertentiam. Probet. Id probat ab exemplo temerè judicantis malum de proximo ſuo, quod videt utique eſſe veriſimile, & nihilominus peccat, quia probabile credit, cum non ſit, & tranſit de veriſimili ad probabile. Verumtamen ego nego ei ſuppoſitum, ſupponit quidem eum, qui malum temerè judicat, illud videre veriſimile. Hoc autem falſiſſimum eſt. Quid enim eſt veriſimile, niſi, ut ipſemet fatetur, ſimile vero? Et quid eſt ſimile vero, niſi quod talem figuram, aut ſpeciem appareuter habet, ut ſecundùm eius faciem omnibus id intuentibus propter nimiam ſimilitudinem cum vero, pro vero accipiant? Et taliter, ut in nihilo appareat re vera diſtingui? Si enim in aliquo ab aliquo intuentium certò diſtingui poſſet, jam in illo eſſet illi diſſimile, nec poſſet ab illo pro vero accipi ſi vellet ille ex obiecti veriſimilitudine judicare. At malum quod quis temerè judicat, ex parte obiecti non ita ſe habet, ſi enim ſic obiiceretur ex parte ſui, ab omnibus verum exiſtimaretur, ſicut ab ipſo, & ſic idem eſſet, ac probabile, & non eſſet judicium illorum temerarium; quæ enim temeritas eſt accipere pro verò, quod omninò, & ſine ullo certo ſigno cotrario, faciem veri præ ſe fert?

Ergo

Ergo qui temere aliquid judicat, non videt illud veriſimile. hallucinatur certè P. Segneri in hoc, quod credit temerè judicantem ex obiecti veriſimilitudine judicare, quod tamen eſt falſum; non enim ex veriſimilitudine illius temerarius rem judicat, ſed ex prava affectione, & odio proximi ſui, cui malum optat, quod ex obiecto veriſimile non videt. Legat D. Thomam, ubi ſupra retulimus *2.2. q. 60. a. 3.* & videat ex quo capite fiat judicium temerarium, numquam tamen inveniet eſſe ex obiecti veriſimilitudine. Probat ſecundò idipſum P. Segneri ab exemplo propoſitionum, quæ jam ab Apoſtolica Sede proſcriptæ ſunt, de quibus ait, poſſe nihilominùs multum veriſimilitudinis etiam nunc habere, & tamen nequeunt miſeræ ampliùs habere aliquid probabilitatis. Sed hæc alia eius hallucinatio eſt, dum non diſcernit inter probabilitatem, & veriſimilitudinem conſideratam ex parte obiecti, & conſideratam ex parte ſubiecti. Sciat igitur propoſitiones damnatas, quæ antea veriſimiles, & probabiles erant Authoribus ſuis, vel aliis, qui eas amplexati fuerant, manere adhuc eis, etiam poſt latam cenſuram ſedis Apoſtolicæ, in eadem veriſimilitudine, & probabilitate ex parte obiecti purè in ſe ipſo conſiderati; amittere autem omnem veriſimilitudinem, & probabilitatem ſubiectivam, ſeu ex parte obiecti conſiderati reſpectivè ad ſubiectum, ideſt reſpectivè ad nos, qui firmiter adhærentes infallibili teſtimonio Eccleſiæ, non poſſumus amplius moveri ab illa obiecti veriſimilitudine, & probabilitate, quam adhuc in facie ſuâ præſefert; nõ enim obiectum faciem mutat, ſed nos mutamus judicium, quia priùs judicabamus ſecundùm faciem eius, nunc verò de falſa eius facie admonemur ab authoritate infallibili Eccleſiæ. Quare ex hoc non probatur diſcrimen illud quod prætendit Author iſte inter veriſimile, & probabile.

1074 Et ulteriùs hoc ipſum confirmatur, nam vel propoſitiones iſtæ ante pontificiam cenſuram erant veriſimiles, & probabiles; vel probabiles non erant, ſed tantùm veriſimiles, vel denique nec veriſimiles erant. Hoc tertiùm dici non poteſt, quia idem P. Segneri veriſimiles eas dicit etiam poſt cenſuram. Si dicat ſecundum; cur ergo Authores ſui, & qui eas amplexabantur probabiles exiſtimabant? Jam enim cum P. Segneri conveniebãt in definitione opinionis probabilis, quod ea ſit ſolidæ rationi, gravi, prudenti, ſubſiſtenti, & magni momenti innixa, ut videre eſt paſſim apud ipſos. Vel ergo illi in veriſimilibus ſuis has conditiones videbant, vel non. Si videbant, ergo idem erat eis videre veriſimile, ac probabile: ſed quid dico, idem erat eis videre? Dicam veriùs: idem omninò eſt, eſſe veriſimile, & probabile; dum in eiſdem conditionibus omninò videntur convenire. Si verò non videbant, cur eas probabiles dicebant, in quibus conditiones probabiliũ ſibi utique cognitas non videbant? Ergo eas videbant; ergo non erant eis tantùm veriſimiles, ſed etiam probabiles. Ergo oportet dici primum; & tamen poſt cenſuram Pontificis non poſſunt ampliùs dici probabiles. Ergo ex Pontificis cenſurâ non benè probat P. Segneri diſcrimen veriſimilis a probabili. Ergo omninò inutile eſt eius remedium ad ſententias laxas declinandas, ſi in hac eius diſtinctione conſiſtat; nam vel falſum eſt ea diſtingui, ut ego firmiter cenſeo; vel ſi in aliquo diſtinguuntur, imperceptibilis eſt ratio diſtinctionis eorum; & ſic evadit remedium proſsùs inutile, donec P. Segneri ſic eam aſſignet, ut non poſſint ampliùs invicem confundi, quod profectò numquam poterit; ſicut nec ſui Comprobabiliſtæ umquam potuerunt, alioquin non incidiſſent in tot ſententias hactenùs ab Eccleſiâ damnatas, quas tamen ipſi ut verè probabiles docuerant.

1075 Profectò memor eſſe deberet P. Segneri redargutionis ſuæ contra Probabilioriſtas; ſic enim ipſe contra illas arguebat ſupra, quod ſcilicet inutile erat eis ad laxas ſententias declinandas minùs probabiles relegare, quia iſtas à probabilioribus ſegregare difficile erat, & præcipuè Indoctis, aut minùs Doctis, & maximè cum Authores earum opiniones ſuas non minùs probabiles, ſed probabiliores appellent. Ex quo inferebat præ tali difficultate fore homines ſe in deſperationem daturos. Jam verò maior eſt difficultas in diſcernendis viriſimilibus à probabilibus, cum adeò convenire in eiſdem conditionibus videantur, ut Doctores ipſi, ſaltem multi pro eodem ſumant veriſimile, & probabile; imò probabile per veriſimile definiant: & præterea nemo Doctorum eſt (ſive veriſimile cũ probabili confundant, ſive diſtinguant) qui opiniones ſuas veriſimiles dicant, & nõ probabiles. Quid ergo facient Indocti, aut minùs Docti? procul dubio confuſi in eamdem incident deſperationem. Ergo non minùs inutile eſſet remedium Patris Segneri, quam illud Probabilioriſtarum.

1076 Et licet conetur Author iſte *num. 27.* & ſequentibus, plures conditiones explicare ad probabile requiſitas, ut illud à veriſimili diſcernat, puta quod non frivolis rationibus innitatur, ſed fundatis, & non evidenter ſolubilibus; nec quæ fundatæ apparent, vult ſtatim tales reputari debere, niſi conſtet priùs fuiſſe à Doctoribus benè diſcuſſas, & ad incudem rationibus oppoſitis diù reſtitiſſe, ita ut etiam à claſſicis Authoribus in codicibus ſuis habeantur, & approbentur ut dignæ, quod poſſint homines eas ſequi. Atque hinc advertit, quod nõ quidquid utcumque occurrit ab Authore aliquo ſcriptum, ut probabile ſit accipiendum, niſi ſit omni exceptione maior, juris naturæ maximè peritus, & qui non ſit Collector, aut purus Compilator, ſed benè diſputatis articulis omnia reſolvat, & ſolidis argumentis procedat, nõ ſophiſticis; non nova, ſed rationabilia ſequens; & inſuper quod etiam attendatur ſi quod eſt pro-

probabile ſit practicè probabile, & non purè ſpeculativè; & quod ei non opponatur aliqua lex, vel pactum, aut conventio, undè poſſit damnum aliquod contra tertium provenire, & ſimiles conditiones, quas ſupra vidimus ex P. Cardenas. Licet, inquam, hæc omnia explicet, & requirat; non tamen proindè eius remedium aptum eſt; imò eò fortiùs in ipſum retorquetur argumentum ſuum; nam quò plures conditiones exigit ad practicè probabile, eò iſtud evadit cognitu difficile Indoctis, aut minùs Doctis; ac per conſequens non minus iſtis inutile erit, quàm illud Probabilioriſtarum, & æquè illis eſſet deſperandi occaſio de propriâ ſalute. Sed hæc obiter dicta ſint, ut appareat perorata illa ſua terriculamenta contra Probabilioriſtas, & tacitè contra nos, æquè in ipſum militare.

1077 Cæterùm ego omnes huiuſmodi conditiones, ut aliquid ſit practicè probabile, facilè admitto, quemadmodum ſupra admiſi referendo clauſtra illa, quæ poſuit Joannes de Cardenas. Non enim in hoc cum Probabiliſtis contendo, ut ab initio dixi, ſed ſuppono practicam probabilitatem opinionum etiam cum omnibus illis conditionibus, quas ipſi exigunt, vel erunt exacturi; & ſuſtineo indè non excuſari homines, ſi in ſe falsæ fuerint, & contra legem, quia contra legem agunt, etiam ſi non agant contra conſcientiam, & quod contra legem eſt, ſemper eſt peccatum. Et hoc, quod dico, in propriis terminis dictum D. Thomæ eſt *quodlib. illo ſepiùs citato 8. n. 13.* niſi tamen error ſit ex invincibili ignorantia, quæ in opinione probabili juris, præcipuè naturæ, non poteſt contingere, ut fusè ſuperiùs oſtendi ex eodem D. Thoma, & rationibus. Undè eiusdem D. Thomæ dictũ perpetuum eſt, quod ignorantia juris non excuſat; ignorantia facti excuſat. Imò hoc ipſum dictum juris Canonici eſt. Videantur quæ dixi in ſuperioribus de ignorantia, quò hic me remitto. Fruſtra ergo P. Segneri vim facit in tot conditionibus practicæ probabilitatis; ſemper enim pro quanto ad principalem controverſiam noſtram ſpectat, extra Chorum cantabit.

§. V.

Referuntur quæ in quarta parte habet Author iſte, & impugnantur.

1078 NOn ſatis in his, quæ uſque adhuc ſcripſit pro opinione minùs probabili, contentum ſe exiſtimat P. Segneri; atque ideò *num. 32.* ſic quaſi ex abundantiâ cordis eructat: *E quì V. S. Illuſtriſſima crederà, che io con ciò ſia pago? E pure non ſon pago niente. Perche quanto io fra me conſidero più quegli aggravii, che vengono fatti alla ſentenza benigna, tanto più ſento infiammarmi il cuore di zelo contro chi tuttora fra popoli la dipinge tanto diverſa dal vero ſuo naturale. Io però non poſſo far altro, che dire a V. S. Illuſtriſ. chiaramente; che ſe ne ſente da tal'uno dir male, la compatiſca, perche la miſerabile è tolta in cambio: diſgratia ſenza dubio la più funeſta, che poſſa intervenire ad un' innocente.* Vide lector quanta commiſeratione, & charitatis, vel dicam, juſtitiæ zelo, opinionis minùs probabilis infortunium deplorat. Sed quale infortunium? Quod ipſa, inquit, altera creditur, quàm in ſeipſa ſit; ac proindè non innocens, qualis in ſe eſt, ſed Rea, qualis non eſt, judicatur. Et indè nos decipi ſupponit, quia non eam, quam ipſe cum Comprobabiliſtis ſuis docet tutam in praxi, accipimus; ſed aliam, quam certò non admittit. Huiuſmodi autem eſſe deceptionem noſtram ſic oſtendit. *E che ſia coſſì, vi è chi ad effetto di porre non pure in odio, ma quaſi diſſi in orrore una tal ſentenza, fà queſto intolerabile preſuppoſto, che or io dirò; che vi ſiano a cagion d'eſſempio venti Dottori, i quali apertamente condannino alcun contratto, come uſurario; cinque per il contrario l'aſſolvano da ogni uſura, e che io, quantunque tenga fra me per indubitato, che i cinque dicano il falſo, e i venti il vero, con tutto ciò io ſtimi di potermi oneſtamente appigliare ad un tal contratto, perche vi ſono quei cinque, i quali m'aſſeriſcono, che può farſi. Queſta* (reaſſumit) *è una calunnia preſuntuoſiſſima, perche chi è, che mai dica una coſa tale? È manifeſto, che nel caſo ſudetto (da niuno ammeſſo, che io ſappia, ma finto per dare accuſe) l'oneſtà del contratto non è probabile. Non è probabile in ſe, non è probabile a me, che lo voglio fare. Non è probabile in ſe, perocche quei, che lo aſſolvano, troppo rimangono ſopraffatti dal numero di coloro, che lo condannano; ſe pur quei cinque non fuſſero per avventura altrettanti Bartoli fiaccole della legge, lucerna iuris; che aveſſero di propoſito eſſaminata una tal quiſtione; e quei venti fuſſero, per dir coſſì, venti lumiccini mal vivi, cioè venti miſeri Dottorelli, i quali nel favellare incidentemente ſi foſſero appoggiati un ſopra l'altro, come fanno i cervi gregali al guadar dell'acqua. Non è poi probabile a me, perche ſe io tenga di più per indubitato, che quei tanti han raggione, e quei pochi il torto, io non hò fondamento alcuno da poter eſſeguire prudentiſſimamente ciò, che eſſi inſegnano, quando ancora eſſi foſſero più che Bartoli.* Ecce deceptionem noſtram, vel potiùs fictionem, ut calumnioſè ſententiam benignam Probabiliſtarum accuſemus. Quod eſt id, quod in nobis deplorat Pater Segneri.

1079 Verumtamen ego ingenuè fateor me numquam in huiuſmodi fictione, aut deceptione fuiſſe; & multò minùs in id conſenſiſſe, quod Author iſte, refert in illo intolerabili præſuppoſito, neſcio à quo, Probabiliſtis imputatum; quaſi dicant iſti in caſu illo viginti Doctorum ex unâ, uſuram ibi eſſe affirmantium, & quinque negantium ex alterâ, quod quis poſſit, etiam factâ ſuppoſitione, quod firmiter, & indubi-

dubitanter credat iſtorum ſententiam eſſe falſam, ſecundum hanc licitè agere, quod incredibile eſt; ſic enim procul dubio non eſſet huiuſmodi opinio ampliùs agenti probabilis, ut benè dicit P. Segneri, ſed improbabilis; ac per conſequens verè una acciperetur pro altera, nempe probabilis pro improbabili; & contingeret damnari illam pro iſta, ut P. Segneri aiebat, & deplorabat. An verò in ſe probabilis dici poſſit, vel non, ſtante ſuperexcedente illo numero ſententiæ oppoſitæ, præcipuè juxta eorumdem Probabiliſtarum principia, nolo hic contendere; videtur enim facilè dici poſſe, & fortè deberi ſecundùm ipſos, maximè ſi quinque illi, licet multò pauciores comparativè ad viginti, ſint omni exceptione maiores, hoc eſt cum illis conditionibus, quas in Authoribus exigunt ipſimet Probabiliſtæ cum eodem P. Segneri. Et quantumvis ipſe hic dicat id neque in ſe eſſe probabile, quia, inquit; *troppo rimangono ſoprafatti dal numero di coloro, che lo condannano.* Nihilominùs immediatè poſt, dictum ſuum modificat dicens: *Se pur quei cinque non fuſſero per avventura altretanti Bartoli.* Quod quidem non credo dixiſſe ad ſignificandum neceſſariò exigi tantam excellentiam nominis ad hoc, ut fiat opinio aliqua probabilis, ſed ad ſignificandum debere Authores eſſe omni exceptione maiores, ideſt habentes quatuor illas cōditiones, quas ipſemet ſupra explicaverat *num.* 28. & cuiuſmodi declaraverat eſſe Silveſtrum, Toletum, Angelum, Armillam, Caietanum, & ſimiles qui procul dubio multoties docent aliquid, plus quàm contra viginti Doctores, ut ipſemet P. Segneri convinci poteſt ex eo, quod ſupra dixerat de Caietano malè ſenſiſſe de præceptis Eccleſiæ, & fortè ſingulariter contra omnes alios; & iterùm convincetur ex eo, quod paulò inferiùs dicturus ſum. Pro nunc autem præſcindo, an talis opinio in caſu illo præſuppoſito dici poſſit in ſe probabilis, vel non, ut dicebam. Id autem ſemper certum eſt, non poſſe dici probabilem agenti, à quo in illa ſuppoſitione habetur indubitanter ut falſa. Undè ſi quis ſit, qui tale intolerabile præſuppoſitum faciat, & fingat, vel deceptus credat eam fuiſſe Probabiliſtarum ſententiam, ut P. Segneri refert, meritò improbandus eſt, quod unam pro alterâ accipiat, & hanc pro illâ condemnet.

1080 Verumtamen, ut dixi, ego non ſic hallucinatus procedo; ſed illam, quam verè probabilem & in ſe, & agenti ſuppono, & juxta veram intelligentiam Probabiliſtarum impugno, eamque ſemper in toto hoc opere impugnavi, ut videri poteſt per totum. Et ut hoc ipſum etiam hic conſtet evidenter, ſiſtendo in eodem exemplo de contractu, quem viginti dicant uſurarium, & quinque illum ab uſurâ abſolvant, dicat idem P. Segneri, & explicet ſenſum ſuum ex vi ſuæ veræ probabilitatis, ut ad ſenſum videat, me illam eamdem impugnare, quam ipſemet accipit, & non aliam. Ipſum igitur ex ore proprio audiamus. Dicit autem ſic ibidem: *A poterlo eſſeguire con ſicurtà ſopra il detto loro, fa di meſtieri, che quantunque io cōſiderando frà me le raggioni intrinſeche, ſtimi per più probabile, che il mentovato contratto ſia reo d'uſura, non però giudichi le raggioni medeſime eſſere in ſe ſteſſe sì chiare, sì convincenti, che non mi laſcino luogo a potere inſieme prudentemente ſoſpendere il mio giudizio, guidato da quel principio ricevutiſſimo, che le raggioni falſe appaiono talor più credibili delle vere: interdum falſa ſunt probabiliora veris, come talor io ſcorgo, che i marmi finti appaiono più credibili de' natii.* Hæc P. Segneri. Audiſti lector ex ore proprio Paulum loquentem, & declarantem quid opus ſit agenti, ut opinio illorum quinque contra viginti evadat ei probabilis, & poſſit tutò illam ſequi? Nihil aliud, ait, opus eſſe, niſi quod agens non judicet rationes illas viginti Doctorum ita claras, convincentes, & certas, ita ut nequeat judicium ſuum ſuſpendere prudenter ex receptiſſimo ſaltem principio illo, quod rationes in ſe falsæ interdùm ſunt credibiliores veris: *Interdum falſa ſunt probabiliora veris.* Quod eſt dicere: oportet quod nō habeat judicium illud indubitatum, quod fingebat, vel deceptus credebat ille talis; de quo antea dixerat feciſſe illud præſuppoſitum intolerabile: quare ſublato illo judicio indubitato ex vi ſaltem illius principii receptiſſimi, ut ipſe ore proprio loquitur, poterit opinioni illorum quinque adhærere tamquam verè probabili, & tutò illam ſequi non obſtantibus viginti; quia tunc eſt agenti verè probabilis, licet minùs quàm oppoſita. (Hic autem obiter nota quod ſupra promiſi, hinc videlicet convinci Patrem Segneri de falſo, in eo quod dicebat in illo intolerabili præſuppoſito, non eſſe aſſertum illorum quinque probabile in ſe; quia judicium illud indubitatum agentis ipſimet agenti tātùm poteſt probabilitatem tollere, non autem probabilitatem aſſertionis in ſe prout deſumitur ex quinque illis Doctoribus; alioquin neque ſublato illo judicio, ſeu ſuſpenſo ex vi illius receptiſſimi principii poſſet fieri poſtea probabilis agenti, nam huic tota probabilitas ex authoritate ipsâ illorum quinque provenit, quæ eadem eſt ſicut antea in ſe, licet non fuiſſet agenti antea, ſicut nunc) jam verò ad id, undè diſceſſeram, rediens dico, quod ego hanc ipſam probabilitatem explicatam ab ipſo P. Segneri de nominato contractu, ſine illo intolerabili præſuppoſito illius judicii indubitati, impugno, & hāc dico non eſſe tutam agenti, quam tamen ipſe tutam dicit; ergo non unam pro alterâ accipio, nec innocentem pro rea condemno; ſed hanc ipſam, quam ipſe innocentem vocat, hanc eamdem ego ream eſſe pronuncio, ſi tamen in ſe contra legem ſit, etiam ſi ſit ſecundùm conſcientiam agentis, & non contra; & quantumcumque agens omnem practicam formidinem deponat, quia per hoc tollit ſibi ſolùm formidinem

ſubiectivam, obiectivam verò opinioni probabili, & veriſſimè probabili intrinſecam tollere non poteſt, & imprudenter voluntariè contra illam agit, ex quo voluntariè ſaltem virtualiter incidit in errorem, & ignorantiam legis, ut fuſiſſimè in ſuperioribus oſtendi. Ut quid igitur nos de deceptione accuſat, aut fictione?

108. Quod autem ipſe contra hanc ſuam ſecuritatem, quam tribuit agenti, ſi ſic ad talem contractum procedat, ſicut ipſe procedendum docet, reſponſionem quaſi noſtram ſibi opponit, & ſolvit, dicens *num.* 35. *Ne ſia chi oppongami, che in queſto caſo operando io quel cōtratto, l'operi dunque a conſcienza dubia; perche quantunque per cognizione diretta io non arrivi di verità ad accertarmi baſtantemente, ſe quello in ſe ſia reo d'uſura, ò non ſia; con tutto ciò per cognizione rifleſſa io ſo molto bene, che in tali caſi poſſo ſtare al detto di perſone autorevoli, che mi determinino più ad una parte, che all'altra, come alla vera. E poſto ciò non opererò più allora di conſcienza dubia: perche quel dubio, il quale allora forſe rimane in me ſopra l'oneſtà del contratto, di cui ſi parla, non è dubio prattico, è dubio ſpeculativo. E dubio ſpeculativo, perche tutto naſce dal non ſapere io ſciogliere da me ſteſſo quelle raggioni intrinſeche, le quali mi rappreſentano un tal cōtratto per uſurario, ò dal non ſaperne capire la ſoluzione, che ne danno altri tanto più intendenti di me. Non è dubio prattico, perche ſo di certiſſimo, che ciò non oſtante io poſſo ſtare all'aſſerzione di perſone sì degne, le quali mi fan ſapere, che le ſopradette raggioni non hanno forza di vincere le contrarie, ò almeno di vincerle tanto, che ne trionfino: altrimente ad una coſcienza timida, e timorata ſarebbe al tutto impoſſibile lo ſperare d'haver mai pace, ſe non allora, che tra le ſentenze ella ſeguiti la più tuta, cioè quella ſempre che favoriſce la legge, e ſi oppone alla libertà; il che ſarebbe ridurre le anime de' fedeli nell'alta diſperazione, che ſopra io diſſi, perche ſarebbe un volerle obligare ad operar ſempre ſecondo la perfezione donata a pochi nella proſapia di Adamo, ch'è tanto inferma.* Quod inquam, hanc reſponſionem ſibi quaſi noſtram opponit, & ſolvit recurrendo ad judicium reflexum, ut conſtat in verbis eius relatis, nihil ei prodeſt adversùs me; quia & quod ſupponit, & quod dicit, utrumque falſum eſt. Falſum quidem eſt quod ſupponit, quia ſupponit, nos ipſi reſpondere, quod in eo caſu agat cum conſcientiâ dubia, & peccet contra conſcientiam, quod falſum eſt: ego enim millies dixi cum D. Thoma, quod qui ſequitur opinionem probabilem in ſe falſam, peccat contra legem, non contra conſcientiam; & quod non excuſatur per hoc, quod agit ſecundùm conſcientiam. Et ſimiliter ſemper dixi, quod ſi opinio probabilis, quam quis ſequitur, eſt in ſe vera, non peccat agens, ſi non habet conſcientiam de contrario: ergo per me ſtat, quod quis ſequatur opinionem probabilem, & agat ſecundùm illam ſine conſcientia dubia, & deponendo omnem formidinem practicã, ac per cōſequens optimè ſtare poterit in caſu prædicti cōtractus; ſemel enim ac ſuſpēdit judiciũ illud, ſeu aſſēſum indubitatum de uſura, quam viginti illi affirmabant, & accipit partem oppoſitam aliorum quinque, & in iſta practicè quieſcit, non agit cum conſcientia dubia, ut benè dicit P. Segneri, & nos quoque fatemur. Dum igitur ipſe reſponſionem illam ſibi obiicit, quaſi noſtram, falſum ſupponit. Nos itaque non hoc ei obiicimus, ſed dicimus quod tunc ſi opinio illa in ſe eſt falſa, peccat contra legem, & non excuſatur per hoc quod agit ſecundùm conſcientiam, quia voluntariè, & temerè accipit partem illam practicè ut ſibi certam, cum re verà non ſit ei certa nec phiſicè, nec moraliter; ac proindè error, in quem contra legem incidit, redditur ei imputabilis, utpotè ſibi voluntarius virtualiter, & in cauſa; quatenùs non vult eius periculum vitare, quod tamen vitandum utique eſt, & ut vitandum ex parte obiecti ſibi evidenter offertur dum hinc indè variè opinatum videt, licet ipſe imprudenter, & temerè, malè ſibi conſulens ex paſſione propriæ libertatis, practicè partem contra legem accipiat ut ſibi certam, & indubitatam, & omnem formidinem ibi deponat, ubi non eſt prudenter deponenda, niſi priùs fiat ſaltem moraliter certum nullum ibi ineſſe periculum. Sed P. Segneri quaſi hanc quoque obiectionem prævidens, quam nos verè ei obiicimus, reſpondet dicens: quod licet ex vi cognitionis directæ non ſatis ad certitudinem debitam pertingat, ſi videlicet contractus ille ſit in ſe reus uſuræ, vel non; tamen ex vi cognitionis reflexæ optimè ſcit in ſimilibus caſibus poſſe ſe ſtare dictis eorum, qui prævalent authoritate doctrinæ ſuæ, & ipſum ad eam partem tamquam ad veram determinant. At in hoc falſum dicit, nam ut ſupra diffusè vidimus ex iudicio reflexo nulla ei poteſt accedere certitudo nec phiſica, nec moralis; & ratio huius fundamentalis eſt, quia ipſimet Authores doctrinà præcellentes non poſſunt eam partem ut certam tradere, nec de facto illam ut certam proponũt, ſed ut à ſe opinatam, quod eſt dicere, ut à ſe ita iudicatam, ut formidine oppoſiti de facto non careat. Undè ergo ſcit P. Segneri ſe certò ſtare poſſe practicè dictis eorum? Et unde fit ei moraliter certum in eo, quod agit, non ineſſe periculum? Illi purè opinando & ſpeculativè eam partem iudicant licere in praxi, & cum formidine ne fortè in praxi ſit illicita (huiuſmodi enim ſenſum reddit opinio probabilis) & ipſe ſcit certò ſtare poſſe practicè dictis eorum? Et in praxi eam partem ſibi certò licere? Quis non videat fieri tranſitum de uno ad aliud longè diverſum? Ipſe ergo potiùs decipitur, & Reum ore proprio confeſſum accipit pro Innocente; non nos. Opinio ipſa probabilis de licito de ſeipſa fatetur, & ore proprio ſe accuſat de formidine illiciti, deque incertitudine liciti,

quod

quod proponit, atque de periculo, quod præſefert; & Probabiliſtæ eam accipiunt ut afferentem ſecum moralem certitudinem, & omnem ſecuritatem. Illa ruinam animæ a ſe forte inferendam prædicit, & bellum conſcientiæ intimat magnæ inquietitudinis interioris præ formidine ſua; & iſti eam accipiunt ut parantem animæ tutum iter ad ſalutem, & pacem magnam conſcientiæ delaturam. Hæc profectò magna deceptio eſt, & verè deploranda.

§. VI.

Refertur, & impugnatur, quod affert Author iſte in quinta parte ſuæ epiſtolæ.

1082 IN hac quinta parte P. Segneri idem inculcat, quod ſupra, quod ſcilicet, nos dicamus eos, qui agunt iuxta opinionem minùs probabilem, contra conſcientiam agere. & quod ſemper hanc calumniam opinioni minùs probabili inferamus, quam, ait, ex præcedenti ſuâ doctrinâ omninò deiici, & proſterni ad terram, ut penitùs in ſe falſam, ſub his verbis: *Non è vero niente. Ma l'equivocatione tolta dagli avverſarii fù ſempre queſta, e ſempre ancora è, che nel giudicare degli operanti vogliono pigliare la regola da' giudizii diretti, che quelli formano, non pigliarla mai da i rifleſſi. E pure queſti baſtano a farne certi di non peccare; anzi queſti ſpeſſiſſimo ſono i ſoli, che a tanto vagliono. Un'ammalato è certo di non peccare, laſciando una mattina di feſta ſolenniſſima d'udir meſſa. E perche n'è certo? Perche il ſuo giudizio diretto gli dica, che quella ſua malatia lo diſobliga dall'udirla? Anzi nò. Queſto più toſto gli dice ogn'ora il contrario moleſtamente. N'è certo in virtù del puro ſuo giudizio rifleſſo, cioè di quel giudizio più vigoroſo, col quale a viſta del diretto egli alza ſe medeſimo, quaſi diſſi ſopra di ſe, a ſtimar ſenza eſitazione, che in tali caſi è lecito di ſeguire il parer del Medico ad occhi chiuſi, & ſprezzare il proprio. Ciò che fà queſto ammalato, fà ciaſcun'altro, il quale ſi ſtimi lecito di ſeguire qual ſi ſia dottrina probabile ben fondata. Perche chi direttamente giudica più probabile non eſſer lecito a cagion d'eſſempio di traſcorrere le quattro oncie nella colazione permeſſa a i dì di digiuno, biſogna che egli a potere, ciò non oſtante, arrivare all'otto, preſti tanto di fede a quegli Autori, i quali gli aſſeriſcono, che ſi può, quanto ne preſta l'ammalato al ſuo Medico nel caſo ſopra addotto &c.*

1083 Ad hæc autem nos dicimus, ſicut ſupra dictum eſt, nequaquam nos dixiſſe umquàm, ſequentes opinionem minùs probabilem operari cum conſcientiâ dubiâ, ſi formidinem opinionis practicè deponant ex quacumque causa; ſed ſemper dixiſſe, & dicere, eas temerè formidinem illam practicè deponere, ex quo fit, quod ſi errent in facto contra legem, eorum error ipſis imputabitur, & peccabunt, non contra conſcientiam, ſed contra legem; & quod conſcientia eos tunc non excuſat, quia aſſumunt ut certum id, quod ſibi non eſt prudenter ut certum aſſumendum; quia nullo prudenti motivo poſſunt pro certo aſſumere, quod ipſis ab ipſamet opinione probabili prudenter proponitur cum incertitudine, & formidine illiciti. Nec verum eſt, quod ſemper æquivocamus in eo, quod volumus ſumi ſemper regulam a iudiciis directis, & numquam a reflexis; imò numquam nobis contigit ſic æquivocare; quia optimè novimus doctrinam ſuam. Sed dicimus; quod ſicut ſumi non poteſt regula à iudiciis directis ob eorum formidinem ſibi intrinſecam, ſicut ipſe fatetur; ita neque à iudiciis reflexis, quia neque virtute illorum poteſt nobis ſupervenire aliqua certitudo nec phiſica, nec moralis, ſeu prudentialis, ut fuſiſſimè ſupra oſtendimus; quod certè non opus eſt iterum, & iterum ſemper repetere; ſed ad ſuperiùs dicta, & centies inculcata me remitto.

1084 Neque huic Authori ſuffragatur exemplum de Ægrotante, qui certus ſit moraliter ex reflexo iudicio, quo proprium directum dimittit; & quieſcit in conſilio medicinæ potiùs, quàm Medici, licet ſibi per Medicum participato; ſi tamen gratis detur, quod ex iudicio reflexo, & non potiùs ex alio iudicio proprio ſibi directo evadat moraliter certus, ut alibi diximus reſpondendo ad argumentum, quod in nos retorquebat Dominus Franciſcus de Perea, quaſi ſupponens, & nos quoque ad iudicium reflexum recurſum habere pro rigidiore ſententia ſuſtinenda, quod tamen eſt falſum. Sed quidquid ſit de hoc. Exemplum, inquam, de ægrotante non ſuffragatur ei, ob triplicem diſparitatem, quæ reperitur inter caſum ægrotantis in ordine ad præceptum Eccleſiæ, qui in iudicio Medici quieſcit, & inter caſum agentis aliquid quieſcendo in iudicio probabili de licito in ordine ad legem, de quo in præſenti procedit tota quæſtio noſtra. Et prima quidem diſparitas eſt, quia ibi ægrotans non verſatur in quæſtione iuris, ſed facti. Certum enim eſt de iure eccleſiaſtico, quod non obligat cum diſpendio propriæ ſalutis, & notabili nocumento ſanitatis corporalis. Undè ſi quæ ſuboritur ægrotanti dubitatio, tota eſt ex parte facti, an ſcilicet motus ille corporalis ægroti accedentis ad Eccleſiam, ut ſacrum audiat, ſit notabile nocumentum allaturus, vel non: de quo procul dubio non poteſt alio modo moraliter certificari, niſi ex conſilio, & iudicio Medici; neque poteſt aliam maiorem diligentiam adhibere, ut non erret in facto; ac propterea etiam ſi Medicus erret in iudicio ſuo, error ille erit error facti, tum reſpectu ægroti, tum etiam & reſpectu Medici, qui ſupponitur etiam ſecundùm prudentialem coniecturam artis iudicaſſe de periculo nocumenti, ad quod debet diligenter attendere; error autem facti præcedente debita diligentia

excu-

Digitized by Google

excuſat, ut toties diximus cum D. Thoma, ob rationes ſuis locis ſuperiùs aſsignatas ex diſcrimine, quod intercedit inter ignorantiam iuris, & facti. Undè Medicus propriè loquendo nihil judicat de iure illo eccleſiaſtico, neque enim eius munus eſt de illo iudicare, ſed ſupponit ſatis in Eccleſia iudicatum, & certum eſſe non obligare, ſuppoſito aliquo ſalutis nocumento, ex facto illo ſubſecuturo; iudicat igitur tantùm de futuro, vel facilè futuro nocumento ex tali facto contra ſalutem ægroti, ſeu de eius periculo, quo ſuppoſito certum eſt moraliter, ægrotum non teneri ad præceptum Eccleſiæ. Secunda diſparitas eſt, quia etiam ſi, ſtante dubietate facti, ſuboriatur quæſtio, & dubitatio iuris, an ſcilicet ſuppoſito quod nocumentum corporis ſit dubium etiam apud Medicum, & non moraliter certum, tunc ius eccleſiaſticum obliget, vel non: adhuc eſt diſparitas, quia in tali caſu quæſtio iuris non poſſet habere varias, & oppoſitas opiniones, quaſi unam ſtantem pro lege, & alteram pro commodo, & libertate, benè tamen utramque pro lege, quia una reſpiceret per neceſſe ad ius naturæ, & altera ad jus Eccleſiaſticum: nam qui judicat in tali caſu ægrotum teneri, reſpicit ad jus Eccleſiaſticum, & eius judicium ſtat pro lege Eccleſiæ: qui verò judicat non teneri, reſpicit ad jus naturæ de conſervanda ſalute, & eius judicium ſtat pro lege naturæ; Ly, non teneri, enim in tali caſu, non facit ſenſum, quod ſit licitum ægroto non audire miſſam, ſed quod non debeat audire miſſam, quia incurreret damnum propriæ ſalutis, vel ſaltem exponeretur periculo talis damni, quod jure naturæ prohibetur. Et in hoc ſenſu Medicus loquitur, cum dicit, ſuppoſitâ cognitione morbi, ægrotum non teneri; & non intendit dicere eſſe illi licitum, & liberum proſuo beneplacito audire, & non audire. Si enim ſic diceret, procul dubio peccaret non audiendo. Quando autem dubitatio eſt ex utraque parte pro lege, & una ſtat pro lege maiori, altera verò pro minori, certum eſt quod præferenda eſt maior lex, quia ſtantibus ſimul duobus præceptis incompoſſibilibus in aliquo caſu, minus præceptum ceſſat. Ac per conſequens cum ex judicio Medici contingat ægroto ſaltem dubitare de præcepto utriuſque juris, nativi ſcilicet, & Eccleſiaſtici, fiet ei certa electio juxta judicium Medici, quod ſtat pro lege naturæ, quæ prævalet juri Eccleſiaſtico. Tertia diſparitas eſt, quia ſuppoſito judicio Medici de periculo ſalutis, quod pertinet utique ad jus naturæ, fit conſequenter probabilius inſtare jus naturæ, quàm Eccleſiaſticum; ac proinde ægrotus ſequens judicium Medici, non ſequitur minùs probabile, ſed probabilius; in caſu autem de utraque parte ſtante pro lege, qui agit id quod eſt probabilius, prudentiſſimè agit, nec peccat, ut in ſuperioribus probavimus, quia relinquit Deum pro Deo, nec poteſt maiorem cautionem adhibere. At in caſu noſtræ controverſiæ de ſequela opinionis probabilis de licito, ſeu ſtantis pro commodo, & libertate, totum eſt ab oppoſito, quia non ſumus in quæſtione facti, ſed juris. Nec ſumus inter opiniones ex utraque parte pro lege, ſed inter unam pro lege, & alteram pro commodo, & libertate. Nec denique P. Segneri pugnat pro probabiliori, ſed pro minùs probabili. Ergo non ei ſuffragatur paritas ægrotantis.

1085 Reverâ tamen ægrotus non ex judicio reflexo ſit certus moraliter ſe non teneri in eo caſu ad audiendum ſacrum, ſed ex alio judicio directo ſubſequente ad reflexum; quatenùs ex hoc, quod videt probabile eſſe Medico fore ſibi cum periculo ſalutis corporalis de domo exire, & ad Eccleſiam pergere pro ſacro audiendo, format ſibi hoc judicium directum certum, videlicet Eccleſiam tunc ipſum non obligare ad ſacrum audiendum, quia Eccleſia præceptis ſuis non vult obligare cum tanto incommodo, ut quis ſe exponat periculo gravis damni, quod utique certiſsimum eſt. Et tale judicium directum eſt, non reflexum, licet ſubſequatur ad reflexum, quo judicavit tale periculum, dum à Medico affirmatum fuit, eſſe probabile. Cæterum judicium reflexum numquam poteſt reddere certum, quod eſt purè probabile, & incertum; alioquin in caſu noſtro ægrotus fieret certus de ſuo periculo, quod probabiliter Medicus judicavit, ex hoc ipſo, quod reflecteret eſſe Medico probabile, & ſic ipſe perfectiùs cognoſceret ſuum periculum, quam Medicus, quia Medicus agnoſceret illud purè probabiliter, & ſine certitudine; ipſe verò cum certitudine, quod eſt ridiculum. Sed ſatis de hoc alibi diximus, ibi videatur.

§. VII.

Refertur, & refellitur quod idem Author habet in ſexta parte.

1086 IN hac parte *num.* 37. conqueritur quaſi de alia calumnia ab Adverſariis illatâ, quod dicant, homines ex induſtriâ quærere minùs probabilia, ut ea ſequantur, quod falsò eis imputari aſſerit, dicens: *E quindi paſſo a ſcoprir la terza calunnia prole della ſeconda, e tale ſiè, che ſeguire l'opinione manco probabile ſia l'iſteſſo, che andarne in traccia. Giudizio peſſimo! chi ſegue l'opinione manco probabile al paragone, non però la ſegue, perche ella è meno probabile, la ſegue perche è probabile, cioè perchè è ben fondata. Queſto è ciò, che cercavaſi anticamente, quando non era ancor nata la controverſia tra il più probabile, e'l meno, che fù figliola del ſecolo precedente. E queſto è ciò che trovato di verità da titolo ſufficiente alla buona fede ne' caſi incerti: la probabilità chiara, chiara.*

1087 Ad hoc autem, cum pace tanti viri, dico, quod minùs rectè calumniam appellat, ſi quod dicimus velit benè intelligere, ut debet;

non

non enim dicimus nos, quod qui opiniones minùs probabiles ſequitur, eas ex induſtria affectat perquirere, & poſt illas abit, eo quod minùs probabiles ſunt, quaſi eas ſequi velit, quia formaliter minùs probabiles ſunt, imò fortè vellet eſſe ſibi probabiliores, ut hilariori corde poſſet illas amplecti: ſed dicimus quod poſt illas abit, quæ ut plurimùm minùs probabiles ſunt. Et ratio huius eſt, quia ut plurimum proprio commodo, & propriæ libertati conſulit in agendis ſuis, atque ideò ne in his, quæ vult agere, reſtringatur, affectat invenire ſe ſolutum ab omni lege, quæ poſſet ipſum impedire; & quod vult agere, optat eſſe ſibi licitum, & non eſſe contra legem; ex quo fit quod ſemper in omnibus ferè negotiis ſuis ex induſtriâ licitum quærit. Quæ verò huiuſmodi ſunt, ſæpè ſæpiùs minùs probabilia ſunt. Hæc autem calumnia non eſt, ſed veritas manifeſta; quia ſi in agendis ſuis non eſſet hac ſua affectione, & voluntate, vel velleitate præventus; ſed potiùs aliâ ſinceriore, ſeu ſimpliciore inclinatione, volendi ſcilicet in genere moris ſolidè ædificare, & componere actus ſuos, procul dubio illos eligeret, quos videret poſſe ſolidiùs ſubſiſtere; qui enim purè, & ſimplici corde ſoliditatem ſui ædificii quærit, fundamentum ponit, quod ſibi magis ſolidum videtur, niſi ab aliquo prohibente impediatur, ut de ſe patet; ac per conſequens iſte talis potius probabiliora eligeret, quàm minùs probabilia. Si ergo minùs probabilia ſequitur, relictis probabilioribus, & ſolidioribus, & totum hoc voluntariè facit, oportet quod in eius voluntate ſit aliquod prohibens, quod certè nequit aliud eſſe, niſi propria libertas, & commodum, propter quod potiùs minùs probabilia eligit, & minùs ſolida. Undè licet in iſtis aliquam ſoliditatem velit, non proindè tollitur, quin magis amet proprium commodum, quam agendorum ſoliditatem, quia hanc propter ſuum commodum quærit, & Philoſohus dicit, *quod propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Unde non tam opinionem minùs probabilem ſequitur, ut dicit Author iſte: *perche è ben fondata*; quam quia videt illã favere proprio commodo; & ideò tali eius ſoliditate contentus eſt, quam videt omninò neceſſariò exigi, ut à proprio commodo non impediatur; adeò ut potiùs ut in anguſtiâ conſtitutus ſoliditatem illam quærat, non valẽs aliud agere, quam diligat. Et totum hoc veriſſimum eſt, non peſſimum indicium, ut videtur P. Segneri eructare. Utinam verum non eſſet, & ſolus deciperer. Perſcrutentur benè huiuſmodi homines corda ſua, & intelligent, quod veritatem dico. Quod ſi hoc verum eſt, dicat nunc P. Segneri: Eſtne hoc quod antiquitùs querebatur, quando nondùm controverſia orta erat inter probabilius, & minùs probabile, quæ fuit ſæculo ſuperiore nata? Recolat Patres & primitivæ Eccleſiæ viros, & videbit profectò, quod non. Neque hoc unquàm poterit, ut ipſe credit, in bona fide homines conſtituere in rebus incertis; quia ſic non prudenter agunt, niſi prudentia carnis; ut optimè ante me alii dixerunt.

1088 Sed P. Segneri contra iſtos malè invehitur, quaſi blaſphamaſſent. Unde *ibidem verſùs finem* referens eos ſic reſpondentes ad prudentiam huiuſmodi hominum ab ipſo commendatam, plus iuſto incaleſcens graviter ſerit his verbis: *Perche io gli replicherò, che una riſposta sì cruda è la riſposta appunto, che danno gli Eretici d'oggi dì, i quali vogliono ſempre che il Popolo Chriſtiano, non ſolo ſia conſigliato a ſeguitar la più tuta, ma ſia coſtretto. Sanno eſſi bene ciò, che alla fine riporteranno da un Popolo fatto dare in diſperatione. Ma che far noi caſo di queſti? Vadaſi pure nel ſeguito degli Autori co i riſerbi cautiſſimi da noi detti, e poi ſi laſcino abbaiare gli Eretici a piacer loro. Abbaieranno non più che i cani all'aria*. Vide lector ſi verba hæc deceant virum alias Religioſum, & Apoſtolicum. Quid Catholicis Doctoribus cum Hæreticis? Numquid hæreticum eſt, quod docemus? An hæreticus erit D. Thomas, qui operantem iuxta opinionem probabilem in ſe tamen falſam, & contra legem, non excuſat? Et quando D. Thomas, aut nos docuimus oportere homines nedùm ex conſilio, ſed ex neceſſitate ſalutis ſemper teneri ad tutiorem, ideſt ſtantem pro lege? Numquid D. Thomas, aut nos diximus aliquando, ſemper peccare, qui opinionem de licito amplectitur, & juxta illam agit? D. Thomas apertiſſimè dixit, & nos cum ipſo, quod qui huiuſmodi opinionem ſequitur, ſi in ſe vera ſit, non peccat; niſi fortè contra conſcientiam agat; & tamen non ſequitur oppoſitam tutiorem. Ergo non intendit, nec nos intendimus teneri ſemper ad tutiorem; ſed id conſulimus, ſi velit omninò ſubiectivè certus fieri & evidenter ſcire de conſcientiâ ſuâ. Subiungit tamen D. Thomas, & nos cum illo, quod ſi falſa ſit in ſe opinio, quam ſequitur, non excuſatur: ſed quare? Quia contra legem agit, non quia non fuit tutiorem ſecutus. Non ergo onus imponimus ad tutiorem ſequendam, ſed onus propriũ legis tunc exponimus, quod virtute opinionis probabilis tolli non poteſt. At in hoc nulla eſt à nobis deſperandi occaſio data, quia in causâ eſt ſola lex, non noſtra ſententia tutior; niſi enim lex hunc talem cogeret, noſtra tutior opinio omninò vana evaderet. Si quæ ergo occaſio eſt, à Populis eſt accepta, qui nollent jugo veræ legis ſe ſubmittere, prætextu incertitudinis, & ignorantiæ ſuæ. In quo ergo Populus deſperabit? Niſi quia vult per opinionem probabilem licentiari à verâ lege? Numquid ideò, ut non accipiant impii occaſionem hanc, benè laxat habenas P. Segneri *Vadaſi pure nel ſeguito de gli Autori co i riſerbi cautiſſimi da noi detti, e poi ſi laſcino abbaiare gli Eretici a piacer loro*? Et quænam ſunt ſuæ iſtæ reſervationes cautiſſimæ, quas non poſuit D. Thomas? Et

quinam Hæretici iſti, quorum latratus conſulit contemnendos? Et de quibus ſubdit: *Abbaieranno non più che i cani all'aria?* Latravit certè adverſus probabilitatem Auguſtinus, & alii Sancti Patres, ut vidimus, latravit D. Thomas, latramus, & nos fidi illorum Diſcipuli, & canes ſumus, quos poſuit Dominus ad ſuæ divinæ legis cuſtodiam. Et ſi in hoc hæretici ſumus, parati ſumus corrigi, non a P. Segneri, ſed ab Eccleſia, à qua numquam intendimus recedere.

§. VIII.

Refertur quod habet Author iſte in ſeptima parte ſuæ epiſtolæ, & ſatisfit petitionibus eius.

1089 IN ſeptima parte aliam, quaſi calumniam adverſus ſententiam ſuam a nobis illatam, promit; eo quod dicamus, quod qui in praxi ſe refert ad opiniones probabiles huiuſmodi Authorum, qui hinc indè dividuntur, & inter ſe opponuntur, non adhibet debitam diligentiam ad inquirendum, quis eorum verum dicat, atque ideò reus evadit, ſi indè contingat falli contra legem, utpotè qui errat ex ignorantia ſibi utique vincibili. In quo dicto de exorbitante calumniâ nos accuſat, & contra nos ſic probat: *Perche* (inquit) *io domando, quale ignoranza è mai quella, che l'operante neceſſariamente hà da vincere in un tal caſo, affine di non fallare? Quella di non ſapere, se gli Autori, che ſegue, han detto il vero; o quella di non ſapere, se a lui non per tanto ſia lecito di ſeguirli. Se la prima, come hà da fare il meschino, per quãto ſtanchiſi a vincere un'gnorãza la quale appena è vincibile da veruno in quei caſi ſteſſi, che dovrebbeno eſſere i più patẽti? Ne hò detto alcuno in diferẽte propoſito. Ecconequì toſto un altro. Il Laimano ſoſtiene che qualunque Eccleſiaſtico ſia tenuto ſeveriſſimamente alla reſtituzion di quei beni ſuperiori alla congrua, ch'egli laſciò di spendere in uſi pii. Il Leſſio dall'incontro ſoſtiene, che non ſia tenuto, benche peccaſſe gravemente nell'atto di non gli ſpendere, come quegli andavano ſpeſi. Neſſuno di loro due porta l'opinion propria per tanto certa, che danni d'improbabile la contraria, mentre à favor della prima ſi ſtà il Navarro con una falta squadra di Canoniſti da lui citati: a favore della seconda ſi ſtà Adriano col Sarmiento, col Soto, col Covarruvia, che ſtimano d'hàlla loro haver S. Tomaſo; tutto che il Navarro pretendalo dalla ſua. Ora chi sarà tra gli Eccleſiaſtici ancora così eruditi del noſtro ſecolo, che col ſuo ſpirito arrivi ben toſto a vincere un'ignoranza non finita di vincere fino ad hora da primi Autori, che compariſſero al Mondo? Neſſuno al certo. come dunque a volerlo obligare a vincerla, per dotto che egli ſia? E' queſta una tirannide di precetto: Ignorantia ſemper excuſat à peccato, dice S. Thomaſo, niſi ipſa ignorantia ſit peccatum. Eſt autem ignorantia peccatum, quando ignorat quis quæ poteſt ſcire, & tenetur: Ma è forſe tale queſta prima igoranza, di cui parliamo? che ſe egli non hà da vincere queſta prima, quale dunque hà da vincere? la ſeconda? cioè quella di non ſapere, ſe a lui ſia lecito di riportarſi in un caſo tale a quale più gli piaccia di tali Autori fra ſe contrarii? Ma tale ignoranza non hà egli, come dotto, da vincere punto, punto, perche non l'hà. Sà di certiſſimo, che benche meglio farebbe a ſeguire i primi, come quelli, che tengono la più tuta; può tuttavia ſeguire con ſicurezza ancora i ſecondi, che non la tengono, perche i ſecondi ancora ſono degniſſimi, quanto i primi di piena fede. E queſti gli atteſtano, che le raggioni oppoſte non ſono tali da abbattere le bilance, ma ſolo di tenerle fra ſe librate, e con picciola ineguaglianza. Ecco per tanto, che l'ignoranza vincibile non hà luogo nel caſo noſtro, &c.* Ita diſcurrit contra nos Pater Segneri.

1090 His tamen nihil obſtantibus veriſſimum ſemper eſt, quod nos dicebamus, nempè, quod qui uni ex Authoribus inter ſe oppoſitis adhæret, & juxta eius opinionem probabilem agit, ponendo in illa totam ſecuritatem ſuam, non adhibet debitam diligentiam, ad quam tenetur; ac propterea ſi indè contingat falli, & contra legem agere, reus legis evadit, eo quod tunc eius error ex ignorantia vincibili ipſi contingit. Et cum de hac ignorantiâ, quæ ab huiuſmodi agente vinci poteſt, & debet, nos interrogat P. Segneri, quænam ſit ex duabus illis, quas ipſe proponit: reſpondeo & unam, & alteram eſſe utramque vincendam, ſi tamen duæ illæ verè duæ ſint, & non potiùs una, quæ eadem eſt, ac pura, & ſimplex ignorantia legis; qui enim dubitat de lege, & ignorat ſi in ſe re verâ ſit, vel non; tenetur, antequam agat, de illa certificari, & vincere ignorantiam ſuam omni meliori modo, quo poteſt: unde ſi alii ei dicant probabiliter legem non eſſe, ſed non certò; tenetur adhuc de his videre, an verum dicant; ſed hoc ipſum idem eſt, ac dicere, quod tenetur adhuc videre de lege, ſi in ſe ſit: & quod ſimiliter tenetur videre, ſi poſſit tutò ſequi opinionem illorum. Et cum replicat de primâ, dicens: *Se la prima; come hà da fare il meſchino per quanto ſtanchiſi a vincere una ignoranza, la quale appena è vincibile da veruno &c.?* Reſpondeo quod tanta eius compaſsio oritur in ipſo, quia ſupponit non poſſe huiuſmodi ignorantiam alio modo vinci, niſi ſolâ ſcientia, quam videt uſque adhuc neque à ſupremis Authoribus potuiſſe haberi. Sed hoc falliſſimum eſt, ut diffuſè alibi ſupra demonſtravi; quia ſupereſt quoque alius modus vincendi ignorantiam legis, ubi ſcientia haberi non poteſt, & lex ex alia parte obligat ad vincendum. Et modus quidem ille eſt, quem toties diximus, & ab ipſis etiam Probabiliſtis communiter admittitur in aliis caſibus, nempè (ut ipſi dicunt) veræ dubietatis practicæ, ſeu conſcientiæ dubiæ; tunc enim, de-

ficiente

Google

ſciente ſcientiâ, & inſtante, ac remordente conſcientia, communis Theologorum omnium doctrina eſt, vinci debere ignorantiam per electionem tutioris partis, iuxta regulam illam iuris: *In dubiis tutior via eſt eligenda*. Erit ergo ſimiliter in promptu huic tali idem modus in tali caſu, ſicut in caſu, dubitantis, & non habentis pro ſe Doctorem ullum. Quod autem in contrarietate opinionum lex ex parte ſuà obliget homines ad vincendam eius ignorantiam, conſtat, quia tunc ex ſe obiicitur ut prudenter hinc inde dubitabilis, ac per conſequens hoc ipſo conſtituit homines in debito prudenter dubitandi de ipſa, ita quod ſi omnem formidinem, & dubietatem repellant, & nihil dubitent, imprudenter agant contra tale debitum, in quo a vera lege ſupponuntur conſtituti, quando re vera in ſeipſa lex ſupponitur eſſe, ſicut de facto eſſe ſupponitur in caſu ignorantiæ eius; niſi enim lex in ſeipſa vere ſit, & eſſe ſupponatur, non poteſt dari, nec intelligi ignorantia eius, quia eſſet de ſubiecto non ſupponente; quando ergo in ſe eſt, & nihilominùs controvertitur apud Doctores, ſi ſit, vel non ſit, ac proinde obiicitur ut prudenter dubitabilis, tunc & vera ignorantia eſt in opinione negante eam eſſe, & vera obligatio eam vincendi ſaltem practicè, ideſt per electionem tutioris partis eſt in eo, qui voluerit iuxta illam agere, orta in ipſo ex debito illo, in quo conſtitutus ſupponitur ab ipſa lege, quæ de ſe, & in ſe tunc ipſi obiicitur, ut prudenter ſaltem dubitabilis.

1091 Neque hinc credat P. Segneri inferri, quod nos velimus ſemper obligare ad eligendam tutiorem partem in omnibus, ubi eſt varietas opinionum, quia non ſemper, ubi eſt opinionum varietas, reſultat ex verà lege tale debitum in agente prudenter dubitandi, quia multoties lex re verà non eſt; lex verò, quæ non eſt, nullum poteſt debitum transferre in nos; ſed ſi quod tale debitum tunc agenti ſuboritur, totum ex ipſomet agente eſt, qui ex contrarietate opinionum ſinit ad hoc ſuaderi, quod teneatur ſaltem de lege dubitare. Ex quo fit quod ſi tunc ad hoc ſuaderi non ſinit, & deponit omnem formidinem practicam, ſequendo opinionem probabilem ſtantem pro commodo, & libertate ſuâ, non peccat; quia neque contra legem agit, cum hæc re vera non ſit, nec poſsit in ipſum debitum aliquod transferre, hoc ipſo, quod non eſt: neque contra conſcientiam, aut aliquod debitum intra ſe a ſemetipſo aliquo modo contractum, quia non ſinit ad hoc trahi. Si verò trahi ad hoc ſinit, tunc peccat, non quidem contra legem, quæ non eſt, ſed contra cõſcientiam, ex debito illo, quod a ſemetipſo in ſe contraxit. At quando lex re verâ eſt, & de eâ ſunt contrariæ opiniones, tunc ex ipſa lege obiectivè controvertibili, & controverſa de facto a doctoribus, transfertur in nos ſaltem debitum illud prudenter de eâ dubitandi, & ne in opinione probabili, quam ſequimur, ſerte contra eam agamus ex errore & ignorantiâ noſtrâ, quam proinde tenemur vincere, ſi non per ſcientiam, ſaltem practicè, & per electionem tutioris partis, alioquin contra debitum nobis ab ipſa lege impoſitum agimus, & ideò peccamus.

1092 Quod autem tunc lex re verà tale debitum transferat in nos, probatur, quia, ut ſupra vidimus, ex varietate opinionum licet lex obſcuretur, non proinde extinguitur, ita ut vim ſuam, & virtutem obligandi in ſe amittat, quaſi inde evadat non ſatis promulgata, ut credidit P. Segneri, quem ſupra impugnavimus; ſi ergo manet in ratione legis, & cum facultate obligandi, procul dubio debitum aliquod trāferet in nos, ut eam vel certiùs agnoſcendo ſervemus, vel dubitando periculum caveamus; alioquin error ſubſequens nobis imputabitur utpote contra legem, quæ verè nos obligat, & voluntarius. Et ideò diximus quod ſi opinio, quam quis ſequitur, in ſe falſa eſt, non excuſat à peccato, quia error, & ignorantia in ea contenta; voluntaria ipſi evadit, & peccatum, non ex eo, quod poſſit illam vincere per ſcientiam, & ſcire certò, & evidenter legem eſſe ſtante contrarietate opinionum; ſed quia poteſt, & debet tunc prudenter dubitare, & dubitando ſcire eſſe periculum ibi vitandum, ſi nolit in praxi errorem, & ignorantiam illam contra legem incurrere, alioquin convincitur hoc ſaltem virtualiter velle. Ex quo patet perperam hic Patrem Segneri allegare D. Thomam pro ſe, ubi dicit: *Ignorantia ſemper excuſat à peccato, niſi ipſa ignorantia ſit peccatum. Eſt autem ignorantia peccatum, quando ignorat quis, quæ poteſt ſcire, & tenetur*, & poſtea ſubiungit: *Ma è forſe tale queſta prima ignoranza di cui parliamo?* Quia nos eam peccatum eſſe dicimus, ut explicatum eſt. Econtra verò ſi opinio, quam quis ſequitur, eſt in ſe vera, tunc nullum in eo debitum eſt a lege in ipſum translatum prudenter dubitandi, neque tunc contingit error, aut ignorantia practica ipſius legis, neque vincibilis, neque invincibilis, quia iuxta veritatem legis opinatur, & agit, unde niſi aliquod debitum ſibi indicat ex parte conſcientiæ, nullo modo peccat, nec contra legem, nec contra conſcientiam. Non ergo ex noſtra ſententia ſequitur, quod velimus ſemper obligare ad eligendam partem tutiorem; ſed ſolùm quando lex re vera ad partem illam cogit; vel propria conſcientia, & ſic pleniſsimè nos ſatisfeciſse credimus interrogationi factæ de prima ignorantia.

1093 Ad aliam verò de ſecundâ, quam P. Segneri negat eum habere, qui opinionem probabilem ſequitur, utpotè qui doctus eſt in hoc, & certiſſimè ſcit, quod licet perfectius ſit ſequi illos, qui ſuſtinent tutiorem; nihilominùs poteſt ſecundos etiam ſequi cum ſecuritate, eo quod illi ſunt quoque plena fide digniſſimi, ſicut primi. Reſpondeo ipſum in hoc ipſo decipi, quod ſupponit, illum eiuſmodi ignorantiam

non

non habere, doctumque eſſe, & ſcire certò, poſſe illos ſequi, & juxta eorum opinionem tutò agere. Imò in hoc petit principium, quia hoc eſt, quod modò controvertimus; an licitum ſit ſequi, & agere ſecundum opinionem probabilem Doctorum, etiam ſi in ſe opinio falſa ſit, & contra legem veram: Et nos cum multis partem negativam defendimus. Ex quo ergo capite P. Segneri doctrinã hanc, & ſcientiam in illo ſupponit? Erat ei hoc ipſum probandum potiùs, non ſupponendum; cùm hoc ipſum ſit, de quo in præſenti diſputamus. Quod ſi fortè credat ſatis ab ipſo probari, dum ait: *Perche i ſecondi ancora ſono degniſſimi, quanto i primi, di piena fede*: decipitur. Quid enim refert, ſi ſint cum primis æquè plenâ fide digniſſimi? Hanc eis deberi non inficior, imò ingenuè fateor pro dignitate ſuâ meritò adhibendam; ſed oportet ſemper mente attendere quale ipſimet nobis exhibeant teſtimonium ſuum; totum enim, quantum eſt, opinativum eſt, incertum, & formidoloſum, atque ab ipſiſmet hinc indè controverſum. Nam ſive ſecundi directè affirment aliquid licere, & hoc ipſum reflexè fieri ſibi certò moraliter licitum, atque indè ſcire, poſſe quemlibet ipſos ſequi; ſive primi hoc totum negent; utrumque eorum teſtimonium opinativum eſt & incertum; non certum, & ſcitum; neque ipſi, dum fortè ſcitum ex vi judicii reflexi appellant, poſſunt ut verè ſibi ſcitum nobis tradere, ſed ut opinatum: alioquin eſſet admittere duo teſtimonia contradictoria ſimul & æquè ex utraque parte vera; quò certè nihil abſurdius admitti poteſt. Unde ergo poterit, quis ſecundos ſequitur dici doctus, & ſciens, ex eo, quod ſecundi ſunt æquè plenâ fide digniſſimi, ſicut primi? Imò in hoc ipſo primis præjudicaret, utpote quibus æquè plena fide digniſſimis nullã prorsùs fidem adhiberet. Et tamen primi contra ſecundos, & ſecundi contra primos æquè teſtantur, *che le raggioni oppoſte*, ut loquitur P. Segneri, *non ſono tali da abbattere le bilance, ma ſolo di tenerle frà ſe librate con piccola ineguaglianza*. Non ergo poteſt quis indè certus fieri, & ſciens, ſed ad ſummum unam, vel alteram partem opinari, ſemper tamen cum prudenti formidine partis oppoſitæ de licito, vel illicito, ita ut ſi de facto erret, & incidat in illicitum, excuſari non poſſit, quia periculum, quod prudenter prævidet contra legem, vel debet prudenter prævidere, ſtante valido, & æquè plena fide digniſſimo altero teſtimonio oppoſito, contemnit voluntariè, & non vitat. Poterit ergo ſpeculativè quam partem voluerit opinari, quæ ſibi fortè veriſimilior videtur, at ſemper cum formidine; ſed practicè periculo imminenti contra legem ſe committere non debet, alioquin ſi in illud incidat, non excuſabitur. Canus verò, quem P. Segneri pro ſe citat *lib. 8. de loc. theol. cap. 4. conc.* 1. primum admittit, non ſecundum, quia de libertate opinandi in ſpeculativis ibi loquitur, ut videre eſt apud ipſum, & non de libertate agendi juxta opinionem probabilem, & minùs probabilem.

§. IX.

Referuntur; & impugnantur, quæ idem Author habet in octava parte ſuæ epiſtolæ.

1094 IN hac parte de alterâ, quaſi à nobis, fictâ calumniâ conqueritur, quod ſcilicet velimus Probabiliſtis imputare, ex hoc quod dicunt licere ſequi opinionem minùs probabilem, docere etiam id omnibus licere, nemine excepto; cùm tamen ipſi multos ab hujuſmodi libertate excipiant, puta Judicem in ferenda ſententiâ: Principem in bello faciendo, vel imponendis gabellis, & ſimilibus: Epiſcopum in diſtribuendis beneficiis curatis: Medicum in curis infirmorum: & alios, quibus obſtat aliqua lex certa, pactum, vel conventio de ſequenda parte probabiliore. Sed hæc Calumnia omninò ficta eſt; nam licet non defuerint aliqui Probabiliſtæ, qui ſequelam opinionis minùs probabilis ampliſſimè omnibus conceſſerint, & nemine excepto; nihilominùs quia major pars eorum ſimiles perſonas ſupra nominatas excipiunt, nos eis oppoſitum non imputamus. Benè tamen contra ipſos, ad hominem retorquemus argumentum, & dicimus non minus periculi eſſe in omnibus aliis, quibus ipſi minùs probabilem concedunt, quia ſemper imminet animæ periculum, & obſtat in contrarium divina lex, ubi non ſolùm in minùs probabili, ſed etiam in opinione probabiliore intervenit error, & ignorantia legis, cujuſmodi ſe habent opiniones probabiles in ſe falſæ. Et ideò nos tunc ſolùm dicimus ſequentes probabilitatem peccare, quia tunc re verâ contra veram legem agunt, cujus indemnitati tenentur conſulere, & providere. Nec refert quod non ſit eis certum, & clarum, quod divina lex in ſe tunc ipſis obſtet; quia adhuc neque præfatis perſonis, quas ipſi excipiunt, clarum, & certum eſt, quod contra legem juſtitiæ alicujus tertii agat, vel pactum ejus, aut conventionem ſive privatam, ſive publicam Reipublicæ; ut ipſi dicunt; conventiones enim illæ, & pacta, non ex certitudine damni præhabita procedunt, ſed præſumuntur facta ad cautelam periculi etiam incerti, & non aliter.

1095 Et ſi ad hoc replicent, quod in perſonis ſupra exceptis lex juſtitiæ, vel conventio, aut pactum ſunt certa, & expreſſa, licet periculum ſit incertum: at in aliis non ſic. Similiter dicam ego eſſe in omnibus legem quamdam certam, & claram in oppoſitum, & generalem pro ſingulis agibilibus dubiis, incertis, & periculoſis, contentam in jure Naturæ, Divino, & Canonico, ut alibi diximus, quia jus naturæ ſeu ratio naturalis dictat vitandum eſſe periculum ubicumqua fuerit. Et in Scriptura dicitur

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiaſt. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, omnem actum conſilium ſtabile.* Opinio autem probabilis in ſe falſa non eſt verbum verax, neque eius conſilium eſt ſtabile, dum labitur contra legem in errorem. Et in Proverb: dicitur: *Qui amat periculum peribit in illo.* Et in jure Canonico habetur regula illa: *In dubiis tutior via eſt eligenda.* De quâ fusè diximus in prima parte huius operis. Certum eſt autem quod dum in opinionibus probabilibus verſamur, & maximè minùs probabilibus, in dubiis, & formidinibus periculi de illicito ſumus, nec refert ſi ab agente omne dubium practicè deponatur, quia cum verſetur in rebus per ſe, & eſſentialiter, obiectivè prudenter dubitabilibus, inſtat ei debitum prudenter dubitandi, ex quo poſtea incurſio periculi evadit ei voluntaria, & imputabilis; quia quantumcumque ipſe formaliter non dubitet, eſt tamen re vera in rebus per ſe, & obiectivè eſſentialiter dubiis, hoc ipſo quod hinc indè variè prudenter judicantur apud ipſos Doctores.

1096 Nec valet, quod hic dicit P. Segneri, quod ubi lex eſt obſcura prævalere debet interpretatio benignior. Pro quo citat textum juris: *Ubicumque æquitas ſuadet, ſubveniendum eſt, nam æquitas præfertur rigori.* Et iterum alium textum Juriſconſulti ibi: *Nulla iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro hominum utilitate introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum perducamus ad ſeveritatem.* Et ſubdit Textum hunc commendari à D. Thoma 1.2.*q.* 96. *a.* 6. non, inquam, valet, quia Textus iſti intelligi debent, ſicut explicavit eos idem D. Thomas ibidem: D. Thomas autem ibi docet, quod in legibus non eſt tàm attendendus rigor verborum, quam intentio legiſlatoris, ſeu æquitas ipſius legis à legiſlatore intenta ad communem hominum ſalutem; quia ſi attenderentur verba nuda, & cruda, & juxta rigorem purè literalem, poſſet contingere caſus, quod deſtrueretur æquitas legis intenta à legiſlatore, & ſic obſervantia legis eſſet damnoſa, & quæ erat pro commodo, ideſt pro utilitate hominum inſtituta, evaderet contra ipſorum commodum, ideſt contra ipſorum utilitatem intentam a lege, & fieret damnoſa. Unde non loquitur D. Thomas de commodo libertatis, de quo loquuntur Probabiliſtæ, neque de æquitate aut benignitate favente libertati, ſed favente ipſimet legi, quæ deſtrueretur per rigorem crudum verborum; & ad hoc inducit textum illum Juriſconſulti D. Thomas. Et exemplificat de lege pro Civitate obſeſſa, qua ſtatuitur quod portæ Civitatis maneant clauſæ, quod utique regulariter commodum eſt, & utile Civitati, ne intrent hoſtes. Si tamen contingat caſus quod hoſtes inſequantur aliquos Cives, per quos Civitas conſervatur, damnoſiſſimum eſset Civitati niſi eis portæ aperirentur, & ideo in tali caſu eſſent portæ aperiendæ contra verba legis, ut ſervaretur utilitas communis intenta à legiſlatore, & non eſſet ſtandum rigori verborum. Et hoc intendit dicere juriſconſultus, dum ait, quod nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, &c. Et hæc eſt vera epikeia, & æquitas attendenda in legibus, non illa, quam dicunt Probabiliſtæ, quæ attendit commodo libertatis côtra legem. Videatur D. Thomas *loc. cit.* & apparebit manifeſtè nec Juriſconſultum, nec D. Thomam poſſe allegari ad propoſitum Probabiliſtarum pro ſua ſententia benignâ pro quâ tàm vanè deſudant.

§. X.

Altera præfati Authoris querimonia, quæ in nona parte ab eo fit adverſus nos, refertur: & congrua ei reſponſio ingenuè exhibetur.

1097 IN nona hac parte ſuæ Epiſtolæ novam aliam præcedentibus querelam adiungit, de ſextâ, ut dicit ipſe, à nobis illatâ calumniâ, quod nimirùm dicamus ſententiam benignam de minùs probabili aliquantulum quaſi videri ab Innocentio XI. in tertia illa propoſitione, *Generatim, &c.* quæ quidem calumnia (ſubdit) non habet unde poſſit ſuſtineri. Verba eius ſunt *num.* 47. *Quindi ſi ſcorge più la ſeſta calunnia, che non ha come ſoſtenerſi; ed è che la ſentenza benigna, la quale ammette che ſi poſſa aderire alla probabilità conoſciuta ancora minore, riceveſſe dal Papa Innocenzo XI. una ſcoſſa orrenda nella condennazione della terza propoſizione fra le 65. da lui proſcritte. Che ſcoſſa orrenda! Neppure ſi tocca un pelo. La propoſitione condannata fù queſta: generatim dum probabilitate ſive intrinſeca. ſive extrinſeca, quantumvis tenui modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. Ora come mai sù la condãnazione di queſta propoſitione ſi può ſenza calunnia maniſeſtiſſima dire alla gente ſemplice, che la ſentenza benigna vi reſtò leſa?* Ita hic P. Segneri; & ut hoc probet, primò citat multos Doctores, eos coacervando uſque ad numerum 54; & iis purè nominatis, ponit ad nomen eorum omnium ſententiam benignam de minùs probabili, quaſi ab omnibus iſtis ſub una eademque omninò propoſitione expreſsam, ut ſic appareat eorum ſentẽtiam diſtare multũ à prædictâ propoſitione damnatâ. Atque ideò poſt tot Doctorũ numerum recitatũ, proſequitur ſic: *la propoſitione di quei tanti ſi è: che in conflictu opinionũ liceat nonnumquam adhærere minùs probabili faventi libertati, relicta probabiliore favente præcepto.* Et poſitâ hac propoſitione quaſi nomine tot Doctorum, omniumque & aliorum Probabiliſtarum, benignam ipſorum ſententiã præſeferente, ſic reaſſumit; *Ora che hà da fare queſta loro propoſizione, che è la coſtitutrice della*

 la

la ſentenza benigna con la dannata? La dannata ammette ogni probabiltà, benchè tenue; la commune eſclude la tenue, e ſolo ammette la minore al confronto, che conſiderata da ſe, talor anche è maſſima. Secundò probat quia in propoſitione damnatâ apponuntur duo illi termini, *Generatim, & ſemper*, qui, ut ipſe loquitur, *ſon quaſi due poli, sù cui ſi regge la neceſſità di una tale condannazione*. Quia propter exceptiones illas, quas poſuit ſupra, nec generatim, nec ſemper verum eſſe dicit, licere minùs probabilem ſequi; ac per conſequens nullo modo ſententia benigna ipſius, & ſuorum Comprobabiliſtarum quatitur ab Innocentio. Et ad hæc addit, quod probabilitas tenuis potiùs improbabilitas eſt, undè propoſitio damnata de tenui probabilitate in ſua aſſertione ſemetipſam deſtruit, cum nulla probabilitas operationi congrua, de quâ hic agimus, poſſit ſimul eſſe talis, & eſſe tenuis. Et ideò damnatur, non ſic autem eſt de minùs probabili ſententiæ ſuæ benignæ. Ergo dicere quod hæc ab Innocentio aliquantulùm quati videatur, pura noſtra calumnia eſt.

1098 Verùm P. Segneri fruſtra tot verba facit, ut cenſuram Innocentii omninò effugiat, nam ſi quod ipſe cum ſuis docet, benè, & penetrantiùs expendatur, protinùs apparebit, ſi eius ſententiam tacitè ſaltem quodammodo percutiat Innocentius, vel ne in uno quidem pilo eam tangat, an potiùs lethaliter feriat in capite. Expendamus itaque quod ipſe docet, expendamus & quod communiter tot Doctores ab ipſo nominati: ſed ſi verè illi id ipſum tenent communiter cum eo, ut ipſemet teſtatur, ſatis erit ſi ipſe ſolus loquatur pro omnibus, & unam omninò & ſuam, & illorum doctrinam aperiat, ut ex ore proprio ſuſcipiamus eam, & talem, qualem ipſi intùs habent in mente ſuâ, ſine ullo extrinſeco verborum apparatu, & tunc nudè in ſeipſa eam inſpiciendo, & in ſua vera intelligentia contemplando, videamus ſi aliquo modo in illa propoſitione ab Innocentio damnatâ feriatur.

1099 Jam verò uſque modò loquentem ex ore proprio Authorem iſtum audivimus. Recolamus eius dicta. Dixit P. Segneri ab initio Epiſtolæ ſuæ relegandas utique eſſe ſententias laxas, non autem probabiles: & importunum eſſe remedium, imò damnoſum, ſi ad illas relegandas, relegentur & iſtæ. Quia illæ numquam ſunt probabiles, ſed ſemper improbabiles. Et econtra iſtæ numquam ſunt laxæ, ſed ſenſu honeſto plenæ. Undè non aliud remedium eſt applicandum conſcientiis hominum, niſi ut diſcernant probabiles ab improbabilibus, ut vidimus ſupra, & audivimus ex ore ipſius. Dixit quoque in principio *num.* 7. quod ſi quis ei replicet, non omnes probabiles eſſe relegandas, ſed minùs probabiles. Malè hoc replicat; quia ipſe petit ab iſto: an minùs probabiles ſint adhuc ipſæ in ſe verè probabiles, an non? Et ſubdit: ſi non ſunt, ergo non ſunt illæ, de quibus ipſe ſentit licitum eſſe illas ſequi: ſi verò ſunt verè probabiles, ergo non ſunt laxæ, nec relegandæ, ſed amplexandæ tuta conſcientia, utpote honeſto ſenſu plenæ, & prudentes. Dixit ulteriùs *num.* 25. confirmando doctrinam ſuam, parandum eſſe remedium contra licentioſè opinantes, & laxè; & ibi profert remedium ſuum, ut probabile diſcernatur ab improbabili; quod ſi fiat, ſufficit. Et cauſam errandi in hoc dicit eſſe, quia multi veriſimile confundunt cum probabili; atque ideò monet, ut in hoc non decipiantur; ſed accipiant ut probabile id, quod verè eſt probabile, & fundatum in rationibus ſufficientibus ad faciendum probabile; & ponit ibi quid requiratur ad conſtituendum probabile. Prætereà *num.* 30. diſtinguit de probabili ſpeculativo, & practico; & monet, quod licet aliqua opinio poſſit pro ſe habere inter doctos validas rationes, ac proptereà ſit ſpeculativè probabilis; tamen quia interdum poteſt illi reſiſtere aliqua diſpoſitio in contrarium, puta aliqua deciſio, vel decretum, aut lex, vel quid ſimile; tunc ſe habet, ac ſi validas illas rationes non haberet; ac per conſequens licet poſſit dici ſecundùm quid, ideſt ſpeculativè probabilis, non tamen practicè, & abſolutè: atque ideò de ſimilibus concludit, quod omnes huiuſmodi opiniones, quaſi in uno faſciculo collectæ, reiici debent, & foras mitti ut improbabiles. Et totum hoc etiam monet, & docet P. Cardenas, ut vidimus ſupra. Ex quibus omnibus manifeſtè colligitur quod P. Segneri cum Comprobabiliſtis ſuis nihil ampliùs exigit, ut quis confiſus opinioni probabili dicatur prudenter agere, & non peccare, ſed eſſe in conſcientia tutum, niſi quod opinio probabilis ſit verè probabilis, & intra fines verè probabilium contineatur, & non ſit extrà, & improbabilis; cæterùm quantumcumque ſit minùs, & minùs probabilis, dummodò verè ſit in ſe probabilis, ſemper licitè, ſemperque tuta, & generatim tuta, & omnibus talis erit. Nam ſolùm improbabiles excludit; ex probabilibus verò nullam, & numquam, ſicut nec ulli hominum prohibet, quantumvis ſit minùs, & minùs probabilis, dummodò verè probabilis ſit; quod idem eſt, ac dicere, quantumvis ſit tenuiter probabilis, ſi tamen tenuitas iſta probabilitatis illam non extrahat è finibus veræ probabilitatis. At totum hoc pariter dicit præfata propoſitio tertia proſcripta ab Innocentio, ut conſtat ex propriis eius terminis. Nam licet hæc utatur tribus illis terminis: *Generatim: ſemper: & quantumvis tenui*: quibus P. Segneri cum ſuis non utuntur, ut ſic excludant aliquando aliquas, eaſque aliquibus prohibeant utpotè quas improbabiles cenſent, & extra fines probabilium eiiciendas; tamen ipſa quoque ſuos illos tres terminos limitat per particulam ſubſequentem, videlicet: *modò à probabilitatis finibus non exeatur*: per quam optimè intelligi poſſunt excluſæ omnes illæ, quas P. Segneri cum ſuis excludunt utpotè improbabiles

babiles

babiles. Quà ergo ſoliditate poterit P. Segneri firmiter dicere ſententiam benignam, quæ de omni minùs probabili vere tamen probabili, procedit, ne in uno quidem pilo tangi ab Innocentio in illa tertia propoſitione, ſi hæc a ſuà ſolùm verbaliter differre, in re autem omninò convenire videtur juxta propriam doctrinam eius jam confeſſam in locis mox citatis Epiſtolæ ſuæ?

1100 Et confirmatur totum hoc etiam ex proprio eius ore; nam ſi non omninò convenirent, oporteret propoſitionem illã damnatam eſſe in ſe magis amplam, & licentioſiorem in uſu probabilitatis, quam ſuam ſẽtẽtiam benignã cũ limitationibus ſuis, nec poſse illam ad ſuam reduci. At hoc cõvincitur juxta eius mentem eſſe falsũ. Et probatur hoc, quia illam manifeſtè dicit damnari ob particulam illam: *Generatim.* taliter quod deleta tali particulà, non exiſtimat ampliùs eſſe damnatam, & ideò defendit Patrem Tamburinum, qui totam huiuſmodi propoſitionem in propriis terminis docuit, ſine tamen particula illa *Generatim*: undè ſic *in ſuà epiſt. num.* 47. ſubiungit: *Quindi è, che la dannata qual ella giace, non è facile a rinvenirſi in verun Autore; perche il Tamburino (che è quegli principalmente, cui viene aſcritta) non vi appoſe quel termine, generatim. E par queſti è quel termine sì maligno, che più d'ogn'altro l'infetta di falſità.* Ergo deleto hoc termino, *generatim*, exiſtimat propoſitionem illam non ſic eſſe falſitate infectam, ut defendi non poſſit; alioqoin non poſſet indè defendere à cenſurà Patrem Tamburinum. At peto ab ipſo, cur non eſſet eadem omninò falſitate infecta, ſublato termino illo, *generatim*, niſi quia aliæ particulæ, puta ly *ſemper*, & ly *quantumvis tenui*, poſſunt benè limitari per particulam ſubſequentem, *modo à probabilitatis finibus non exeatur?* niſi enim per hanc excluderentur probabilitates illæ ſpeculativæ, & quibus reſiſtit aliqua deciſio, vel decretum, aut lex, vel quid ſimile in contrarium, ſemper maneret iiſdem falſitatibus infecta. Ergo ipſe implicitè ſentit in mente ſuà per ultimam hanc particulam poſſe totam propoſitionem convenire cum ſententià ſuà benignà; ſi tamen doleatur ab eà prima illa particula, *generatim*. Sed hoc ſuppoſito de mente ipſius, contra ipſum inſurgo, & dico quod eodem modo poteſt limitari per eamdem particulam terminus ille, *generatim*, ſicut limitari poteſt ly *ſemper*, & ly *quantumvis tenui*; maximè cum nulla differentia ſit inter *generatim, & ſemper*. Nam quod ſemper verificatur, generatim verificatur; & quod non poteſt verificari generatim, nec ſemper verificari poteſt. Ergo ad hominem contra ipſum convincitur propoſitionem illam cum ſuà benignà poſſe omninò convenire.

1101 Et hinc apparet, quod fruſtra P. Segneri, ut contradiſtinguat ſententiam ſuam à propoſitione illà damnatà, ponderat hìc particulam illam, *quantumvis tenui*, dicens quod probabilitas vere tenuis potiùs eſt improbabilitas. Nam ad hominem contra ipſum arguam, ſicut ipſe *num. 7. ſup. cit.* arguebat contra volentes relegare minùs probabiles opiniones, & non omnes; contra quos arguebat petendo, ſi minùs probabiles eſſent verè probabiles, vel non: & dicebat: ſi non; ergo non eſſent illæ, de quibus ipſe ſentit licitum eſſe eas ſequi. Si ſic: ergo non eſſent relegandæ. Sic & ego dicam ei: vel tenuis probabilitas eſt vera probabilitas, vel non: Si non: ergo non eſt illa, de qua loquitur illa propoſitio damnata, quia exiret à finibus probabilitatis, à quibus propoſitio illa non vult quod exeatur. Si ſic: ergo non eſt potiùs improbabilitas, ſed probabilitas vera, ac per conſequens ſolida ratione fundata, licet infima in tali genere verè probabilium, quod eſt idem, ac dicere, quod opinio probabilis tenuis ſit opinio minùs probabilis omnibus aliis, ſemper tamen verè probabilis, & cum minùs probabilibus verè computanda. Ergo dum damnatur probabilis tenuis, quæ non exit de finibus probabilium, damnatur ſaltem aliqua minùs probabilis, quæ eſt verè probabilis, & non improbabilis. Ergo ſententia benigna, quæ eſt de minùs probabili verè tamen probabili non omninò extra cenſuram pontificiam eſt.

1102 Denique oportet in propoſitione illà damnatà conſiderare, quid de formali voluerint Authores illius ſtabilire, & non tam attendere ad materiale: Conſtat autem quod illi volebant formaliter ſtabilire vim probabilitatis ad excuſandum à peccato, quaſi voluerint dicere: opinio probabilis, hoc ipſo, quo eſt probabilis, huiuſmodi vim in ſe habere, & indè quaſi ex formali principio arguebant in omni ſubiecto materiali, ideſt in omni opinione, in quà eſſet vera probabilitas, reſidere talem vim, nec poſſe hanc vim impediri à modo participandi tale formale, ſecundùm magis, vel minùs, & minus, uſque ad minimum, dummodò verè ibi formale illud participetur. Undè non volebant tenuem probabilitatem licere quà tenuem, ſed quà probabilitatem. Sicut idem P. Segneri in parte ſexta ſuæ epiſtolæ *num.* 37. dicit pro ſuà minùs probabili: *Chi ſegue l'opinione manco probabile al paragone, non però la ſegue, perche ella è meno probabile; la ſegue, perche è probabile, cioè perche è ben fondata.* Ex quo infero, quod cenſura Pontificis intelligi quoque debet principaliter ferire id, quod eſt formale in propoſitione illa, & non quod eſt materiale tantùm. Atque ideò ſenſus Pontificis videtur ex adverſo eſſe principaliter, quod falſum ſit Probabilitatem quà probabilitatem habere vim illam excuſandi à peccato contra legem. Undè non eſt credendum, quod ibi ſola probabilitas tenuis damnetur, eo quod eſt tenuis, ſed potiùs quod damnetur vis illa quaſi reſidens in probabilitate. Quare principaliter ipſa probabilitas in ſe vulnus accepit à decreto illo pontificio, & non tenuitas

Digitized by Google

nuitas probabilitatis. Cum ergo ſententia benigna de minùs probabili tota in ipſa probabilitate, qua probabilitas eſt, fundetur, fit per conſequens quod ipſa quoque feriatur, & feriatur, ut dixi, lethaliter in capite. Videat ergo Pater Segneri, ſi poterit ampliùs ironicè dicere: *Che ſceſſa orrenda! Nè pure fù tocca un pelo.*

§. XI.

Referuntur & impugnantur quæ dicit Author iſte in ultima parte ſuæ epiſtolæ.

1103 IN hac decima & poſtremà parte prætendit Author iſte, quod potiùs ſententia noſtra mortale vulnus acceperit ab Alexandro VIII. eo decreto, quo inter illas 31. propoſitiones, tertiam damnavit, quà aſſerebatur: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*. Quia licet Probabilioriſtæ in cortice aſſertionis ſuæ non videantur, inquit, negare uſum licitum cuiuſcumque probabilitatis, ſed ſolum opinionis minùs probabilis; ſi tamen uſque ad medullam eorum ſententia penetretur, apparebit eos de omni opinione probabili illum negare; quod quidem licet de Probabilioriſtis dicat, quia contra illos ibi directè loquitur, à fortiori tamen contra nos hoc ipſum intelligi poſſe non eſt dubitandum. Idque ſatis eidem Illuſtriſſimo Præſuli, ad quem ſcribit, ſe demonſtraturum promittit ex ipſiſmet rationibus, quibus ſolent Probabilioriſtæ Probabiliſtas impetere. Undè ſic illum alloquitur: *Hà caro, ch'io gliel dimoſtri? Orsù cacci ella un poco fuor dell' Arſenale tutte quelle ragioni, con li quali eſſi s'ingegnano di arietare quei, che da loro ſono chiamati Probabiliſti, e ſi accorgerà, che tutte, ſenza eccettuarne veruna, provano molto più di ciò, che eſſi intendono: Perche provano, che ſi debba ſempre ſeguitare l'opinion certa, ò almeno la più tuta, cioè quell'opinione, che milita à favor della legge, e non mai quella, che milita à favor della libertà.* At profectò reconventio hæc neque contra Probabilioriſtas, neque contra nos vim aliquam habet; neque enim verum eſt, quod rationes eorum aut noſtræ tale quid abſolutè probent, niſi in caſu quo quis in probabilioritate, vel probabilitate ſuà practicè non quieſcit, ſed cum dubietate practicâ manet; & tunc non Probabilioriſtæ, aut nos eum obligamus ad ſententiam omninò certam, vel tutiorem; ſed ipſe ſe ad id obligat ex conſcientiâ ſuâ; quemadmodùm in ſimili caſu contingeret, etiam admiſſâ ſententiâ benignâ Probabiliſtarum, quod utique vel ipſi Probabiliſtæ concedunt: nam quantumcumque vera ſupponatur ſententia benigna de licito uſu cuiuſcumque opinionis probabilis, ſi tamen quis in aliquâ opinione probabili non quieſceret practicè, ſed dubitaret, ſtante eius dubietate practicâ, non poſſet licitè uti tali opinione, ſed peccaret ex conſcientiâ, ut omnes concedunt. Sicut ergo etiam Probabiliſtæ exigunt ex parte agentis, ut deponat formidinem practicam pro uſu licito ſententiæ ſuæ: Ita Probabilioriſtæ pro uſu licito probabilioris, & nos pro licito uſu cuiuſcumque probabilis, ſi tamen non ſit in ſe falſa, & contra legem; & inſuper addimus, contra legem vincibiliter ignoratam, quod quidem additum numquam verificari poteſt in caſu opinionis probabiliſſimæ, ut ſupra demonſtravimus, ac per conſequens neque Probabilioriſtæ, neque nos convinci poſſumus, quod negemus licere ſequi probabiliſſimam; neque rationes noſtræ ad hoc probandum contra nos poterunt umquam retorqueri. Sed nihilominùs quia ad hoc probandum ſpontè ſe exhibet P. Segneri, audiamus.

1104 Probat primò ſic: *il primo argomento degli Avverſarii è quello coſsì fameſo: in dubiis tutior pars eſt eligenda. E però io chiegge loro amichevolmente, ò vogliono eſſi, che queſto detto ſia di conſiglio, come l'inteſe S. Antonino. ò vogliono che ſia di precetto eſpreſſo. Se di conſiglio, non provano nulla contro i Soſtenitori della ſentenza benigna; perche coſsì ancor eſſi conſigliano, che ſi faccia in ogni occorrenza, ſi ſeguiti la più tuta. Se di precetto, ecco dunque, che eſſi dicono, ſe non con gli ſteſſi termini, almen con gli equivalenti, che non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam. Perche neſſuna opinione, la quale militi à favor della libertà, per quanto ella ſia probabile è la più tuta. La più tuta è quella ſempre, la quale milita à favor della legge.*

1105 At pace ſuà argumentum hoc nec Probabilioriſtas urget, neque me. Illi enim dicent: In dubiis non depoſitis, vel depoſitis imprudenter contra legem, dictum illud eſt præceptum. Sed qui quieſcit in opinione probabiliori, prudenter dubium deponit, & multò magis in probabiliſſima, non tamen in minùs probabili. Dato autem hoc reſponſo evaneſcit conſequentia illa Patris Segneri, nec ampliùs urget. Et rationabiliter quidem videntur illi ſic dicere, quia qui ſequitur quod ſibi verius videtur, ubi, ut ſupponitur, non poteſt omninò verum attingi, videtur quodammodo agere quantum poteſt; non ſic autem qui id ſequitur, quod ſibi minùs verum apparet. Neque poterit contra eos dicere P. Segneri, quod non agant pro ſuo poſse in inquiſitione veritatis, & ſincerè; ſicut illi dicunt contra ipſum; quia in re opinabili nequit fieri pro veritate rei judicium ſincerius probabiliore, cum maximè in conflictu opinionum pro, & contra legem, non ſit dare probabiliſſimam, ut ex alibi dictis nunc ſuppono. Atque hæc dicta ſint pro parte Probabilioriſtarum. Ego autem aliter reſpondeo, & dico dictum illud: *In dubiis tutior pars eſt eligenda.* Eſse non conſilium, ſed præceptum, ut alibi ex profeſso oſtendi, & ad authoritatem D. Antonini, quæ ibi adverſùs me adducebatur, reſ-

reſpondi. Et nunc addo maioris explicationis gratia, quod non ſolùm in dubiis formaliter ſumptis, & practicè ſe tenentibus ex parte agentis, ſed etiam in dubiis obiectivè ſumptis, hoc eſt in rebus per ſe, & obiectivè prudenter practicè dubitabilibus præceptum eſt eligendi tutiorem partem: cum hac tamen differentiâ, quod in primis præceptum eſt generale juris naturæ & divini unicuique agenti impoſitum, ut ibi explicavimus. In ſecundis verò præceptum eſt ſpeciale ipſius legis re verà exiſtentis, & obiectivè ſumptæ, quæ ut ſupra dixi, ſuppoſito quod in ſe vera ſit, & exiſtens, vim habet obligandi, non obſtante varietate opinionum, ad ſaltem prudenter dubitandum de periculo, illudque præcavendum, ita ut niſi vitet illud, & in errorem incidat contra legem, delinquat contra tale debitum, & error fiat ipſi voluntarius, & imputabilis: & ideò in opinione probabili falſa, vel etiam probabiliore, non excuſò à transgreſſione legis. At ex hoc non ſequitur conſequentia illa Patris Segneri, quod per me non liceat ſequi probabiliſſimam etiam ſtantem pro libertate relictà oppoſità pro lege; quia tunc nego ſuppoſitum, ſupponit enim Author iſte, quod probabiliſſima ſtare poſſit cum concurſu alterius ſtantis pro lege, quod falſiſſimum eſt, ſi enim haberet oppoſitam pro lege, non eſſet ampliùs probabiliſſima inter probabiles, ſed probabilior, ut fusè ſupra demonſtravi. Sciat ergo P. Segneri, quod probabiliſſima inter probabiles ſemper ſola per neceſſe incedit in eodem puncto controverſiæ, & dicitur eſſe inter probabiles, quatenùs eſt inter alias, quæ extra tale punctum ſunt, & circa alias quæſtiones controvertibiles ſeu controverſas apud Doctores. Undè dixi ſupra quod probabiliſſima in ſe vera ſemper eſt, & certiſſima ſaltem moraliter, ita ut non ſit in ea locus prudenter dubitandi de illicito, ac propterea tunc non ſumus in dubiis, vel prudenter obiectivè dubitabilibus, ac per conſequens neque ex parte agentis, niſi fortè imprudenter dubitet, neque ex parte legis eſt debitum eligendi partem oppoſitam ſtantem pro lege, cum pars iſta ſupponatur omninò ſine ullo fundamento, & improbabilis. Videantur quæ ſupra dixi de opinione probabiliſſima ſatis diffusè.

1106 Probat ſecundò ſic: *Il ſecondo argomento è quello, che traggono eſſi dall'Eccleſiaſtico. Qui amat periculum peribit in illo. Ed io a queſto dimando: di qual pericolo intende nel caſo noſtro di favellare chiunque m'adduce un tal teſto? del pericolo di peccare formalmente cõtro la legge, ò del pericolo di peccare, non più che materialmente? Se del primo, non fà all'intento: perchè chi sà di poter ſeguitare con ſicurezza l'opinione manco probabile (atteſò la concordiſſima atteſtazione, che egli n' hà di centenaia d'Autori degniſſimi di ogni fede) non vede un tal pericolo di peccare, ne pur dà lungi. E ſe non vede, come ſe gli può aſcrivere, che lo voglia? Se del ſecondo, ne anche dal pericolo di peccare materialmente è libero chi ſegue alcuna opinione militante a favor della libertà, mentre per quanto quella opinion ſia probabile, può eſſere ſempre falſa. Da tal pericolo è libero unicamente chi ſeguita la contraria, cioè la militante a favor della pura legge. Dunque chi nel caſo noſtro oggi dice: qui amat periculum, peribit in illo, è come ſe in altri termini egli diceſſe: non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.*

1107 Ad hoc, quod nos hic interrogat P. Segneri, & Probabilioriſtæ, & ego reſpondemus, quod loquimur de periculo peccandi formaliter contra legem. Et ad inſtantiam in oppoſitum factam negamus totum id, quod Author iſte aſſumit, vel ſupponit, & ſimul confundit, quia totum falſum eſt. Supponit enim primò aliquem ſcire, ſe poſſe tutò ſequi opinionem minùs probabilem, ex atteſtatione tot Authorum, qui ſunt fide digniſſimi, & huiuſmodi ſecuritatem docent; quod tamen falſum eſt; primò quia teſtimonium iſtorum in ſeipſo purè opinativum, & incertum eſt, undè nequit aliquem conſtituere ſcientem, aut certum de tali ſecuritate: ſecundò quia ex adverſo ſtat teſtimonium oppoſitum aliorum, qui non ſunt minùs fide digni, quàm illi, & ſecuritatem illam negant; & cum ſit utrumque probabile, ſive magis, ſive minùs, procul dubio ſecuritatem, & periculum, hinc indè æquè pari ferè lance librant, ut ipſemet P. Segneri de minùs probabili, & probabiliore docuit ſupra; ac per conſequens non poteſt quis indè in ſcientiâ cõſtitui, ſed potiùs in prudenti dubio de ſecuritate, & periculo; malè igitur ex atteſtatione illâ aliquem ſcire ſupponit, ſe cum ſecuritate poſſe minùs probabilem ſequi. & falsò inſuper aſſumit, dum de tali dicit, quod tale peccandi periculum nec à longe proſpiciat, cum ipſi manifeſtè ſe ſe offerat proximè vidẽdum tùm in ipſa minùs probabili; tum & in oppoſità probabiliore ſtante pro lege; ergo niſi velit oculos claudere, videt: & ſi videt, vel non vult videre, quia vult oculos claudere, quomodò non ei imputabitur, quod velit illud? Undè ergo habet P. Segneri conſequentiam illam: *E ſe non vede, come ſe gli può aſcrivere, che lo voglia?* cum potiùs oppoſitum manifeſtè deducatur? Non ſic autem eſt in probabiliſsimâ, quæ ſola incedit, & ad moralem certitudinem pertingit, ut alibi probavimus, nec habet ullam probabilitatem oppoſitam; alioquin, ut diximus, non probabiliſſima eſſet, ſed probabilior, & tunc nõ deeſſet in ea ſuum adhuc ſufficiens motivum prudenter dubitandi. Et in hoc ego à Probabilioriſtis recedo. Sed quidquid ſit de hoc, id ſemper verum eſt, nihil Patrem Segneri hoc ſuo argumento concludere contra nos, ut ſatis demonſtratum eſt.

1108 Probat tertiò referendo, & impugnando tertium noſtrum argumentum deductum ex *cap. ſi quis autem de panis q. 3. d. 7.*

ubi dicitur: *tene certum, dimitte incertum.* Quod dictum, inquit, aut reſtringitur ad id de quo ille locutus fuit Auguſtinus, cujus eſt dictum illud; & ſic non eſt ad propoſitum; aut extenditur ad omne incertum; & ſic extenditur etiam ad opinionem probabiliſſimam, cùm neque hæc ſit certa, imò conſtet multas opiniones aliquandò probabiliſſimas tandem fuiſſe declaratas falſas, ut fuit illa de abſolutione Sacramentali per literas, quæ fuit D. Antonini, Turrecrematæ, Paludani, Adriani Valentiæ, & aliorum in magno numero, & tandem à Clemente VIII. damnata. Ergo,

1109 Ad hoc autem reſpondeo, dictum illud extendi ad omne incertum. Nego tamen probabiliſſimam eſſe incertam ſaltem moraliter, ſed certiſſimam, & prudenter indubitabilem. Et ad exemplum de abſolutione Sacramentali data abſenti per literas, & conſimiles opiniones Doctorum quantumvis in magno numero, & magnæ literaturæ, dico numquam fuiſſe inter probabiles probabiliſſimas. Undè, ut video, P. Segneri decipitur in intelligentia terminorum, & putat opiniones probabiliſſimas inter probabiles dici eas, quæ pro ſe habet Doctores in magno numero, & magnæ doctrinæ, ſed iſtæ ad ſummum dici poſſunt probabiliores, numquam verò probabiliſſimæ. Probabiliſſima autem propriè dicitur, quæ pertingit ad ſupremum gradum probabilitatis poſſibilis, ita ut non poſſit dari alia magis probabilis, quam ipſa, cujuſmodi eſſet illa, quæ adeò probabilis eſſet, ut nemo poſſit prudenter oppoſitum judicare, & ideò dixi quod ſola incedit, & eſt moraliter certa, nec eſt in eà locus prudenter dubitandi. Et ad licitè operandum ſatis eſt moralis certitudo, ut toties ſupra diximus, non requiritur certitudo metaphiſica, aut phiſica. Undè licet in ſe falſa ſit opinio probabiliſſima, quod vix poteſt gratis admitti, habet ſecum ignorantiam invincibilem nedùm ſpeculativè & per ſcientiam; ſed etiam practicè quatenùs vere in eà homo non tenetur advertere periculum, dum de illo nec motivum habet ſufficiens prudenter dubitandi.

1110 Præterea *num.* 53. affert Author iſte plura exempla Proſperi Fagnani quibus ille optimè utitur contra probabilitatem, & indè prætendit probari quoque non licere ſequi opinionem probabiliſſimam contra Decretum Alexandri VIII. ac propterea ſi nos iiſdem exemplis innitamur ad probandum contra Probabiliſtas, videbimur indè convinci de propoſitione illà damnatà, quaſi jam factà noſtra ſaltem argutivè. Sunt autem exempla hæc ab ipſo ex Fagnano ſic adducta: *Qual prudenza, dice egli, ſarebbe quella di chi havendo per più probabile, che i ladroni non ſiano partiti ancora dal loco, pur voglia entrarvi carico di danari? Qual prudenza di chi nel pozzo ſi cali con una fune, che è più probabile dover ſtrapparſi al peſo, che ſoſtenerlo?* et alia ſimilia. Ex quibus infert Fagnanus nec prudenter aliquem agere, ubi probabilius videt periculum peccati. Sed P. Segneri hoc negat poſſe inde bene inferri, alioquin inferri etiam poſſet non licere ſequi opinionem inter probabiles probabiliſſimam. Et rationem hujus reddit, quia in illis exemplis homo ſemper dubitat, donec habeat omnimodam certitudinem, unde nec ſi ſibi eſſet pluſquam probabiliſſimum latrones abiiſſe, iter ſuum tunc proſequeretur, & ſic de aliis: & ideò perſiſtente in eo tali dubio practico dicitur imprudenter agere. *Ma che?* Subiungit, *Nel caſo noſtro non è così, ſe non preſſo coloro, che non diſtinguono una coſcienza dall'altra. Altra è la coſcienza probabile, altra è la dubia. Chi tra la contrarietà dell' opinioni ſcolaſtiche dubita veramente, s'egli ſia lecito di tenere a cagion d'eſſempio due beneficii, quantunque di lieve rendita, certa coſa è, che egli deve o deporre il dubio dell'animo, ò renunciare uno de i due beneficii da lui goduti, altrimente egli fà, come ſe diceſſe, ſia che ſi vuole dell' offeſa divina, io non mi voglio privare di queſto lucro, ſenza cui peno a vivere; però, ſi manente tali dubitatione plures præbendas habeat, periculo ſe committit, dice S. Tomaſo & ſic procul dubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. Ma qualor egli dalla contrarietà dell'opinioni non tragga dubio, ma bensì raggioni autorevoli da approvare sì l'una, come l'altra per ben fondata, ſe egli ſegue à tenere ambo i beneficii, non fà così, ma sì come ſe diceſſe. Io sò che dove librate tutte le coſe fuor di paſſione, hò buoni fondamenti da credere, che non pecco in ciò, che poſſego, il Signore è pago, ne mi obliga a rinunciarlo. E così egli non è dubioſo nel ſuo caſo, ma certo ſino a quel ſegno, che i dotti gli aſſeriſcono eſſer baſtevole a non peccare, e conſequentemente non pecca: aut ex contrariis opinionibus, ſegue a dir S. Tomaſo nel luogo ſteſſo, in nullam dubitationem adducatur, & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat.* Hæc P. Segneri contra nos.

1111 Quid verò ſuo hoc prolixiore diſcurſu, & amplo verborum circuitu ſibi tandem ſperet fore aliis ſuaſurum, non video; cum potiùs undè nos credit iiſdem rationibus noſtris irrefragabiliter circumvenire, ſe fortiùs revinctum inveniat, et implicatiùs irretitum. Attende lector, & ſis Arbiter veritatis. Non negat Author iſte in relatis Fagnani exemplis eorum imprudentiam, qui eo modo procederent in illis caſibus, ſicut exemplificat Fagnanus; ſed diſparem dicit eſſe rationem de illis, & caſu noſtro. Et ideò dicit: *Ma che? nel caſo noſtro non è così, ſe non preſſo coloro, che non diſtinguono una coſcienza dall'altra.* Ecce quomodo ad diſparitatem recurrit, quam dicit non agnoſci ab illis, qui non diſtinguunt inter unam, & alteram conſcientiam. Ipſe verò diſtinguit ſic: *Altra è la coſcienza probabile, altra è la dubia.* Ex quo patet, quod ipſe ponit diſparitatem in hoc, quod illi, qui in exemplis Fagnani redarguuntur imprudentiæ, procedunt cum conſcientia

dubia:

dubia: At qui ſequuntur opinionem probabilem in caſu noſtro procedunt cum conſcientia probabili, & deponendo omne dubium practicum, ac propterea illi prudenter procedunt, & non peccant: Cæterùm ſi in caſu etiam noſtro procederent iſti cum conſcientia dubia, ſicut illi, imprudenter quoque agerent ſicut & aliquis meliùs, & clariùs infra ſe explicat; quia tunc non eſset diſtinguere ibi, et hic, alteram, & alteram conſcientiam, probabilem ſcilicet, & dubiam, ſed utrobique eſset dubia. At ex hoc infero ego: ergo ſi utrobique ſupponeretur probabilis, illi quoque prudenter agerent, ſicut & illi iuxta mentem Patris Segneri, conſequentia hæc negari non poteſt. Ergo ſi in illis caſibus exemplificatis, & in caſu noſtro uno eodemque modo procederetur cum conſcientia utrobique probabili, vel utrobique dubia, paritas omninò curreret.

1112 Suppoſità ergo præcedente doctrinâ, permittat mihi P. Segneri, ut ipſum aliquantulum interrogem. Et primò dicat mihi: unde, & quo fundamento dicit, illos in caſibus a Fagnano exemplificatis procedere cum dubietate, ſeu cùm conſcientiâ dubia? Videtur enim hoc moraliter impoſſibile, quod non deponendo priùs formidinem practicam velit quis onuſtus pecuniis viam ingredi, ubi probabiliùs putat fore à latronibus ſpoliandum; aut in puteum deſcendere per funem proprii corporis pondere ſibi probabiliùs frangendum; & multò magis cum ipſe ore proprio fateatur, quod neque ſi eſſet pluſquàm probabiliſſimum alicui indè latrones abiiſſe, locum illum ingrederetur, niſi priùs omninò certus fieret: *E qual'è*, inquit, *quel paſſaggiere carico d'oro, che quantunque habbia, non dico per più probabile, ma per arciprobabiliſſimo, che i ladroni ſi ſiano partiti, anzi allontanati dal boſco, pur voglia entrarvi? Non vi vuol entrare ſino a tanto, che non è certo.* Ergo qui iam ingrederetur, hoc ipſo non poſſet ſupponi cum conſcientiâ illa dubiâ de latronibus. Quomodo ergo P. Segneri diſparitatem aſsignat, quia illi in allegatis caſibus procederent cum conſcientiâ dubia, & ideò meritò imprudentiæ redarguuntur?

1113 Sed quidquid ſit de hoc, dicat mihi ſecundò: Si ſupponamus illos procedere cum conſcientiâ probabili, vel minùs probabili de receſſu latronum, vel de ſoliditate funis, deponendo formidinem practicam, eſſent ne de imprudentiâ redarguendi, an potiùs commendandi in prudentiâ ſua? Si dicat primum, ergo idem dicendum eſt in caſu noſtro; ac per conſequens exempla illa optimè probant, & diſparitas aſsignata vaniſſima eſt, & omninò nulla. Si dicat ſecundum, ergo ſi ille poſtea a latronibus ſpoliaretur, & alter præceps in puteum rueret, non eſſet de imprudentia notandus, imò potiùs cōmendandus, quod ſatis prudenter egerit, dum minori probabilitati ſuæ pluſquàm omni practica formidine fiducialiter ſe commiſit. At hoc falſum eſſe paſsim experimur; videmus enim omnes huiuſmodi homines communiter vituperari, & accuſari ut temerarios, nec excuſari poſt caſum, imò infortunium illud imputari et ab omnibus ad culpam, & ut voluntarium. Cur igitur & non idem erit in caſu noſtro?

1114 Sed procedamus ulteriùs, & gratis ei concedamus ſubſiſtere diſparitatem ſuam, & in exemplis adductis a Fagnano illos cum dubio, & formidine practica agere, atque ideò imprudentiæ notari; quemadmodùm & in caſu noſtro notaretur, qui formidinem practicam non deponeret, ſicut idem Author affirmat. Econtra verò in caſu noſtro eum, qui opinionem ſequitur, omnem formidinem practicam deponere, & in probabili, vel minùs probabili quieſcere, atque ideò non peccare. Demus, inquam, ei totum hoc gratis. Quid indè? tota hæc diſparitas ex parte conſcientiæ eſt, ex qua ſolùm infertur in caſu noſtro deponentem omne dubium practicum non peccare contra conſcientiam; quod quidem nos non negamus, imò expreſsiſsimè fatemur. Dicat nunc ergo tertiò P. Segneri, & explicet mihi: loquitur ne ipſe, quando ab omni peccato eum abſolvit, qui opinionem probabilem, vel minùs probabilem ſequitur, de hoc peccato contra conſcientiam, an etiam de peccato contra legem, ſi quandoque contingat re vera legem obſtare, ut evenit in caſu opinionis probabilis in ſe falſæ? Si dicat primum: jam extra controverſiam eſt, & non facit ad propoſitum præſentis quæſtionis; hic enim quod controvertimus eſt, an licitum ſit ſequi opinionem probabilem etiam in ſe falſam, & contra legem: nam ſi contingat eſſe veram, & iuxta, vel ſaltem non contra legem, nulla eſt difficultas, & nos expreſsè ſupra docuimus, quod qui ſequitur opinionem etiam minùs probabilem de licito in ſe tamen veram, non peccat, niſi fortè peccet contra conſcientiam. Si verò dicat ſecundum; hoc nos in ſuperioribus diffusè impugnavimus: Ipſe verò, qui contra nos ſentit, qua ratione id firmat? Si ratione prudentiæ in ipſa opinione probabili imbibitæ, eam ſatis oſtendimus ibi, alterius generis eſse à genere agibilium, atque ideò non ſufficere ad prudenter agendum pro quanto exigitur ad indemnitatem legis, & maximè tunc re verà in ſe exiſtentis, ut ibidem explicavimus, quam per ſe debet ut proprium finem reſpicere prudentia virtuoſa, atque ideò ad doctrinam ibi traditam me remitto.

1115 Si verò id firmat P. Segneri, quia tunc agens, cum nihil dubitet practicè, ut ſupponimus, ſed tranquilla conſcientia procedat, iam prudenter procedit ex parte conſcientiæ ſuæ, ſeu formaliter; licet materialiter dici ſolsit imprudenter agere, quatenùs materialiter contra legem agit, quod parùm refert, quia materialiter agere contra legem non inducit peccatum, cùm etiam Viri ſancti, ut dicit, & benè idem P. Segneri, multoties materialiter egerunt.

contra

contra legem: & nos etiam videmur hoc expreſsè admittere, dum fatemur quod agens tunc non peccat contra conſcientiam: nec negare poſſumus quod Sancti multoties materialiter contra legem egerint, & ſine culpa: ac proindè videtur implicare, quod quis prudenti conſcientiâ agendo dicatur peccare formaliter contra legem. In quo videtur ſtare tota vis huius Authoris; Si, inquam, in hoc firmat intentum ſuum, ſcire debet, quod nimis æquivocat in intelligentiâ terminorum. Ad cuius æquivocationem detegendam ſciendum eſt, quod conſcientia cum ſit actus intellectus practici, ut diximus in primâ parte huius operis, conſequenter ſe habet ut forma reſpectu ſubiecti, puta reſpectu agentis, & dicitur conſtituere illum formaliter, ut ita dicam, conſcientem; ſicut ſcientia conſtituit formaliter ſcientem: ex quo fit quod habens conſcientiam v. g. de licito dicitur formaliter conſciens licitum, ſeu habere formalem conſcientiam de licito. Sed hæc formalis conſcientia reſpectu ad prudentiam ſe habet ut quid materiale, quod non poteſt dici formaliter prudens, niſi conſtituatur formaliter tale per formam prudentiæ; tunc autem habet verè formam prudentiæ, quando ex parte ſui reſpicit formaliter obiectum prudentiæ, quod eſt licere, quando ipſa formalis conſcientia de licito, ſeu ipſe formalis actus intellectus practici formaliſſimè reſpicit ipſum obiectum prudentiæ, nempè ipſum agibile propter finem ut formaliter tale, hoc enim eſt obiectum formale prudentiæ, & in propoſito noſtro de prudentiâ virtute, ſecundùm quam in moralibus regulari debemus, eſt ipſum agibile propter legem tamquam finem ut omninò intentum ab agente ſub una ex his duabus formalitatibus, nempè vel ut finem ad quem tendimus directè, vel ſaltem ut finem à quo nolumus per contradictionem recedere, ſeu quod idem eſt, contra quem nihil omninò volumus admittere, ut ſuo loco explicavimus ſupra. Cæterum ſi non hoc formaliter reſpiciat, ſed contingat nihilominùs hunc finem attingi, tunc conſcientia non erit formaliter prudens, ſed purè materialiter. Sed quia conſcientia, ut dixi, reſpectu agentis ſemper eſt aliquod formale, & aliquando attingit materialiter obiectum prudentiæ virtutis, ut accidit quando quis habet conſcientiam probabilem de licito in ſe veram; ideò contingit æquivocari, & per hoc quod agens habet formalem conſcientiã de licito, materialiter tamẽ prudentẽ creditur habere conſcientiam formaliter prudentem, æquivocando formale conſcientiæ cũ formali prudentiæ, & ita de facto æquivocat P. Segneri duo illa confundens. Nos autem duo illa diſtinguimus. Unde quando dicimus non peccare formaliter contra conſcientiam eum, qui ſequitur opinionem probabilem falſam, & contra legem, non intendimus dicere non peccare formaliter contra prudentiam, ſed ſolùm materialiter, ut credit P. Segneri; quia tunc cum non ſit prudens neque formaliter, neque materialiter, jam formaliter contra prudentiam, & per conſequens contra legem peccat. Quando vero dicimus abſolutè non peccare eum qui ſequitur opinionem probabilem de licito in ſe tamen veram; tunc neque intendimus habere illum conſcientiam formaliter prudentem, ſed habere formalem conſcientiam, prudentem tamen materialiter, ac propterea neque contra conſcientiam, neque contra legem peccare. Sancti autem quando aliquid contra legem materialiter egerunt; non deliquerunt formaliter contra prudentiam, ſed ſolùm materialiter, quia eis hoc contigit ex errore facti, non juris, ut accidit Jacob, & ſimilibus, qui error proceſſit ex invincibili ignorantiâ; hanc autem contingere non poſſe in concurſu opinionum probabilium ſatis ſupra demonſtravimus. Ac proindè tota vis huius Authoris corruit, ſi benè tota hæc doctrina conſideretur, & intelligatur quod dicimus, & quod in ſe veriſſimum eſt.

1116 Sed nihilominùs P. Segneri credit tandem totum id, quod ipſe dicit firmare authoritate D. Thomæ, tentans eum trahere ad diſtinctionem illam de conſcientiâ dubiâ, & probabili; de cuius diſtinctionis ignorantiâ dixerat fuiſſe in cauſa, quod aliqui decepti fuerint in exemplis adductis à Fagnano, credentes inde ſatis probari, non licere ſequi opinionem minùs probabilem, nec prudenter operari eos, qui illam ſequuntur, ſicut nec prudenter dicerentur agere illi, de quibus ibi exemplificatur. Ac proindè nititur D. Thomam trahere ad hoc, quod nihil aliud requiratur, ut quis ſequens opinionem probabilem nullo modo peccet, niſi quod deponat dubietatem, & formidinem practicam, & quieſcat in probabilitate ſua, etiam ſi fortè in ſe falſa ſit, & contra legem. Unde quaſi conſequenter ad intentionem ſuam loquentem D. Thomam ſic introducit: *Però ſe manente tali dubitatione plures præbendas habeat. periculoſe committit, dice S. Tomaſo, & ſic procul dubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. Ma quando egli dalla contrarietà dell' opinioni non tragga dubio, ma bensì raggioni autorevoli da approvare sì l'una, come l'altra per ben fondata, ſe egli ſegue a tener ambo i beneficii, non fà così, ma fà, come ſe diceſſe. Io sò, che dove librate tutte le coſe fuor di paſſione, hò buoni fondamenti da credere, che non pecco in ciò, che poſſeggo, il Signore è pago, ne mi obliga a rinunciarlo. E così egli non è dubioſo nel ſuo caſo, ma certo ſino a quel ſegno, che i dotti gli aſſeriſcono eſſer baſtevole a non peccare, e conſequentemente non pecca: aut ex contrariis opinionibus, ſegue a dir S. Tomaſo nel luogo ſteſſo, in nullam dubitationem adducatur, & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat.*

1117 Audiſti lector Patrem Segneri quaſi per os D. Thomæ loquentem ſententiam ſuam benignam. Quid plura? Nonne diceres manife-

ſte

ſit D. Thomam ſtare pro eo? Ita planè. talis eſt induſtria huius Authoris. Sed ut dixi ſupra, quò magis ipſe credit nos circumvenire, ut pro ſuâ ſententiâ benignâ de nobis triumphare poſſit, eò ſe ampliùs revinctum reperit, & implicatiùs irretitum. Attende, & judica Tu; dum ego, illum alloquendo interrogationibus meis ſubiicio. Dicito mihi, Reverende Pater, cur D. Thomam adducis loquentem in calce quodlibeti ſui, & non in principio? Numquid retrogradè legiſti literam D. Thomæ, incipiendo à fine, & antequam ad initium aſcenderes, paſſus fortè capitis vertiginem, cecidiſti? Quid eſt hoc? Non credo de Spiritu tuo, quod id feceris fraudulenter, atque ideò de contingentia caſus interrogo, ut compatiar infortunium tuum. An fortè initium deerat in codice, quem habuiſti? Si ita eſt, ſubveniã tibi textum integrum propinando. Accipe. *Dicendum*, inquit ibi D. Thomas, *quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. Uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur. Alio modo faciendo contra conſcientiam, & ſi non ſit contra legem, ut ſi conſcientia dictat alicui, quod levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex conſcientiâ autem obligatur aliquis ad peccatum, ſive habeat certam fidem de contrario eius, quod agit; ſive etiam habeat opinionem cum aliquâ dubitatione. Illud autem, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam. Et ſimiliter quod eſt contra conſcientiam eſt malum, quamvis non ſit contra legem: quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum. Dicendum eſt ergo, quod quãdo ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam; ſic enim contra legem Dei facit.* Ecce quomodo D. Thomas de peccato damnat eum, qui ſequitur opinionem probabilem in ſe falſam, relinquendo oppoſitam aliorum Doctorum in ſe veram, non obſtante, quod agat ſecundùm conſcientiam, quod eſt dicere; non obſtante, quod habeat cõſcientiam probabilem, & non dubiam, ſed tranquillam, & cum depoſitione omnis formidinis practicæ; alioquin non diceretur agere ſecundùm conſcientiam. quod eſt omninò oppoſitum ſententiæ benignæ Patris Segneri, & illi doctrinæ, quam tradit de conſcientiâ probabili & dubiâ; quia ut conſtat, D. Thomas damnat illum de peccato cum totâ conſcientiâ ſuâ probabili, etiam ſine ullo dubio practico; per hoc præcisè, quod eſt in ſe falſa, & contra legem. Et poſtea ſequitur idem D. Thomas: *Aut illa opinio* (nempè Magiſtrorum, quos relinquit) *non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur; ita quod verè licet habere plures præbendas; & tunc diſtinguendum eſt. Quia aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterùm peccat contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem.* (Ecce ex D. Thoma, quando quis peccat ex conſcientia contraria.) *Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem; ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum* (Ecce conſcientiam dubiam in caſu tamen opinionis probabilis in ſe veræ, de qua nunc loquitur D. Thomas) *& ſic* (nunc veniunt verba illa, quæ pro ſe affert P. Segneri) *Si manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. Aut ex contrariis opinionibus* (exiſtente vera in ſe iſtâ, quam ſequitur, de quâ loquitur) *in nullam dubitationem adducitur, & ſic non ſe committit diſcrimini, nec peccat.* Hæc D. Thomas. Judica nunc Tu, lector, inter me & Patrem Segneri, cui manifeſtè faveat D. Thomas, an ipſi, vel mihi. Iam vidiſti D. Thomã diſtinguere priùs de opinione probabili, in ſe vera, vel in ſe falſa: & loquendo de in ſe falſa, & cõtra legem aliquid licitum affirmante, expreſsè dicere, eum, qui illam ſequitur, peccare; nec excuſari ex eo, quod juxta conſcienti[illegible] agi[illegible], adhuc poſtpoſita omni formidine practica; hoc enim ſonat juxta conſcientiam agere, ſi enim aliquantulum practicè dubitet, non poteſt dici ſecundùm conſcientiam agere. Ergo expreſsè D. Thomas ſequelam opinionis probabilis in ſe falſæ, & conſcientiam ipſam probabilem de peccato damnat, & indè eam damnat, quia contra legem Dei eſt, & non aliundè. Tùm verò ad aliud ſuæ diſtinctionis membrum procedit, & ad opinionem probabilem in ſe veram venit, & ſic iterùm diſtinguit de conſcientiâ eiuſdem agentis contrariâ, vel dubiâ. Cur igitur P. Segneri poſtrema hæc verba D. Thomæ, quæ ſunt tantùm de opinione probabili in ſe vera, adducit; & vult inſuper, contra hypotheſim eiuſdem D. Thomæ, ea extẽdere ad quamlibet probabilem, ſive in ſe veram, ſive falſam? Et cur priora verba tacet, quæ de opinione probabili in ſe falsâ expreſsè loquuntur, eamque explicitè, & abſolutè de peccato damnant, etiam ſi agens omnem prorſùs formidinem practicam deponat? Si ex induſtriâ hoc fecit, non prodeſt ei hæc induſtria ſua, ſed potiùs nocet, cum adversùs eam in promptu ſit ipſa litera D. Thomæ. Profectò meliùs feciſſet, ſi D. Thomam à longe ſalutaſſet; non enim nunc ſic manifeſtè in faciem redargueretur. Sed quia voluit ad ſe illum vocare, ut pro ſe loqueretur bona, non potuit Doctor veritatis non palam loqui, quæ vidit eſſe mala. Quod ſi nolit nunc P. Segneri contra ſe locutum D. Thomam audire, quia diſplicet ſibi ſermo illius, cogitet ſaltem tacitus intra ſe, nos cum D. Thoma ſentire; ac propterea deſinat adversùs nos iraſci, & non ampliùs eructet nos in Decretum Alexandri VIII. deliquiſſe; quã-

tumvis enim opinionem probabilem in ſe falſam, & contra legem ſtantem damnemus, non propterea omnem opinionem probabilem reiicimus; imò quamlibet admittimus, ſi contingat eſſe in ſe veram, & non ſit in agente conſcientia de contrario, vel dubia. Probabiliſſimam verò numquam reiicimus, etiam ſi fortè, quod vix poſſibile eſt, contingat eſſe falſam: ſed ſciat hanc ſemper ſolam incedere, & numquam adversùs ſe habere contrariam, alioquin probabilior eſſet, non probabiliſſima, ut totiès diximus, & ſupra ſuo loco diffusè probavimus. His itaque hactenus diſcuſſis, id unum ſupereſt, ut qui legit, judicet de veritate. Interim ego taceo, taceat quoque & P. Segneri.

CAPUT XIII.

De noviſſima quadam concordia à Reverendo Patre Ioſepho Riccio Societatis Ieſu nuperrimè prætensà inter Recentiores Probabiliſtas, & Probabilioriſtas nuncupatos circa regulam honeſtatis in materià opinativâ deſignandam.

§. PRIMUS.

Exponitur Moderni huius ſcriptoris intentio, & indè ſimul neceſſitas reſcripti præſentis aperitur.

1118 HActenùs contra Recentiores egi in Superioribus capitibus, qui directè pro uſu licito opinionum probabilium, & practicæ probabilitatis iuribus militabant; nunc verò alterius generis hoſti oportet reſiſtere, qui pacis ſummæ, ſeu concordiæ titulo novum cōtra nos indirectè bellum movet. Vidi enim, & ad manus habui librum P. Ioſephi Riccii Societatis Ieſu anno ſuperiore 1702. editum; cui erat titulus: *Fundamentum Theologiæ moralis, ſeu de conſcientià prbabili*, eà intentione ab Authore elaboratum, ut oſtenderet Authores ſuæ Societatis, Recentiores Probabiliſtas nuncupatos, imò & omnes Scriptores Catholicos, in nihilo umquam diſcrepaſſe à Probabilioriſtis in proxima regula morum in materià opinativà deſignanda, niſi ſolo verbo. Ita ut una prorsùs ſit eorum omnium concors, & uniformis doctrina Probabiliſmi, eaque tuta & à Catholicis omnibus amplectenda. Diſcrepantiam verò, & controverſiam ſolùm eſſe cum Novatoribus, quo nomine eos appellat; qui in errores extremos ab Eccleſia damnatos, vel nimiæ laxitatis, vel rigoris, deflexere.

1119 Occaſionem autem ſcribendi ſe indè ſumpſiſſe dicit, quia nonnulli poſt editum illum A. R. Patris Thyrſi Gonſalez ſui Præpoſiti Generalis librum ab omnibus ſummo plauſu receptum, & ab iis quoque, *quibus*, inquit, *ſua minùs placere ſolent*; & poſt nonnullas aliorum editiones eiuſdem ſocietatis, qui poſtmodùm in favorem probabilioritatis ſcripſere; anſa indè importunè ſuſceptà, in cæteros Priores Societatis Theologos, quaſi iam Reos proprio ore confeſſos invehi cæperunt, & de laxiore eorum antehac Theologià, corruptàque morum diſciplinà in faciem redarguere. Quapropter his proclamationibus, falſiſque contra illos accuſationibus, ut ait, laceſſitus, non valens eiuſmodi graviſſimam ſocietati ſuæ irrogatam iniuriam æquo animo ſuſtinere, inter multos animum adiecit, ut illam propulſaret. Contendens ſemper unam, eamdemque fuiſſe ſuorum omnium ſententiam in hoc puncto de aſſignanda proxima regula honeſtatis, & formanda conſcientia in materia opinativa; eamque pariter eſſe doctrinam omnium Catholicorum, & unicè mediam inter duos extremos errores ab Eccleſia damnatos. Ita ſe ſe explicat in ſua epiſtola dedicatoria ad ſuum Præpoſitum Generalem. Id quod promittit apertiſsimè demonſtrare ex convenientia eorum omnium in duplici illo principiorum genere probabilitatis practicæ, videlicet & directæ, & reflexæ, in quibus eos, inquit, præcipuè ſolent Adverſarii falsò de diſcrepantia accuſare. Undè in ſua introductione *num.* 9. ſic habet: *Si in utroque* (inquit) *hoc principiorum genere unam eamdemque omnium ferè noſtrorum Doctorum ſententiam eſſe videris, ſive eorum qui Probabilioriſtæ, ſive eorum qui Probabiliſtæ vocantur Recentiores. Erit profectò cur jam deindigneris in has falſas accuſationes. Præſertim cum illi ipſi doctores noſtri. qui accuſantur laxitatis, tam arctos & anguſtos videas conſtituere in re morali terminos probabilitatis; ut ſi quid ulteriùs progrèdiantur, accedant ad Novatores* (quos eos intelligit, qui ad rigorem extremum ab Eccleſia damnatum pertingunt, videlicet Ianſeniſmum) *ſed numquàm tanti facimus turbulentiſſimos clamores, ut nos pœniteat non janſeniʒare.*

1120 Et *num.* 10. *ſeq.* proſequitur: *In id igitur oculos intendito fixiùs, ut videas ſi doctrina R. P. noſtri Generalis, & aliorum, qui ipſum ſunt ſecuti, à doctrina reliquorum noſtrorum diſtet vel latum unguem; ſi in hac materia ad amuſſim concordent Doctores noſtri omnes, non ad laxitatem fovendam, ſed ad pietatem, religionem, fidem. Dices profectò à ſocietate noſtra; non concordiam & uniformitatem doctrinæ; ſed Novatorum errores ab Eccleſia damnatos exulare. Hinc tantae turbas excitant, tot libellos confingunt famoſos, ut nos metu perculſi ad errores accedamus. Et quoniam & laxitatem, & rigorem in hac materia damnavit Eccleſia, vide ſi Doctores noſtri omnes hæc extrema devitent, & medii rectà incedant. Tenes meum conſilium; tenes operis ſummam, & ordinem; tenes quò cætera dirigantur; exitum, ut par eſt, præſtolare.* Sic Præfatus Author introductionem ſuam concludit.

1121 Profectò ut hæc legi, ut magnã hanc iſtius Authoris aſſumptam Provinciam vidi, tùm

Digitized by Google

tùm & conſilium, induſtriam, atque exitum adeò liberaliter promiſſum, quaſi fiducialiter euntis per ſemitas, non ad laxitatem ducentes, ſed ad pietatem, ut dixerat, Religionem, fidem; protinùs periculum ſignavi immoderatæ eius tutelæ & quod eſt maximè timendum, ingens inde animadverti fieri poſſe ſalutis animarum detrimentum. Quandoquidem ſi ei fides haberetur; ſi concors atq; uniformis Probabiliſtarum omnium doctrina de licito uſu, delectuque opinionis cuiuslibet practicè probabilis, modò probabilis, ut hic Author ex illis fatetur, etiam minùs tutæ, minuſque probabilis, relicta tutiore, ac probabiliore, cum ea Probabilioriſtarum haberetur, qui probabiliorem eligendam eſſe proclamant, negantque licere minùs tutam, minuſque probabilem ſequi; & ſolùm eſſet tota eorum diſcrepantia in verbo, ut prætendit: & ſi ulteriùs eiuſmodi doctrina eſſet Catholicorum omnium calculo probata, ut unica atque ſola media inter duo illa extrema ab Eccleſia damnata; ita ut tantiſper quis ab illa recedens etiam reſtringendo, & quidpiam paulò tutius exigendo, in errores incidat cum Novatoribus ab Eccleſia damnatos: jam hoc ipſo corrueret, non dico doctrina noſtra, ſed D. Thomæ omniumque Sanctorum Patrum, & cum ea tota inſimul Ethica Chriſtiana, ingenſque fieret in Eccleſia Dei morum omnium corruptela; cùm indè optimè poſſent fideles tenere pro recta regula, quaſi ab ipſa Eccleſia firmiter ſtabilita, quamlibet opinionem practicè probabilem. Hanc enim tradunt pro regula honeſtatis omnes ſuæ Societatis Theologi, dicti Probabiliſtæ Recentiores, ut idem Riccius fatetur; nec alios anguſtiores aut arctiores conſtituunt in re morali terminos probabilitatis, niſi quod ſit verè probabilitas practica, ut vidimus ſupra ex P. Cardenas, & hic pariter expreſsè docet P. Riccius, dicens quod ideò ſui Authores, cum dicunt licere ſequi minùs tutam minuſque probabilem, ſemper adiiciunt particulam illam: modò practicè probabilem, & cum hac ſuperadiecta particula contendit nullatenùs eos diſcrepare in re à Probabilioriſtis, ſed in ſolo verbo, ut ex ipſomet Riccio conſtabit. Imò indè exaggerat tam arctos, & anguſtos à ſuis conſtitui terminos probabilitatis, ut ſi quid ulteriùs progrediantur, accedant ad Novatores.

1122 Certè ex hac ſua doctrina ſuis omnibus ita concorditer ſignatè, ut ait, & exercitè ſuſcepta videtur conſequenter quodammodò implicitè ſuadere velle ſatis unicuique fore ad tutò agẽdum, de quolibet ſuo agibili audire, quod aliquis Societatis id affirmaverit licere. Quò quid abſurdius, aut promptius, vel facilius expectari poſſet ad totam Chriſtianam Ethicam evertendam; & licentioſiùs operandum? Nec temerè & ſine fundamento tale quid velle implicitè ſuadere cenſeo, imò manifeſtè id colligi ex ſuis principiis, & proceſſu ſui diſcurſus oſtẽdam infrà opportuniùs.

1123 Ut ut autem ſit implicitè cordis eius conſilium, verbo id eſſe prompſit, ut nempè irrogatam iniuriam, falſaſque accuſationes repelleret, & proclamationes in ſuos, quod ſanè ſi cum moderamine inculpatæ tutelæ peragiſſet, & defenſivi juris canones ſervaſſet; ſuſtinuiſſem utique, imò etiam commendaſſem & zelum, & pietatem, quæ Religionis filium decent, & dignum conſtituunt Profeſſorem. At propriæ defenſionis metas, zeli ſpecie, pietatiſve pretextu tranſilire, & cum Novatoribus computare quotquot quidpiam paulò ſecurius viderentur exigere, eoſque Janſeniani erroris publicè redarguere, nec debeo, nec poſſum citrà culpam ei permiſſum facere, & pacifico ſilentio præterire. Nefas enim cenſeo Pios, atque Catholicos, tutioriſque viæ Viros falsò pro Jāſeniſtis haberi; eorumque ſanam doctrinam, ementito erroris titulo, execrabilem prædicari, & pacificè ſuſtinere: eſſet quippè damnoſa tolerantia, & taciturnitas reprehenſibilis. Et præſertim cum Præfati Authoris doctrina ſpecioſâ quadam eius induſtriâ, quaſi ex puriſſimis deducta fontibus Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum, Conciliorum, Sanctorumque Patrum ab ipſo palam omnibus venundetur, ut facilè à ſimplicibus viris credi poſſit quacumque aliâ pretioſior, & ſecuriùs amplectenda; & tamen indè ferè tota ex integro revocatur licentioſa illa agendi libertas, quam ex modo opinandi ab Evangelica ſimplicitate alieno Sancta deplorat Eccleſia in Decreto ſui ſupremi Vicarii Alexandri VII. ut ex dicendis conſtabit.

1124 Itaque ut tanto occurram periculo, non tacebo; ſed ad hominem demonſtrabo, nullatenùs poſſe Authores ſuos, Recentiores Probabiliſtas nuncupatos, ad concordiam, & uniformitatem doctrinæ in hoc puncto cum Probabilioriſtis trahi: nec ſi reapsè convenirent, foret eorum talē doctrinam tutam regulam honeſtatis pro conſcientia formanda in materia opinativa, ut ipſe ſupponit: neque tandem eam veraciter in medio ſiſtere, & unicè mediam eſſe inter duos illos extremos errores ab Eccleſia damnatos ut credit; benè tamen aliam à ſua longè diverſam, quam in Superioribus fusè propugnavi ex Sanctis Patribus cum D. Thoma, & rationibus firmavi, citra omne Janſeniſmi, aut alterius erroris periculum: non enim in ea umquam diximus exigi ad agendum infallibilem veritatem, & certitudinem obiectivæ veritatis, nec negavimus invincibilem ignorantiam excuſare, qui ſunt errores ab Eccleſia damnati; neque tale quid poteſt ex noſtra ſententia deduci, ſicut ipſe malè & inconſequenter infert, vel inferri ſupponit. Quare peioris criminis ipſe nos accuſat, & clamores ſuos nobis opponit periculoſiores, dum non puri erroris titulo, ſed & ab Eccleſia damnati nos commaculat cum Novatoribus, & à tutiore ac ſana doctrina quaſi de fide ſuſpecta cæteros quoſcumque divertit. Et tacebimus? Neſcit hæc & ſimilia Chriſtiana mode-

modeſtia ſuſtinere. Atque ideò hæc refellenda aſſumo, & nihilominùs ſine livore, in cuius ſignum, non aliis armis utar, niſi puris rationibus, & argumentorum retorſionibus ex ipſiſſimis principiis ſuis ſemper ad hominem diſcurrendo. Quod ut expeditiùs fiat, ſervato ordine ſuorum capitum, præmittam priùs fideliſſimè cuiuſque capitis ſummam, ut eam lector in proſpectu habeat, & promptiùs poſſit rationum eius efficaciam attendere: poſtmodùm verò unicuique ſubiiciam quidquid in oppoſitum dicendum occurrerit, vel approbandum; ut indè quiſquis poſſit rationibus utrinque benè penſatis, veritatis arbiter fieri, & ſententiam veluti interlocutoriam ferre de præfati Authoris doctrina, & noſtra; ac tandem ſingulis capitibus eorumque doctrina diſcuſſis, ad definitivam ſententiam devenire. Et quoniam Author iſte opus ſuum dividit in duas tantùm diſſertationes, & Priorem ſubdividit in ſex capita; poſteriorem verò in octo: ideò & ego juxta eius methodum procedendo totidem Paragraphos ponam, ſingulos ſingulis capitibus immediatè correſpondentes, eoſque in medio pro capitibus ſtatuam Criſis nomine inſcriptos, utpote de ſummata priùs Authoris doctrina diſcuſſionem criticam continentes. Atque illis inter ſummam doctrinæ unius, & alterius capitis ſucceſſivè interiectis, paſſim utramque eius diſſertationem, & totum opus, doctrinamque percurram. Ut infra. ſit igitur.

§. II.

Summa primi Capitis Prioris diſſertationis.

1125 PRæmittit Author iſte in ſua priori diſſertatione principia probabilitatis directæ tàm intrinſecæ, quàm extrinſecæ. Eaque inquit, duo ſunt; ratio, & authoritas. Et utraque in rebus ad conſcientiam pertinentibus debet ex Sacris Scripturis, ex Conciliis, & Sacris Canonibus, ex Patribus & Antiquioribus Eccleſiæ Doctoribus tamquam ex fontibus dimanare, non ex humanis ſpeculationibus, & ſubtilitatibus.

1126 Hinc tamquam ex primis notionibus probabilitatis practicæ, & principiis irrefragabiliter ſtabilitis, atq; in propriis terminis ſummam ſoliditatem ſonantibus, utpotè ſupra firmam petram authoritatis ipſius Eccleſiæ fundatis, multa induſtria ſe diſponit ad demonſtrandum Doctores ſuæ ſocietatis in eiuſmodi principiis omnes uniformiter convenire, ſicut & Probabilioriſtas; ut indè paſſim procedere poſſit ad ſummam illam concordiam & doctrinæ uniformitatem ſuorum in concludenda regula honeſtatis pro conſcientia formanda in materia opinativa cum ipſis Probabilioriſtis, quod eſt eius unicum & principale aſſumptum. Atque ideò in hoc primo capitè initium ſumit ab hoc quæſito: *Num videlicet ſui Probabiliſtæ Recentiorum Doctorum placita Sanctorum Patrum doctrinæ anteponant?* Et antequam quæſito reſpondeat, præmittit id certè graviſſimum fore crimen in Doctore Catholico, & fatetur nihil eſſe præſentius ad mores corrumpendos, & corrumpendam diſciplinam. Tum verò conqueritur huius criminis Reum agi ſuum Valerium Reginaldum, eo quod in fronte primi libri loquens ad lectorem dixerit: *In definiendis quidem circa credenda occurrentibus difficultatibus, quo Antiquiores fuerint Authores, eo maioris ponderis cenſeri ipſorum placita, tamquàm viciniora traditioni, doctrinæq; Apoſtolicæ. In dirimendis tamen controverſiis circa agenda enatis, potiorem ex adverſo haberi rationem Doctorum Recentiorum, quos conſtiterit excelluiſſe in doctrina, ac diligentes extitiſſe in evolvendis & exponendis aliorum ſententiis; atque ponderandis de novo emergentibus agendorum quæ ex eorum inſpectione definienda ſunt, circumſtantiis: quarum tanta eſt inconſtantia ex varietate perſonarum, locorum, & temporum: ut plerumque nihil aliud in genere ſtatui poſſit, quàm totum eſſe relinquendum prudentis arbitrio, qui illis inſpectis, ac ponderatis, ſtatuat quid rationi conſentaneum cenſeatur. Quæ in re potiores partes meritò tribuuntur Recentioribus, qui præſentium temporum, morumq; conditiones perſpectas habent.*

Quem tamen P. Riccius defendit ex ipſomet eius contextu allegato, dicens eum intelligendum eſſe, ut ſemetipſum explicat, in caſu tantùm, quo novæ emergerent agẽdorum circumſtantiæ, ex quarum inſpectione multoties oportet ab Antiquis, qui eas prævidere non potuerunt, recedere. De quo plura exempla idem P. Riccius adducit *cap. 2. num.* 8. ex P. Bardi, puta quia ſupervenit novum aliquod decretum pontificium oppoſitam determinans ſententiã; vel quia illa antiquior opinio in conſuetudine aliqua fundabatur, quæ temporis progreſſu, contraria conſuetudine abrogata fuerit; vel ſimili aliqua ratione non prævisâ à Priſcis, & Antiquioribus Doctoribus.

1127 Deindè quaſi ſimul hæc confirmans, & quæſito ſatisfaciens, quædam alia loca percurrit eiuſdem Reginaldi, Nicolai Baldelli, Patris Bardi, & aliorum ſuæ ſocietatis, ubi ad literam videntur eos potiſſimùm Authores præferre, qui ſint Docti, Catholici, probi atque integrioris vitæ, & qui cum Romano Pontifice Chriſti Vicario conſentiunt in doctrina, cuiuſmodi cenſentur qui Sacros Canones, & quidquid aliud S. Romana Eccleſia approbat, ſequuntur. Pro quibus conditionibus ſive ſub eiſdem omninò expreſſiſſimis verbis, ſive ſimilibus, allegat ſpecialiter ipſum Reginaldum in fronte primi *lib. cit. & lib.* 11. *cap.* 3. *ſect.* 1. & Nicolaum Baldellum *lib.* 4. *diſp.* 2. *n.* 16. & Patrem Bardi, Breſſerum, Cardenas, alioſque confuſim. Ita ut faciat præſertim ex Reginaldo, appa-

apparere non eſſe cenſendum Doctorem Catholicum illum, qui ex Sacris Canonibus, & SS. Patribus, tamquam ex primis principiis, & fontibus, ſuas omnes deciſiones non deducat; & Antiquiores, atque Sapientiores, & meliores nō ſequatur; neque dicendam eſſe eiuſmodi Doctoris opinionem practicè probabilem, & ab aliquo eligendam, qui noverit oppoſitum à pluribus, vel ſapientioribus doceri. Et ſimilia.

1128 Undè tandem quaſi concludens ſubdit: *Habes itaque in quo ſenſu dixerit Reginaldus potiores partes tribuendas eſſe Recentioribus. Et ſimul habet ex ipſius ſententia non eſſe Doctorem Catholicum illum, qui ex Sacris Canonibus tamquam ex primis principiis & fontibus ſuas omnes deciſiones non deducat. Confla nunc ipſi, ſi potes, invidiam, & in Recentiores omnes deriva.*

1129 Et infra: *Utrum nunc Reginaldum inter Probabiliſtas recenſent, an non? Si non recenſent; quo iure ex Reginaldo omnes accuſant? Si recenſent; ergo concedunt Probabiliſtæ id, quod paucioribus aut minùs ſapientibus videtur, non conſtituere opinionem probabilem; cum contrarium plures, vel Sapientiores affirmant, ut concedit Reginaldus. At hoc poſito, deſinit Probabiliſmus omnis, & Probabiliſtæ. Quos igitur tanto animi ardore accuſant, ac reprehendunt?*

1130 Et iterùm: *Rursùs ex Reginaldo, hi dicendi ſunt Doctores Catholici, quos niſi conſulas, opinionem practicè probabilem non habebis in re morali, qui ſequuntur Sacros Canones, eoſque habent pro principiis & fundamentis ſuarum deciſionum. Deciſiones autem deductæ ex Sacris Canonibus, & conſequenter ex Conciliis, & SS. Patribus, fieri nullo modo poteſt, ut ſint minùs tutæ, minuſque probabiles* (attende hìc lector induſtriam huius Authoris, ut vim faciat ad principale ſuum intentum, quam tamen fallacem oſtendam infra, cum agam contra doctrinam ſequentis ſecundi capitis) *Ergo ſi Reginaldus inter Probabiliſtas referatur, & Probabiliſtæ inſiſtant ſuis principiis, fieri nullo modo poteſt, ut a Probabilioriſtis diſcrepent, niſi deſtruant exercitè, quod conſtruunt ſignatè; & proteſtatio ſit contraria facto. Id enim infra palam fiet; non poſſe nimirum Probabiliſtas à Probabilioriſtis diſcordare, niſi priùs diſcordent à ſeipſis, ſuiſque principiis. Sed ſive inter Probabiliſtas, ſive inter Probabilioriſtas Reginaldus referatur; certè hac eius doctrina ſeu definitio Doctoris Catholici vera eſt.*

1131 Ex qua demùm doctrina concludit ſic: *Hac veriſſima doctrina poſita,* (inquit) *quæ non tàm eſt Reginaldi, quàm Spiritus Sancti; neſcio an cuicumque competat nomen Doctoris Catholici, qui authoritate ſua faciat moralem certitudinem de licito, & conſcientiæ ſecuritatem. Et certè mirum eſt quod non dicantur latinè loqui, niſi qui locutiones ſuas omnes ad Ciceronem, Cæſarem, Saluſtium, Terentium, & paucos alios latini ſermonis fontes reſolvunt; & dicendi ſint chriſtianè reſolvere, qui in rebus ad fidem, & mores pertinentibus, deciſiones ſuas ad Chriſtum & Sancta Dei Evangelia non reſolvant; & multo magis ſi nequeant illa ad hoc primum principium reſolvere? . . . . Qui ex hoc principio deciſiones ſuas deducit; aut innocenter credit ex hoc principio eſſe benè deductas; neque deducet doctrinam minùs tutam, minuſque probabilem: neque doctrinam, quam iudicat minùs tutam, minuſque probabilem, credere poteſt ex hoc principio eſſe deductam; undè nec illam credere licitam, ac probabilem practicè, ut fuſius infra. Toti enim in hoc ſunt Probabilioriſtæ, ut negent licitum eſſe ſequi ſententiam, quam quis iudicat, aut prudenter iudicare debet eſſe minùs tutam, minuſque probabilem, quia non poteſt ſimul iudicare illam eſſe ex legitimo fonte deductam.* Hæc P. Riccius in primo capite ſui operis, & quidem induſtriosè, nimis, & adeò eloquenter, ut videatur in hac materia ferè totum SS. Patrum zelum, ac loquelam ipſam, & phraſim æmulari.

Criſis doctrinæ præcedentis capitis adverſùs eius Authorem.

1132 Audiſti, lector, ex Riccio ſolida principia, & fontes probabilitatis practicæ directæ, tùm intrinſecæ, tùm extrinſecæ in re morali, rationem ſcilicet, & authoritatem; utramque verò ex Sacris Scripturis, Conciliis, SS. Patribus, Antiquioribuſque Eccleſiæ Doctoribus deducendam; non ex humanis ſpeculationibus, & ſubtilitatibus. Non inficior. Sed quid indè? Numquid iis principiis, puriſque fontibus omnes ſuæ ſocietatis ſcriptores inſiſtere in deciſionibus ſuis hactenùs probavit? Tu judex ſis. Mihi quidem ex ipſius huc uſque dictis non probatum eſt. Quid enim refert ſi Reginaldus, Baldellus, aliique, quos citat, iis locis ab ipſo allegatis, eiuſmodi fontes commēdent, eaque principia ſignatè doceant; atque indè Doctorem Catholicum definiant, et ſimilia aliquando laudabiliter dicant? oportebat ulteriùs probare et oſtendere eos ſemper, et ubique univocè loqui, et conſequenter ad hæc ſua dicta, ac conformiter ad huiuſmodi proteſtationes ſuas, ſingula reſolvere, et maximè in deſignanda proxima regula honeſtatis pro conſcientia formanda in materia opinativa, ſicut principaliter hìc prætendit P. Riccius. At hoc, ſi benè attendas lector, non probat præfato ſuo diſcurſu, ſed totus eſt in oſtendendâ illâ ſignatâ doctrinâ principiorum ac fontium practicæ probabilitatis, quaſi indè benè, et irrefragabiliter inferatur intentum ſuum. At non infertur.

1133 Attende ergo mecum, & pondera eius diſcurſum, & judica ſi quid inferat. Sic ille argumentatur: qui ex iis fontibus iiſque principiis deciſiones ſuas deducit, aut innocenter credit eſſe deductas, non deducet (inquit) do-

ctrinam minùs tutam, minuſque probabilem: neque doctrinam, quam judicat minùs tutam, minuſque probabilem poteſt credere eſſe inde deductam, ac per conſequens nec illam credere licitam, & practicè probabilem. Hæc eſt ipſiſſima maior eius propoſitio in propriis terminis tranſcripta; in qua ſita eſt tota efficacia ſui diſcurſus, ut videre eſt apud ipſum. Nam ſub tali propoſitione maiori, & præſuppoſità ſimul ſuorum doctrinà ſignatè tradita de fontibus & principiis probabilitatis practicæ; tacitè collocat propoſitionem hanc minorem, videlicet: ſed omnes Doctores Societatis, Recentiores Probabiliſtæ nuncupati, ſi à ſemetipſis atque à ſuis principiis ſignatè traditis exercitè non recedant (quod non eſt credendum) nihil dicunt aut reſolvunt, ut practicè probabile, niſi id ex iis fontibus, & principiis deductum videant, vel indè deductum innocenter credant: nec quod ita deductum vident, aut innocenter credunt, poſſunt minus tutum minuſque probabile credere, cum fontes illi ſint prima origo omnis veritatis & ſecuritatis. Ergo quidquid dicunt practicè probabile, non poſſunt credere aut ſibi ſuadere eſſe minùs tutum, minuſque probabile; neque quod judicant eſſe minùs tutum minùſque probabile, poſſunt ex illis fontibus deductum credere, vel eſſe practicè probabile. Undè juxta eorum doctrinam pugnare videtur in terminis, eſſe practicè probabile, & eſſe minùs tutum minuſque probabile, cum omninò idem ſit illis eſſe practicè probabile, & eſse deductum ex illis fontibus; & idem ſit eſse indè deductum, ac eſse abſolutè tutum, cui repugnat eſse minùs tutum minuſque probabile. Cum igitur dicunt licere ſequi omnem opinionem practicè probabilem modò probabilem; non concedunt, ſed negant licitum eſse ſequi minus tutam minuſque probabilem, quod eſt ipſiſſimum dictum Probabilioriſtarum. Toti enim in hoc (inquit P. Riccius) ſunt Probabilioriſtæ, ut negent licitum eſse ſequi ſententiam, quam quis judicat, aut prudenter judicare debet eſse minus tutam minuſque probabilem. Ecce vim & efficaciam totius diſcurſus P. Riccii ad demonſtrandam ſummam concordiã ſuorum cum Probabilioriſtis in hoc ſuo primo capite ex illis primis principiis & fontibus, quibus inſiſtere dicit Authores ſuos, & ex eo quod quibuſdam locis ſuorum allegatis ſuaſit eos plurimi facere Sanctorum Patrum doctrinam, & nullatenùs huic Recentiorum doctrinam anteponere. Lege, ac relege in fonte integrum hoc primum caput & diſcurſum huius Authoris, & videbis in hoc ſiſtere totum eius ratiocinationis robur.

1134 Examinemus autem nunc eius propoſitiones & conſequentias; & primò ac principaliter maiorem illam propoſitionem in propriis terminis tranſcriptam: qui ex his fontibus (inquit) iiſque principiis deciſiones ſuas deducit, aut innocenter credit eſse deductas, non deducet doctrinam minùs tutam minuſque probabilem, &c. Propoſitio hæc falſa eſt in ſe, & falſam quoque ſupponi oportet ex ipſo P. Riccio ab Authoribus ſuis. In ſe quidem falſa eſt, quia ſi tutum, & practicè probabile in præſenti dicitur quod eſt ex illis fontibus ſeù principiis deductum; aut indè deductum innocenter creditum; negari non poteſt conſequenter quod quidquid innocenter judicatur magis vel minùs efficaciter indè deductum, ſit etiam judicandum magis vel minus tutum, & magis vel minùs probabile intra idem genus practicè probabilis, ut infra contra doctrinam ſecundi capitis diſtinctiùs oſtendam. Falſam quoque ſupponi oportet ex ipſo Riccio ab Authoribus ſuis; nam ipſe, ut infra videbimus, exponit Authores ſuos, cum dicunt licitum eſſe ſequi minùs probabilem minùſque tutam; loqui de opinione, dicta minus probabili, minùſque tuta, non per defectum probabilitatis, & ſecuritatis, ſed per defectum maioris probabilitatis, & ſecuritatis reſpectivè ad oppoſitam. Ergo infra genus verè practicè probabilis, & deducti ex illis fontibus eſt reperire magis, & minus tutum, magis & minus probabile judicatum ab ipſiſmet ſuis Authoribus, quos Riccius interpretatur. Quam ergo veritatis ſpeciem præ ſefert maior illa ipſius propoſitio, quod qui ex iis fontibus deciſiones ſuas deducit, aut innocenter credit eſſe duductas, non deducet doctrinam minùs tutam minuſque probabilem, neque doctrinam, quam judicat minus tutam minuſque probabilem poteſt credere inde eſſe deductam, ac per conſequens nec credere illam eſſe licitam, & practicè probabilem? Nec refert quod fontes illi ſint prima origo veritatis & ſecuritatis, nam licet hoc veriſſimum ſit ex parte ipſorum, contingit tamen deficere ex parte deducentium, præſertim ubi vis illationis ob inevidentiam patitur latitudinem, & poteſt ſuſcipere magis, & minus per maiorem, & minorem acceſſum ad principia, ſicut evenit in probabilibus, quæ numquam ſupponuntur evidentia.

1135 Sed procedamus ulteriùs ad minorem eius propoſitionem tacitè ab eodem Authore in ſuo diſcurſu ſuppoſitam: ſed Doctores (ait) Societatis Recentiores Probabiliſtæ nuncupati, ſi à ſemetipſis, & à ſuis principiis ſignatè traditis, exercitè non recedant (quod non eſt credendum) nihil dicunt aut reſolvunt ut practicè probabile, niſi id ex illis fontibus, & principiis deductum videant, vel indè deductum innocenter credant &c. Dicat in primis P. Riccius, undè oſtendit de Authoribus ſuis non eſſe credendum, exercitè recedere à ſuis principiis ſignatè traditis? Ego quidem manifeſtè in illis oppoſitum deprehendo; imò vel etiam ſignatè quodammodo priori illi ſuæ doctrinæ contradicere, & in iiſdem ferè locis ſupra à Patre Riccio allegatis. Et certè qua veri ſpecie ſuaderi poteſt hoc ipſum, quod dicunt, licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, minuſque probabilem, modò probabilem, etiam juxta interpretationem

tionem Riccii & prout ly, minùs, importat carentiam maioris ſecuritatis, & probabilitatis; Authores ſuos ex illis fontibus potuiſſe exercitè deducere? Conſtat enim quod in minus tuto ſit maior periculi ſuſpicio; & in minus probabili plus incertitudinis. Et tamen in ſacro textu legitur, qui amat periculum peribit in illo; & in Sacris Canonibus ex Auguſtino habetur: tene certum, & dimitte incertum. Et erit illud dictum ex Scriptura Sacra ex Sacris Canonibus, Sanctiſque Patribus exercitè, & de facto deductum?

1136 Nec prodeſt Patri Riccio id quod in ſuo ſecundo capite dicit, exponendo, & detegendo, ut ait, dictorum terminorum æquivocationem; quod minus tutum per carentiam maioris ſecuritatis, jam certò tutum ſupponitur, de quo certum eſt, nec Scripturam Sacram, nec Sacros Canones, nec Patres negare poſſe unicuique licitum eſſe pro ſua libertate eligere, & illo uti. Non, inquam, ipſi prodeſt; nam, ut infra ſuo loco oſtendam, dum ipſe æquivocationem illam conatur detegere, ut ab illa ſe expediat, & doctrinam ſuam expeditiùs proſequatur, peiori æquivocatione ſe implicat, & non advertit. Minùs tutum enim dùm minùs probabili adiungitur, nec carentiam ſecuritatis ſonat, nec carentiam maioris ſecuritatis, quaſi poſitivam ſecuritatem ſupponens; ſed minoritatem cognitionis; ita ut idem ſit, dicere minus tutum minuſque probabile, ac minus veriſimiliter cognitum ut tutum. Cum quo ſtat, quod poſſit utroque modo contingere, videlicet, eſſe, vel non eſſe in ſe tutum; ſicut poteſt contingere eſſe, vel non eſſe in ſe verum. Sic autem periculo non caret, unde nec certò tutum dici poteſt, neque certitudine phiſica, nec morali; non enim poteſt dici moraliter certum, quod minus veriſimiliter apparet eſſe tale. Quomodo ergo aliquid eiuſmodi licitum judicari poterit ex Sacra Scriptura, Sacris Canonibus, ac SS. Patribus, ex quibus docemur vitandum eſſe periculum, & tenendum eſſe certum, dimiſſo incerto, ut vidimus?

1137 At redeamus iterùm ad principia illa ſignatè ab ipſis tradita, ut appareat ſi ſemper & ubique ea docent, aut illis quandoque contradicant. Jam Reginaldus ipſe a P. Riccio allegatus in fronte primi libri, ut ipſemet refert, docet in controverſiis circa agenda éuatis potiores partes tribuendas eſſe Recentioribus. Ergo videtur manifeſtè etiam in ſua doctrina ſignatè tradenda, recedere à Sanctis Patribus, & Theologis antiquioribus. Et licet ibi pro hoc ſuo aſſerto videatur rationem reddere, quia nimirùm cenſentur verſati *in ponderandis de novo emergentibus agendorum, quæ ex earum inſpectione definienda ſunt, circumſtantiis: quarum (inquit) tanta eſt inconſtantia ex varietate Perſonarum locorum, & temporum; ut plerumque nihil aliud in genere ſtatui poſſit, quam totum eſſe relinquendum prudentis arbitrio, qui illis inſpectis ac ponderatis ſtatuat quid rationi conſentaneum, cenſeatur; quæ in re potiores partes merito tribuuntur Recentioribus, qui præſentium temporum, morumque conditiones perſpectas habent*. Unde P. Riccius dicit id ſuum dictum intelligendum eſſe tantùm in caſu ſimilium circumſtantiarum, quæ prævideri non potuerunt ab antiquis, & Sanctis Patribus, utpotè de novo emergentes, de quibus nonnulla exẽpla adducit ex Patre Bardi, & aliis. Nihilominùs intelligentia hæc ad nihilum ſuffragatur, nec exempla quæ adducit Riccius, doctrinæ ac verbis ſui Reginaldi poſſunt facilè aptari. Quia Reginaldus in primis ibi loquitur abſolutè, & profert ſententiam ſuam ſimpliciter, quod in controverſiis agendorum ſint præferendi Recentiores, per contrapoſitionem ad controverſias fidei, in quibus ait præferendos eſſe Antiquiores Patres. Si autem locutus fuiſſet in caſu dictarum circumſtantiarum, quæ potiùs ad exceptionem regulæ pertinent, quam ad ipſam regulam; debuiſſet priùs abſolutè dicere, & ſimpliciter ſtatuere, quod etiam in controverſiis agendorum præferendi eſſent Patres Antiquiores; & deindè ad exceptionem circumſtantiarum devenire. Præterea circumſtantiæ illæ, de quibus loquitur Reginaldus, ſunt Perſonarum, locorum, & temporum, ut conſtat ex eius verbis relatis, quatenus ſcilicet pro variis temporibus, & locis mutantur hominum mores, *quorum tanta eſt infirmitas & inconſtantia, ut plerumque* (inquit) *nihil aliud in genere ſtatui poſſit, quam totum relinquendum eſſe prudentis arbitrio, qui ſtatuat quid rationi conſentaneum cenſeatur*. Circumſtantiæ autem huius generis, & importantes ſolam inſpectionem inconſtantiæ, & infirmitatis hominum, eorumque morum, & conſuetudinis vivendi ipſorum pro conditione ſuæ fragilitatis; regulariter loquendo abuſus, & corruptelas morum referſit, quæ non ſunt ratio ſufficiens abrogandi leges, & reſolvendi contra deciſiones Patrum, qui ſecundùm leges docuerant; unde longè diverſæ ſunt à circumſtantiis de quibus P. Riccius exẽplificat ex P. Bardi & aliis. Si ergo Reginaldus ex his circumſtantiis vult præferendos eſſe Recẽtiores, qui hominum infirmitati, & corruptis moribus indulgentes pro ſuo arbitrio reſolvunt; jam ſine cauſa eos præferẽdos eſſe, etiam ſignatè docet; ac per conſequens non in caſibus illis, de quibus Riccius interpretatur, & qui raro contingunt, ſed abſolutè loquitur, & ferè ſemper illis potiores partes tribuendas affirmat. Non ergo ſemper, & ubique univocè loquitur illis fontibus inſiſtens.

1138 Et manifeſtatur ampliùs: nam vel illæ circumſtantiæ, de quibus loquitur Reginaldus, ex quarum inpſectione pendẽt reſolutiones agendorum, fuerunt ab Antiquis Patribus ſaltem in ſpecie præviſæ, et de illis ſuam ſententiam pronunciarunt; vel non. Si non (quod tamen eſt moraliter impoſſibile, cum infirmitas

& in-

Digitized by Google

& inconſtantia hominum ſemper eadem fuerit, ſicut & modò, exceptis quibuſdam circumſtantiis ſingularibus rarò emergentibus, de quibus procul dubio non loquitur Reginaldus, dum ait: *Quod tanta eſt inconſtantia hominum in moribus ſuis, ut plerumque nihil aliud in genere ſtatui poſſit, quàm totum eſſe relinquendum prudentis arbitrio.*) Ergo nihil de illis ſtatuerunt: quo pacto igitur in iis circumſtantiis inquit potiores partes Recentioribus tribuendas? jam ceſſat illorum cum iſtis omnis comparatio doctrinæ: In quo igitur erit potioritas iſtorum? debuiſſet potiùs dicere; ubi Patres ſilvere; ibi Recentiores ſufficiant. At potiores partes iſtis tribuere ſupponit illos non ſilviſſe, ſed & inſpexiſſe, & fuiſſe locutos ſenſum ſuum. Cur ergo cum Recentioribus potiùs ſtandum eſſe docet? eſtne hoc Antiquis Patribus deferre, & principiis illis ac fontibus ſignatè inſiſtere? Si præviſæ fuerunt, & ſuper illis facta deciſio; cur eorum deciſionibus non inſiſtendum? Niſi quia abſolutè Reginaldus Recentiorum Doctrinam SS. Patrum, & Antiquorum arbitrio antepoint? quo ergo abierunt fontes illi puriſſimi summopere commendati?

1139. Similiter P. Baldellus licet *loc. cit. num.* 16. à P. Riccio ea verba proferat, quibus videtur plurimi facere Patrum authoritatem, qui fuerunt regulariter integrioris, & melioris vitæ. tamen præcedente *num.* 5. ad probabilitatem practicam inquit ſufficere unum Doctorem. Attende eius verba ad literam. *Quod verò* (inquit) *non requiratur ad conſcientiam, aut opinionem probabilem, ut habeat plures Doctores, ſed poſſit aliquando ſufficere etiam unus, probat Azor. p. 1. lib. 2. cap. 13. cit. ex l. unica iam citata C. de vet. iur. enucl. ubi ex eo dicitur: non eſſe iudicandum ex multitudine Authorum id, quod melius, & æquius eſt: quia poteſt unius & deterioris ſententia multos & maiores aliqua in parte ſuperare. Et ratio eſt: quia quamvis contra Dei, & Eccleſiæ authoritatem non poſſit ratio humana facere probabilitatem; benè tamen poteſt illam facere contra authoritatem humanam, eamque benè poteſt etiam vincere, ut notat Sylveſt. verb. opinio n. 2. & ex illo Reginaldus lib. 12. cap. 10. num. 93. Et ut dicitur cap. quia ſanctam §. verum diſt. 63. facilè poteſt accidere, ut Prædeceſſores & maiores noſtri aliqua fecerint, quæ tunc potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea ſint verſa in errorem, & ſuperſtitionem. Et ex cap. Capellanus de feriis: ex eo una ſententia eſt alteri præferenda, quia meliori & ſubtiliori rationi nititur: facilè autem poteſt contingere, ut talis aliqua ratio melior uni concurrat, eiuſque ſententia propter huiuſmodi rationem meliorem paulatim incipiat introduci in ſcholas, & alias opiniones reddat minùs probabiles: & in tali caſu etiam ille, qui primus invenit talem rationem, licitè poteſt eam ſequi contra communem ſententiam, cæterorum, ut notat Vaſquez 1. 2. diſp. 62. num. 13. Sanch. lib. 1. in decal. c. 9. n. 9. Azor. p. 1. lib. 2. cap. 13. in fine & cap. 17. q. 6. Si enim ſit vir doctus, & aliorum rationibus diligenter expenſis iudicat eas eſſe minoris momēti, quàm ſit ſua ratio, quæ de novo ipſi occurrit pro oppoſita ſententia, non eſt dicendus operari imprudenter, ſi operetur ex propria opinione ſic fundata, & firmata.* Hæc Baldellus *loco cit. & num.* 6. & 7. ex tali doctrina infert aliqua licere contra communem ſententiam ex nova aliqua ratione, exemplificando de Chriſtianis, quod eis liceat in Triremibus Turcarum onera, & ſarcinas aſportare, arma deferre, ſchalas, & machinas ad muros admovere, & alia huiuſmodi munera captivorum obire: ſicut etiam domum verrere, et lectum ſternere meretrici, & univerſaliter ea omnia facere, quæ ex ſe ſunt indifferentia, & ſolùm ex intentione utentis ad malum finem, habent malitiam. ſic P. Baldellus expreſsè, & ſignatè *dicto num. cit.*

1140 Vide Tu modò ingenue lector, quam opinionem, et ex quibus fontibus deductam, ſignatè doceat P. Baldellus eſſe practicè probabilem, & licitam, ut eam quis ſequatur; illam ſcilicet quæ unius, & etiam deterioris Doctoris eſt contra communem ſenſum Prædeceſſorum, ob unicam tantum ipſius rationem noviter occurrentem, & ab ipſomet meliorem iudicatam. Ergo pro fonte opinionis practicè probabilis nihil aliud hic agnoſcit, niſi rationem humanam, & propriam ſpeculationem, ac ſubtilitatem unius etiam deterioris Doctoris, atque eius iudicium. Et quod peius eſt, huiuſmodi generis ipſemet iudicat rationem illam ab aliquibus allegatam pro actibus ex natura ſua indifferentibus in exemplis adductis, quantumvis ex intentione utentis ordinatis ad malum finem: quæ quidem ratio damnatur ab Innocentio XI. per eius decretum die 2. Martii 1679. in illa propoſitione 51. expuncta de famulo, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile operando &c. ubi ſunt ergo fontes illi puriſſimi? ubi ſignata illa principiorum ædificatio? Certè ſi ex illis ita deducant alii deciſiones ſuas, ut P. Baldellus, nihil magis timendum eſt, quàm quod ab ipſis venit ſic deciſum.

1141. Fateor quidem cum legibus allegatis, & relatis à P. Riccio ex Azorio & aliis, non eſſe iudicandum ex multitudine Authorum id, quod melius, & æquius eſt: fateor quoque, quod ex eo una ſententia ſit aliis præferenda, quia meliori, & ſubtiliori rationi nititur. At quæ ſit melior, & ſubtilior ratio, undè diſcernendum eſt? Si ſuæ ſignatæ doctrinæ inſiſtat P. Riccius cum ſuis, procul dubio reſpondebit diſcernendum eſſe, ex eo quod profundiùs, & ſubtiliùs inſpicitur ex puriſſimis illis fontibus derivari; non ex humanis ſpeculationibus, & ſubtilitatibus. Non poteſt autem meliùs, aut

veriùs inſpici, quod derivatur ab illis, quàm ex quo illorum puritatem videatur ſapere, & ſanctimoniam; ſic enim aqua diſcernitur ſi de uno ſit, vel altero fonte, ſi ſuæ originis teneat ſaporem, & qualitates. At Baldello melior ratio viſa fuit, quæ nihil ſapit de fontibus illis puriſſimis, nec quid illorum puritatis redolet, & ſanctimoniæ, ſed potiùs laxatæ conſcientiæ libertatem, & corporalis periculi cautionem. Et tamen tradit ibi ſignatè doctrinam practicæ probabilitatis. Ergo nec exercitè, nec ſignatè puriſſimis illis fontibus inſiſtit; ſed contentus fuit purà aliquà, ac ſimplici ratione humanitùs ſpeculata, et Authori ſuo viſa meliore, etiam contra communem ſenſum totius antiquitatis; non obſtante, quod ab ipſomet ea regulariter ſupponatur integrioris, et melioris vitæ, atqueideò præferenda: quæ certè concordare non poſſunt.

§. III.

Aſſertur ſumma doctrinæ einſdem P. Riccii in ſecundo capite.

1142 PRoſequitur P. Riccius in hoc ſecundo capite ad oſtendendum Authores ſuos Recentiores Probabiliſtas nuncupatos à veterum Theologorum doctrinâ non deflectere. Et primo præmittit, in ſe hoc fore grave crimen, & numeroſum ac multum malum regulariter; niſi tamen interdùm ex rationabili causâ opus eſſet; quia tunc procul dubio expediret. Id quod probat à paritate doctrinæ D. Thomæ 1. 2. *q.* 97. *a.* 2. ubi S. Doctor inquirit de lege humana num ſit mutanda? et reſolvit quod regulariter non; quia alias infirmaretur vis conſtrictiva legum. hæc enim conſuetudine, ſeu iugi ac continuâ obſervantia magis firmatur; nam quod conſuetum eſt fieri, etiam ſi in ſe leve ſit, grave cenſetur omitti. Si autem leges facilè mutarentur, non adeò firmaretur earùm obſervantia, quia non poſſet fieri in hominibus ea conſuetudo ob huiuſmodi variationem; & ſic cederet in earum detrimentum. Et nihilominùs quia interdùm ex legis mutatione ob maiorem neceſſitatem, & utilitatem pro communi hominum ſalute, detrimentum illud videtur optimè compenſari, expedit tunc eam mutari. Ita proportionaliter dicit P. Riccius de mutatione, ſeu receſſu ab Antiquiorum Theologorum ſententiis, & tranſitu ad novam doctrinam. Undè ſic concludit: *Si igitur quantum D. Thomas docuit deferèdum eſſe antiquis legibus; alterum tantum doceant Recentiores Probabiliſtæ deferendum eſſe Antiquiorum Theologorum doctrinæ: nonnè erit cur omni prorsùs invidiâ careant?* Quà induſtriâ nititur ſuadere ſuos quoque Authores, ſi interdùm à Veterum opinionibus recedant ex rationabili cauſa, & meliori conſilio, non eſſe dicendos citra invidiam ab illis deflectere; eo quod tunc prudenter id agant.

1143 Quod autem alterum tantum deferant ſui Authores antiquiorum opinionibus, probat primò ex ſuo Patre Bardi *diſcept.* 4. *de conſcia probli cap.* 6. ubi quærit quænam opinio in concurſu Veterum, & Recentiorum ſit præferenda? & reſpondet cum diſtinctione: *Si* (inquit) *Recentiores expenſis veterum argumentis, ſatis efficaciter ea diluant, & nová ratione à priſcis non prævisâ contrariam ſententiam firment: ut ſi extet novum aliquod decretum pontificium pro hac novâ ſententiâ contra veterem: vel quia antiquior opinio in conſuetudine aliquâ fundabatur, quæ ſucceſſu temporis contrariâ conſuetudine abrogata fuerit; tunc præferenda eſt nova Recentiorum opinio. At ſi iſti contrariam opinionem adſtruant, non afferendo novam rationem, aut valdè efficacem in oppoſitum; ſed ſolùm probabiliter argumenta ſolvendo; & ſic contrarium velint, quia ſic ſibi placet, ſibique videtur; tunc præferenda eſt veterum opinio.* Sic P. Bardi apud ipſum Riccium. Adducit 2. Azorium 1. *p. lib.* 1. *cap.* 1. ub ſub initium promittit omnia ex S. Thoma optimo Magiſtro veluti ex fonte puro hauſta reſolvere. & *Layman. tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 1. dei conſcientia, ubi, *particulares deciſiones* (ait Riccius) *reſolvit ad Antiquos Theologos, præſertim ad D. Thomam*; & Baldellum *lib.* 4. *diſp.* 2. *num.* 16. *ſupra cit.* in præcedenti capite. Quo poſito infert P. Riccius non poſse ſuos Probabiliſtas diſcrepare a Probabilioriſtis; quia ſi utrique conveniunt in ſequendâ doctrinâ veterum tamquam in uno tertio, oportet quod & inter ſe conveniant; niſi à ſuiſmet principiis diſſentiant, & ſibimet contradicant.

1144 Et ut hoc ſpecialiùs, quaſi in puncto præſentis quæſtionis, confirmet ex eodem D. Thoma, ſic proſequitur: *Accedit* (inquit) *quod tota controverſia inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas eſt de dubio poſitivo, ſeu probabili legis in caſu particulari, num pro libertate ſtandum ſit, an pro lege diſputatà. At ſi de Recentiorum Probabiliſtarum ſententia non eſt recedendum ab antiquiorum opinione; niſi aut adducatur ratio evidens in contrarium ab Antiquis non prævisa &c.* (ut ſupponit monſtratum ex P. Bardi &c.) *Jam quid doceat D. Thomas* 1. 2. *q.* 96. *a.* 6. *faciendum eſſe in dubio legis, & quæ ſit eius ſententia clarè patet: Cui ſi ſubſcribant Recentiores, cauſa finita eſt.* Quaſi velit apertè dicere: ſi Recentiores Probabiliſtæ concordant cum Probabilioriſtis in hoc, quod non ſit recedendum à veterum opinionibus, niſi &c. oportet quod etiam concordent in non recedendo ab opinione D. Thomæ in dubio poſitivo ſeu probabili legis in caſu particulari; de quo eſt tota hæc præſens controverſia, num ſcilicet pro libertate ſtandum ſit, an pro lege diſputatà. Ac propterea ſi utrique ſive Probabiliſtæ ſive Probabilioriſtæ ſe ſubſcribunt reſolutioni D. Thomæ: Cauſa finita eſt. Jam verò illi ſe ſubſcribant, dum conveniunt, quod non ſit ab

ab Antiquioribus recedendum, eſt enim Divus Thomas & Antiquior, & Eccleſiæ Doctor. Videndum eſt ergo quid D. Thomas in puncto dictæ controverſiæ reſolvat; *quod* (inquit) *clarè patet ex eius Textu* 1. 2. q. 96. a. 6. & indè conſequenter patebit reſolutionem D. Thomæ eamdem eſſe cum ſententia Probabiliſtarum, & iſtos cum Probabilioriſtis pariter convenire. Atque ideò ſubdit P. Riccius: *D. Thomam igitur audiamus, qui loc. cit. quærit utrum ei, qui ſubditur legi, liceat præter verba legis facere? & reſpondet affirmativè, ſed cum limitatione*. Et incipiens referre Textum D. Thomæ ab argumento ſed contra, poſteà refert reſolutionem eius in corpore, & tandem reſponſionem ad ſecundum; quam credit maximè facere ad præſentem difficultatem. Undè per extenſum literam D. Thomæ ſic tranſcribit: *num. X.*

1145 *Sed contra* (inquit D. Thomas) *quod Hilarius dicit in* 13. *de Trinit. intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi; quia non ſermoni res, ſed rei debet eſſe ſermo ſubiectus. Ergo magis eſt attendendum ad cauſam, quæ movit Legislatorem, quàm ad ipſa verba legis.*

1146 Et in corpore articuli: *Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt: omnis lex ordinatur ad communem hominum ſalutem, & in tantum obtinet vim, & rationem legis. Secundùm verò quod ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet. Undè Juriſperitus dicit, quod nulla ratio iuris, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro ſalute hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione cōtra ipſorum commodum perducamus ad ſeveritatem. Contingit autem multoties quod aliquid obſervari communi ſaluti eſt utile, ut in pluribus; quod tamen in aliquibus caſibus eſt maximè nocivum. Quia igitur Legislator non poteſt omnes ſingulares caſus intueri, proponit legem ſecundùm ea, quæ in pluribus accidunt, ferens intentionem ſuam ad communem utilitatem. Undè ſi emergat caſus, in quo obſervatio talis legis ſit damnoſa communi ſaluti, non eſt obſervanda, ſicut ſi in Civitate obſeſſa ſtatuatur lex, quod portæ Civitatis maneant clauſæ; hoc eſt utile communi ſaluti, ut in pluribus. Si autem contingat caſus, quod hoſtes inſequantur aliquos Cives, per quos Civitas conſervatur, dāmnoſiſſimum eſſet Civitati, niſi eis portæ aperirentur. Et ideò in tali caſu eſſent portæ aperiendæ contra verba legis, ut ſervaretur utilitas communis, quam Legislator intendit. Sed tamen hoc eſt conſiderandum, quod ſi obſervatio legis ſecundum verba non habeat ſubitum periculum, cui oporteat ſtatim occurri, non pertinet ad quemlibet, ut interpretetur, quid ſit utile Civitati, & quid inutile; ſed hoc ſolùm pertinet ad Principes, qui propter huiuſmodi caſus habent auctoritatem in legibus diſpenſandis. Si verò ſit ſubitum periculum, non patiens tantam moram, ut ad ſuperiorem recurri poſſit, ipſa neceſſitas diſpenſationem habet annexam, quia neceſſitas non ſubditur legi.*

1147 Et in reſponſione ad ſecundum. *Ad ſecundum dicendum, quod ille qui ſequitur intentionem Legislatoris non interpretatur legem ſimpliciter, ſed in caſu, in quo manifeſtum eſt per evidentiam nocumenti Legislatorem aliud intendiſſe. Si enim dubium ſit, debet vel ſecundum verba legis agere, vel Superiorem conſulere.* Hæc D. Thomas.

Cuius hæc reſponſio ad ſecundum (inquit P. Riccius ibid:) *non videtur poſſe negari, cum ſit expreſſa in deuter. cap.* 17. *à num.* 8. *ſi difficile, & ambiguum, &c. Et primo Regum cap.* 13. *ſtultè egiſti &c. Et probatur etiam ratione, quia ſubdito incumbit in conſcientia ſervare legem illæſam. Ergo ſubdito incumbit per evidentiam nocumenti oſtendere Legislatorem aliud intendiſſe, & ſic legem illæſam ſervari in hoc caſu particulari, & in his circumſtantiis.* Huc uſq; P. Riccius referens literam D. Thomæ, & confirmans reſponſionem eiuſdem ad ſecundum ex Sacris Scripturis & ratione; exiſtimans totam huiuſmodi doctrinam ſibi evidentiſſimè ſuffragari.

1148 Fundat autem ipſe hanc exiſtimationem ſuam in hoc, quod D. Thomas, ut patet ex præfato textu ad literam relato, reſolvit legem non eſſe in omni caſu ad literam ſervandam: ſed quandoque benignè interpretandam, emergente dubio poſitivo, ſeù probabili legis in aliquo caſu particulari, num pro libertate ſtandum ſit, an pro lege. Dummodò per evidentiam nocumenti appareat tùnc Legislatorem aliud intendiſſe. Huiuſmodi enim reſolutionem credit P. Riccius eſſe in puncto noſtræ præſentis controverſiæ de dubio poſitivo legis, ſeù probabili, ut ipſe aſſerit, & putat coincidere cum reſolutione ſuorum Probabiliſtarum qui militant pro interpretatione benigna legis in favorem libertatis, quia probabilitas practica, ſi ſit præcipuè ex puris illis fontibus, ſicut ipſe requirit, vel talis innocenter credita, videtur facere evidentiam, quod lex in eo caſu particulari, de quo eſt controverſia inter Doctores, non intendat ligare. Quæ eſt ipſiſſima ſententia D. Thomæ in præfato textu allegato; ac propterea videatur ſui Recentiores Probabiliſtæ ſubſcribere reſolutioni D. Thomæ etiam in hoc eodem puncto, de quo eſt controverſia inter ipſos, & Probabilioriſtas: & cum alias Probabilioriſtæ contendant non recedere à D. Thoma, ſed illi libenter ſe ſubſcribant; jam cauſa finita eſt, & conſtat omnes uniformiter de præſenti quæſtione reſolvere in re, & fieri ſolam diſcrepantiam in Verbo. Hæc eſt tota vis, & efficacia diſcurſus Patris Riccii, ſi benè attendatur; licet ab ipſo fortè minùs explicata.

1149 Unde ibidem quaſi ex dictis reaſſumens vim ſuæ doctrinæ præmiſſæ ſic num. XI. argumentatur: *Duas hactenus produximus conditiones requiſitas à Recentioribus Probabili-*

ſtis

ſtis ad licitè operandum, ſeu ad opinionem practicè probabilem. Prima eſt, ut ſententia benigna, quam ſequeris, ſit ex Sacris Canonibus tamquam ex principiis, & fontibus deducta. Id enim eſt Doctorem, quem ſequeris, eſſe Catholicum Doctorem. Ita ex Reginaldo in primo capite, & ex manifeſta ratione. Secunda eſt ut non ſit contraria doctrinæ veterum Doctorum, niſi in caſibus ſupra expreſſis. Ita ex P. Bardi, &c. Sed ex his duabus conditionibus vide quid ſequatur: principium (inquit) *ſeu fundamentum Probabilioriſtarum Catholicorum; hoc eſt: ad licitè operandum requiritur ut quis formet judicium certum, & non fluctuans, citra paſſionem, & culpam, quod ſententia benigna, ſeu favens libertati in dubio legis, ſit vera, & ſic illam ſequatur: formet quidem judicium prudens, & irreprehenſibile, non tamen evidens, & infallibile.* (Et hoc principium deſumpſit Riccius ad literam ex ſuo Præpoſito Generali R. P. Thyrſo Gonſalez in ſuo libro ſuperiùs commẽdato) *Hinc docent conſequenter ſequendam eſſe partem probabiliorem; quia nemo poteſt ſibi perſuadere eſſe verùm, quod poſt omnia judicat minùs veriſimile; ſicut neque poteſt credere eſſe falſum, quod judicat eſſe veriſimilius poſt omnia conſiderata. Hoc ſecundum expreſsè docent Recentiores Probabiliſtæ, ut ſuo loco ex P. Moya, & aliis patebit.* (Nempe ſequendam eſſe partem probabiliorem, quid nemo poteſt ſibi perſuadere eſſe verum, quod poſt omnia judicat minùs veriſimile &c.) *Primum autem eſto verbis poſſint, re tamen negare non poterunt. Patet, nam qui ſibi innocenter perſuadet ſententiam benignam, quam ſequitur, eſſe ex Sacris Canonibus tamquam ex fontibus deductam; is non poteſt non ſibi innocenter pariter perſuadere illam eſſe veram, quia Sacri Canones, Scriptura, Concilia, & SS. Patres fons ſunt omnis, & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ. Et tamen hanc rectam deductionem ex Sacris Canonibus debet ſibi quiſque innocenter perſuadere ex prima conditione à Recentioribus Probabiliſtis requiſita, ut vidimus cap. præced. ut innocenter credat Doctorem, quem ſequitur, eſſe Doctorem Catholicum.*

1150 Vide lector quid ex hoc ſequi prætendat Riccius; prætendit certè, ſequi utroſque nempè tum Probabiliſtas, tum & Probabilioriſtas convenire in illa interpretatione benigna legis ſi fiat per evidentiam in tali dubio politivo ſeu probabili legis juxta doctrinam Divi Thomæ. Hoc enim ipſum ſonare videtur evidentia illa requiſita a Divo Thoma pro benigna interpretatione legis in favorem libertatis, quod ſonat requiſitum illud Probabilioriſtarum de judicio citra paſſionem & culpam, quòd ſententia benigna favens libertati ſit & reputetur vera, ſicut illi dicunt expreſsè: & hoc ipſum implicitè ſonare prætendit P. Riccius requiſitum Recentium Probabiliſtarum de deductione ſententiæ ex illis fontibus, quatenùs, quod ſic innocenter creditur deductum, non poteſt ſic innocenter credenti non apparere verum, nec poteſt ab eo judicari minùs veriſimile. Ecce evidentiam. Ecce vim diſcurſus Patris Riccii magis clarificatam, & fideliſsimè; qua videtur concludere prætenſam ſummam concordiam, & uniformitatem doctrinæ ſuorum omnium cum Probabilioriſtis, imò cum omnibus Catholicis.

1151 Hinc verò infert quod ſui Probabiliſtæ conſequenter ad hæc loquentes, meritò & benè dicunt, abſque eo quod Probabilioriſtis contradicant in re, quidquid ſit in verbo: ſatis eſſe ad licitè operandum ſequi ſententiam minùs tutam, minuſque probabilem, modò probabilem; neque teneri nos ad ſequendam probabiliorem. Et Homines, ſi ad probabiliora teneantur, urgeri ad impoſſibile. Et ſimiliter quod benè dicunt pro ſuâ ſententiâ ſtare omnes ferè Theologos Recentiores. Et jam ſupra centum enumerant; nec centum tantùm, ſed citare poſſunt omnes Catholicos. Dicere autem omnes iſtos errare, temerarium eſt. Et indè, inquit, conſequenter docent eſſe moraliter certum, licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, minuſque probabilem, ſaltem ex tantâ tot Doctorum authoritate. Imò non moraliter ſolùm, ſed omninò certum eſſe, quod hoc ſit licitum; & hanc vocant reflexam evidentiam de licito, licet non de vero. Hæc ſanè omnia quaſi conſequenter eructat P. Riccius; quia hoc minùs tutum minuſque probabile, modificatum per illam particulam (*modo practicè probabile*), credit ita reſtringi, & coarctari per conditiones ſuperiùs explicatas, ut ſit & evadat in re illud ipſum verum citra paſſionem & culpam judicatum, & requiſitum a Probabilioriſtis, & appellatum ab eiſdem probabilius.

1152 Et ideò ſubdit, num. XIII. *Quæ omnia Probabiliſtarum dicta à nullo negari poſſunt, ſi non fiat æquivocatio in hoc verbo, minùs tutum, ſeu minùs probabile. Nam in uno ſenſu ſunt evidenter vera; nec negantur à Probabilioriſtis. In alio ſunt evidenter falſa; & ſic non aſſeruntur, nec aſſeri poſſunt à Recentioribus Probabiliſtis: alioquin ſibi, & veritati, manifeſtè contradicerent.* Æquivocationem autem eorum terminorum exponit ab exemplo hujus termini (*minùs rectum*) *quod*, inquit *num. XIV. dupliciter dici poteſt; vel ſcilicet per defectum maioris rectitudinis; & ſic quod eſt in ſe verè rectum, comparativè ad rectiſſimum dicitur minùs rectum. Vel per defectum rectitudinis ſeu principii rectitudinis; quo pacto ſcandalum dicitur eſſe dictum, vel factum minùs rectum præbens occaſionem ruinæ: non enim ſic dicitur, per defectum maioris rectitudinis; alioquin dictum vel factum rectum, non tamen rectiſſimum, eſſet ſcandaloſum, quod falſum eſt; ſed dicitur minùs rectum, ideſt non rectum, ſed malum carens rectitudine. Sic*, inquit, *minùs tutum poteſt dici, vel per defectum maioris ſecuri-*

curitatis; & ſic omne non ſecuriſſimum eſt minùs tutum. Vel per defectum ſecuritatis, ſeu principii facientis ſecuritatem; & ſic minùs tutum dicitur, quod nullo modo eſt tutum. Et ſimiliter minùs probabile poteſt dici per defectum maioris probabilitatis, ſeu veriſimilitudinis, & ſic omne non evidentiſſimè verum, ſeu probabiliſſimum dici poteſt minùs probabile. Et poteſt dici per defectum probabilitatis ſeu principii facientis probabilitatem; & ſic minùs probabile idem eſt ac improbabile.

1153 *Cum autem Probabiliſtæ dicunt licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, modò practicè probabilem, loquuntur de verè tuta, verèque practicè probabili;* quæ per eos nulla talis eſſe poteſt, niſi ſit deducta ex illis fontibus, vel indè innocenter credita, quod idem eſt ac dicere; citra paſſionem, & culpam vera judicata, ſicut dicunt Probabilioriſtæ, quam tutiorem probabilioremq; appellant, ſed non negant, nec negare poſſunt licitum eſſe ſequi tutam; ſicut non negant tutum eſſe ſequi veram innocenter judicatam. Ergo in nihilo differunt quoad rem ſignificatam Recentiores Probabiliſtæ à Probabilioriſtis. Negant tamen hoc Novatores, qui exigunt ſecuritatem veritatis obiectivæ; nec admittūt ignorantiam invincibilem excuſare; ac propterea ſupereſt quòd tota controverſia, & diſcordia ſit cum Novatoribus, quorum ſunt illæ propoſitiones ab Alexandro VIII. damnatæ, nempè: tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali. Et illa alia: non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.

1154 Et ſimiliter cum Probabilioriſtæ Catholici negant licitum eſſe ſequi partem minùs tutam, minùſque probabilem, ſumunt ly minùs tutam minùsq; probabilem per defectum ſecuritatis & probabilitatis, hoc eſt per defectū principii facientis probabilitatem & ſecuritatem: hanc autem nec Recentiores Probabiliſtæ admittunt, vel admittere poſſunt eſſe licitum ſequi, alioquin ſibi ſuiſque principiis contradicerent. Quale autem ſit tale principium faciens eiuſmodi ſecuritatem, & probabilitatem jam cōſtat ex dictis, puriſſimos ſcilicet fontes illos, ex quibus oportet opinionem eſſe deductam; vel aliter deductam innocenter creditam, ut vidimus ex Recentioribus Probabiliſtis: vel quod idem eſt citra paſſionem, & culpam ut veram judicatam, ut dicunt Probabilioriſtæ. Ergo detectâ terminorum æquivocatione nulla ſupereſt inter utroſque, imò inter omnes Doctores Catholicos, controverſia.

1155 *Et hinc* (ſubdit P. Riccius) *Scildere tract. de conſcientia formanda in materia opinativa cap. 2. §. 1. Probabilior opinio,* inquit, *eſt quæ habet pro ſe firmiores rationes: & talis ſua cuique eſt opinio, ſi conſideratè proceſſerit, eamque debitè formaverit. Hæc Scildere: qui paulò ante ponit conditiones requiſitas, ut opinio ſit probabilis, & eius uſus ſit licitus. Quare teneri ad probabiliorem eſt teneri ad probabilem debitè formatam. Undè unam opinionem eſſe altera probabiliorem, eſt unam habere requiſita ad probabilitatem, alteram verò non habere; dicitur tamen minùs probabilis, ſicut ſcandalum dicitur minùs rectum; cum tamen rectum non ſit.*

1156 *Cæterùm* (ſubiungit idem Riccius) *patet non poſſe ex Sacris Canonibus neque ex doctrina veterùm Theologorum dimanare duo contradictoria: ergo patet non poſſe utramque partem contradictionis habere requiſita ad practicam probabilitatem. Numquid fons de eodē foramine emanat dulcem, & amaram aquam? Jacob. 3. Et hinc fit ut omnes Probabiliſtæ dum docent, licitum cuique eſſe ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore, ſemper addant; modò probabilem; hoc eſt modò habeat illas omnes conditiones, quas Recentiores Probabiliſtæ requirunt; nam ſi hæ deſint, opinio non eſt practicè probabilis: ſi hæ adſint; erras, ſi dicas has non ſufficere; ſed ad licitè operandum requiri plura, aut maiora; & ſic requiri opinionem probabiliorem ſeu probabilitatem maiorem ea, quam faciunt conditiones requiſitæ à Recentioribus Probabiliſtis ad practicam probabilitatem.* Hæc eſt Doctrina Patris Riccii in hoc ſecundo capite ad ſuum intentum demonſtrandum.

1157 Ex qua tandem ibidem ſic concludit: *Tolle igitur Probabiliſmum, quem noſtri defendunt Probabiliſtæ Recētiores; & vide ſi ſtare queas procul ab errore.* Exiſtimat enim omnes alios, qui plus requirunt, in errorem incidere, & in propoſitiones illas ab Alexandro VIII. damnatas; atque ideò eos omnes non ut Doctores Catholicos habet, ſed Janſeniſtas. Quapropter immediatè, quaſi ab eis cavendum eſſe monens, ſubdit: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium; intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. Matth. 7. &c.* Pondera interim, in his verbis lector, quam maiorem iniuriam ipſe aliis inferat, qui de minori ſibi ſive verè, ſive falsò illatâ tam ardenter conqueritur.

Criſis doctrinæ præcedentis capitis adverſus eius Authorem.

1158 Hactenus vidiſti, lector, quâ arte, quâ induſtriâ, quanto circuitu Pater Riccius huc uſque laboraverit, non tantùm ut ſuos, vel etiam invitos, ad pacem, & concordiam, traheret cum Probabilioriſtis ſibi cæteroquin è regione oppoſitis: quantùm & maximè, ut Recentiorum Probabiliſmum in ſeipſo propriis viribus ferè deſtitutum, ac penè labantem, ob varios quorumdam inſultus nuperrimè ex adverſo ſcribentium; iterùm larvatis quibuſdam ſuffragiis ſuffultum ſub apparente quadam ſoliditatis

liditatis

Digitized by Google

lidîtatis ſpecie ſtabiliret. Quis enim non videat indè totam Probabiliſmi effrænem licentiam revocari, quæ alias è chriſtianæ ethicæ finibus exulare deberet? mecum quæſo attendito lector, & videbis quod dico.

1159 Examinemus ſingula, quæ huc uſque ex ipſo retulimus de eius doctrina *in dicto cap.* 2.: ibi quidem primò reſolvit, & probat Authores ſuos multùm deferre authoritati veterum Theologorum; & tantum, quantum deferendum eſſe Antiquiori legi docet D. Thomas: ita ut quemadmodum D. Thomas dicit non eſſe legem mutandam, niſi maiori neceſſitate, vel utilitate urgente pro communi hominum ſalute; ita dicant ſui Authores non eſſe veterum opinionem deferendam pro nova, niſi hæc illam vincat motivo aliquo ſufficiente, vel efficaciori ratione. Id quod oſtendit ex P. Bardi, & nonnullis aliis.

1160 At quàm debilis hæc eius probatio ſit nemo non videt. Tum quia ex paucis, qui videntur id ſignatè docere, infert idipſum & omnes ſentire. Tum quia etiam pauci iſti citati hoc ipſum quod docent, ſimul & ſtatim illud deſtruunt, & eludunt: nam veterum opiniones ibidem Recentiorum examini ſubmittunt, & efficaciori eorumdem rationi, utique ab ipſis Recentioribus iudicandæ, ut conſtat ex ipſo Bardi citato: dicit enim ibi, quod *ſi Recentiores expenſis veterum argumentis, ſatis efficaciter ea diluunt, & nova ratione à priſcis non prævisâ contrariam ſententiam firment; tunc præferenda eſt nova Recentiorum opinio*. Et licet ibi exemplificet de ratione novi alicuius decreti pontificii contra veterem opinionem; vel eius abrogationis per contrariam conſuetudinem, quæ procul dubio ad mutationem ſufficiunt; tamen non in iſtis tantùm motivis ſiſtit; ſed ſe extendit ad rationum eorumdem maiorem efficaciam: Conſtat autem quod efficacia ſuarum rationum, ſi maior ſit, & vincens opinionem antiquiorem, vel non; ipſis Recentioribus, eorumque iudicio remittitur; & facilè unicuique ſua ratio videri poteſt talis, ut ex Scildere ſupra citato idem Riccius fatetur. Non ergo verè deferunt veterum Theologorum authoritati; ſed magis proprio iudicio, ſuiſque ratiocinationibus ad ſententiam de illa ferendam.

1161 Sed demus Riccio ſuos omnes multùm deferre authoritati veterum: quid indè pro ſe infert Riccius? Infert utique, ut vidimus, non poſſe ſuos Probabiliſtas a Probabilioriſtis diſcrepare, *quia* (inquit) *ſi utrique conveniunt in ſequendâ doctrinâ veterum, tamquàm in uno tertio, oportet quod & inter ſe conveniant, niſi à ſuiſmet principiis Probabiliſtæ diſſentiāt, & ſibimet contradicant*. Bona quidem conſequentia, ſi ſicut in eo, quod ſignatè docent de veterum doctrinâ ſequendâ, conveniunt; ita & exercitè convenirent. At hoc non probat Riccius, ſed ſupponit: vel ſi probat; eius ratio eſt, quia alioquin a ſuis principiis, & ſemetipſis recederent. Concedo: numquid hoc aliquod abſurdum eſt hactenùs non auditum?

1162 Si uſque modò quid ſimile non audivit P. Riccius, audiat nunc a me quod negare non poterit. Quis Hæreticorum ſignatè non fatetur puriſſimum veritatis fontem eſſe Chriſtum, eiuſque Sacroſanctum Evangelium, & illi ſuper omnia deferendum? Quiſquis eorum ſe expreſsè dicit Chriſtum ſequi, Evangelicam doctrinam amplecti, & Scripturam Sacram; & indè omnem veritatem deducendam; nec Doctorem Evangelicum cenſendum eſſe, qui ex puriſſimo eo fonte non doceat. In qua ſignata doctrina concordes ſunt cum Catholicis tamquam in uno tertio. Numquid indè benè deducerem, & probarem omnia falſa hæreticorum dogmata eſſe Catholica, & exercitè eos convenire cum Catholicis in doctrinis ſuis; alioquin ſuis principiis, & ſibimet contradicerent, atque à ſemetipſis recederent? Recedunt utique aliâ ſignatâ doctrinâ, procul dubio reſpondebit P. Riccius, atque ideò conſecutio non tenet. Einſmodi autem eſt argumentatio ſua; niſi probet quod ſui de facto, & exercitè in deciſionibus ſuis doctrinæ veterum Theologorum inſiſtant. Quod hactenùs non probavit.

1163 Sed nec unquam probare poterit, quia manifeſtum eſt in particularibus deciſionibus plura ſuos docere eſſe licita, quæ licere negant Probabilioriſtæ: imò etiam inter ipſos ſuos, Recentiores Probabiliſtas nuncupatos non omnes caſus particulares eodem modo reſolvunt de licito vel illicito, ut paſſim videre eſt apud ipſos, aliis affirmantibus licere; aliis verò negantibus. Num utrique dici poſſunt veterum doctrinæ inſiſtere? Aut utrique indè ſuam deciſionem deducere ex diametro unam alteri contradicentem? Ego quidem non reputo impoſſibile, quia pro ingeniorum varietate ex iiſdem principiis variè diſcurrentium, poteſt interdùm fieri contradictoria deductio; licet re vera & in ſe altera earum tantùm ſit bona, ut inferiùs oſtendam: at P. Riccius id impoſſibile pronunciat in hoc ſuo 2. *cap. num.* 15. in fine, ubi ſic habet: *Patet ex Sacris Canonibus & doctrina veterum Theologorum non poſſe dimanare duo contradictoria. Ex quo infert non poſſe utramque partem contradictionis habere debita requiſita ad practicā probabilitatem. Idque confirmat ex Scriptura Jacob. 3. numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* Sed fortè locutus fuit de impoſſibilitate bonæ deductionis, & ex parte principiorum in ſeipſis; non autem ſecundùm quod a variis intellectibus ex ipſis ad concluſionem varia fit combinatio: quod utique verum eſt. Sed quidquid ſit de hoc: id ſemper veriſſimum eſt, dici non poſse utroſque de facto exercitè veterum doctrinæ inſtitiſſe, ſi ea una ſit, ut pro nunc ſupponitur, dum ipſi invicē contradictoriè opponuntur; quantumvis ſignatè conveniant in generali doctrina deſtando in deciſionibus illorum, & de eorum Au-

thoritate, ſibimet, utique Recentioribus, præferendâ.

1164 Fortaſſis ad hæc replicabit P. Riccius ſe non contendere hic cōciliare Authores ſuos inter ſe, & cum Probabilioriſtis in ſingulis deciſionibus particularibus, neq; in his eorum concordiam probare ex ipſorum convenientiâ in illâ ſuâ doctrinâ ſignatè traditâ de principiis practicæ probabilitatis, eiuſque puriſſimis fontibus, ad quos ſpectat veterum Patrum doctrina, & authoritas, cui meritò multùm deferendum eſſe docent; ſed ſolùm velle indè probare, quod etiam exercitè, & defacto oporteat convenire in deductione illius regulæ pro formanda conſcientiâ in materiâ opinativa. Id quod ſatis inſinuavit in ſuâ Epiſtola dedicatoria ad ſuum Præpoſitum Generalem, dum ſibi, & omnibus claræ id eſſe probationis pronunciavit, *Ibi: & quod in hac causâ optandum maximè, egi tabellis obſignatis: cum hic agatur de norma in delectu opinionum ſervandâ; non verò de hac aut illa opinione.* Id autem videtur optimè probari ex convenientiâ eorū in illis principiis, ſeu fontibus practicæ probabibilitatis ſignatè traditis. Suppoſito enim quod concorditer doceāt de opinione in genere practicè probabili, quæ & qualis in ſe ſit, nempe quæ habeatur ex Sacris Canonibus, Scriptura, Conciliis Sanctiſque Patribus & Antiquioribus Theologis, quibus eſt multùm deferendum præ aliis quibuſcumq; Recentioribus. Iam impoſſibile ſit, quod quandocumque pro regula honeſtatis in materia opinativa opinionem practicè probabilem nominant, aliud intelligant, quàm eam opinionem, quæ eiuſmodi conditionis ſit; & ſi aliquid aliud intelligerent, à ſemetipſis recederent, quod credi non poteſt; nam qui alicuius rei eſſentiam ſignat; quandocumque nomen illius rei uſurpat, credi debet illam eſſentiam intelligere ſub tali nomine, quam ſignaverat. Ex quo optimè ſequitur quod dum Recentiores Probabiliſtæ dicunt licitum eſſe ſequi quamlibet opinionem practicè probabilem, modò probabilem, eamq; tradunt exercitè ut regulam honeſtatis pro materia opinativâ; non aliam opinionem poſſunt intelligere pro tali regulà, niſi quæ ex illis fontibus ſit deducta, vel indè deducta innocenter credita. Quænam verò opinio in particulari talis ſit vel non, relinquitur uniuſcuiuſque arbitrio diſcernenda. Et in hoc facilè cōtingere poteſt etiam inter ſe diſconvenire, quia fortè ſua cuique opinio in particulari videtur talis. Quemadmodum Probabilioriſtæ omnes in hoc conveniunt, quod in materiâ opinativà regula ſit opinio probabilior; & tamen in deciſionibus particularibus non conveniunt inter ſe, quia ſuam quiſque fortè probabiliorem judicat, dum variè ab alio reſolvit. Quare ſatis eſt Patri Riccio probare ex principiis illis ſeu fontibus ſignatis ab omnibus concorditer poſitis, quod utrique exercitè, & defacto unam eamdẽque in re normam ſeu regulam honeſtatis deducant pro materia opinativa; quia in hoc tantum concordiam probandam aſſumpſit, & non in reſolutionibus caſuum in particulari. Quod verò huiuſmodi concordia optimè probetur; conſtat, quia ſi utrique conveniunt in deſignādo practicè probabili ex illis fontibus; quantumcumque poſtmodùm differant in appellando illud, dum tamen illud concorditer determinant pro regula honeſtatis in materiâ opinativâ, omninò conveniunt in re; & diſcrepantia ſolùm manet in verbo. Jam verò illud idem utrique pro regula honeſtatis determinant ſub vario nomine, quatenùs Recentiores Probabiliſtæ, appellant illud practicè probabile; & ideò dicunt licitum eſſe ſequi quamlibet opinionem etiam minùs tutam, minuſq; probabilem modò practicè probabilem. Probabilioriſtæ verò illud appellant verum citra paſſionem, & culpam judicatum, quod illud idem eſt re verà, quod Probabiliſtæ dicunt practicè probabile, ſeu deductum ex illis fontibus, aut indè deductum innocenter creditum, ut dicit Riccius, quia quod ſic innocenter creditur indè deductum non poteſt judicari minùs verum, ſeu minùs veriſimile minuſque probabile, aut minùs tutum, ut conſtat, quia fontes illi ſunt principium, & origo omnis moralis veritatis, atque ſecuritatis; & ideò Probabilioriſtæ illud appellant tutius, & probabilius. Quapropter conſequenter ad ſuū modum loquendi dicunt, non eſſe licitum ſequi minùs tutum; minùſque probabile, ſed ſequendum eſſe tutius, & probabilius, nam quod judicatur minus tutum minuſque veriſimile, ſeu minùs probabile, non poteſt credi innocenter, ſeu citra paſſionem, & culpam in ſe verum. Cæterùm ſi Probabilioriſtæ interrogentur quid ſentiant de eo, quod creditur innocenter deductum ex illis fontibus? Reſpondebunt illud nō dicendum eſſe minus tutum, minùſque probabile, ſed tutius, atque probabilius, & verum citra paſſionem, & culpam, atque ſufficiens ad licitè operandum. Ecce ergo ſummam concordiam eorum in deducenda regula honeſtatis ex illis principiis evidenter probatam a P. Riccio.

1165 Conſultò hanc Riccii probationem, eiuſque diſcurſum, tam clarà expoſitione iterùm retuli, ut tota eius vis, & argumentationis ſuæ robur neminem lateat: & indè evidentiùs appareat magna ipſius æquivocatio, qua fortè deceptus fuit, ſi noluit decipere. Ea ſiquidem detectâ protinùs evaneſcet cum argumentatione ſuâ tota prætenſa concordia, etiam in ſpeciali hoc puncto de regulâ honeſtatis pro materiâ opinativâ ex illis eiſdem fontibus deducendâ. Attende ergo, lector, mecum illius æquivocationem: æquivocat, & multùm quidem æquivocat P. Riccius in termino illo (*Deductum ex illis puris fontibus, aut indè deductum innocenter creditum*) in quo rationem practicæ probabilitatis ab utriſque concorditer conſtitutam optimè ſuppoſuit, æquivocat, inquam, dum eo termino credit ſignificari rem aliquam omninò

omninò

omninò invariabilem, atque indiviſibiliter ſe habentem, quod tamen falſiſſimum eſt. Vis enim deductiva habet quoque in efficacia gradus ſuos, ita ut unum efficaciùs altero etiam ex eiiſdem principiis aliquando deducat; & maximè ubi principia magis vel minùs evidentia ſunt, quemadmodùm contingit in materia opinativâ. Undè deductum ex Sacris Canonibus, Scriptura, Conciliis, & Sanctis Patribus atque Antiquioribus Eccleſiæ Theologis, & undè deductum innocenter creditum, ſuſcipit quoque ſuum magis, & minus; ita ut unum ſit, & dicatur magis, vel minùs efficaciter, ſeu evidenter indè deductum, quàm alterum, vel æquè deductum; & ita pariformiter innocenter creditum, ſecundùm quod magis, vel minùs clarè, vel obſcurè videntur Sacri Canones loqui, vel Scriptura, Concilia, & Sancti Patres, undè deducitur. Si enim in illis evidenter comprehenderetur reſolutio eius, quod quæritur, non eſſet locus varie opinandi, nec eſſemus in materia opinativa. Secundùm quod igitur magis, vel minùs videtur potiùs unum in illis principiis præ altero implicitè contineri, atque indè poſſe deduci, debet etiam innocenter credi magis, vel minùs apparenter deductum, magis vel minùs veriſimile, & magis vel minùs practicè probabile, quàm alterum; cum quo ſtat, quod utrumque etiam innocenter credatur ex illis deductum; unumquodque tamen ſuo modo, hoc eſt ſecundùm magis, & minùs. Unde falſum eſt quod dicit P. Riccius, videlicet, quod id quod innocenter creditur indè deductum, non poſſit iudicari minùs veriſimile, minuſque probabile; & quod id quod iudicatur minùs veriſimile minuſque probabile, non poſſit iudicari indè deductum. Nam ſicut quod indè deductum eſt, non uno eodemque gradu apparentiæ eſt deductum, ſed unum maiori, vel minori apparentiæ gradu, quàm alterum; ita oportet quod innocenter, & ingenuè unum iudicetur magis, vel minùs veriſimile, ſeu probabile, quam alterum; & cenſeatur magis, vel minùs verum altero; hoc eſt quod magis appareat eſſe verum unum, quam alterum. Et quoniam ex duobus, quæ ſic iudicantur, ut potius ſit verum unum, quam alterum, ab eo, qui ſinceri & ſine paſſione procedit ad inquirendam veritatem, illud, & non iſtud accipitur ut verum; ideo dum Probabilioriſtæ dicunt licitum eſſe ſequi illud probabile, quod citra paſſionem, & culpam iudicatur verum; illud probabile intelligunt, quod præ altero eſt veriſimilius, quod idem eſt ac probabilius. Unde non contentantur quocumque practicè probabili, ſed exigunt illud, quod in genere practicæ probabilitatis excedit in gradu aliud eiuſdem generis. Probabiliſtæ vero contentantur quolibet practicè probabili etiam in minori gradu, dummodò ſit intra genus practicæ probabilitatis. Hoc autem non eſt diſcrepare in verbo, ſed in re; nam magis, & minus probabile intra idem genus practicè probabilis, ſunt in re duo practicè probabilia diverſa penes diverſum gradum, ſicut in phiſicis ſunt magis, & minùs calidum.

1166 Ex quo patet quod ex convenientia in illis principiis & fontibus practicæ probabilitatis non probatur convenientia Recentiorum Probabiliſtarum cum Probabilioriſtis; neque in deductione regulæ honeſtatis pro materia opinativa, neque in deductionibus particularium reſolutionum, quia quæ inde deducuntur, non uno eodemque, & invaribili modo deducuntur: Et Probabilioriſtæ pro regula honeſtis in materia opinativa ſtatuerunt id, quod eſt indè deductum uno, & non altero modo, hoc eſt ſecundùm modum maioris veriſimilitudinis, & non minoris, & ſic per ipſos oportet ſequi probabiliora, & non minùs probabilia, quamvis ſint verè practicè probabilia. Probabiliſtæ verò Recentiores ſtatuerunt pro regula id, quod indè quocumque modo deductum eſt, modò ſit indè deductum; atque ideò dicunt licitum eſſe ſequi etiam minùs probabilia, modò ſint practicè probabilia. Pater Riccius autem quia credidit quod quæ indè deducuntur, uno ſemper, atque eodem modo invariabili deducuntur, vel ſaltem voluit ea ſic accipere, ac ſi uno, eodemque invariabili modo deducantur, negavit quod quæ indè deducta creduntur, poſſint eſſe, aut iudicari minùs veriſimilia, minùſque probabilia, atque ideò in genere practicæ probabilitatis poſuit ut ſynonima hæc duo, videlicet practicè probabile, & probabilius. Et inſuper expoſuit quod cum in hoc genere dicitur aliquid minùs probabile, idem eſt ac improbabile. Et in hoc ſenſu intellexit dictum illud Probabilioriſtarum, quod non ſit licitum ſequi opinionem minùs probabilem ideſt, ait, improbabilem: practicè autem probabilis numquam eſt opinio minus probabilis, quia (inquit) quod eſt ex illis fontibus deductum non poteſt eſſe minus probabile; & quod eſt minus probabile nequit eſſe indè deductum, ac per conſequens non eſt practicè probabile, ſed improbabile. Et ſic æquivocat minùs probabile cum improbabili; & probabilius cum practicè probabili, ſeu cum deducto ex illis fontibus. Ex qua æquivocatione deducit convenientiam illam Probabiliſtarum cum Probabilioriſtis in tradenda regula honeſtatis pro materia opinativa; cum tamen re vera ex diametro opponantur, ut vidimus detecta iam eiuſmodi ſua æquivocatione.

1167 Profectò *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt Joan. 1.* nonne hec veritas illuxit Riccio ibidem? Cur eam non vidit? Mirum quidem eſt; eam vidit pro ſe; contra ſe non vidit. *Quidquid ex illis fontibus* (inquit) *deductum eſt; vel indè deductum innocenter creditur, non poteſt eſſe, nec iudicari minùs verum, minùs veriſimile, minuſque probabile.* Ecce quomodò non vidit hic inde deductum poſſe dici, eſſe, & judicari minùs probabile; quia alioquin deſtrueretur ſibi totus diſcurſus

curſus

Digitized by Google

curſus pro ſua prætenſa cōcordia ſuorum cum Probabilioriſtis in tradenda regula honeſtatis pro materia opinativa, ut vidimus, dum Probabilioriſtæ, expreſsè dicunt, *non licere ſequi minùs probabile.* Et ideò exponit ly minus probabile hìc idem eſſe, ac improbabile, per carentiam probabilitatis practicæ, & quod non eſt ex illis fontibus deductum, vel tale innocenter creditum; quia quod eſt tale innocenter creditum, non poteſt dici minus probabile. Et tamen ipſe cum ſuis omnibus Recentioribus Probabiliſtis expreſsiſsimè adhùc dicit, *licitum eſſe ſequi minùs probabile, dummodò ſit practicè probabile*; & ad hoc ut tale ſit, exigit quod ſit ex illis fontibus deductum, vel inde innocenter creditum. Ergo vidit indè deductum, vel tale innocenter creditum, eſſe poſſe, & dici, minus probabile per defectum maioris probabilitatis, ut ipſemet exponit: quia pro ſe tunc facit eiuſmodi expoſitio, ad tuendam regulam honeſtatis à ſuis traditam in materia opinativa. Ergo vidit pro ſe, contra ſe non vidit.

1168 Si ergo veriſsimum eſt, quemadmodùm pro ſe veriſsimum eſſe vidit P. Riccius; ſub genere practicè Probabilium dari magis, & minùs probabile penès gradum maioris, vel minoris probabilitatis, ita ut dari poſsit minùs probabile per carentiam maioris probabilitatis, & comparativè ad probabilius, & nihilominùs eſſe verè practicè probabile: dicat nunc mihi, quale probabile erit tale, & unde tale erit? numquid illud, quod non erit ex illis fontibus deductum, vel ſaltem indè deductum innocenter creditum? At hoc per ipſum non eſt practicè probabile iuxta ſua, & ſuorum principia, ſed improbabile: ergo oportet ſit indè etiam deductum, & tale innocenter creditum; & nihilominùs dicitur, & iudicatur minùs probabile, minuſque veriſimile, comparativè ad aliud quod videtur veriſimilius, & probabilius. Cur ergo ipſe dixit, quod id quod eſt indè deductum, vel tale innocenter creditum, non poteſt iudicari minùs veriſimile, minuſque probabile? Ergo in hoc falſum dixit, & deceptus fuit, ſi noluit decipere. Sed vide nunc Tu lector, quid ex huiuſmodi deceptione ſequatur: ſequitur manifeſtè ſuos nullatenùs convenire in regula honeſtatis cum Probabilioriſtis; quia iſti volunt pro regula illud probabile, quod quis citra paſſionem, & culpam verum in ſe exiſtimat, & pro vero omni animi ſinceritate accipit: hoc autem non poteſt eſſe illud, quod videtur minùs veriſimile, minuſque probabile, quàm oppoſitum, quod ipſimet apparet veriſimilius: non enim eſt poſſibile, quod quis ſincerè accipiat pro vero, quod ſibi videtur minùs veriſimile; & pro falſo, quod ſibi veriſimilius apparet; ſed potiùs econtra: ergo Probabilioriſtæ pro regula honeſtatis non volunt quodcumque practicè probabile; ſed illud, quod in eo genere habet maiorem gradum probabilitatis, quàm alterum oppoſitum, etiam ſi iſtud ſit verè practicè probabile; & ideò de facto dicunt eligendam eſſe opinionem probabiliorem: & cum dicunt non eſſe licitum ſequi minus probabilem, non excludunt opinionem dictam minùs probabilem per carentiam practicæ probabilitatis, & quæ non eſt practicè probabilis, ſed improbabilis, ut exponit P. Riccius; ſed excludunt opinionem minùs probabilem per carentiam maioris probabilitatis; quam tamen Recentiores Probabiliſtæ includunt. Ubi ergo eſt concordia illa Probabilioriſtarum cum ſuis in tradenda regula honeſtatis pro materia opinativa, cum potiùs longè, & in regione magnæ diſſimilitudinis ſint a doctrinis eorum?

1169 Quid ergo refert ſi in illis principiis, & puriſſimis fontibus practicæ probabilitatis dicantur convenire? In deductione tamen regulæ honeſtatis pro materia opinativa non cōveniunt; quia re vera ſui Recentiores principiis illis exercitè non ſincerè inſiſtunt; ſi enim ſincerè illis adhærerent, non eis ſufficeret id, quod minùs efficaciter appareret indè deductum; relicto eo, quod efficacius, & apparentiùs ex illis derivatur: hoc enim indicat paſſionem, & affectum ad propriam libertatem, & commodum; à quibus procul ſe oſtendunt Probabilioriſtæ.

1170 Nec prodeſt Patri Riccio dicere: quod principia illa ſint ſons omnis, & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ; ac proindè quidquid indè deductum venit, oportet eſſe ſalutare. Non, inquam, prodeſt, quia fontes illi non ex ſe immediatè, aut ex eodem foramine doctrinas illas deductas manant, ſed per varias vias, & quaſi per diverſos canales, ſeu diverſa foramina hominum variè diſcurrentium, & ratiocinantium ex illis, qui proindè multoties etiam contraria, & contradictoria deducunt; eaque verè probabilia reddunt ratiocinationibus ſuis. Ex quo patet falſum quoque eſſe, id quod P. Riccius dixit: non poſſe utramque partem contradictionis habere requiſita ad practicam probabilitatem: pro quo teſtimonium ſcripturæ adducit *Jacob. 3. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?* Imò in hoc ſibimet contradicit, quia ſi admittit opinionem practicè probabilem, quæ ſit minùs probabilis, non per carentiam practicæ probabilitatis, ſed per carentiam maioris probabilitatis; iam admittit utramque partem contradictionis habere requiſita ad probabilitatem practicam; quia illa minùs probabilis, quam benignam vocat, de licito in favorem libertatis, cōtradicit alteri probabiliori reſolventi de illicito in favorem legis. Et utraque dicitur ab ipſo practicè probabilis, una tamen minùs, altera magis probabilis. Et ratio huius eſt, ut dixi, quia fontes illi non de eodem foramine probabilitatem manant, ſed de diverſis foraminibus pro varietate diſcurrentium, & deducentium ex illis principiis iuxta varias eorum combinationes: Probabilitas enim non tam ex principiis eſt, quaſi in ſeipſis conſideratis, quo pacto certum

eſt,

eſt, quod non poſſunt utramque partem contradictionis præcontinere; quam ex ipſis potiùs ut acceptis ab intellectu, qui iis utitur diſcurrendo ad opinandum.

1171 Atque hinc denique patet quàm fruſtraneè laboraverit Author iſte in exponendis terminis illis (*minùs tutum, minuſque probabile*) quaſi variè uſurpatis a Probabiliſtis, & Probabilioriſtis; atque ideò a nobis æquivocè intellectis. Ait enim, *minus tutum, minuſque probabile ſumi poſſe dupliciter: Uno modo per carentiam ſecuritatis & probabilitatis, vel principii facientis illam. quo pacto idem eſt, quod non tutum, & non probabile: & in hoc ſenſu* (inquit) *acceperunt terminos illos Probabilioriſtæ, dùm dixerunt non licere ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, ac probabiliore; quod veriſſimum eſt. Alio modo per carentiam maioris ſecuritatis, & maioris probabilitatis, quo pacto idem eſt quod verè tutum, verè probabile. Sed in minori gradu quàm ſit ſummè tutum & ſummè probabile; Omne enim quod non eſt ſecuriſſimum, & probabiliſſimum dici poteſt minùs ſecurum, minuſque probabile, re vera tamen in ſe ſecurum, & probabile eſt. Et in hoc ſẽſu* (inquit) *acceperunt terminos illos Recentiores Probabiliſtæ, dùm dixerunt, licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore: quod etiam veriſſimum eſt, nec negari poteſt à Probabilioriſtis, nec à quopiam alio, nemo enim dicere poteſt non eſſe licitum id quod eſt tutum. ſed requiri quod ſit tutiſſimum, aut probabiliſſimum. Atque ideò apparet Probabilioriſtas, & Probabiliſtas in terminis illis ſibi contradicere: reverà tamen detectâ illorum terminorum æquivocatione, nulla manet inter eos diſconvenientia, ſed ſumma concordia.* Sic Pater Riccius pro aſtruenda ſua prætenſâ concordia, quia de magnâ æquivocatione detectâ triumphat.

1172 Sed fruſtrà laboravit, quia volens huiuſmodi terminorum æquivocationem detegere, illam minimè penetravit. Fateor in illis magnam eſſe æquivocationem, ſed longè diverſam ab eâ; quam ipſe expoſuit. Ad cuius evidentiam ante omnia præmitto, quod termini iſti *minùs tutum, & minus probabile*, propriè loquendo non ſunt ſynonima; nam magis, & minùs probabile dicitur aliquid ſecũdùm quod magis, vel minùs videtur cognoſcenti accedere ad veritatem: magis autem, & minùs tutum dicitur, quod magis, vel minus accedit ad periculum. Sed in preſenti materia tùm à Probabiliſtis, tùm à Probabilioriſtis ut ſynonima accipiuntur; ita ut omninò idem ſit, & intelligatur ab ipſis aliquid eſſe magis, vel minùs probabile in hac materia, ac magis, vel minùs tutum, & econtrà.

1173 Pro cuius maiori intelligentiâ ſciendum eſt, quod magis, vel minùs tutum poteſt accipi tripliciter, videlicet uno, vel altero ex duobus modis aſſignatis à P. Riccio; & tertio modo per ordinem ad intellectum cognoſcentem, ita ut illud dicatur magis, vel minùs tutum, quod magis, vel minùs videtur cognoſcenti habere, vel non habere de periculo; quo pacto non attenditur periculum in ſe, ſed prout eſt in cognoſcente, magis, vel minùs veriſimile apparens pro modulo ſuæ ratiocinationis; & ſic idem eſt eſſe magis, vel minùs tutum, ac eſſe magis vel minùs probabile, quod ſit tutum in conſcientia, ſeu quod idem eſt, quod ſit ſecundum conſcientiam licitum, & ita evadit ſynonimum cum magis vel minùs probabili. Et ideò dixi ſupra, quod minùs tutum, dùm minùs probabilibili adiungitur, nec carentiam ſecuritatis ſonat; nec carentiam maioris ſecuritatis, quaſi poſitivam ſecuritatem ſuppponens, qui ſunt duo modi ſignificandi aſſignati à P. Riccio; ſed minoritatem cognitionis; ita ut idẽ ſit dicere, minus tutum, minuſque probabile, ac minùs veriſimiliter cognitum ut tutum; & hic eſt tertius modus ſignificandi longè diverſus a primis illis duobus, quos adduxit Riccius; quem tamen ipſe non advertit; quare in æquivocationem incidit, dùm expoſuit, ly minus tutum, à Probabilioriſtis, dum in ſuâ regulâ dicunt *non licere illud ſequi*, accipi ut dicit carentiam ſecuritatis: à Probabiliſtis verò, dum in ſua Regulâ dicunt, *licere illud ſequi*, accipi ut dicit carentiam maioris ſecuritatis, quod tamen ſecuritatem poſitivam ſupponit, atque ideo negari non poſſe, licere illud ſequi. In qua utique expoſitione deceptus fuit, ſi noluit decipere; quia illud minùs tutum adiunctum minùs probabili (ſicut fit tùm a Probabiliſtis, tùm à Probabilioriſtis in ſuis regulis tradendis) ab utriſque eodem modo accipitur per ordinem ad cognoſcentem, & confunditur ut ſynonimum cum minus probabili, atque ideò ſonat, quod minùs veriſimiliter cognitum ut tutum: cum quo ſtat, quod poſſit contingere utroque modo, videlicet eſſe, vel non eſſe in ſe tutum; ſicut poteſt contigere eſſe, vel non eſſe in ſe verum; atque ideò periculo non caret; undè nec poſitivè certò tutum dici, vel ſupponi poteſt, neque certitudine phiſica, neque morali; quia non poteſt dici moraliter certum, quod minùs veriſimiliter apparet tale. Et ideò Probabilioriſtæ illud dicunt ſequi non licere; quod tamen licere dicunt Recentiores Probabiliſtæ. Ubi ergo eſt concordia, & uniformitas doctrinæ eorum in regulâ honeſtatis tradendâ pro materiâ opinativâ? Jàm à fundamentis corruit, & evaneſcit.

1174 Quod autem eorum concordiam conetur P. Riccius etiam ex doctrina D. Thomæ ſtabilire, quaſi eadem ſit reſolutio S. Doctoris cum eâ, quam docent in puncto præſentis cõtroverſiæ ſui Recentiores Probabiliſtæ; labor eſt inutilis, & conatus pariter fruſtraneus. Nam textus D. Thomæ ab ipſo allegatus *ex 1.2.q.96. a.6.* in primis non eſt in puncto noſtræ con-

troverſiæ, ut credit P. Riccius. Nam ibi D. Thomas quærit: *Utrum ei, qui ſubditur legi, liceat præter verba legis facere?* Quod quidem quæſitum non eſt, ut credit Riccius, ipſiſſima controverſia, quæ eſt inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas de dubio poſitivo, ſeu probabili legis; ac proinde nec eius reſolutio poteſt huic controverſiæ reſpondere. Et oſtenditur hoc manifeſte, quia controverſia inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas eſt, ut ipſemet Riccius dicit, de dubio probabili legis; hoc eſt quænam pars ſit eligenda, cum dubitatur de lege, & eſt pro utràque parte contradictionis varia probabilitas? Et Probabiliſtæ dicunt poſſe eligi quamlibet partem etiam benignam, & faventem libertati, etiam ſi fuerit minùs probabilis: Probabilioriſtæ verò dicunt non poſſe eligi benignam, niſi ſit probabilior. At quæſitum de quo controvertit D. Thomas loco citato, non eſt de dubio legis, pro qua eſt varia probabilitas, quaſi in ſe lex obſcura ſit, ambigua, & dubitabilis, atque indè ſit de illa varia opinio: quinimò ſupponit legem in ſeipsà claram, & in propriis verbis manifeſtam; & quæritur an id, quod manifeſtè; & per verba expreſſa legis diſponitur, ſit ſemper ſervandum a ſubditis? An potiùs aliquando ſit agendum præter id, quod eſt per legem manifeſtè diſpoſitum? Undè in hoc quæſito non eſt proferendum judicium de lege, quid in ſe ipsà diſponat, vel non diſponat; cum manifeſtè conſtet de eius diſpoſitione: ſed faciendum eſt judicium de caſu in particulari, qui videtur à vera & manifeſtà diſpoſitione legis ſubtrahendus. In controverſiâ autem de dubio probabili legis judicandum eſt de ipsâ lege, quid in ſeipsà re verâ diſponat, vel non; & quæ pars judicata ſit pro verâ tenenda, atque ſequenda. Undè ſunt duo quæſita inter ſe valdè diverſa; quemadmodum diverſa eſt reſolutio, & judiciũ de utriſque ferendum. Quod expreſsè inſinuatur ab ipſomet D. Thoma ibid: (*in reſp. ad 1. & 2. argumentum.* Ad primum enim, quod probabat non licere præter verba legis agere; quia qui præter eius verba agit, videtur legem judicare, quod non licet ſubditis: ſic reſopondet: *Ad primum dicendum quod ille qui in caſu neceſſitatis agit præter verba legis, non judicat de ipsà lege ſed judicat de caſu ſingulari, in quo videt verba legis obſervanda non eſſe.* Et in reſp. ad ſecundum, quod probabat non licere ſubditis interpretari legem; quia hoc pertinet ad ipſum Legiſlatorem: reſpondet: *Ad ſecundum dicendum quod ille, qui ſequitur intentionem Legiſlatoris, non interpretatur legem ſimpliciter, ſed in caſu, in quo manifeſtum eſt per evidentiam nocumenti Legiſlatorem aliud intendiſſe.* Si ergo D. Thomas hic dicit, quod qui in caſu neceſſitatis agit præter verba legis, non judicat de lege, ſed de caſu: nec interpretatur legem ſimpliciter, ſed in caſu; in quo manifeſtum eſt per evidentiam nocumenti Legiſlatorein aliud intendiſſe. Iam non de dubio probabili legis procedit eius quæſitum, ſed potiùs de caſu; an ſcilicet ob illius nocumenti evidentiam, ſit ſecundum verba legis alias manifeſtæ ſervandum, vel potiùs præter id, quod lex ſimpliciter, & manifeſte diſpoſuit? De eo enim intelligitur quæſitum procedere, & fieri controverſiam, de quo judicium profertur, & fit reſolutio.

1175. Sed demus Riccio eamdem hìc eſſe controverſiam, & inquiri re vera à D. Thoma hic de dubio probabili legis, de quo ait eſſe cõtroverſiam inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas. Undè probat Riccius reſolutionem, & ſententiam D. Thomæ eamdem eſſe cum illà ſuorum Probabiliſtarum? Et undè quod ſententiæ, & reſolutioni eius ſubſcribant? D. Thomas reſolvit hìc in corpore articuli in caſu illo particulari, quando ſcilicet per evidentiam nocumenti videtur non eſſe legem ad literam obſervandam, tunc non eſſe rigidè verba legis interpretanda, ſed benignè; ne quæ ſalubriter pro ſalute hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum perducamus ad ſeveritatem, & eſſe tunc præter verba legis agendum, ſi periculum nocumenti, quod evidenter apparet contra cõmunem ſalutem à Legiſlatore intentam, eſt ſubitum, & non patiur moram, ut ad Superiorem recurratur. Probabiliſtæ verò in dubio probabili legis dicunt poſſe ſequi opinionem benignam minùs tutam, minuſque probabilem, relictà tutiore, & probabiliore. Numquid ſequi partem benignam relictà rigidiore evidenter noxià, & periculosà, idem eſt quod ſequi partem benignam relicta rigidiore probabiliùs tutiore, ac per conſequens utiliore, & nullatenùs nocivà? Nõ eſt hoc reſolutioni D. Thomæ ſubſcribere, ſed potiùs contradicere. Quomodò ergo inde cauſa finita eſt, cum potiùs magis implicetur validioribus contradictionibus, & diſcordiis? Iam ſupra oſtendi, nec poteſt ab aliquo negari, quod minùs tutum minuſque probabile, etiam per carentiam maioris ſecuritatis, & maioris probabilitatis, prout vult Riccius intelligi a Probabiliſtis ſuis in ſuà regulà honeſtatis, minùs ſecurum, minùſque verum apparet: & econtra tutius, atque probabilius, ut de ſe conſtat, magis verum, & nullum, vel ſaltem minus periculum apparet præ ſe ferre nocumenti. Ubi ergo eſt evidentia illa nocumenti in dubio probabili legis in caſu particulari a D. Thoma requiſita, ut benignior legis interpretatio locum habeat in reſolutione Recentiorum Probabiliſtarum, quam Riccius eamdem reputat cum ea D. Thomæ loco ab ipſo allegato? Non itaque ei ſubſcribunt Probabiliſtæ, ſed cõtradicunt. Et cauſa utique finita eſt, at contra ipſos undequaque deciſa. Quia D. Thomas vult in præfata deciſione ſervandam eſſe legem ad literam, & ſecundùm rigiditatem verborum eius, ubi nulla eſt evidentia nocumenti, quod poſſit ex huiuſmodi obſervantià timeri. Jam verò conſtat quod in dubio probabili legis, ſi eligatur

gatur

Digitized by Google

gatur rigidior pars, tutior, atque probabilior; relictâ benigna minus tuta, minùſque probabili; nihil inde futuri nocumenti timeri poteſt cōtra communem ſalutem à Legislatore intentam; quin imò id potiùs eſſet timendum de benigna minùs tuta minuſque probabili.

1176 Sis itaque nunc Iudex Candide lector, ſi ampliùs queat Riccius audacter dicere: *Tolle igitur probabilismum; quem noſtri defendunt Probabiliſtæ Recentiores; & vide ſi ſtare queas procul ab errore. Attendite à falſis Profetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium; intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces Matth. 7. &c.* Sed non opus eſt nobis, ut probabiliſmum tollamus, quem ſui defendūt Recentiores Probabiliſtæ; ut videamus ſi procul ab errore ſtare poſſimus; ſed ſatis, ſuperque nobis erit ab Eccleſia nuper ſublatum illum indicare. Et ſatis quidem iudicabo ex aliquibus Doctoribus ſuis; quia ubi omnes in doctrina concordes ſupponuntur, ut prætendit Riccius, quidquid ex paucis quibuſdam, imò ex uno oſtenditur, optimè demonſtratum manet quaſi ex ſingulis. Id verò oſtendam ego ex P. Tamburino, ex P. Breſſero, ex Patre Franciſco de Amico ſingulis de ſua Societate. & Recentioribus ſuis Probabiliſtis, qui ad literam, & in iiſdem omninò terminis docuerunt Probabiliſmum ſuum, in quibus poſtmodùm Decreto Innocentii XI. ſub Die 2. Martii 1679. proſcriptus fuit; ut videre eſt in tertia illa in ordine propoſitione; videlicet; *Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Quæ, ut jacet, docetur a Patre Tamburino in ſua explicatione Decalogi *lib. 1. cap. 3. de conſc. §. 3. num. 3. juxta Paſq. Dec.* 20. Breſſerum, & Franciſcum de Amico apud Bardi *de conſc. diſd.* 4. *cap.* 13.

1177 Quid ad hæc dicet Riccius? Eſt ne Probabiliſmus in præfata propoſitione contentus communis doctrina ſuorum, & quam ſui uniformiter defendunt Probabiliſtæ Recentiores? An ſingularis Patris Thomæ Tamburini, & Breſſeri, & Amici, quos ipſe Tamburinus citat ex P. Bardi? Si ſingularis: ergo non eſt inter ipſos, & multò minùs cum Probabilioriſtis, ſumma illa concordia, & maxima uniformitas doctrinæ; ut non ſit locus Probabilioriſtis, & aliis, ſincerè, & ſine livore, cum veritate proclamandi contra nonnullos ex ſuis antehac ſcribentibus, quod laxam probabilitatem docuerint, & quod eam Probabilioriſtæ nuperrimè dereliquerint. Ut quid ergo de falſis accuſationibus conqueritur, deque eorum clamoribus? Si communis, & uniformis; videat ſi nos ab ea recedentes, an potiùs ipſi eam defendentes queant ſine errore ſubſiſtere. Ego quidem nec ſuis omnibus eam communem cenſeo; nec ſolis tribus ſuperiùs citatis; ſed multis, & iis omnibus, qui practicâ quacumque probabilitate ſunt contenti; quia licet ex his non omnes eo termino utantur, tenuis probabilitatis; ab hac tamen non recedunt, ſi conſideretur, prout jacet in ipsâ propoſitione damanta, per eam cōditionem modificata, videlicet; *dummodò è probabilitatis finibus non exeatur*: ſic enim idem ſonat, quod quæcumque probabilitas practica etiam in gradu infimo, & minùs tuta, minuſque probabilis opinio per carentiam maioris probabilitatis, infra tamen genus opinionis verè practicè probabilis, ut exponit idem P. Riccius; alioquin fines probabilitatis exibit; cum, ut ipſe Riccius fatetur, quod non eſt practicè probabile, non ſit probabile, ſed improbabile.

1178 Ex quo patet quàm malè quidam decretum Innocentii interpretentur, quod damnaverit eam tenuem probabilitatem, quæ non eſt vera probabilitas: nam hæc cum exeat fines veræ probabilitatis, iam ex ſubnexta illà particulà, *dummodò &c.* in ipsà propoſitione, expreſſiſſimè excludebatur, ac per conſequens non indigebat pontificio decreto; & videretur Pontifex hoſtem fingere, quem feriret, quod eſt abſurdum maximum, & pontificià authoritate prorſùs indignum.

§. IV.

Summa doctrina eiuſdem Patris Riccii in tertio capite.

1179 VLteriùs procedit Riccius in hoc capite ad examinandum, num ſui Probabiliſtæ plus nimio tribuant humanæ authoritati præſertim Recentiorum. Quod non vulgare crimen, inquit, eſſet in Probabiliſtis ſuis; atque ideò eos ab illo purgandos aſſumit. Et incipit à ſuo Patre Moya, qui in quæſtionibus ſelectis *tract. 1. de opin. probab. q. 1. n. 5.* docet ex qualitate, & non ex ſolo numero Doctorum maiorem ſibi extrinſecam probabilitatem opiniones arrogare. Quia non raro Doctores ſequuntur antecedentium gregem, non curantes veritatem indagare, nec utriuſque partis rationes, & motiva diligenter appendunt. Undè pluralitas quandoque Doctorum nihil probabilitatis opinioni ſuperaddit; cum ea, quà pollet, qualis fuerit, ad unum, in cuius verba iuraverunt, reducatur. Et in eodem ſenſu ſuos omnes dicit communiſſimè eſſe, puta Caſtropalaum, Ovviedum, Bardi, Azorium, Franciſcum de Amico, Arriagam, Alioſq; atque indè infert non multùm tribuere extrinſecæ authoritati.

1180 Imò cum nonnulli, ut ipſe refert, cum ſuis (licet falsò) Caramuelem computaverint; ipſe illis, *quoquo animo, id fecerint*, gratias agit de magno indè ſibi compræſtito honore, atque ideò eum aliàs inſignem virum ex corde in ſuos ſuſcipiens defendit, oſtenditque in eodem ſenſu abundaſſe in Apologemate ſuo *num.* 95. utpotè qui ibi docuit, non facere probabilitatem extrinſecam Doctores, qui,

ſicut

ſicut oves ovem, Doctorem aliquem ſequuntur: Idque ait frequenter contingere, & indè oriri; quod multæ opiniones communes ſint falſæ. Et in Theologia fundamentali *cap. 1. n.59.* inter alia dicit conſulendum eſſe omnibus, ut mente ſequantur faciliores; & nihilominùs juxta ſtrictiores operentur. Et paulò inferiùs videtur ex Domino Lugone Cardinali commendare propoſitionem illam ab ipſo Eminentiſſimo Lugone quodammodò inſinuatam, videlicet: quod Eccleſia in ſuis præceptis intelligitur implicitè compræcepiſſe, ne quis opinionem mutaret in caſu, quo ex tali mutatione ſequeretur eius præcepta poſſe non obſervari; quia Pontifices cēſendi ſunt voluiſſe omninò omnes obligare, & claudere omnes aditus, per quos poſſet aliquis obligationem effugere. Et ſic videtur admittere, eſſe in præcepto ſequi opinionem faventem legi, & illam non mutare, ne indè contingat obligationem legis eludi per opinionem oppoſitam. Et idem Caramuel ſubdit, huiuſmodi Domini Lugonis ſenſum ſtare; & interim ſuadendum eſſe omnibus (quidquid de ſpeculatione ſit) ne ab illius ſententiâ practicè diſcedant.

1181 Ex quibus, & ſimilibus ex Caramuele adductis, exclamat Riccius: *quid hac doctrinâ præſtantius ad omnem legum firmitatem? Docet Caramuel conſulendum eſſe omnibus, ut mēte ſequantur faciliores opiniones; & nihilominus tamen iuxta ſtrictiores, & ſecuriores operentur. diſtinguit probabilitatem practicam à merè ſpeculativâ*. dùm ſcilicet, propoſita Lugonis doctrinâ, ſubdit: *Interim ſuadendum erit omnibus (quidquid de ſpeculatione ſit) ne diſcedant ab illâ practicè*. Affirmatque in lege expreſſâ compræcipi implicitè ea omnia, quæ ſunt neceſſaria ad obſervantiam, & diuturnitatem illius legis; inter quæ eſt, quod non mutetur opinio in aliam, ex qua quis à lege eximatur. Ergo iam iuxta ſtrictiores, aut probabiliores operari, ad præceptum pertinebit, non ad conſilium. et tandem concludit; *Ergo ſiſtat doctrina noſtri Lugonis & Caramuelis; vide quis eſſe poſſit laxitati locus.*

1182 Et indè procedit ad eos exprobrandum, qui ſuos accuſant, quod multum tribuant extrinſecæ Recentiorum authoritati; cum tamen *jure quidem* (inquit) *ac meritò poſſent tribuere plurimum, poſtquam docuerunt non eſſe inter Scriptores Catholicos reponendos eos, qui ſuas deciſiones omnes à ſacris literis, conciliis, & Patribus tamquàm à fonte non hauriunt, ut vidimus ex Reginaldo. poſtquam docuerunt eo uſque inſiſtendum eſſe antiquorum Theologorum doctrinæ. quouſque evidenter pateat eam non eſſe ampliùs probabilem, ut vidimus ex Bardo, Azorio, & Baldello. Si ita ſe habeant Recentiores, ut ex Probabiliſtarum conſenſu, ſe debent habere; non moleſtum eſſe debeberet, ſi multum ipſis deferretur. quod ſi non ita ſe habeant, Anti-Probabiliſtas eos veriùs dixeris, quàm Probabiliſtas, cum non ſervent Canones Probabiliſtarum.*

1183 Et infra poſtquam ait neque moleſtum eſſe debere quod de omnibus Recentioribus honorificè loquantur, iuxta illud Apoſtoli *ad Rom. 12. Honore invicem prævenientes*; quia hoc ad urbanitatem, vel chriſtianam charitatem pertinet; & interdùm, non tamen ſemper, ad veritatem; ſubdit: *Eſto igitur Probabiliſtæ vocent Scriptores Recentiores pios, prudentes, ac doctos, ad effectum ne male de illis opinentur: ſed ad effectum, quo eis committas æternam ſalutem tuam, non tibi probant, niſi pauciſſimos; illos nimirùm, quos patet omnes deciſiones ſuas ex ſacris literis, conciliis & Patribus tamquàm ex ſacris fontibus haurire. Ubi hoc deſit; non refert illos inter Doctores Catholicos Reginaldus. Si recedant ab Antiquorum Doctorum doctrinâ, niſi fortaſsè ex causâ graviſſimâ, & manifeſtiſſimè ab Antiquis non prævisâ; & niſi veterum rationes, non probabiliter quidem, ſed ſolvant evidenter; docet Bardi, hos non eſſe ſequendos. Si ſicut oves ovem alium ſequantur; docet Caramuel, docet Moya, docent omnes Probabiliſtæ hos non facere opinionem probabilem practicè. Ridiculum deindè eſt ſupponere has omnes conditiones in Doctoribus inveniri; ſi ex ipſorum libris manifeſtè conſtet oppoſitum.*

1184 Denique ex his concludit P. Riccius, quod licet Probabiliſtæ Recentiores admittant doctrinam de principiis extrinſecis, ſeu de reflexo dictamine, ex extrinſecâ probabilitate doctorum; tamen ipſi ad unum omnes ſupponunt pro Doctoribus illis, qui faciunt opinionem practicè probabilem, qui non ſunt, niſi illi tantùm, qui conditiones habent ab ipſis Probabiliſtis requiſitas. Cæterùm ſibi imputet, ſi eas omnes ſupponat in omnibus, quæ tamen in paucis reperiuntur. Et ideò ne quis hoc imprudentiſſimè ſupponat, conſulit Riccius, ut monitum Caramuelis attendat in ſuo Apologemate; videlicet, multas interdùm opiniones communes falſas eſſe, nec habere ex numeroſa Doctorum citatione ullam extrinſecam probabilitatē, quia Doctores illi ſicut oves proceſſerunt. Conſulit ſimiliter, ut ſupponat ex ſuo Cardinali Lugone, & Caramuele, in lege expreſſâ ſimul tacitè compræcipi omnia neceſſaria ad obſervantiam illius, & inter illa, ne quis mutet opinionem in oppoſitam, ex qua non ſatisfieri præcepto ſequeretur. Tunc enim qui hæc ex ipſiſmet Probabiliſtis tradita ſuppoſuerit, ſicut debet; nullus erit laxitati locus ex reflexo dictamine, & extrinſecā Doctorū authoritate. Diſtinguat denique inter probabilitatem practicam, & ſpeculativam ex eodem Caramuele, & aliis; & ceſſabunt profectò (inquit) contra Probabiliſtas tot clamores. præſertim cum vel ipſe Caramuel clamet contra ſubtilitates ab annis pauculis motas, & contra juniorum effugia, ne legibus ſatisfaciant, ut videre eſt apud ipſum in ſua

Theo-

Theologiâ fundamentali *cap. 1. num. 59. ſupra citato. Aut igitur* (concludit Riccius hic) *Recentiores Probabiliſtæ longè diſtant à laxitate, aut eos oportet priùs à ſeipſis, ſuiſque principiis, quàm à Probabilioriſtis diſcordare.*

1185 Poſt hæc verò idem Riccius in eodem cap. num. XII. fatetur unicum eſſe diſcrimen inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas, quod verſatur circa illam quæſtionem; an ſcilicet opinio benigna probabilis retineat ſuam probabilitatem, ſi oppoſita, quæ ſtat pro lege, ſit probabilior? Concedunt (inquit) Probabiliſtæ; negant Probabilioriſtæ. Ipſe tamen hic eam non reſolvit explicitè, & determinatè, ut videre eſt apud ipſum: ſed totus diffunditur in tradendis principiis, undè ſit reſolvenda. Id quod exiſtimo eâ induſtriâ egiſſe, ut maneret aditus ad eam nunc uno, nunc altero modo reſolvendam; ut ſic ex diſcrimine Probabiliſtarum, & Probabilioriſtarum in hoc puncto, detegi non poſſit diſcrepantia eorum in puncto principali de regula honeſtatis in materiâ opinativa, quantumvis in ipſis terminis videantur apertiſſimè opponi. Si enim ipſe reſolveret opinionem benignam retinere ſuam probabilitatem practicam, etiam ſi oppoſita ſtans pro lege ſit probabilior; jam non ampliùs concordarent Probabilioriſtæ cum ſuis in regulâ honeſtatis, dicendo non eſſe licitum ſequi minùs probabilem relictâ probabiliore, quia jam illa minùs probabilis, quam ſequi illicitum dicunt, ſupponeretur retinere ſuam practicam probabilitatem, quam ſequi licitum eſſe dicunt Probabiliſtæ Recentiores. Et ſi reſolveret non retinere; convinceretur Probabiliſtas, dicendo licitum eſſe ſequi minùs probabilem, relicta probabiliore, dummodò probabilem, loqui de quacumque opinione utcumque probabili, etiam ſi non eſſet probabilis practicè, quod negant procul dubio Probabilioriſtæ. Quamobrem hoc prævidens Riccius, ut non caperetur in verbis, ſagaciter excogitavit, ut opinio practicè probabilis ipſum quoque ſuum ſignificatum, quod in propriâ voce præfert, quodammodò abſconderet poſita in conſpectu probabilioris; ut ſic una eademque vox à Probabiliſtis ſuis, & à Probabilioriſtis uſurpata, variam poſſit reddere probabilitatem, ſuis videlicet practicam; Probabilioriſtis autem non practicam, ſed alterius ſpeciei; utpote variè iſtis, & illis opinantibus in puncto particularis controverſiæ de probabilitate practica retentâ, vel deperditâ in conſpectu probabilioris. Quæ diſcordia cum ſit de ſpeciali controverſia ſpectante ad diſcretionem practicæ, & non practicæ probabilitatis, non præjudicare videtur concordiæ eorum in controverſia de regulâ honeſtatis in materiâ opinativâ, quam Riccius unicè contendit oſtendere, dicens utroſque convenire in eâ aſſignandâ, quod ſit quæcumque probabilitas practica. Quod autem diſcrepent in judicando an hæc, vel illa opinio ſit talis; & an quæ talis eſt abſolutè in ſe, maneat talis in cōſpectu probabilioris, parū ad eum refert; quia hæc alia quæſtio eſt, & difficilis reſolutionis. Atque ideò eam remittit ab unoquoque diligentiſſimè examinandam, quia magni momenti eſt pro praxi, ut quis non decipiatur in eligendis opinionibus; & ſi quis, ait, in hoc erret, ſibi imputet errorem ſuum, non regulæ honeſtatis à Probabiliſtis ſuis traditæ uniformiter cum Probabilioriſtis. Quapropter ipſe eas dicit à conditionibus omnibus practicæ probabilitatis ab utriſq; etiam conformiter traditis dignoſcendas eſſe; ſicut etiam & indè reſolvendum eſſe docet, an minus probabilis practicè ſuam probabilitatem retineat in concurſu probabilioris: ſed ipſe id determinatè non reſolvit. Dicit tamen in hoc eſſe diſcrimen inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas: ex quo conſequenter ait, quod opinio minùs tuta minùſque probabilis non rejicitur à Probabilioriſtis Catholicis ut improbabilis in concurſu cum tutiori & probabiliori; ſed rejicitur ut carens practica probabilitate in conſpectu illius. Hæc eſt hujus Authoris induſtria ad tuendam ſuam prætenſam concordiam in regulâ honeſtatis tradendâ pro materiâ opinativâ, ut videre è apud ipſum in hoc tertio capite.

1189 Undè ut benè examinentur conditiones utriuſque opinionis, minùs ſcilicet probabilis, & probabilioris, & aliarum quarumcumque, modum tradit, quo procedendum eſt, dicens: *Ut utramlibet ſententiam ſequaris, hinc oportet ſumas initium, illudque benè percipias; quid ſcilicet, & quotuplex ſit probabilitas* ...... : *Diviſionem probabilitatis, ejuſque definitionem, & quas habere debeat unaquaque probabilitas conditiones, hactenus ſumpſi, & ſumam à Recentioribus Probabiliſtis. Vide deindè ſi opinio benigna habeat conditiones illas, quas Recentiores Probabiliſtæ requirunt ad practicam probabilitatem; & conſequenter vide ſi ex Probabiliſtarum doctrinâ ſit practicè probabilis. Vide demùm ſi opinio benigna has habens conditiones, poſſit habere oppoſitam æquè probabilem, aut etiam probabiliorem; & tunc demùm in hac controverſiâ dirimendâ rectè procedes.*

1187 Et paulò inferiùs ſubdit: *Cæterùm cum opinio probabilis dicatur illa, quam qui ſequitur, prudenter, & non temerè operatur,* (attende hic, lector, qualiter opinionem probabilem definiat: quam, inquit, qui ſequitur, prudenter, & non temerè operatur. Tota probabilitatis controverſia in materia morali in hoc conſiſtit, an qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operetur. Et tamen ipſe per hoc ipſum definit opinionem probabilem: & in tam manifeſta petitione principii nō erubeſcit) *patet frequenter contingere, ut operatio, quæ priùs erat prudens; ſi accedat alia notitia, fiat operatio imprudens, in ſenſu compoſito cum hac aliâ notitiâ, ut dicitur de mutatione circumſtantiarum. Accedit etiam, quod ſi probabilitas*

multiplex ſit, & diverſa; ſieri poteſt, ut una non remaneat, remanente alia diverſa. Ergo utramlibet partem ſequaris, oportet priùs ut hæc omnia benè noveris, & quæ ſint prædicata ſpecifica uniuſcujuſque probabilitatis, poſito quod probabilitas multiplex ſit, & ſpecie diverſa.

1188 Ex qua doctrina advertit ex ſummulis, quod cùm non valeat arguere à negatione ſpeciei ad negationem generis: neque ab affirmatione generis ad affirmationem ſpeciei, benè tamen à negatione generis ad negationem omnium ſpecierum, & differentiarum ſtantium ſub illo: conſequenter cum probabilitas ſit quoddam genus habens ſub ſe plures ſpecies, non valet arguere ſic: Hæc opinio non eſt probabilis practicè; ergo non eſt probabilis. Neque ſic: Hæc opinio eſt probabilis; ergo eſt practicè probabilis: benè tamen, ſi dicatur: Hæc opinio non eſt probabilis; ergo neque practicè, neque alio modo probabilis; quia de ea negatur genus probabilitatis, ac per conſequens omnes differentiæ ſpecificæ ejuſdem generis. *Et hinc* (inquit) *mirum non eſt, ſi Doctores ſint faciles in affirmanda probabilitate de opinionibus; & rari in eadem neganda; quia genus abſolutè poſitum ſupponit ſaltem pro infima ſpecie, quæ in caſu noſtro difficilè, negari poteſt.* Quod dicit, ut non omne, quod probabile dicitur à Doctoribus, credatur practicè probabile. Et hinc dicit, quod opinio minùs tuta, minuſque probabilis, non reiicitur a Probabilioriſtis Catholicis ut improbabilis in concurſu probabilioris, ſed rejicitur ut carens practica probabilitate. Per quod inſinuat, quod Probabilioriſtæ opinantur opinionem practicè probabilem, in conſpectu probabilioris, deperdere ſuam practicam probabilitatem, & manere probabilem alterius ſpeciei, ſeu tranſire ad aliam ſpeciem probabilitatis: & ideò negant licere eam ſequi. Et ſimiliter ex hoc ipſo videtur tacitè inſinuare, licet id non dicat expreſsè, quod ſui Recentiores Probabiliſtæ, dum dicunt licere illam ſequi, opinentur eam ſuam probabilitatem practicam adhùc retinere: & in hoc diſcriminantur. Sed quidquid ſit de hoc, quod ad aliam quæſtionem pertinet, & relinquitur unicuique diligenter examinandum: Id ſemper verum videtur Riccio, ſuos videlicet nullatenus diſcrepare in pūcto principali de regulà honeſtatis tradendà pro materia opinativa: ſed concorditer omnes Catholicos convenire, eamque ſiſtere in probabilitate practicà, quæ nunquàm talis erit, niſi per tot, tantaſque conditiones ab ipſis Probabiliſtis requiſitas, reſtricta fuerit; nec cæteroquin ſufficiet ad eam numeroſa illa Doctorum citatio, niſi ratio afferatur nova; nec novæ rationis nomine veniet ſubtilitas quædam à pauculis annis mota, aut effugium, ut legi non ſatisfiat, ut dictum eſt ex Caramuele. Undè poſtremò his verbis concludit P. Riccius in hoc capite: *Quid hac doctrina valentius à quo laxitas omnis intereat? quidve magis ad Probabilioriſtarum doctrinam, & vota? & tamen hæc omnia ex Caramuele, ex Moya, & ex Eminentiſſimo Lugone. Ab hac doctrina ſi deindè in praxi Probabiliſtæ recederent in delectu opinionum; ſibi ipſis priùs, quàm Probabilioriſtis contradicerent.*

Criſis doctrinæ præcedentis capitis adverſùs ejus Authorem.

1189 SI quâ hic Author in præcedentibus capitibus ſpecioſa paraphraſi, verborumque artificioſo circuitu proceſſit ad ſuadendam ſuorum concordiam cum Probabilioriſtis, ut vidimus ſuprà; hîc profectò profuſiore ac ſpecioſiore circumlocutione idipſum proſequi conatur. Fortaſsè credidit arte ſua dicendi, & apparatu verborum quaſi laqueum tendere, vel parare decipulam, ut nos caperet in ſpecioſitate eloquentiæ ſuæ. Sed nos illam flocci facimus. ſcientes quod non in ſplendore eloquentiæ, aut verborum circuitu ſita eſt Chriſtianæ, & Evangelicæ veritatis ſimplicitas; *à qua*, ut loquitur Chriſoſtomus *hom. 39. in Matth. Illi ſummi, ut videbantur, Viri exciderunt.* Qualiſcumque ergo ſit P. Riccius, & quantumcumque in ſua eloquentia ſummus fortè alicui videatur, à veritate excidiſſe ad hominem oſtēdam ex ipſiuſmet doctrina hactenùs relata ex præfato tertio capite.

1190 Probat igitur primò Author iſte ſuos Recentiores Probabiliſtas non multùm tribuere humanæ authoritati præſertim Recentiorum, & P. Moya, Caſtropalao, Ovviedo, Bardi, Azorio, Franciſco de Amico, Arriaga, & aliis; quibus etiam adiungit Dominum Caramuelem in gratiam eorum, qui cum ſuis illum commiſcent, ut ipſemet refert, & pro quo eis gratias reddit, quocumque animo id illi fecerint, Probat autem hoc ex quibuſdam locis citatis, ubi præſertim P. Moya, & Caramuel expreſsè videntur exigere in Doctoribus conditiones, & qualitates eis condignas, ut meritò poſſint inter Doctores computari; alioquin dicunt quod non ſunt pro talibus habendi, nec eorum opinio probabilis indè reputanda, quantumvis ſint in magno numero, ut ſupra dictum eſt. *Non poſſunt autem*, inquit Riccius, *multum tribuere Recentiorum authoritati, qui hujuſmodi conditiones in Doctoribus quærunt, quæ in pauciſſimis reperiri poſſunt.*

1191 Sed jam ſupra oſtendi hoc genus argumentationis nullius roboris eſſe; non enim ex hoc, quod quis veraciter aliquid ſignatè docet, inferri poteſt quod ſervet exercitè. *Super cathedram Moyſi* Chriſtus Dominus ait, *Matth. 23. ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum opera verò eorum nolite facere.* Benè ergo quæ erant ſervanda docebant; at ab eis tamen recedebant in factis. Undè igitur haberi poteſt ex doctrina ſignatè tradita deductio, & conſe-

conſecutio bona eiuſdem, etiam exercitè? Vidit utique Riccius eam non tenere; & ideò ſemper addit; niſi ſibimet, ſuiſque principiis non cõtradicant. At manebat ipſi probandum, quod ſibi, ac principiis ſuis illi non contradicant; non tamen probavit. Quid ergo refert, ſi eas qualitates, & conditiones requiri pro Doctoribus apertiſſimè fateantur, ut tales ſint, qui poſſint probabilitatem facere; ſi in citandis illis pro ſe, & ad ſua deſideria, & vota, coacervant qualeſcumque; ut paſſim apud ipſos experimur? Non eſt novum in praxi multos manifeſtè fateri doctrinam, quam, utpote in ſe evidentem, inficiari non poſſunt; ne videantur a veritate recedere, quam omnes conſpiciunt; & nihilominùs ea in praxi, ubi minùs advertitur, non utuntur. Proclamant itaque Probabiliſtæ qualitates Doctoribus neceſſarias, & maximè in materia morum; quia eas Doctoribus neceſſarias quiſque videt, quiſque ſupponit; & nemo eis crederet, ſi oppoſitum docerent. Accedit ad hoc, quod multi fortaſſe id faciunt, ut ſibimet ea induſtria magnam concilient authoritatem; & faciliùs cæteri omnes, qui ab ipſis audiunt tot optimas & eximias qualitates optari, eiſdẽ ipſos pollere credant, & ſuis adhereant opinionibus, nihil de ipſorum qualitatibus trepidantes. Cæterum in facto multoties nec ipſi, nec illi, quos pro ſe citant & commendant, tales ſũt, quales oporteret inveniri.

1192 Utinam non multi de ſuperbia phariſaica plus nimio dilatent philacteria ſua, & fimbrias magnificent, ut legis Doctores ſoli videantur, & veritatis aſſertores credantur in opinionibus ſuis: utinam non data opera qualitates Doctorum præmittant, ut non facilè tales, judicentur quos ipſi eiuſmodi doctrinæ præventione, videntur ſaltem tacitè reprobare, præſertim cum doctrinis ipſorum apertiſsimè conſtet eos penitùs adverſari, ac contradicere. Et quidem ſi eo animo id faciunt, venenum potiùs Viris ſimplicibus propinant; non ſalutarem Doctrinam; dum eos ementitâ veritatis ſpecie, non tam docent eligere doctrinæ ſuæ verbo, & diſcernere de tam copioſa turbâ digniores, quam ipſorum exemplo quoſcumque ab eis commendatos viderint, ſine ulla prorsùs diſcretione probare; & minùs commendatos deſpicere, & aſpernari. Quid enim refert ſimplicibus Viris, & inferioris notæ præmoneri de qualitate ſignatâ Doctoribus debita, quæ multo examine indiget, & tanto ingenio, ut ſolis ipſiſmet Doctoribus dignoſcenda reſervetur? Cæteros verò, quicumque ſint, ſivè doctrinam, ſive Doctores ipſos ab eiſdem accipere, & eò eundum cæcâ fide tenere, quò ab ipſis itur, experimur in dies. Et certè ſi ex Doctoribus, quorum eſt cæteros doctrina ſua paſcere, multi ſunt adeò inepti, ut inſtar ovium alios ſequantur; qui fieri poteſt, quod imperiti homines, qui a Doctoribus paſcendi ſunt, adeò eleventur, ut de Doctoribus judicent? Vana ergo ea eſt præmiſſa monitio; nec latet eos, qui eam præmittunt, inutilem eſſe hominibus imperitis; ſed eam præire faciunt, ut Auditores ſui perterriti de obiecto periculo, a doctrinis ſuis nullatenùs recedant, & minùs audiant Doctores alios, qui adversùs ipſos ſentiunt, quantumcumque proclament. Sed hæc mittamus, quæ ad ſecretum cordis ipſorum pertinent, quantumvis nec temerè dixerim ſed ſuſpicione fundata; & ſaltem poſſibiliter vera ſunt; quod ſatis eſt ad infirmandum argumentum Riccii, ductum ex illorum doctrina de qualitate Doctorum ſignatè traditâ. Procedamus ulterius.

1193 Oſtendam igitur poſitivè contra Riccium, Probabiliſtas ſuos multùm tribuere, & plùs nimio authoritati Recentiorum, eoſque præferre Antiquioribus, & quod plus eſt, maximis illis, & ſummis Eccleſiæ luminaribus, qualis Auguſtinus fuit, & cæteri Sancti Patres. Ex quo apparebit, vel ſibimet ſuiſque principiis contradixiſſe, vel nos de ipſis fuiſſe vera ſuſpicatos. Audiamus itaq; quid de Recentioribus dicant ſui Scriptores. Theophilus Raynaudus in diſcuſſione libertatis *part. 2. cap. 4.* ſic ait: *Scholaſtici poſteriores ſupra ſenes intellexerunt; & pleraque omnia reiicienda eſſe agnoverunt, quæ Anteriores probaverant. Primordia ſanè incultiora eſſe tradit Tertullianus; & ſcitè Ægidius in eamdem rem; poſteriores ſupra humeros Priorum longiùs vident, ſicut nanus ſi ſupra humeros Gigantis attollatur: itaque Poſteriores Theologi (ut facile eſt Anteriorum inventis addere) perſpexerunt, quæ Prioribus illis probabantur, eſſe verè improbabilia.* Quid amplius poterat Recentioribus tribuere Raynaudus, ſi illos ſuper ſenes intellexiſſe profert, & perſpexiſſe ac damnaſſe eorum aſſerta ut falſa, & improbabilia? Et Reginaldus in fronte primi libri citatus ab ipſo Riccio, abſolutè dicit in controverſiis agendorum præferendos eſſe Recentiores, ut vidimus in Criſi primi capitis ex ipſius textu ad literam contra interpretationem Riccii: Similiter ibidem oſtendimus ex Baldello, & aliis eiuſdem Societatis apud ipſum, quod plus tribuant interdùm uni moderno Doctori ob novam aliquam eius rationem contra comunem ſententiam opinanti, quàm multis illis, qui in ea ſententia antecedenter convenerant.

1194 Sed audiamus tandem Dominum Caramuelem, pro quo Riccius gratias agit, quod nonnulli eum in ſuorum numero collocarint, & inter ſuos cum gaudio ſuſcipit atque animi alacritate. Ait ille *num.* 197. ſuæ Theologiæ fundamentalis apud Vincentium Baronium, & Gonetum; & æditionis Francoford. *num.* 19[illegible] apud eumdem Gonetum. *In materia morum maioris facienda ſunt iuniorum opiniones, quã veterum: maioris omnino reſpõſiones quas dant Theologi conſcientiæ conſulti, quàm quæ in libris ponuntur: maioris viventium conſultationes, quàm Defunctorum.* Et ſi vis, lector, a Cara-

Caramuele ſcire, quarè tantùm illis tribuat; quia, inquit, ſunt ingenio præſtantiores: & tales eſſe neceſſariò agnoſcit ex breviori eorum ſtatura, & corporibus minùs robuſtis. audi eius verba ibidem: *Videntur corpus, & animus conflictu perpetuo diſſentire, quod probant naturalia, & moralia; & tunc animum ſerviorem, & liberiorem reddi, cum corpus maceratur, & debilitatur. Cum igitur non poſſimus negare, veteres maiores mole, & viribus robuſtiores fuiſſe (reperimus enim, & colimus hodie eximia Sanctorum multorum corpora, habemus in theſauris haſtas, enſes, & alia Principum antiquorum arma, quæ nobis eſſent impedimenta) dicturi ſumus neceſſariò juniores ſubtilioribus ingeniis præditos, & Socratibus Platonibus, Ariſtotelibus fuiſſe acutiores, & oculatiores Thomas, Scotos, Molinas Suarios, Vaſquios.* Aliam itidem addit rationem; *quia* (inquit) *Viris magnis ſucceſſimus, ſumuſque conceptuum ſelectiſſimorum hæredes; & dum omnes legimus, & audimus; & ſi eſſemus ingenio ſuppares, doctiores dici debemus.* Et eiuſdem Theologiæ fundamentalis editionis Francoford: *num.* 1264. ait; *Si abſit invidia, & præiudicium, tota moralis Theologia nova eſt: quis enim negare audebit, eſſe hodie in Diana centenas opiniones probabiles, quæ Auguſtino & antiquis Eccleſiæ Patribus ignotæ fuerunt?* Et in Epiſtola ad Amicos Theologiæ fundamentali præfixa ex ead: editione Francoford: ſic eas compellat: *Veſtra ego ſcripta aut exarata manu, aut typis edita, quæque habere licuit, Sapientiſſimi Viri, quotidie diligenter evolvo, & noſtro ſæculo gratulor, quod non habeat cur aureæ antiquitati invideat. intellige priſcæ ætatis hiſtorias, & admirabundus obſervo, nullum ſæculum debere conferri cum noſtro: nam ſi ingeniorum numerum conſiderem; tot habet Viros doctos hæc Ætas, quot omnes præterita ſimul: ſi ingeniorum eminentiam perpendam, fuiſſe olim in Orbe literario Theologos vobis ſuppares aut maiores, crediturus non ſum.*

* ſed non

1195 Quid plura. Eſt ne hoc parum, aut non multum tribuere authoritati Recentiorum? Vel de illis honorificè loqui ex urbanitate, vel ex chriſtiana charitate, juxta Apoſtoli conſilium *ad Rom.* 12. *Honore invicem prævenientes*. ut dicit P. Riccius? Numquid ad Urbanitatem vel ad charitatem pertinet eo uſque illos attollere, ut *in materiâ morum maioris facienda ſint ipſorum opiniones, quàm veterum? maioris, quas ipſi dant, reſponſiones conſcientiæ conſulti, quàm quæ in libris ponuntur? maioris viventium conſultationes, quàm Defunctorum?* Et quâ Urbanitatis ſpecie, aut charitatis poteſt Caramuel Recentiores extollere, veteres deprimendo, & quod ſuper omne execrabilius eſt, vel ipſos Eccleſiæ Patres, & Doctores maximos, uſque ad ignorantiæ notam, deiiciendo? Quid ſibi vult licentioſa illa Periodus? *Si abſit invidia, & præiudicium, tota moralis Theologia nova eſt. Quis enim negare audebit eſſe hodie in Diana centenas opiniones probabiles, quæ Auguſtino, & antiquis Eccleſiæ Patribus ignotæ fuerunt?* Numquid per tot anteriora ſæcula omni morali Theologia orbatam reliquit Deus Eccleſiam ſuam, aut aliquâ pſeudotheologiâ morali deceptam? An verò tunc primùm emerſere centeni illi caſus ventilandi, quas Diana ſuis opinationibus reſolvit? Quis hoc dicat? At Caramuel non materiam, non caſus ignotos illis fuiſſe dicit; ſed opiniones, & deciſiones probabiles, quas Diana noviſſimè introduxit. Quid eſt hoc, niſi quod Patres in iis decidendis erraverint, dum reſolutiones Dianæ non attigerunt? Quid eſt hoc, niſi quod novam Recentiorum moralem Theologiam ignorarint? Et potuit hæc Caramuel, aut quivis alius ex charitate hæc dicere, aut urbanitatis gratiâ, ut honore ſe invicem prævenirent? Vana ergo eſt Patris Riccii reſponſio ad mutuas illas Recentiorum laudes, & doctrinæ, ac pietatis encomia, quibus ſupra modum ſe honorant; quaſi omnes quidem labiis; paucos verò probent ex corde; omnes dicant honore dignos; raros autem ſequela præſertim in doctrina morum; ut exponit Riccius. Conſtat enim ex Caramuele, quod expreſsè in materia morum maioris faciendæ ſint iuniorum opiniones, quàm veterum; & quod in conſcientiæ conſultationibus ſint eorum reſponſiones præferendæ cæteris aliis, quæ in libris reperiuntur, & ſimilia, atque maiora, quæ hactenùs vidimus ex locis citatis ſuæ Theologiæ fundamentalis præſertim editionis Francofordienſis. Quod dico, quia ut advertit Vincentius Baronius, in poſteriori editione, quam Romæ paravit, correxit quod dixerat in præiudicium Auguſtini, & Sanctorum Patrum, — — — — veritus fortè faciem Eccleſiæ, * proindè à primis Recentiorum encomiis, & conſuetis laudibus abſtinuit.

1196 Quod verò Riccius ex eo, quod dicit Caramuel in ſuo Apologemate probans, & commendans doctrinam Eminentiſſimi Lugonis, infert jam illum docere juxta ſtrictiores, & probabiliores opiniones operandum eſſe; maximè cum ibi ſtare ſententiam Lugonis affirmet, nimirum quod ab Eccleſia compræcipi tacitè intelligantur quæcumque ſunt ad obſervātiam ſui expliciti præcepti neceſſaria; inter quæ eſt præcepum de non mutanda opinione in caſu, quo indè præcepto non ſatisfieri contingat: & ab ea practicè non eſſe recedendum dicat; doceatque ſimul omnibus conſulendum, ut mente faciliores, & ſecuriores opiniones ſequantur; & nihilominus tamen juxta ſtrictiores, & ſeveriores operētur. Dico quod nimis leviter infert; quia ibi Caramuel non ex proprio ſenſu loquitur, ſed Eminentiſſimi Lugonis, cui ſicut & aliis Viris Doctis, & Amicis ſuis de more blandiri ſtudet; in cuius ſignum compræceptum illud Eccleſiæ quaſi à Lugone affirmanter poſitum defendit; cum tamen eminentiſſimus ille

tale

Digitized by Google

tale compræceptum numquàm poſuerit, nec affirmaverit; ſed ſolùm futurum fuiſſe dixerit, ſi fortè Eccleſia prævidiſſet; ut ipſemet Caramuel ibidem advertit; & nihilominùs poſtea, quia illud à Lugone eo modo inſinuatum vidit, quaſi jam ab eo affirmatum ſtare poſſe ſuà ſpeculatione tuetur. Nec illud refert, quod dixerit: omnibus conſulendum, ut mente faciliores, & ſecuriores ſequantur; & nihilominùs tamen juxta ſtrictiores, & ſeveriores operentur: quia ut conſtat ex eius propriis terminis, conſulendum dicit, non imponendum; conſilium autem ad perfectionem pertinet, non ad neceſſitatem ſalutis: & maximè cùm ipſe ibidem præmiſerit, quod opinio minùs probabilis ſit tutior; & ſecurior; & in ſuâ Theologia fundamentali *pag. mihi 121. num.* 441. tertiæ editionis Lugdunenſis, repetit duas theſes, quas poſuerat in Commentario Regulæ S. Benedicti *diſp. 6. de opinione probabili num. 58. & 61.* quarum prima eſt: *omnes opiniones probabiles ſunt per ſe æquè tutæ & ſecuræ.* Secunda: *Benigniores & ſi aliquando ſint minùs probabiles; per accidens ſunt ſemper utiliores, & ſecuriores.* Et primam probat, quia *illa*, inquit, *opinio eſt tuta & ſecura in conſcientiâ, quæ ſi iuxta illam exactè opereris, te liberabit à mortali, & veniali: At hoc æquè præſtabit quæcumque probabilis opinio: ergo quæcumque eſt æquè tuta, & ſecura.* Secundam; quia, *inter duas opiniones*, inquit, *aliàs æquè tutas & ſecuras, ſi exactè opereris, illa tutior & ſecurior dicenda adhùc erit, iuxta quam certiùs præſcire poteris te operaturum exactè; Atqui hoc habent ſententiæ benigniores: cognita enim humana fragilitas, nos in ſuſpicionem, ac diffidentiam, neſcio, quam inducit, cum proponuntur res arduæ & difficiles; quæ abeſt aut ceſſat, cum proponuntur faciles.* Remq; exemplo dilucidat ſic: *Debeo*, inquit, *legere officium divinum; & quia duæ dantur opiniones; altera quæ internam intentionem requirit; altera, quæ non requirit; ſupponamus eruditionis gratiâ utramque eſſe opinionem probabilem, quod multi dicunt: Supponamus, inquam, quia habeo rationes contra, quæ me in contrarium pellunt* (ideſt ad aſſerendum improbabilem illam, quæ attentionem internam requirit, ut alibi docet.) *Et ſupponamus etiam uberioris doctrinæ gratiâ internam attentionem probabiliùs requiri. Sed quam tunc opinionem habebo? Tutiorem ait: acquiſco; at interrogo, utra ſit tutior? Porrò ſi exactè iuxta ſeveriorem operaturus ſum, utraque eſt æquè tuta; & ſi attentionem internam habuero, ſeu priorem, ſeu poſteriorem ſequar, non peccabo. Sed quis me ſecurum, & tutum reddet de attentione? quis reſpondebit mihi, me ſine diſtractione horas canonicas recitaturum? Ergo prævideo periculum, non ortum ab opinione ſeveriore; ſed à propria fragilitate; periculum tamen, quod opinionem ſeveriorem comitatur; & adeſſe benigniori non poteſt. Ergo benignior, & ſi ſupponatur minùs probabilis, eſt ſecurior, & tutior.* Hæc Caramuel.

1197 Ex quibus conſtat quod ubi ſupra ait: conſulendum eſſe ut mente faciliores, & ſecuriores (quo nomine benignas appellat) ſequantur; & nihilominùs iuxta ſtrictiores, & ſeveriores operentur, de conſilio, quod ad perfectionem pertinet, intelligendus eſt: Cæterum benignas etiam minùs probabiles, nedùm mente & ſpeculativè poſſe ſuſtineri, ſed etiam opere, & practicè tutò omnes amplecti poſſe docet; quia omnes per ſe æquè tutas; dicit. Imò minùs probabiles per accidens tutiores, & ſecuriores affirmat; quatenùs iſtæ non proponunt, ſicut illæ, res arduas, & difficiles, quas exactè agere vix poteſt humana fragilitas certiorari, quin non ſemper timeat minùs agere, quàm illæ præſcribunt agendum eſſe; atque ideò per accidens, inquit, minus ſecuritatis habet in actionibus ſuis, & maius periculum patitur non exactè agendi, quantum ſibi per illas imponitur; quo tamen periculo caret ſequendo benignas; quia quæ ab iſtis proponuntur, facilè poſſunt exactè fieri, & ab unoquoque cognoſci; videt enim quiſque ſe utcumque horas canonicas recitare; & ſi tenet non plus exigi, ſit certus, quod ſatisfecerit. Vide lector doctrinam Caramuelis. Vide ſi velit ſolà mente tenendas opiniones benignas etiam minùs probabiles; opere autem ſeveriores. Jam conſtat ex eius doctrina oppoſitum. Ergo vel ſibi contradicit; vel ubi oppoſitum conſulendum docet, de ſolo conſilio loquitur, quod ad perfectionem vitæ pertinet, & à nemine negari poteſt.

1198 Præterea ibidem & eodem num. in fine, docet liberum eſſe cuicumque mutare opinionem probabilem, etiam in caſu, quo ex eius mutatione contingat non ſatisfieri præcepto; ſicut contingeret in caſu, quo quis habens opinionem de attentione interna neceſſariò requiſità ad divini officii recitationem, eam mutaret in oppoſitam. Et tamen in hoc caſu Caramuel dicit liberum eſſe cuicumque opinionem mutare. Undè amplificans ibidem de ſeipſo, qui tenebat opinionem oppoſitam, quod recitando ſine ulla prorsùs attentione interiore, ita certus erat ſatisfeciſſe, ut iurare potuiſſet eo quod certò ſciebat totum officium utcumque legiſſe, ſic ſubdit ibidem: *Habeo igitur immunitatem, ſecuritatem, & tranquillitatem, quibus cares, & quas habere poteris, cum volueris: eſt enim tibi liberum deſerere opinionem probabilem, quam habes, & contrariam opinionem amplecti.* Vide ergo ſi ubi ſupra ex ſententiâ Lugonis dixerat compræcipi ſimul tacitè ab Eccleſia, quæcumque neceſſaria ſunt ad obſervantiam legis, inter quæ intelligitur præceptum de non mutandâ opinione in caſu, quo ex tali mutatione contingat præcepto non ſatisfieri: vide, inquam, ſi locutus fuerit in propriâ ſententia, an potiùs in ſententia inſinuata, ab Eminentiſſimo Lugone; cùm hîc expreſsè oppoſitum doceat.

cerat; Ergo vel hic ſibi contradicit, vel tunc de conſilio, aut in ſententia Lugonis, cui blandiri voluit, locutus fuit.

1199 Ulteriùs infra in eadem ſua Theologia fundamentali *num.* 1473. docet quamlibet opinionẽ probabilem ſpeculativè eſſe etiam practicè probabilem; niſi fortè opinio ſpeculativè probabilis ſit ſub aliqua præciſione periculi, a quo actus à parte rei ſeparari non poteſt. Cæterùm quando actus, de quo eſt opinio probabilis ſpeculativè, poteſt reduci ad praxim, ſicut ponitur in ſpeculatione; quidquid licebit ſpeculativè, inquit Caramuel, licebit practicè. Unde volens ibidem arguere ad hominem cõtra Dianam, qui *part. 7. tract. 9. reſol. 7.* loquens contra Caramuelem de mutatione divini officii, ait: *Ego in praxi difficulter conſulerem, ut quis poſſet mutare officium alicuius Sancti, vel feriæ in officium Paſchale*: ſic procedit (Caramuel) ad illum impugnandum: *Noto*, inquit, *illa verba* (*Ego in praxi.*) *Putat ergo Diana hanc opinionem eſſe probabilem ſaltem ſpeculativè. Et ego ad hominem ſic arguo: omnis opinio probabilis ſpeculativè, probabilis eſt practicè: At hæc eſt probabilis ſpeculativè: ergo & practicè.* Et poſtea contra hanc ſuam argumentationem ipſemet ſibi obiiciens, ſic ait: *Dices hanc rationem contra Dianam urgere, at non urgere ſtando Caramuelis principiis, qui negat abſolutè maiorem.* Ecce quomodo ſupponit de ſeipſo, quod aliquando negaverit omnem opinionem probabilem ſpeculativè eſſe etiam practicè probabilem; atque ideò hic ſibi obiicit, quaſi non benè arguat ex principiis ſuis. Sed audi quid ſibi reſpondeat ad obiectionem hanc. *Reſpondeo*, inquit, *Caramuelem maiorem non tàm negare, quàm diſtinguere: nam ſi poſſit reduci ad praxim, prout ponitur in ſpeculatione; quidquid licebit ſpeculativè, licebit practicè: aliàs non.* Ergo manifeſtè ſe explicat quod ipſe abſolutè velit omnem opinionem probabilem ſpeculativè eſſe etiam practicè probabilem: & ſolùm excipit quando praxis non eſt, prout ponitur in ſpeculatione; ſed variat, quia in praxi ponitur aliquid, a quo ſpeculatio præſcindit, & praxis ab eo præſcindere non poteſt; de quo videri poteſt apud ipſum, qui ibidem exemplum affert in materia luxuriæ. Sed iam tunc non ſumus in eodem caſu de ſpeculatione, & praxi; ergo ſtante ſpeculatione, & praxi de eodem caſu, Caramuel non diſtinguit opinionem probabilem ſpeculativè à practicè probabili quoad uſumque & ſequelam. Ergo malè Riccius ex loco Caramuelis ſupra allegato dicit, illum diſtinguere inter probabilitatem practicam, & ſpeculativam cum Probabilioriſtis; alioquin hic ſibi contradiceret.

1200 Vide ergo lector quid probet Riccius ex Caramuele pro ſuo intento: profectò nihil. Et tamen uſque modò credit ex illo rem ſatis, &, ut ait, obſignatis tabellis convinciſſe, uno vel altero ex eius Apologemate, & fundamentali Theologia loco citato, utroque obſcuro, & ambiguo, atque deficiente, ut hactenùs viſum eſt. Cæterùm ſi velit Riccius evidentiùs, firmiùs, ac certiùs inſpicere, &, ut eius phraſi utar, verè obſignatis tabellis intueri, qualis re vera fuerit in hac materia morali Caramuelis doctrina; quidve de eius Probabiliſmo ſit, ſine alia diſcuſſione, ſentiendum; eum ad decreta Pontificia remitto Alexandri VII. & Innocentii XI. primum ſub die 26. Auguſti 1659. ubi reperiet librum Joannis Caramuelis, cui titulus eſt gallico idiomate: Apologie pour les caſuiſtes contre les calumnies des Janſeniſtes &c. fuiſſe authoritate Apoſtolica damnatum. Et iterum ab Eminentiſſimis Cardinalibus Sacræ Congregationis Indicis die 15. Januarii 1664. ſuo ſpeciali decreto tenoris ſequentis: *Sacra Indicis Congregationis decreto damnatus, ac prohibitus fuit infraſcriptus liber ubicumque, & quocumque idiomate impreſſus, imprimendusve &c.* & paulò poſt: *liber eſt Joannis Caramuelis Apologema pro antiquiſſima & univerſaliſſima doctrina de probabilitate. In quorum fidem &c.* Secundum ſub die 4. Martii 1679. ubi plures propoſitiones damnatæ ſunt in particulari, ex quibus aliquæ ſunt in propriis terminis Joannis Caramuelis. Ad hæc itaque decreta Riccium remitto; hæc enim ſunt, in quibus fas eſt proſpicere, verè obſignatæ tabellæ, non privato alicuius fallaci & ementito ſigillo; ſed authentico, atque infallibilis & divinæ veritatis ſignaculo irrefragabili. Ad has profectò tabellas ſi oculos vertiſſet Riccius, non gratias fortè pro eo egiſſet illis, qui, quoquo animo id fecerint, eum in ſuorum numerum retulerunt. Nec de Caramuelis doctrina exclamaſſet: quid hac doctrinà præſtantius ad omnem legum firmitatem? & quod nullus ex ea eſſe poſſit laxitati locus; & ſimilia: quandoquidem falſa ſunt, quæ ad hanc ſuam exclamationem ſupponit ex Patre Moya, & Caramuele: nec ea in allegatis ipſorum textibus re vera continentur, quaſi de intentione ipſorum in eo ſenſu, quo prætendit Riccius, candidè pronunciata; quidquid ſit de ſuperficie literæ, quæ, ut vidimus, aliò tendunt; idque ſatis ex aliis ipſorum locis oſtendimus.

1201 Liquet itaque ex dictis contra Riccium, Probabiliſtas ſuos re vera plus nimio Iunioribus, & Recentioribus tribuere, qui ſibi nimirùm, atque ſuis doctrinis adhærent, cuiuſcumque tunc illi fuerint qualitatis: deſcribunt autem conditiones Doctoribus neceſſarias, eaſque ſæpiùs inculcant, ut ipſi tales à ſuis Auditoribus habeantur; & quos ipſi reprehendunt, vel ſibi minùs placent, aliis quoque conſequenter diſplicent. Eâ enim induſtriâ tacitè ſe commendant, & ſuos, ut ſimplices quoſque viros, & minùs doctos eludant potiùs, quam doceant. Et eâdem pariter induſtria utuntur, ſi quos interdùm verâ miſceant pietatem, ac religionem redolentia, atque arctioris doctrinæ principia extrinſecùs ſonantia; id quod manifeſtè deprehenditur

henditur ex contextibus ſuis, & reſolutionibus, quas plerumque faciunt in particulari laxiores, & juxta ſtimulorum quorumlibet doctrinam, quas, ut vidimus, immenſis ſæpe laudibus extollunt, & Priſcis Doctoribus præferendos apertiſſimè affirmant. quare perperam Riccius inde infert, eos non multùm Recentioribus tribuere, qui in Doctoribus tot qualitatum apparatum perquirunt: & quod benè eis tribuat, qui videntur uno, vel altero loco doctrinam arctiorem quadantenus commendare: & quod denique conſequenter cum Probabilioriſtis conveniant: cùm alias conſtet facto, & ſibi, & illis paſſim contradicere; & ſua, atque illorum principia penitùs evertere.

1202. Sed accedamus ad id, in quo idem Riccius eos fatetur unicè diſcrepare, nimirum in puncto illius quæſtionis: an opinio probabilis benigna retineat ſuam probabilitatem practicam; ſi oppoſita, quæ ſtat pro lege ſit probabilior: *Hoc enim* (inquit) *unicum eſt diſcrimen inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas; nam concedunt*, ait, *Probabiliſtæ: negant Probabilioriſtæ*. Et videtur Riccius velle ſuſtinere, quod per hoc diſcrimen non diſcrepent Probabiliſtæ à Probabilioriſtis in puncto principali de ſtatuendà regula honeſtatis in materia opinativa: utrique enim conveniunt, aſſerentes quod ea ſit probabilitas practica. Ubi verò hæc reperiatur; & an maneat in opinione benignâ in conſpectu probabilioris ſtantis pro lege, alia quæſtio eſt; & pertinet ad diſcretionem opinionum particularium; in quibus diſcernendis ſint ne practicè probabiles, aut non; & quando retineant, vel deperdant ſuam practicam probabilitatem; ſi quis erret, ſibi imputare debet errorem ſuum, qui practicè improbabilem eligit, eam confundens cum probabili practicè, & ignorans inter eas diſcernere; atque ideò recedit à regula honeſtatis. Cæterùm regula in ſe firmiſſima eſt, & communiter à Probabiliſtis, & Probabilioriſtis ſine ullo diſcrimine, ac prorsùs concorditer tradita.

1203 Sed diſcurſus iſte, Riccii techna eſt, & pura verborum colluſio. Nam hoc ipſum diſcrimen eſt formaliſſimè, quo ſui Probabiliſtæ à Probabilioriſtis recedunt in deſignanda regulâ honeſtatis pro materia opinativa: falſum enim eſt quod Riccius fingit, videlicet ſuos, & Probabilioriſtas aſſignaſſe pro regulâ honeſtatis opinionem practicè probabilem, & nihil aliud; quaſi quod ex regulâ illâ poſtmodum emergat conſequenter, & ſuboriatur quæſtio, an minus probabilis practicè perſeveret talis in concurſu Probabilioris ſtantis pro lege? Ac proindè hæc remittatur unicuique examinanda, & ſuâ diſcuſſione decidenda; ſicut remittuntur quæcumque aliæ particulares opiniones Doctorum determinatæ. Conſtat autem hæc falſitas ex differentiâ illius, & iſtarum; nam iſtæ particulares ſunt, & individuæ, & non ſupponuntur ſingulæ determinatæ ad regulam, quam tradunt; ac proindè poſt regulam, in quâ de ipſis nulla fit ſpecialis mentio, manet onus unicuique eas ſpecialiter examinandi, antequam juxta regulam eligantur. At illa eſt univerſalis, videlicet de omni opinione practicè probabili, ut ſic conſiderata generatim in concurſu probabilioris ſtantis pro lege, & ſupponitur à Probabiliſtis, & Probabilioriſtis variè deciſa, & expreſſè poſita ab ipſis in ſuâ regulâ; ita ut ex variâ ipſorum deciſione præſuppoſitâ procedant ad variam regulam honeſtatis deſignandam. Unde Probabiliſtæ ſub hac formâ tradunt regulam ſuam, videlicet: licitum eſt ſequi minùs tutam, minùſque probabilem relictâ tutiore, & probabiliore. Probabilioriſtæ verò ex oppoſito ſic: non eſt licitum ſequi minùs tutam, minùſque probabilem relictâ tutiore, & probabiliore. Ergo illi ſupponunt minùs tutam, minùſque probabilem benignam in concurſu probabilioris ſtantis pro lege perſeverare ſemper in ſuâ practica probabilitate, & illam abſolutè ſtatuūt pro ſufficiente regulâ honeſtatis. Quam tamen abſolutè reiiciunt Probabilioriſtæ à regulâ ſua; vel quia ſupponunt illam non manere in tali concurſu practicè probabilem, ut dicit gratis Riccius, quia id non probat, nec probare poteſt; vel quia intendunt minùs probabilem, etiam practicè, non eſſe regulam ſufficientem in concurſu probabilioris. Quocumque autem modo dicatur, jam conſtat eos valdè diſcordare in tradendâ regulâ honeſtatis; imò opponi ex diametro, & contradictoriè.

1204. Et certum eſt utroſque loqui de minus probabili benignâ in concurſu probabilioris ſtantis pro lege. Quia ſi intelligerentur de minùs probabili ſtante pro lege in concurſu probabilioris benignæ, & ſtantis pro commodo, ac libertate, eſſet omninò ridicula, & ſuperflua eorum regula, vel impia: nam ex parte Probabiliſtarum ridicula eſſet, & ſuperflua, quia traderent regulam pro per ſe, & manifeſtè recto; minùs probabile enim, imò erroneum, ſtans tamen pro lege, per ſe & manifeſtè ſemper rectum eſt; ut ſi quis erroneè judicaret teneri quoquo die ad audiendum ſacrum, ſuperfluum foret, & ridiculum hanc regulam tradere, quod ſcilicet licitum ſit hujuſmodi exiſtimationem ſuam ſequi; & ex parte Probabilioriſtarum foret impium oppoſitum, quod nempe ſit illicitum. Ergo eorum regula formaliſſimè eſt intelligenda in puncto, in quo diſcriminantur; & per hoc quod in hoc puncto eſt inter eos diſcrimen, ſunt formaliſſimè diſcordes in tradendâ regula honeſtatis pro materiâ opinativâ. Undè ſpeculatio Patris Riccii eſt pura colluſio verborum ad tegendam diſcordiam, quæ alias in propriis ipſorum terminis eſt nimis manifeſta.

1205 Et manifeſtatur ampliùs hoc ipſum: nam ut vidimus ſupra in capitibus præcedentibus ex doctrinâ ejuſdem Riccii, oportet infra genus probabilitatis practicæ dari magis, & minus probabile, ita ut minus probabile etiam

com-

comparatum probabiliori non deperdat ſuam practicam probabilitatem;& hoc tam in ſententiâ Probabiliſtarum, quam Probabilioriſtarum. Alioquin non poſſet Riccius explicare illorum concordiam; dum illi dicunt licitum eſſe, ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relictà tutiore, & probabiliore; & iſti dicunt non eſſe licitum. Eos enim Riccius ſic concordat, videlicet quod illi dicunt eſſe licitum minùs tutam ſequi, minùſque probabilem, prout ly minùs non dicit carentiam practicæ probabilitatis; ſed carentiam gradus, ſeu maioris probabilitatis practicæ, quo ſenſu, inquit, non negatur à Probabilioriſtis: iſti verò negant eſſe licitum ſequi minùs tutam minùſque probabilem, ſumendo ly minùs, prout dicit carentiam practicæ probabilitatis, quo ſenſu etiam negatur à Probabiliſtis. Ergo ex Riccio in ſenſu quo ab utriſque conceditur licitum eſſe ſequi minùs probabilem relicta probabiliore, ſupponitur etiam ab utriſque; quod minùs probabilis practicè cõparata ad probabiliorem retineat ſuam probabilitatem practicam; alioquin conceſſio eorum eſſet de ſubiecto, non ſupponente. Hoc autem ſuppoſito tenebantur utrique ex ipſo communi, & concordi ipſorum ſuppoſito reſpondere ad quæſtionem hanc, videlicet, an ſit licitum tunc ſequi minùs probabilem relicta probabiliore? Et invenimus Probabiliſtas reſpondere, eſſe licitum. Probabilioriſtas verò numquàm invenimus dicere, eſſe licitum; ſed tantùm legimus apud ipſos, id non eſſe licitum. Ergo diſcrepant in puncto principali de regulà honeſtatis in concurſu opinionum magis, & minùs practicè probabilium; ſi tamen Probabilioriſtæ, dum negant eſſe licitum, præſumantur dictæ quæſtioni reſpondere in illà ſuà communi ſuppoſitione; ſicut nos præſumere debemus, ex eo, quod illi tenebantur huiuſmodi quæſtioni reſpondere. Si verò præſumantur tunc loqui de minùs probabili non retinente ſuam probabilitatem practicã in concurſu probabilioris, ut exponit Riccius; jam hoc ipſo convincuntur defeciſſe à reſolutione huiuſmodi quæſtionis in eâ ſuppoſitione communi, cui reſpondere tenebantur; quod non eſt credendum, cum ea ſit quæſtio principalis in præſenti; & videtur impoſſibile, quod eam neque hìc, neque alibi reſolverint; conſtat enim quod nullibi expreſsè dixerint, vel quodammodò inſinuaverint in eà ſuppoſitione licitum eſſe ſequi minùs probabilem relicta probabiliore: vel Riccius oſtendat ubi; ipſi enim eſt onus probandi. Ergo gratis, & falsò ita eos exponit Riccius, dum illi dicunt non eſſe licitum; ut manifeſtam eorum diſcordiam ineptæ ſuæ interpretationis pallio ſubtrahat ab oculis, ne videatur.

1206 Præterea: Vel Probabilioriſtæ ſupponunt minus probabilem in cõcurſu probabilioris retinere ſemper practicam probabilitatem ſuam: vel numqàm: vel aliquãdo ſic, & aliquãdo nõ. Si dicatur primũ: ergo cum dicunt, non eſſe licitũ ſequi minùs probabilẽ relictâ probabiliore, interpretari non poſſunt, quod loquantur de minùs probabili carente ſuâ practicâ probabilitate in concurſu probabilioris, quia alioquin ſua negatio eſſet de ſubiecto non ſupponente; ac per conſequens oportet, quod negent illud eſſe licitum de minùs probabili retinente ſuam practicam probabilitatem, iuxta ſuppoſitionem ſuam; de qua tamen Probabiliſtæ affirmant eſſe licitum: ergo diſcrepant ab iſtis in Regulâ honeſtatis, & contradictoriè iſtis manifeſtè opponuntur. Si dicatur ſecundum: ergo diſcrepant ab iſtis in ſuppoſitione, quia Probabiliſtæ ſupponunt ſaltẽ aliquando minus probabilem in concurſu probabilioris retinere ſuam probabilitatem practicam (quod eſt illud unicum diſcrimen quod fatetur Riccius) ſed ex hoc diſcrimine Probabiliſtæ tradunt ſuam regulam ſub hac formà: licitum eſt ſequi minùs tutam minùſque probabilem, relictà tutiore, & probabiliore: quæ ſaltem per ipſos vera eſt aliquando, nempè quando minùs probabilis retinet ſuam practicam probabilitatem, juxta ſuppoſitionem ſuam: Probabilioriſtæ verò, qui in hac ſuppoſitione diſcordant, numquam poſſunt id licitum eſſe affirmare, alioquin ipſorum affirmatio eſſet de ſubiecto non ſupponente; & ideò formant regulam ſub illa forma: non eſt licitum ſequi minùs tutam, minùſque probabilem relictà tutiore, & probabiliore. Ergo ex unico illo diſcrimine, quod fatetur Riccius, convincitur evidenter eos diſcordare in regulà honeſtatis, & contradictoriè, ut ſupra dictum eſt. Quomodò ergo Riccius audet dicere quod ſint in regulà honeſtatis concordes? Si dicatur tertium; tunc ſic arguo ad hominem contra Riccium: vel Probabiliſtæ ſupponunt opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris ſemper retinere ſuam practicam probabilitatem; vel aliquando ſic, & aliquando non: ſi dicatur hoc ſecundum: ergo convincitur de falſo Riccius, dum ait eſſe inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas illud diſcrimen de minùs probabili benignà in conſpectu probabilioris ſtantis pro lege, quod retineat, vel non retineat ſuam practicam probabilitatem; & quod Probabiliſtæ affirment, negent verò Probabilioriſtæ; quia jam utrique convenirent aliquando affirmantes, aliquando negantes. Ex quo opus erat Probabilioriſtis ſimiliter diſtinguere, vel modificare regulam ſuam, ſicut fecerunt Probabiliſtæ dicentes: licitum eſt ſequi minùs tutam minùſque probabilem, modò probabilem; relicta tutiore, & probabiliore; ſic enim inſinuarunt per particulam illam (modò probabilem) non ſemper, ſed aliquando retinere ſuam practicam probabilitatem: at Probabilioriſtæ nec diſtinxerunt, nec modificarunt regulam ſuam; ſed ſemper ſub uno, & rigido tenore eam formarunt, dicendo non eſſe licitum abſolutè. Undè ergo eorum intentionem ſub hac diſtinctione interpretatur? oſtendat, ſi poteſt. Gratis ergo hoc dicit;

&

& gratis ei negatur à nobis, eo vel maximè quod propoſitio abſoluta, & præſertim negativa æquivalet univerſali, & ſic præſumptio intentionis eorum ſtat pro nobis. Si dicatur primum: ergo jam in ſuppoſitione diſcordant, & contradictoriè, quia (ſemper, & aliquando non) contradictoriè opponuntur. Ex quo ſequitur manifeſtè eorum oppoſitio etiam contradictoria in regula honeſtatis, quatenùs illi dicunt vel ſaltem dicere debent iuxta ſuppoſitionem ſuam, ſemper licitum eſſe ſequi minùs probabilem relicta probabiliore. Probabilioriſtæ verò dicunt, vel dicere debent iuxta ſuppoſitionem ſuam, ſaltem aliquando non licere. Ubi ergo eſt ipſorum concordia in tradenda regula honeſtatis? Sed ſive dicatur primum; ſive ſecundum; id ſemper verum eſt quod Probabilioriſtæ ſemper debuiſſent diſtinguere, vel modificare regulam ſuam, ſi conformiter ſenſiſſent cum Probabiliſtis. Quod cum nullibi fecerint, ſed ſemper uno, eodemque, ac rigido tenore locuti fuerint, negando eſſe licitum ſequi minus probabilem de licito, ſeu benignam, & faventem commodo & libertati, relicta oppoſita probabiliore; vana eſt omnis eorum prætenſa concordia.

1207 Denique ſi ſub ea diſtinctione ſeu modificatione utrique concorditer intelligendi ſunt, ut Pater Riccius prætendit, utrique onus erat tradendi modum dignoſcendi, quãdo minùs probabilis in concurſu probabilioris ſuam practicam probabilitatem retineat, vel non; ut ſua regula fieret utilis, & pro regula haberetur; alioquin regula non eſſet, quæ conditiones regulæ non haberet; debet enim regula eſſe & firma, & clara; & non defectibilis, ambigua, & obſcura, non minùs quàm ipſa regulabilia: debebant ergo utrique modum tradere clarè dignoſcendi in minus probabili, ſi & quandò practicam ſuam probabilitatem retineat; quod tamen non fecerunt; ac propterea perindè ſe habet ipſorum regula, ac ſi minimè tradita eſſet.

1208 At hoc fecerunt (replicat Riccius) Probabiliſtæ, tradendo conditiones practicæ probabilitatis, eam definiendo, dividendo ulteriùs in plures ſpecies, earumque aſsignando proprias conditiones, & notiones ſingulas uniuſcuiuſque ſpeciei; tradendo inſuper plura monita, & ſimilia, quæ ſi quis benè attendat ex ipſis Probabiliſtis, benè procedet. *Ab hit* (inquit Riccius) *initium ſumas oportet, ut videas ex ipsâ Probabiliſtarum doctrinâ, ſi opinio ſit practicè probabilis, & demùm ſi opinio benigna has habens conditiones poſſit habere oppoſitam æquè probabilem, aut etiam probabiliorem; & tunc in hac controverſiâ dirimendâ rectè procedes.* Et monet inſuper Riccius frequenter contingere, ut operatio, quæ priùs erat prudens, ſi accedat alia notitia, fiat imprudens; inſinuans ex hoc, quod opinio practicè probabilis accedente notitia probabilioris opinionis poſsit deſinere eſſe practicè probabilis; *quia opinio probabilis*, inquit, *ea dicitur, quam qui ſequitur, prudenter, & non temerè operatur*; quod confirmat ab exemplo in caſu de mutatione circũſtantiarum. Advertit etiam quod cum probabilitas ſit multiplex, & ſpecie diverſa, contingere poteſt quod una non remaneat, remanente alia diverſa; inſinuans per hoc quod opinio minùs probabilis practicè interdùm in concurſu probabilioris non manet practicè probabilis, ſed manet probabilis alia ſpecie probabilitatis puta ſpeculativè &c. Et hoc advertit ut quis non decipiatur, ex hoc quod videt illam adhuc à Doctoribus appellari, & dici probabilem, quia benè eam probabilem dicunt, ſed alteriùs ſpeciei, quã fortè antea fuerat. Quæ omnino ex regulis quibuſdam ſummuliſticis confirmat, ut ſupra in ſumma huius capitis retulimus. Quare hæc monet omnes, ne decipiantur in diſcernenda practicâ probabilitate ubi ſit, vel non; & quando maneat, vel tranſeat in aliam ſpeciem. Et ſic tradit optimè Riccius cum ſuis modum eam dignoſcendi, ut quiſquis facile regula Probabiliſtarum uti poſsit, ſi velit.

1209 Sed contra Riccium, & Probabiliſtas ſuos ad hominem ſic inſurgo; & peto à Riccio, num ſui Probabiliſtæ qui tot conditiones, & tot monita præmittunt ad iudicandam practicam probabilitatem in opinionibus tùm in ſeipſis ſolitariè, & abſolutè conſideratis; tùm comparativè ad ſuas oppoſitas, & probabiliores; num, inquam, eas conditiones omnes manifeſtè videant reperiri in ſingulis opinionibus ſuis, & deciſionibus in particulari, quas proponunt ut tutò in praxi amplectendas? Si non vident, cur eas judicant practicè probabiles, & ut tales proponunt Auditoribus ſuis? Cur à ſeipſis recedunt, & ſibi ac ſuis principiis facto contradicunt? Numquid in materiâ morum affectant Auditores ſuos, & viros ſimplices decipere? Impium eſt hoc credere. Oportet ergo dicat Riccius, ne eos tantæ impietatis accuſet, quod utique eas conditiones vident ineſſe opinionibus ſuis. At ſi ita eſt, cur tàm variè vident, quàm variè opinantur? paſsim enim videmus eos inter ſe diſſentire, & unum alteri opponi in caſuum reſolutionibus, & multoties damnare, ac reiicere ut improbabile, quod approbat alter; ſingulos verò tutas habere ſuas; cum tamen ſtante ipſorum concordiâ in regula honeſtatis, ut prætendit Riccius, nedùm inter ſe, ſed etiam cum Probabilioriſtis; deberent & ipſi, & Probabilioriſtæ ſimul iuxta conditiones practicæ probabilitatis, eam in omnibus opinionibus uno eodemque modo videre ineſſe, vel deficere, & ut tutas ac practicè probabiles docere, vel reprobare ut non tutas, & practicè improbabiles. Cur ergo non ita uno eodemque modo iudicant; & multo minùs Probabilioriſtæ, qui ſemper minùs probabiles reiiciunt, & damnant ut periculoſas? Imò, ut fatetur Riccius, in hoc uno diſcriminantur, quod cenſent minus probabilem in concurſu probabilioris non retinere

ſuam practicam probabilitatem. Undè hoc? Numquid Probabilioriſtæ, qui in practica probabilitate tamquam in regula honeſtatis conveniunt, non callent conditiones omnes practicæ probabilitatis? Cur ergo iſti eam non vident in minus probabili in concurſu probabilioris, ſicut vident Probabiliſtæ? reſpondeat Riccius, & rationem reddat. Profectò non aliam reddet, niſi eam, quam in eodem capite *num.* 12. adducit, dicens: *Quia cum tota controverſia ſit de probabilitate retentâ, aut deperditâ ab opinione benignâ in concurſu cum oppoſitâ probabiliori; patet fundamentum controverſiæ eſſe probabilitatem. Ergo hac non benè ſtabilitâ, parùm aptè diſputatur*. Ecce aſſignatam à Riccio cauſam, & fundamentum, ipſam probabilitatem, quæ indiget benè ſtabiliri, alioquin parùm aptè diſputatur. At fieri non poteſt, quod per idem fundamentum, undè enaſcitur controverſia, & diſcrepantia inter Doctores, eo quod parum ſtabile ſupponitur, dum indiget priùs benè ſtabiliri; faciliè ab aliis, & aptè diſputetur, & ſine errore attingatur probabilitas practica, quam vel ipſimet cum conditionibus ſuis minùs poſſunt attingere, & ſtabilire. Ergo tota evaneſcit firmitas, & ſtabilitas regulæ ſuæ. Ergo nimis nutans, & inconſtans, nimis ambigua, & obſcura, atque difficilis, & inutilis redditur regula ſua; in qua, etſi detur gratis Riccio ſuos cum Probabilioriſtis convenire, voce potiùs, quam re & facto conveniunt; cum re vera in ea dignoſcenda varient, & invicem ſibi contradicant. Quod adeò verum eſt, ut ipſemet Riccius dixerit in præcedenti capite 2. *ſub num.* 15. ex ſuo Scildere *tract. de conſc. cap.* 2. §. 1. quod *Probabilior ſua cuique eſt opinio*. Et licet ibi, idem Scildere adiiciat conditionem illam modificantem, videlicet: *Si conſideratè proceſſerit, eamque debitè formaverit*. Tamen verba fruſtrà multiplicat, & nihil re verà adiungit; quia unicuique opinanti nequit aliter apparere, quàm quod conſideratè proceſſerit, & debitè opinionem ſuam firmaverit: ac proindè ſemper ſua cuique opinio probabilior manebit. Ex quo manifeſtè ſequitur omnes illas requiſitas conditiones ad probabilitatem practicam dignoſcendam prorsùs inutiles in facto reddi etiam ipſis Doctoribus, & fortiùs aliis, ſi ſua cuique opinio ſit probabilior dicenda. Vide ergo lector quàm nutans, & variabilis pro uniuſcuiuſque iudiciò fiat regula illa honeſtatis, quam adeò magnificant Probabiliſtæ, & in qua tàm difformiter videntur Probabiliſtæ cum Probabilioriſtis convenire. Certè non eſt hæc convenientia, ſed perpetua potiùs colluctatio.

1210 Et confirmatur magis, examinando ipſas conditiones, quas ex Probabiliſtis ſuis affert Riccius: Eas, inquit, eſſe definitionem probabilitatis, diviſionem in plures ſpecies, puta ſpeculativam, practicam, tenuem, dubiam, certam, &c. & uniuſcuiuſque ſpeciei differentias. Similiter non fidendum ſententiis communibus, quia frequenter eas contingit eſſe falſas, cum non raro Doctores inſtar ovium aliquem unum ſequantur, & ſimilia. At conditiones iſtæ cum ex uniuſcuiuſque arbitrio cuilibet iudicandæ remittantur; hoc ipſo omnes variæ, & nutantes ſunt. Quantumcumque enim Riccius cum ſuis opinionem probabilem definiat; quod ſit innixa alicui rationi magni momenti, aut authoritati etiam magni momenti; dicatque magni momenti eſſe, ſi ex Scriptura, Sacris Conciliis, & Sacris Canonibus, atque Sanctis Patribus ſit deducta: hoc ipſum tamen eſt iudicatu difficile, nec pro omnibus; & pro quibus eſt, videmus variè iudicari. Licet ergo enumeret Riccius cum ſuis, probabilitatis ſpecies; & in qua ſpecie opinio ſit, vel maneat probabilis, benè adverti nos moneat: nihil juvat; quia & notiones ipſas ſpecierum variè tradi ab ipſis Probabiliſtis experimur; undè probabilitatem practicam non ab omnibus uno, eodemque modo expoſitam legimus; nam multi, ut videtur facere hìc Riccius; petentes principium, eam dicunt eſſe, *quam qui ſequitur, prudenter operatur*. Quaſi probabilitas practica, quæ per ipſos eſt regula, quà debet operatio eſſe regulata, ut ſit prudens; ſit dignoſcenda ab operatione prudente conſequente; & per circulum, operatio prudens ab ipſa probabilitate practicà regulante; qui eſt circulus vitioſus, & petens manifeſtè principium. Multi verò eam dicunt eſſe talem ab obiecto, quod eſt ipſa praxis ſeu operatio, de qua opinio determinat eſſe licitam, vel illicitam, per contrapoſitionem ad ſpeculativam, quæ eſt de obiecto purè cognoſcibili; quale ſcilicet in ſe ſit, verum, vel falſum; vel ſimili modo, quo pacto exponit ſuus P. Cardenas, qui dicit opinionem probabilem ſpeculativam, & practicam ſemper eſſe de diverſo obiecto, ut alias vidimus ſupra cum de probabiliſmo agebamus. Tùm etiam quia in facto videmus Probabiliſtas variè multoties proferre iudicium ſuum de nonnullis opinionibus in particulari, quibuſdam affirmantibus eas eſſe practicè probabiles, aliis negantibus: & Probabilioriſtas generatim negare probabilitatem practicam opinionibus minùs probabilibus in concurſu oppoſitarum probabiliorum, quam tamen admittunt, & concedunt Probabiliſtæ juxta relationem Riccii: dum ait *hoc unum eſſe inter eos diſcrimen*. Atque ideò infert Probabilioriſtas non reiicere minùs probabiles ut improbabiles, ſed ut carentes probabilitate practica, gaudentes tamen ſpeculativà: licet ego oppoſitam ſententiam, ſum enim in voto, quod Probabilioriſtæ non negent illis opinionibus ſuam practicam probabilitatem, ſed velint illam non ſufficere conſcientiæ in concurſu probabiliorum: Riccius verò, quia credit cum nonnullis aliis, quod probabilitas practica eadem ſit cum ſententia certò tuta, undè de facto eam dicit eſſe, quam qui ſequitur, prudenter operatur; conſequenter

credit

credit ſequelam illius à nemine reiici poſſe, atque ideò videns reiici a Probabilioriſtis ſequelam opinionis minùs probabilis in concurſu probabilioris, judicat illos negare ei probabilitatem practicam. Sed fallitur, quia accipit ut primum principium, quod eſt in quæſtione; eſt enim in quæſtione, an probabilitas practica ſit ſufficiens regula honeſtatis, & partem negativam tuentur omnes Antiprobabiliſtæ. Sed quidquid ſit de hoc, de quo alibi dictum eſt, & dicemus iterùm infra; id veriſſimum eſt, quod probabilitas hæc practica neque apud ipſos Probabiliſtas habet ſuam notionem certam, & invariabilem; quia ut vidimus, & variè ſignatè exponitur, & variè exercitè judicatur in particularibus opinionibus. Ex quo redditur regula ambigua, obſcura, nutans, & variabilis, pro modulo particularis judicii uniuſcuiuſque; quemadmodùm & inde ſuboritur magna diſcordia inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas in tradenda regula honeſtatis, dum illi reiiciunt minus probabilem in concurſu probabilioris, quam tamen illi ſequi, licitum eſſe affirmant. Ubi ergo eſt prætenſa illa concordia in regula honeſtatis pro materia opinativa? Ubi illa uniformis doctrina in tradenda practicà probabilitate? Ubi illæ firmæ, & invariabiles notiones illius? Non eſt ergo in his omnibus, niſi magna colluſio verborum, & ancipitis atque amphibologicæ orationis circuitus, ut vel ipſa diſcordia manifeſta ſub tanto tandem fuco concors quodammodò credi poſſit; vel ſaltem ambigi ab animis credulis, & ſimplicibus.

§. V.
Summa doctrinæ ejuſdem Patris Riccii in quarto capite.

1211 IN quarto capite inquirit Riccius num ſui Recentiores Probabiliſtæ plus nimio indulgeant humanis ſpeculationibus; idque ad propulſandam accuſationem, quæ ſub iis terminis fit ab Adverſariis contra Probabiliſtas ſuos. Certè ſi reflectas, lector, ſuper huiuſmodi quæſitis, præſenti, & præcedentibus, ferè ſynonimis inter ſe, quia iis terminis interdùm Adverſarii contra Probabiliſtas pro ſuo modo loquendi, & phraſi, uſi ſunt; non poteris abſque nauſea, & animi tui tædio repetita hæc quæſita ad literam articulatè diſcuſſa apud Authorem iſtum videre; cum indè manifeſtè conſtet, in eius animo fuiſſe, Adverſariorum verba, atque phraſim, potiùs, quaſi deſpicienda aſſumere, quam ſenſu, & doctrinam ſolidis rationibus impugnare. Hinc verba, & quæſita multiplicat, & verborum circuitu ſine ulla prorsùs rationum efficacia, increpationes proſequitur, concludendo nihil; ſemper aerem verberans, & ſcopum nunquàm attingens. Cogimur nihilominus hiſce ſuis repetitionibus inſiſtere, ne videamur ad tantum ſtrepitum quaſi perterrefacti ſuccumbere.

1212 Itaque graviſſimæ huic querelæ contra ſuos (quod plus nimio indulgeant humanis ſpeculationibus) inquit hic Riccius, ſe abundè poſſe ſatisfacere, iterùm in medium producendo ſolùm illos Recentiores Probabiliſtas, quos produxit in capitibus præcedentibus; qui poſt ſacras literas, poſt Eccleſiæ decreta, poſt Sacros Canones, Concilia, & Patres, ſolidiſſimæ tantùm rationi deferunt, ut ſtes pro libertate contra legem diſputatam.

1213 Unde ſic arguit: vel Recentiores Theologi diſcordant ab antiquis, vel non. Si non diſcordant; non eſt cur accuſentur, quod indulgeant humanis ſpeculationibus. Si diſcordant, debent ex Bardi ſolvere evidenter rationes, quibus veteres nitebantur; nec ſatis eſt, ſi ſolvant merè probabiliter. Debent adducere rationem aliquam novam ab antiquis non prævisam; puta novam aliquam legem, ſeu Decretum, &c. Ita Bardi *diſcept. 4. de conſc. probab. cap. 6. ſupra cit.* At ubi hæc ſerventur, patet humanas ſpeculationes nullum omninò habere locū.

1214 Ex Reginaldo (ait item Riccius) ut ſupra viſum eſt, ille cenſendus eſt Doctor Catholicus, qui ſuas deciſiones ex Sacris Canonibus tamquam ex illimi fonte deducat. Quis igitur locus humanis ſpeculationibus? Et præterea *lib. 13. cap. 10. num. 90.* hæc habet: *Secunda regula eſt. Tutam eſſe conſcientiam, quæ fundatur in opinione probabili, ſeu moraliter certà, admittente aliquam formidinem de parte contrarià ob inconſtantiam rerum moralium. Probatur verò talis regula: quia ſecundùm eam agens, non temerè, & irrationabiliter, ſed ex prudentia (quæ eſt actuum humanorum regula) rationabiliterque agit. Porrò ea opinio cenſetur probabilis, quæ gravi authoritate, vel ratione magni momenti nititur. Atqui gravis Authoritas juxta ea, quæ tradit Conradus, intelligitur eſſe eorum Doctorum, qui in aliis opinionibus ad moralia pertinentibus inveniuntur frequenter veritatem attingere, & rarò aberrare: item quos commendat vita, morumque integritas: præterea qui multùm laboris, & ſtudii in examinandis opinionum fundamentis ponunt: ac demùm quos apparet non eſſe ad talem opinionem inductos ex aliquo inordinato affectu. Ratio verò magni momenti intelligitur eſſe argumentum validum, aut Sacræ Scripturæ teſtimonium, aut Eccleſiæ Decretum, quo talis opinio ſtabilitur.* At qui indulgent humanis ſpeculationibus, ſubſumit Riccius, non rarò, ſed frequenter aberrant à veritate. Nec probant aſſertiones ſuas ex Sacræ Scripturæ teſtimoniis, aut Eccleſiæ Decretis. Undè non dicendi ſunt Probabiliſtæ, ſed Antiprobabiliſtæ, & probabilitatis corruptores. Ergo fieri non poteſt, ut quis ſervet regulas a Recentioribus Probabiliſtis traditas ad faciendam opinionem probabilem, & ſimul indulgeat humanis ſpeculationibus, quas meritò Caramuel vocat, ut vidimus, ſubtilitates ab annis pauculis motas

&

& effugia, ne legibus ſatisfiat. Num effugia ſint ratio ſolida? Hæc Riccius ex Bardi, Reginaldo, & Caramuele.

1215 Poſt iſtos producit Riccius ſuum Patrem Cardenas, qui in Criſi Theologica *diſſert. 4. cap. 5.* inquirens, quæ nam ſit opinio tenuiter probabilis damnata in Decreto Innocentij XI, reſolvit eam eſſe, quæ eſt dubiæ probabilitatis. Talem autem ipſe ex quinque capitibus dicit agnoſcendam eſſe per hæc verba: *Primò*, inquit, *dubito de probabilitate opinionis, quando Author, qui illam docet, non eſt omni exceptione maior iuxta dicta diſp. 15. & ratio, qua nititur opinio, mihi non ſatisfacit, nec videtur omnino firma. Secundo cum Author unus, vel alter ſingularem docet opinionem, nec dat rationem, qua nititur. Tertiò cū unus vel alter docet opinionem; & plures alii dicunt vel eſſe improbabilem, vel parùm tutam, vel malè audire apud Theologos, vel illam non eſſe audiendam, aut eſſe reiiciendam. Quartò quando datur principium certum; & dubitabitur an ei repugnat opinio, nec proponatur ratio ſufficienter firma ad deponendum dubium. Quintò cum dubitatur an ratio concluſionis ſit levis, an gravis, & firma*. Hæc Pater Cardenas. *qua doctrinà poſitâ*, exclamat Riccius, *quæ opinio non ſit tenuiſſimæ probabilitatis? quæ rationes tàm firmæ, ut faciant opinionem non tenuiter probabilē?* quaſi dicere velit, ferè omnes opiniones per P. Cardenas, & conſequēter per omnes ſuos Probabiliſtas, virtute huius doctrinæ, haberi ut tenues, & reprobatas, tamquàm dubiæ probabilitatis. Atque indè infert: ergo fieri non poteſt, ut indulgeas ſpeculationibus, & ſis Probabiliſta. Intellige: (computandus cum ſuis.) Nam ſui tàm firmas rationes, & talem Authorem omni exceptione maiorem exigunt ad veram probabilitatem, ut vix ſit reperire unam, vel alteram opinionem probabilem; cum rarò occurrant tàm firmæ rationes: & vix ac ne vix quidem unus, qui ſit Author omni exceptione maior. Undè ſubiungit: *Præclarè nobiſcum agitur, ſi in tanta Doctorum frequentià unum aut alterum inveniamus*. & immediatè poſt: *Nihil his quinque à Cardenas requiſitis dici poteſt vel Probabilioriſtarum doctrinæ conformius; vel difformius laxitati*.

1216 Et quia ulteriùs ibidem Cardenas docet de probabilitate tenui, ſeu dubià, quod importet dubium practicum, in quo vult, quod ſit neceſſariò tutior pars eligenda. Indè infert Riccius: *Ergo de cuius ſententiæ benignæ probabilitate non iure, ac meritò dubitabis? & quando non teneberis ſequi partem tutiorem?* quaſi dicat: ferè ſemper. Et indè ironicè concludit: *Sic indulgent ſpeculationibus; ſic laxant diſciplinam, ſic mores corrumpunt noſtri Recentiores Probabiliſtæ*.

1217 Id quod confirmat ex eodem Cardenas, qui *diſſert. 14. cap. 4. n. 50.* diſtinguit tres gradus certitudinis moralis; ſupremum, medium, & infimum. & infimum dicit eſſe, *quando prudentes habent aliquid pro certo, ex eo quod communiter accidit; quamvis in raris caſibus oppoſitum acciderit. Et ſic dicitur certum quod plenè probatum eſt in iudicio; quod infans baptizatus à Parocho ſit rectè & validè baptizatus &c.* ex quo ſic arguit Riccius: *Si infimus gradus moralis certitudinis, ex P. Cardenas, tunc habetur, quando non poteſt prudenter dubitari de oppoſito; cum aliàs rarò deſint motiva prudenter dubitandi de probabilitate opinionis; jam multùm rarò habebis infimum gradum moralis certitudinis de probabilitate opinionis; & conſequenter multùm rarò non teneberis ſequi partem tutiorem, juxta doctrinam Patris Cardenas. In quo*, ſubdit idem Riccius, *concordant Cardenas, & Navarrus cum Divo Thoma* (eius textu allegato) *& etiam Vaſquez. Quis igitur reliquus fiat humanis ſpeculationibus locus? potiùs ſit magno timori, & prudenti dubitationi*.

1218 Præterea hanc doctrinam, quod ſcilicet tunc quis licitè ſequitur opinionem benignam pro libertate contra legem addubitatam, quandò non poteſt prudenter dubitare de eius obiectivâ veritate, & non aliter; eſſe ſuorum Probabiliſtarum doctrinam, confirmat ex ſuo Scildere *tract. 2. de conſc. cap. 2. §. 1.* ubi definit opinionem probabilem in re morali ſic: *Eſt aſſenſus cum formidine innixus rationibus gravibus, ex quibus vir conſideratus poſt argumenta contraria conſiderata, & ſoluta, in negotiis magni momenti concludere ſolet*. Ex quo arguit Riccius, quod ubi utique argumenta contraria conſiderata ſunt, & ſoluta: & conſiderata quidem a viro conſiderato, & prudente, & ut fieri ſolet in negotiis magni momenti, & verè ſoluta; non declinata, aut eluſa; iam non ampliùs prudenter dubitari poteſt de veritate eius obiectivâ; quia dubium de eius veritate, naſcitur à contrariis argumentis. Ergo ſi hæc credantur ſoluta, ceſſat timor prudens; quia ceſſat ratio prudenter dubitandi. juxta doctrinam Scildere, & Bardi, quem Scildere pro ſe citat. Unde ſubdit Riccius, quod ex hac Bardi, & Scildere doctrinâ Probabilioriſtæ probant ſententiam ſuam de non ſequenda minùs probabili; quia rationes minùs efficaces non ſolvunt oppoſitas validiores.

1219 Similem doctrinam affert iterùm Riccius ex P. Eſparza; & iterum ex Vaſquez. Ex quibus repetit Probabilioriſtas probare ſententiam ſuam. Tùm etiam & ſimili modo eamdem doctrinam probat ex P. Tetillo, ſuo, ut ipſe fatetur, Probabiliſta Acerrimo. Atq; ideò cōcludit teneri quemlibet, ex ſuorum Probabiliſtarū doctrinâ, opinionem benignam, quam ſequitur, benè conſiderare, & videre ſi ſit gravibus rationibus innixa, & magni momenti, & rationes oppoſitas benè conſideratas, atque ſolutas habere, ita ut nonniſi poſt huiuſmodi maturam conſiderationem, prout ſolet fieri à Viris conſide-

ſideratis, & prudentibus in negotiis magni momenti, & poſt ſolutionem argumentorum partis oppoſitæ, reſolvat, & illam ſequatur, ut prudenter operetur; alioquin operabitur imprudentiſſimè, quia non erit opinio illa probabilis. Quod ſi hæc citra paſſionem, & culpam; patet nullum humanis ſpeculationibus eſſe locum: nec poſſe Probabiliſtas a Probabilioriſtis diſcordare; cum nihil aliud dicant Probabilioriſtæ, quam ſequendam eſſe illam partem, quæ validioribus probatur argumentis, ob rationes prædictas.

1220 Nec, inquit, dicendi ſunt Recentiores Probabiliſtæ plus nimio humanis ſpeculationibus indulgere, ſi non omnes caſus particulares reſolvant ex ſacris literis, aut Eccleſiæ definitione. Id enim ne ipſi quidem Probabilioriſtæ requirunt: imò id ſemper exigere, & oppoſitum illicitum credere, judicant abſurdiſſimum, ut patet ex Corduba *lib.2.* quæſtionum Theologicarum, *quæſt.3. propoſ.2.* cuius textũ affert per extenſum ibi: *Ex ipſa ratione excuſabitur, &c.* Accedunt quoque propoſitiones 1. & 2. ab Alexandro VIII. damnatæ. Non igitur eſt illicitum humana ratione duci, ubi non ſuppetunt Eccleſiæ definitiones; neque hoc eſt indulgere humanis ſpeculationibus.

1221 Hæc autem omnia dicta fundantur (inquit) in celebri illa Apoſtoli doctrina: *Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt; quia non ex fide: omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ad Rom.* 14. Hinc enim omnes Theologi docent ſequendum eſſe dictamen ultimum practicum rationis, quod Apoſtolus hìc vocat fidem. Sed in hoc diſcrimen eſt inter Catholicos, & Novatores; quod iſti (ait) exigunt fidem certam, & omninò infallibilem: Catholici verò exigunt fidem ſolùm certam moraliter; hoc eſt, ita ut non poſſis prudenter de falſitate dubitare poſt ſufficientem, & ſinceram inquiſitionem, ut viſum eſt ex P. Cardenas. Non poteſt autem fides hæc formari, ſeu judicium practicum prudens moraliter certum, juxta traditam Probabiliſtarum doctrinam, niſi benè conſiderentur, & ſolvantur argumenta oppoſita ex P. Eſparza, & aliis: neque hæc ſolvi, & vinci poſſunt per argumenta minùs efficacia, aut æqualia ex Vaſquez, Scildere, Terillo, & aliis; unde nemo poteſt judicare, aut credere, ſeu formare ſibi fidem, quod ſit verum illud, quod ultimo judicio judicat eſſe minùs probabile, quia probabilitas conſiſtit in magnitudine apparentiæ veritatis ex P. Moya, quâ ſtimulamur ad aliquid exiſtimandum, qui quidem ſtimulus ſub experientiam cadit, & ab unoquoque ſentitur; non ſic autem veritas ipſa, quæ obſcura eſt, & nonniſi per cõiectufas innoteſcit; quam quidem apparentiam veritatis non habet motivum minùs, aut æquè validum; ac propterea hæc fides ſeu dictamen non poteſt haberi neque de utrâque parte contradictionis, neque de parte viſa minùs, aut æquè probabili, ſed ſolùm de probabiliori, etiã ſi minùs tutâ, ut docent Probabilioriſtæ. Hoc autem negare non poſſunt Probabiliſtæ juxta ſuam, & Apoſtoli doctrinam, dùm per ipſos, ut una pars contradictionis ſit probabilis, debent conſiderari, & ſolvi rationes oppoſitæ, quod nequeunt facere rationes minùs efficaces; ac per conſequens minùs probabile per ipſos in concurſu probabilioris non manet probabile. Quare etiam ſi Doctores ad unum omnes docerent cuiquè licitum eſſe, ſequi partem minùs tutam, minùsque probabilem, relictâ probabiliore, & tutiore; Hi conſequenter docere deberent partem illam adhuc remanere cuique probabilem, & habere pro ſe graves adeò rationes, ex quibus ſolvantur rationes oppoſitæ validiores, quod impoſſibile eſt. Ergo oportet quod conveniant cum Probabilioriſtis, quod ſcilicet, in concurſu, ſolùm probabilius ſit probabile, & illud ſit eligendum, ut agatur prudenter, & ex fide, ut non peccetur; niſi priùs à ſeipſis velint recedere, & a principiis ſuis.

1222 Manet autem, inquit, nunc difficultas: quo pacto igitur dicunt Probabiliſtæ licitum eſſe, ſequi partem minùs tutam, minùſque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore. Et ad hoc reſpondet Riccius: *Quod ſenſus verus iſtius propoſitionis, is ſolùm eſſe poteſt, quod ſ. ad licitè operandum non teneamur formare fidem ſecundùm ſcientiam, ſeu veritatem infallibilem; ut dicunt Novatores; ſed ſatis ſit formare dictamen ſecundùm moralem certitudinem de obiectivâ veritate poſt ſinceram, & ſufficientem diligentiam, ut docent omnes Catholici contra Novatores, à quibus longiſſimè diſtãt Probabilioriſtæ, qui dum docent ſequendam eſſe partem tutiorem, aut probabiliorem, quamvis minùs tutam; nec eſſe licitum ſequi partem minùs tutam, & ſimul minùs probabilem, relictâ tutiori ſimul, & probabiliori; nihil aliud dicunt, quàm cuique ſequendam eſſe illam contradictionis partem, quæ gravioribus argumentis innititur; quia ex communi etiam Probabiliſtarum doctrinâ, ut modò vidimus, ad probabilitatem requiritur ſolutio rationum partis oppoſitæ; aliter opinio non erit probabilis, imò nec opinio; quia deerit aſſenſus; & quia nemo ſibi perſuadere poteſt, aut utramque contradictionis partem eſſe veram, aut eſſe veram minùs veriſimilem. Undè nemo poteſt de eâ formare fidem ſecundùm ſcientiam modo explicato; & tamen ex Apoſtolo id requiritur ad licitè operandum.* Et poſt pauca: *Vide nunc ſi Probabilioriſtæ aut concordent cum Novatoribus, aut diſcordent à Probabiliſtis, niſi priùs à ſeipſis diſcordaverint Probabiliſtæ.*

1223 Ex dictis itaque apparet juxta interpretationem Riccii, quod ſenſus illius propoſitionis Probabiliſtarum non ſit, quod ſit licitum ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem ſimul, & in ſenſu compoſito, relictâ opinione tutiore, & probabiliore; quaſi ve-

ſint dicere; eſſe licitum ſequi eam opinionem, quæ eſt & minùs tuta, & etiam minùs probabilis, quam ſua oppoſita: in hoc ſenſu enim falſa eſt propoſitio, nec poteſt de ea formari fides, quia implicat quod credatur vera opinio minùs veriſimilis a Viro prudente, & conſiderato poſt debitam conſiderationem rationum oppoſitarum, quæ ſibi videntur validiores: ac proinde in huiuſmodi concurſu, neceſſe eſt quod formetur fides de probabiliore, & ſecundùm illam agatur, ut dicunt Probabilioriſtæ. Sed verus ſenſus ſit diſiunctive, & in ſenſu diviſo; ita ut velint dicere; eſſe licitum ſequi minùs tutam ſeu benignam ſtantem pro libertate, relictâ tutiore ſtante pro lege, quando illa minùs tuta eſt probabilior iſta tutiore; non autem quando eſt ſimul & minùs probabilis. Et ſimiliter eſſe licitum ſequi minùs probabilem relictâ probabiliore, quando illa minùs probabilis eſt tutior iſta probabiliore, quia videlicet illa eſt pro lege, & conſequenter tutior, licet ſit minùs probabilis ſuâ oppoſita ſtante pro libertate. Undè ly minùs tutum, minùſque probabile, non debent ſumi ſimul, & in ſenſu compoſito in eadẽ opinione, & ſic compoſitè comparari ſuo oppoſito tutiori ſimul, & probabiliori; ſed in ſenſu diviſo, ita ut minùs tutum, non tamen ſimul minùs probabile, ſed magis probabile, licitum ſit ſequi, relicto tutiore minùs probabili: & minùs probabile, non tamen ſimul minùs tutum, ſed magis tutum, licitum ſit ſequi, relicto probabiliori minùs tuto.

1224 Et ratio iſtorum omnium per ipſum eſt, quia benè poteſt formari fides de minùs tuto, minùſque probabili ſic in ſenſu diviſo cõparatis ad tutius, & probabilius; non autem in ſenſu compoſito: & ſic benè intellecta propoſitio illa nullo modo opponitur Probabilioriſtis, qui eam ſolùm negant in ſenſu compoſito; at in ſenſu diviſo explicato eſt ipſiſſima eorum ſententia. In hoc ſenſu videtur abundare Riccius ex vi præfatæ ſuæ doctrinæ, quem placuit hic ſub hac forma ſenſus compoſiti, & diviſi fortè clariùs explicare, ut magis eius doctrina perciperetur, & induſtria ad ſuam concordiam conciliandam. Et huiuſmodi eſſe ſuorum doctrinam oſtendit ex quibuſdam ſuis Authoribus, quos citat, puta ex Ægidio Eſtrix, Adamo, Ehrentraich, Suarez, & Terillo, qui videntur diſcrimen facere inter tutum, & probabile: & ſimiliter videntur docere non poſſe eligi minùs tutum, minuſque probabile. Undè non poſſunt, inquit, Probabiliſtæ laxitatis accuſari, niſi priùs accuſentur a ſeipſis recedere.

1225 Deniquè concludit ſuum caput cum ſuo Joanne Pollenter, qui librum compoſuit, inſcriptum: *Sexaginta quinque propoſitiones nuper à SS. Domino Noſtro Innocentio XI. proſcriptæ à Societatis Ieſu Theologis diù ante Sanctiſſimi Domini Decretum communiſſimo conſenſu reiectæ.* Ex quo quaſi ex irrefragabili præmiſſo Oraculo Spiritum reſumens, & novam ſimul increpationis formam, in hæc verba erſipit: *Nunc peto: noſtri Theologi, qui communiſſimo conſenſu propoſitiones illas reiecerunt, & firmaverunt oppoſitas, humanis ne ſpeculationibus, humanæ authoritati Recentiorum, an Sacris Scripturis, Conciliis, Patribus, & Antiquioribus Eccleſiæ Theologis inſiſtebant? Pater Matthæus Moya in Selectis, & P. Andreas Mendo in Statera oſtendunt Scriptores noſtros in delectu opinionum ſemper ſtrictiores elegiſſe. Et hi quidem in hoc delectu quibus principiis, & quorum veſtigiis inſiſtunt?* Hæc P. Riccius.

Criſis doctrinæ præcedentis Capitis adverſus eius Authorem.

1226 QUemadmodum, ut initio huius capitis Author iſte dicit, credit ſe poſſe abundè ſatisfacere Adverſariorum querelæ contra ſuos, quod plus nimio indulgeant humanis ſpeculationibus; ſi iterùm in medium producat Recentiores ſuos, quos produxerat capitibus præcedentibus: Ita et nos credimus, poſſe abundè hic ipſi reſpondere, ſicut ibi reſpondimus. Satis enim eſt repetitis argumentis iterata reſponſio. Quid ergo refert iterùm ſuorum Canones repetere, quibus apparet nullum in eis ſupereſſe humanis ſpeculationibus locum; ſi, ut vidimus ſupra, ipſi eos non ſervant, ſed potiùs illis facto contradicunt? jam patet eis eadem reſponſio.

1227 Repetit Riccius Canonem ex P. Bardi, non eſſe ab Antiquis recedendum, niſi evidenter prius ſolutis illorum rationibus; nec ſatis eſſe eas ſolvere probabiliter. Prætereà opus eſſe aliqua novâ ratione ab antiquis non prævisâ, puta aliquâ novâ lege, ſeu decreto &c. At nos paſſim videmus ſuos ab illis recedere, vix probabili aliquâ datâ ratione.

1228 Refert ex Reginaldo non computandum inter Catholicos Doctores, qui ſuas deciſiones ex Sacris Canonibus non deducat. At pauciſſimi, & raró, ex ſuis ſunt, qui id faciant; quod ſi unum, vel alterum interdùm aſſignabit, laudabimus eum. Magnificant fimbrias ſuas Canones ſtatuendo; ſed utinam ſervent; utinam non id agant, ut ſibi authoritatem concilient, & tales videantur, cum non ſint, quales fortè ex induſtriâ, debere eſſe commendant; ut ſupra alias dixi. *Amant primas cathedras, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Magiſtri* de Scribis, & Phariſeis dicebat Chriſtus Dominus Matth. 23.

1229 Rursùs ex eodem Reginaldo docet, eam opinionem cenſeri probabilem, & ſequelâ dignam, quæ gravi authoritate, vel ratione magni momenti nititur. Et gravem authoritatem ex Conrado eorum Doctorum eſſe, qui inveniuntur frequenter veritatem attingere, & raró ab ea aberrare; & quos commendat vita, & morum integritas, & ſimilia. Et rationem magni momenti ſimiliter eam eſſe, quæ ſit argumen-

Digitized by Google

gumentum validum, aut Sacræ Scripturæ teſtimonium, vel Eccleſiæ decretum ex quibus infert, non poſse, qui hæc docent, humanis ſpeculationibus indulgere. His adiungit Caramuelem, qui ſubtilitates aſpernatur, eaſque dicit ab annis pauculis motas, & effugia eſse, ne legibus ſatisfiat. Sed omnia hæc inania verba ſunt in ipſorum ore ſonantia, quibus tamen facto ſæpiſſimè contradicunt. Nam, ut ſupra dixi, ipſi pro ſe quoslibet Doctores admittunt, & qualcumque rationes valida cenſent argumenta. Unde Reginaldus in materia morum vult Recentiores præferendos eſse Antiquis: & Baldellus vel unum, etiam deterioris conditionis, contra communem Doctorum ſenſum, ſufficere; ſi pro ſua opinione novam aliquam habeat à ſe inventam rationem; ut vidimus ſupra.

1230 Nec prodeſt Riccio, ſi dicat Reginaldum loqui in caſu, quo ob novas circumſtantias ab Antiquis minimè prævisas, opus eſt ab illis recedere; hoc enim effugium jam ſupra reiecimus. Nec ſi dicat, Baldellum loqui de ratione, quæ eſt argumentum validum, et deſtruens rationes oppoſitas, eaſque ſolvens evidenter, iuxta doctrinam Patris Bardi, ubi ſupra; nam huiuſmodi ferè ſemper eſſe rationem ſuam quiſque ſibi ſuadet: Imò conditio hæc innata eſt unicuique, ut ſuis ſpeculationibus, & ſubtilitatibus plus nimio indulgeat; quia ſpeculationes quò ſubtiliores, imò quò magis ſophiſticæ ſunt, eò videntur validiores, & oppoſitas rationes deiicere; ac propterea quibus permittitur poſse ſuas proprias rationes, ſi valida argumenta ſibi videantur, anteponere contra communem ſentium Antiquorum, eiſque & ipſos, & alios tutâ conſcientiâ uti, ut vult Baldellus, permittitur etiam plus nimio humanis ſpeculationibus, et ſubtilitatibus indulgere. Et quid dicam de Caramuele ſubtilitates ab annis pauculis motas effugia appellante, ne legibus ſatisfiat? Utinam ipſe huiuſmodi ſubtilitatibus nũquàm uſus fuerit in operibus ſuis; nec aliis exemplo fuerit, ut illis uterentur ad eludendas leges. Sed piget id ampliùs oſtendere, cum orbi univerſo manifeſtum ſit, quibus pro ſuo ingenio ſpeculationibus indulſeris, & ſophiſticis ſubtilitatibus.

1231 Addo ad hæc quod plerique Recentiores Probabiliſtæ, nedùm facto, ſed proprio ore confeſſi adverſus Canones Patris Bardi rotundis verbis ſe erigunt dicentes, non exigi ad probabilitatem practicam, & ſequela dignam, quod ſolvantur rationes oppoſitæ; & multò minus quod ſolvantur evidenter; immo dicunt imprudenter deſeri opiniones ſive communiter receptas, ſive etiam novas, ex eo quod adverſus illas quis rationes habeat ſibi inſolubiles, & quas etiam putaret à nemine ſolvi poſſe; quia perſuadere ſibi prudens quiſque debet, multas ſæpe rationes nobis apparere inſolubiles, quas facile alii ſolvunt. Ita docet expreſſe P. Georgius de Rhodes Societatis Jeſu *diſp. 2. de actibus humanis q. 2. ſect. 3. §. 1.* & in idem recidit quod docet P. Thomas Tamburinus eiuſdem Societatis *in Decalog. lib. 1. cap. 3. §. 3. de conſc. opinante n. 6.* Ubi poſtquam docuit ſufficere ad probabilitatem practicam authoritatem unius, etiam contra innumeros Doctores, ſi tamen is ſit doctus, & rem ex profeſſo tractet firmamque rationem pro ſe habeat, nec appareat contra ipſum aliquid convincens, ex Azorio, Vaſquez, & aliis, quos ibi citat: & addidit, quod ſi eiuſmodi doctus non ſit aliqua ratione alicuius momenti fultus, & id ab alio docto advertatur, tunc non poteſt ab illo docto illius ſententia excipi, neque aliis amplectenda proponi, licet poſſit ab alio indocto: Tandem *dicto num. 6.* concludit, quod ſi doctus ille rem ſerio tractans ſit adeò doctus, ut huic alteri etiã docto liceat prudenter iudicare, rationem illius firmam eſſe, ſed ſibi minùs penetratam, & notam; & item iudicare quod ille poſſit facile diluere rationem ſuam in contrarium, quantumvis ſibi probatiſſimam; tunc poterit prudenter illius opinionem amplecti contra communem, non obſtante ratione, quam ipſe in contrarium habet, ſibi inſolubili. Unde ex iſtorum doctrina parum refert ſi contra opinionem benignam alicuius Doctoris urgeant validiſſimæ rationes, etiam erutæ ex Scriptura, Conciliis, Sanctis Patribus, aut undecumque, nec poſſint ſolvi, imò appareant alicui prorſùs inſolubiles; quia ſemper manet ei locus, imò debitum, iuxta modum loquendi Patris Rhodii, ſibi perſuadendi eas poſſe ab alio ſe doctiore facile ſolvi, ac propterea poſſe tutò eam opinionem haberi ut practicè probabilem, & amplecti. Sed quid aliud eſt hoc, niſi plus nimio humanis ſpeculationibus, ac ſubtilitatibus unius, vel alterius Doctoris indulgere? qua ergo veri ſpecie ſuadere poteſt Riccius Probabiliſtas ſuos non indulgere humanis ſpeculationibus?

1232 Produxit ulteriùs in medium Riccius ſuum Joannem Cardenas, ut dictum eſt in ſumma præſentis capitis, qui quinque illa ſigna tradidit dubiæ probabilitatis ſeu tenuis, ab Innocentio XI. damnatæ; quæ Riccius veluti Canones habet reiiciendarum opinionum; & indè infert vix unam, aut alteram inveniri poſſe opinionem, quæ non ſit tenuis, & dubiæ probabilitatis, ac propterea reiicienda, iuxta Canones Patris Cardenas; quia rarò poſſunt tam firmæ rationes, & validæ, ſicut exigit Cardenas, & conſequenter cum ipſo omnes ſui Probabiliſtæ, reperiri: & vix etiam unus, aut alter ſit in tanta Doctorũ frequentiã, qui ſit Author omni exceptione maior. Et tamen hæc exigunt ſuorum Probabiliſtarum Canones, inquit Riccius. Et quia in caſu dubiæ, & tenuis probabilitatis tenemur ex Cardenas tutiorem partem eligere, jam ferè ſemper iuxta hos canones tenebimur ſequi tutiorem; & vix ſemel, aut iterum poterimus uti opinione aliqua benignâ.

Quo

Quo certè nil conformius Probabilioriſtis, aut difformius laxitati, dici poteſt; inquit Riccius.

1233 Sed ad hæc iterùm replico, quod nuda verba ſunt, quibus fruſtrà P. Riccius aerem verberat, ſed nihil probat huiuſmodi exclamationibus ſuis; imo inde ad hominem contra ipſum ſic arguo: ſi juxta huiuſmodi Canones vix una, aut altera reperiri poteſt opinio benigna non tenuis, & dubiæ probabilitatis: ſi vix unus, aut alter in tantâ Doctorum frequẽtiâ eſt Author omni exceptione maior, qui faciat probabilitatem practicam: cur ſui Probabiliſtæ tam frequenter opiniones benignas docent? Cur tam magnam copiam Doctorum pro ſe citant? paſſim videri poſſunt eorum libri benignis opinionibus pleni faventibus libertati; & ipſe iuxta ſuorum Canones exclamat: *Quæ ſententia benigna non erit tenuiter probabilis? quando non teneberis tutiorem eligere?* Quomodo hæc cohærent? Commendat Recentiores omnes Probabiliſtas ſuos, & vult iis omnibus firmam adhiberi fidem, & probabilitatem practicam eos ubique facere, ubique docere, eorumque opiniones eſſe tutas; & contendit verbis, quod *in tantâ Doctorum frequentiâ vix unum, aut alterum talem invenimus*. An fortè unum, aut alterum, ex exteris dicit; ex ſuis verò omnes? Sed hoc riſu potiùs excipere poſſumus, quàm quod ſit fide dignum. Vide ergo lector: Author iſte vult ſimplicibus ſuadere, quod vel omnium oculis ad ſenſum videtur manifeſtè falſum; & ut vulgo dicitur; in ſtagno lunam; quæ palam omnibus ſplendet in Cœlo.

1234 At quid dicet de ſuo P. Thoma Tãburino, qui §. 3. *de conſcientia opinante ſupra cit. num.* 3. cum ſuo Bræſſero, & Franciſco de Amico, de quacumque probabilitate ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ, quantumvis tenui, docent quemlibet ſemper prudenter operari? ſervant ne iſti Canones Patris Cardenas; an potiùs plus nimio cuilibet probabilitati confidunt, & humanis ſpeculationibus indulgent? Quid de ſuis aliis, puta Salas, Vaſquez, Sanchez; quos citat, & ſequitur idem Tamburinus ibidem *n.* 8. docentibus ſatis eſſe in omnibus caſibus ſequi opinionem ſolùm probabiliter probabilem, eſto non conſtet evidẽter eſſe probabilem? Cuſtodiunt ne iſti Canones Patris Bardi, quod ſint ſolvendæ rationes oppoſitæ evidenter, nec ſatis ſit eas ſolvere probabiliter? An fortè non æquipollet hoc, quod eſt, accipere pro abſolutè probabili opinionem probabiliter probabilem; & accipere pro abſolutè ſolutis rationes oppoſitas probabiliter ſolutas? quid eſt hoc, niſi plus nimio indulgere humanis ſpeculationibus?

1235 Ad id quod addit Riccius ex eodem P. Cardenas diſtinguente tres gradus moralis certitudinis, quorum gradus infimus, inquit, eſt quando non poteſt prudenter dubitari de oppoſito: ex quo infert multùm rarò haberi moralem certitudinem de probabilitate opinionis, ac propterea multùm rarò nos non teneri ſequi partem tutiorem, juxta Patris Cardenas, & ſuorum Canones. Jam ſatis ex dictis conſtat eos ſibimet contradicere; dùm tam frequenter ipſimet reſolvunt ſecundùm opiniones benignas.

1236 Sed quoniam ibidem tranſit Riccius ad doctrinæ ſuæ idẽtitatem cum illâ D. Thomæ quod ſcilicet tunc quis licitè ſequitur opinionem benignam pro libertate contra legem addubitatam, quando non poteſt prudenter dubitare de eius obiectivâ veritate (quaſi idem ſit non poſſe prudenter dubitare de probabilitate opinionis, ut ipſe tunc dicebat, & non poſſe prudenter dubitare de eius veritate obiectivâ) eamque D. Thomæ doctrinam eſſe ſuorum Probabiliſtarum probat ex ſuo Scildere definiente opinionem probabilem in re morali, hoc modo videlicet: *Eſt aſſenſus cum formidine innixus rationibus gravibus, ex quibus vir conſideratus poſt argumenta contraria conſiderata, & ſoluta, in negotiis magni momenti concludere ſolet*. Quatenùs ex tali definitione videtur ea ſola opinio in materia morali eſſe probabilis, de cuius veritate obiectiva prudenter dubitari non poteſt; quia quod tanta conſideratione; & ſolutione rationum oppoſitarum à viro conſiderato concluditur, ſicut fieri ſolet in negotiis magni momenti, videtur tale eſſe, ut de eius veritate non poſſit prudenter dubitari; nam dubium (inquit) de veritate alicuius concluſionis naſcitur a contrariis argumentis; & ſi hæc credantur ſoluta, ceſſat timor prudens, cum ceſſet ratio prudenter dubitandi. Ideo ad hoc ſpecialiter reſpondendum cenſeo, ne arrepto Scuto D. Thomæ credatur triumphare.

1237 Reſpondeo itaque ad totum hunc Riccii diſcurſum: primò, quod ipſe perperam confundit doctrinam ſui Patris Cardenas cum ea D. Thomæ: nam Cardenas ibi præfato loco allegato ad licitè operandum exigit juxta ſuos Canones, quod opinio non ſit dubiæ probabilitatis, ſed certò probabilis ſaltem moraliter; nihil autem dicit de veritate obiectivâ opinionis. Et ſi ex eo quod ſit certò probabilis, credat eſſe quoque certum moraliter de eius veritate obiectivâ, ſicut re vera credunt Probabiliſtæ; id tamen non credit D.Thomas; nec tale qui deduci poteſt ex eius textu ibi allegato à P. Riccio apud Navarrum *ex quodlib.* 8. *a.* 13. quod nos alibi expendimus contra Cardenas, cum de Probabiliſmo agebamus; ubi diſtinctiùs videri poteſt. Fateor tamen ad mentem S. Thomæ veriſſimum eſſe, quod cum quis aliquid agit, de cuius malitia non poteſt prudenter dubitare, licitè illud agit; quia tunc eſt agenti certò moraliter bonum, & eius materialis malitia eſt illi invincibiliter ignorata, ut accidit Iacob in acceſſu ad Liam: at falſiſſimum eſt non poſſe prudenter dubitari de licito, quod tale dicitur ex pura opinione probabili etiam certò probabili; ut alias oſtendimus ſupra.

Cæte-

1238 Cæterùm (& hæc ſit ſecunda reſponſio) ſi velit Riccius, quod demus ei quod in opinione certò probabili juxta Canones, Patris Cardenas, & juxta definitionem ſui de Scildere, non poſſit prudenter dubitari de eius veritate obiectivâ, & quod tunc talis opinio ſit moraliter certa in eo ſenſu, quo nos cum D. Thoma loquimur, eo quod rationes partis oppoſitæ ſint benè conſideratæ, & evidenter ſolutæ; ac proptereà ceſſet omnis ratio prudenter dubitandi de veritate partis oppoſitæ; & quod de tali tantùm opinione intendant ſui Probabiliſtæ, cum dicunt eſſe licitum ſequi opinionem benignam, & non aliter. Nos ei totum hoc gratis dabimus, & fatebimur, quod ſi ita eſt, non indulgent humanis ſpeculationibus: imò prorſùs idem nobiſcum ſentiunt. At tunc manebit nobis locus eos redarguendi, quod a puncto præſentis controverſiæ recedant, & fiant quaſi extra chorum canentes. Nam controverſia inter Doctores eſt in materiâ opinativâ concurrentibus hinc indè oppoſitis opinionibus probabilibus ex utrâque parte; nùm ſcilicet poſſit tutò eligi benigna contra legem addubitatam? In caſu autem benignæ ita moraliter certæ, ut non poſſit dubitari prudenter de eius veritate obiectivâ, oppoſita ſtans pro lege evadit certò moraliter falſa, & improbabilis; nam ex duabus contradictoriis, ſi una eſt certò moraliter vera, altera eſt certò moraliter falſa; certò autem moraliter falſum non poteſt eſſe probabile, & veriſimile, quia quod quis habet ut certò moraliter falſum, nequit illud putare veriſimile; ac per conſequens oppoſita ſtans pro lege improbabilis, & certò moraliter falſa erit, & lex in eo caſu non erit addubitata, ut ſupponi debet in puncto noſtræ controverſiæ. Undè doctrina Patris Cardenas, & de Scildere eſſet de caſu non controverſo, & vana, atque ſuperflua; nemo enim ignorat quod quando certum eſt ſaltem moraliter legem non obſtare, licitum ſit liberè operari; hoc enim fatemur omnes Catholici. Sed controverſia eſt an ſit licitum ſequi benignam contra legem addubitatam; & in puncto huius controverſiæ loquitur Riccius allegans Patrem Cardenas, & de Scildere, ut cōſtat ex propriis ipſius terminis, dum in præſenti capite *num. 8.* ait: *Vide quidem ut in hanc D. Thomæ, & Navarri doctrinam omnes Noſtrates Probabiliſtæ conſpirent, ut ſcilicet tunc quis licitè ſequatur ſententiam benignam, & licitè ſtet pro libertate contra legem addubitatam; quandò nimirùm non poteſt prudenter dubitare de obiectivà veritate ſententiæ benignæ quam ſequitur, &c.* Sed lex non dicitur addubitata, quando opinio ſtans pro lege eſt certò moraliter falſa, & benigna oppoſita certò moraliter vera. Ergo dum P. Riccius vult illos huic controverſiæ punctualiter reſpondere, facit eos in reſponſione ſua ſibimet contradicere; quia in puncto legis addubitatæ, non poſſe de opinione benigna legi oppoſita dubitari, & prudenter dubitari, contradictionem dicit; ut de ſe conſtat. Sed re vera Doctores illi ab ipſo allegati non de morali illa certitudine loquuntur, quâ poſitâ non poteſt de opinione benigna prudenter dubitari, in quo ſenſu nos etiam cum D. Thoma eam ſequi licitum eſſe fatemur; ſed de quadam alia morali certitudine, quæ ſtat ſimul cum lege prudenter addubitabili, & cum verâ probabilitate opinionis oppoſitæ ſtantis pro lege: fingunt enim illi quamdam moralem certitudinem, non in ipſa opinione probabili benigna directâ, quæ ſi eſſet in eâ, deſtrueret probabilitatem oppoſitæ ſtantis pro lege; ſed in probabilitate reflexâ, ut vidimus ex ipſo Patre Cardenas in ſuâ Criſi Theologicâ *tract. 1. de probabilit. diſp. 10. cap. 2. num. 12.* & alibi, cum agebamus de probabiliſmo contra ipſum; quæ non deſtruit probabilitatem opinionis directæ ſtantis pro lege, ut ipſi dicunt, ſed eſt quædam moralis certitudo proveniens agēti ex principiis extrinſecis probabilitatis ut ſic; quatenùs dicunt certum eſſe de probabili ut ſic licitum eſſe illud ſequi; quo principio, inquiūt, certificatur agens de licito cuiuſcumque opinionis probabilis directæ; non quod illud licitum ut directè probabile ſit ex ſuis principiis, quibus directè probatur, moraliter certum, & indubitabile; ſed quia ex reflexâ eius probabilitate, de quâ univerſaliter credunt eſſe certò licitum eam ſequi, ubicumque inveniatur, evadit agens certus de illius ſequela per depoſitionem omnis dubii, & formidinis, quæ oriri poſſet ex opinione directâ. Ut videri poteſt in fonte Pater Cardenas; quem nos tamen ibi impugnavimus. Unde perperam hic Pater Riccius, ubi de principiis probabilitatis directæ loquitur, ut proteſtatur in principio huius primæ ſuæ diſſertationis, adducit Patrem Cardenas, & de Scildere, quaſi illi loquantur de opinione probabili directâ certò moraliter verâ in ſeipsâ, (de quâ nec D. Thomas, nec nos dubitamus licitum eſſe eam ſequi) alioquin ſibimet, & ſuis principiis contradicerent, ut dictum eſt.

1239 Verùm quia hæc probabilitas reflexa; cuius moralem certitudinem ſatis nos ſupra impugnavimus, & commentitiam eſſe oſtendimus, æquè cadit, & applicari poteſt ad quamlibet opinionem practicè probabilem, ut ipſimet fatentur, non tollit quin ipſi confidant cuicumque opinioni directæ practicè probabili, ac per conſequens quod plùs nimio opinionibus, & ſpeculationibus humanis indulgeant; quod non faciunt Probabilioriſtæ; qui ſolis directis probabilioribus confidunt. Ubi ergo eſt eorum concordia?

1240 Ad id quod inſuper P. Riccius dicit: non eſſe ſuos Recentiores Probabiliſtas dicendos, quod plùs nimio ſpeculationibus humanis indulgeant; ex hoc quod non omnes deciſiones ſuas deducunt ex ſacris literis, aut Eccleſiæ definitione; cum nec ipſi Probabilioriſtæ id requirant; pro quo citat Cordubam, & pro-

poſitiones primam, & ſecundam ab Alexandro VIII. damnatas. Reſpondeo utique verum dicere; nec nos id requirimus. Sed nihilominùs in hoc ipſi cum Probabilioriſtis non conveniũt; nam ipſi humanis rationibus probabilibus utũtur; Probabilioriſtæ verò non iis contenti ſunt, ſed probabilioribus.

1241 Denique ad illud quod P. Riccius magnificat de ſuis hucuſque dictis, quod videlicet, eorum fundamentum ſit celebris illa Apoſtoli doctrina *ad Rom. 14. quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Quatenus, inquit, ex dictis, & relatis ſuorum doctrinis jam conſtat, non poſſe fidem hanc formari, ſeu judicium prudens moraliter certum, niſi de opinione probabiliore; cum non poſſit de utraque parte contradictionis, neque de parte viſa minùs, aut æquè probabili, eo quod rationes minùs, aut æquè validæ non poſſunt evidenter ſolvere rationes oppoſitas æquè validas, aut validiores juxta Canones ſuorum Probabiliſtarum, nec facere quod pars benigna contra legem addubitatam ſit moraliter certa, ut non poſſit de ipſa prudenter dubitari; ac propterea convenire ſuos cum Probabilioriſtis in formanda fide, ſeu conſcientiâ de probabiliore juxta doctrinam Apoſtoli; & ſolùm diſcrimen eſſe cum Novatoribus, qui exigunt fidem certam, & omninò infallibilem, quæ ſupponitur impoſſibilis, & contra definitiones Eccleſiæ, ut patet ex duabus illis propoſitionibus ab Alexandro VIII. damnatis. Reſpondeo fundamentum illud Apoſtoli utique eſſe omni exceptione maius; ſed velim, ut videat Riccius quid ſuper fundamentum hoc ſuperædificiet, *an aurum, argentum, & lapides pretioſos; vel ligna fœnum, ſtipulam*, ut monet idem Apoſtolus *1. ad Corinth. 3. Uniuſcuiuſque enim opus manifeſtum erit*, inquit ibidem Apoſtolus: jam verò manifeſtum eſt ſuperædificaſſe Riccium auricalcum pro auro obrizo, dùm Recentiorum Probabiliſtarum commentitiam moralem certitudinem, & fallacem ſecuritatem, pro verâ inibi ſuperſtruxit, & latam eorum licentiam de uſu cuiuslibet practicæ probabilitatis pro anguſtiore Probabilioriſtarum doctrinâ ex diametro oppoſitâ, fucatâ quadam ſpecie concordiæ, ſimplicium hominum mentibus inſerendam ſuadere, ac probabiliſmum ferè à Probabilioriſtis extinctum iterum ſuſcitare, tota lucubratione ſuâ, paſſim, & inſenſibiliter, deſudavit. Nonne hoc eſt pro auro, auricalcum vendere, & pro pretioſis gemmis viles lapides commutare?

1242 Et vide ampliùs lector fallacem hanc commutationem in expoſitione illâ, quam ſubjicit, illius tàm decantatæ à Probabiliſtis ſuis propoſitionis, quâ dicunt licitum eſſe ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore. Illam, inquit, eſſe in hoc ſenſu intelligendam, quod ſcilicet, *ad licitè operandum non teneamur formare fidem ſecundùm ſcientiam, & veritatem infallibilem, ut dicunt Novatores, ſed ſatis ſit formare dictamen ſecundum moralem certitudinem de obiectiva veritate poſt ſinceram, & ſufficientem diligentiam, ut docent omnes Catholici contra Novatores*: quaſi idem ſit ſequi minùs tutam, minùſque probabilem; ac ſequi dictamen ſecundum moralem certitudinem de obiectiva veritate poſt ſinceram, & ſufficientem diligentiam: & ſimiliter quaſi idem ſit non teneri ad ſcientiam, & veritatem infallibilem, ac poſſe relinquere tutiorem, & probabiliorem: numquid probabilior, & tutior eſt infallibilis veritatis, & ſecundùm ſcientiam? Quis hoc dicat? An verò minùs tuta, ſeu benigna, ut dicunt, & ſtans pro commodo, & libertate, ſi præſertim minùs probabilis videatur, poteſt dici ſufficiens ad formanda fidem ſecundùm moralem certitudinem de eius obiectivâ veritate poſt ſinceram, & ſufficientem diligentiam? Quis pro certo ſaltẽ moraliter credere poterit, id quod ſibi minùs probabile videtur, minùſque veriſimile? At Pater Riccius advertens hoc reddi omnibus incredibile, propoſitionem invertere excogitavit; & quæ apud omnes Probabiliſtas ſuos in propriis terminis copulativè legitur, ipſe eam extorquendo ad ſenſum disjunctivum revocat: Ita ut velit non copulandos eſſe in eâ propoſitione terminos illos, *minùs tutam, minùſque probabilem*; neque illos alios, *relicta tutiore, & probabiliore*; ſed disjungendos, & accommodandos in eo ſenſu, qui ſibi tandem, & ſuæ concordiæ favere poſſit; undè prætendit non eſſe eam intelligendam, quod ſit licitum ſequi minùs tutam ſeu benignam, quæ eſt ſimul minùs probabilis relicta probabiliore, quia ſic, inquit, non poteſt formari fides ſecundùm ſinceritatem; ſed quod ſit licitum ſequi minùs tutam ſeu benignam, quæ tamen eſt probabilior tutiore ſeu ſtante pro lege; & ſimiliter quod ſit licitum ſequi minùs probabilem, non quæ eſt ſimul minùs tuta ſeu benigna ſtans pro commodo, & libertate, relicta probabiliore ſtante pro lege; ſed quæ eſt tutior, & ſtat pro lege, relictâ probabiliore benignâ. Et hac interpretatione nititur ſuadere juxta ſuorum doctrinam numquam licitum eſſe ſequi minùs tutam ſeu benignam, niſi ſit probabilior; neque minùs probabilem, niſi ſit tutior, & favens legi. Quo ſenſu procul dubio à Probabilioriſtis non diſcordant. Verumtamen hæc interpretatio non eſt minùs abſurda, & incredibilis abſurdo præcedente; quis enim credere poteſt, quod Probabiliſtæ, cum dicunt, licitum eſſe ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, velint intelligere per hoc ſuũ dictum, quod ſit licitum ſequi minùs tutam probabiliorem, & minùs probabilem tutiorem; non autem minus tutam, minuſque probabilem ſimul; cum non illo, ſed iſto ſecundo loquendi modo uſi ſint, & terminos per particulam, &, copulaverint, & non disjunxerint? Numquid propriam vocem, & loquelam ignorarunt, aut conceptum proprium exprimere

per

per apta verba neſcierunt? Si ſenſum disjunctivum, & diviſum voluerunt, cur non dixerunt: licitum eſt ſequi minus tutam probabiliorem, vel minus probabilem tutiorem, qui erat proprius modus ſignificandi ejuſmodi ſenſum diviſum? cur tam impropriè diviſionem per compoſitionem ſignificarunt? An fortè affectabant ſub enigmate aperire ſenſum ſuum, & adeò obſcurè, ut uſque adhuc nemo alius penetraverit? Solus Riccius ad hujus enigmatis intelligentiam pervenit poſt tot circuitus reflexionum, atque per ambages aliquot Probabiliſtarum loca percurrendo, eaque ad ſenſum proprium accommodando; neque enim aliâ viâ poterat de Probabiliſtis ſuis concordiam concludere cum Probabilioriſtis in hoc, quod homines teneantur in materia opinativâ ſequi probabiliorem; niſi fingendo quod juxta iſtorum doctrinam, & Canones non poſsit formari fides de opinione benigna, & minùs tuta, niſi ſit probabilior quàm ſua oppoſita; neque de minùs probabili, niſi ſit tutior, & ſtet pro lege; quia minùs tuta, & minùs probabilis ſimul, in conſpectu tutioris ſimul, & probabilioris, non manet probabilis juxta iſtorum Canones, ut ipſe conatus eſt oſtendere; quo hactenùs oſtenſo, ut ipſe ſupponit, verificat dictum illud Probabiliſtarum, nempè licitum eſſe ſequi minùs tutam, minùſque probabilem in ſenſu diviſo, ſeu disjunctivè; non autem copulativè, ſeu in ſenſu compoſito; atque ita eos concordat cum Probabilioriſtis.

1243 Sed quid prodeſt Riccio ſic alios concordare, & doctrinas ex diametro oppoſitas tanta induſtria componere; ſi ſibi in hoc ipſo, quod agit, concors non eſt? Nonne idem ipſe eſt, qui *cap. 3. præcedente num. 12.* dixerat: *Diſcrimen unicum inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas in eo conſiſtit; an ſcilicet opinio benigna probabilis retineat ſuã probabilitatem, ſi oppoſita, quæ ſtat pro lege, ſit probabilior. Concedunt Probabiliſtæ, negant Probabilioriſtæ.* Ergo jam ore proprio confeſſus fuerat Probabiliſtas ſuos, de quibus loquebatur, ſuſtinere, opinionem benignam ſeu minùs tutam, & ſimul minùs probabilem, retinere ſuam probabilitatem; & in hoc uno diſcriminari a Probabilioriſtis: ac per conſequens juxta ipſiuſmet doctrinam poteſt de ea formari fides, & judicium illud prudens practicum requiſitum ad licitè operandum, cum ad hoc ipſemet nihil aliud requirat niſi probabilitatem practicam, ut vidimus ex ipſo in præcedentibus capitibus. Quomodo ergo nunc ſibi minùs conſtans in hac ſua interpretatione dicit, non poſſe formari fidem juxta doctrinam ſuorum Probabiliſtarum de opinione benigna ſeu minùs tuta, & ſimul minùs probabili, quia hæc non manet probabilis in conſpectu probabilioris oppoſitæ? Si in hoc uno conceſſerat inter eos eſſe diſcrimen, qua veri ſpecie nunc nititur ſuadere in hoc eodem uno convenire? Et certè niſi in hoc convenire defendat, non poterit hanc ſuam interpretationem ſuſtinere, & convenientiam ſuorum cum Probabilioriſtis de probabiliore, & tutiore eligenda in materia opinativa ſtabilire; cum alioquin in propriis terminis ſuarum propoſitionum ex diametro apertiſsime ſibi invicem opponantur. Et ideò tandem ad hoc devenit Riccius, ut diſcrimen illud, quod ingenuè priùs confeſſus fuerat, nunc de medio tolleret, quia vidit fore ſibi ſolidum, & perpetuum impedimentum ad proſequendam prætenſam illam concordiam, quam ſuadendam aſſumpſerat. Nõ proindè tamen poteſt a ſuimetipſius contradictione ſe eximere, dum hic eos aſſerit convenire, in quo unicè diſcriminari docuerat; nec ſemel id docuerat, ſed & iterùm confirmaverat, quando videlicet eidem propoſitioni ſuorum Probabiliſtarum aliam interpretationem, & intelligentiam dedit, videlicet eam intelligendam eſſe de minus probabili per carentiam minoris gradus probabilitatis, non autem per carentiam probabilitatis. In qua utique interpretatione ſupponebat benignam ſeu minùs tutam, & ſimul minùs probabilem, retinere ſuam practicam probabilitatem in conſpectu oppoſitæ probabilioris, ut vidimus ſupra, quod tamen in hac ſecundâ interpretatione negat. Vide ergo lector quam ſibimet inconſtans ſit Author iſte in aſſertionibus ſuis, quam varius in ſuis interpretationibus, & quam facilè ſibimet contradicat, & a ſeipſo recedat. At hoc certum argumẽtum eſt hujuſmodi ſua interpretamenta nihil ſolidi habere, nec re vera fundari in Probabiliſtis ſuis, ſed eſſe puras ejus ſpeculationes, & mera figmenta, quibus ſi noluit alios decipere, certè ſemetipſum decepit. Et dum crimen omni reprehenſione dignum reputat plus nimio humanis ſpeculationibus, atque ſubtilitatibus indulgere, facto ſe Reum conſtituit tanti criminis, & non advertit.

1244 Ad illud tandem quod in calce hujus capitis refert de ſuo Ioanne Poſſenter, qui librum compoſuit inſcriptum: *Sexagintaquinque propoſitiones nuper à SS. Domino noſtro Innocentio XI. proſcriptæ à Societatis Jeſu Theologis diù ante Sanctiſſimi Domini decretum communiſſimo conſenſu rejectæ*: & de ſuo Patre Moya, & P. Mendo, qui oſtendunt Scriptores ſuos in delectu opinionum ſemper ſtrictiores elegiſſe: Ex quibus quaſi a practico experimento infert Authores ſuos humanis ſpeculationibus numquam hactenùs indulſiſſe. Reſpondeo id leviſſimum argumentum eſſe, non enim nos tenemur iſtorum oraculis ſtare; præſertim cum manifeſtè conſtet ex illis ſexagintaquinque propoſitionibus, vix unam, aut alteram reperiri, quæ non fuerit ab aliquo ex ſocietate defenſa: & in uno Thoma Tamburino plures ad literam reperiuntur; ut facile eſt unicuique apud ipſum videre. Nos autem nolumus ad eas ſpecialiter deſcendere; nec oportet, videat quiſque a ſemetipſo. Fatemur enim huma-

num

rum eſſe errare, idque & ſuis, & noſtris etiam commune.

1245 Nec diffitemur, quod fortè ſexaginta illæ quinque propoſitiones diù ante decretum Pontificium fuerint à Theologis Societatis rejectæ; ita ut nulla ſit, quæ ab aliquo ſaltem eorum non fuerit diviſim confutata; credimus enim in Societate fuiſſe ſemper, & ad præſens extare viros ſenſatos, & ſanæ doctrinæ: at quod omnes ad unum, ut contendit P. Riccius, fuerint, & ſint ad præſens tales, nec fateri poſſumus, nec debemus, quia hoc redundaret in communem perniciem animarum; nam viri ſimplices, & minùs docti, ſi hanc ſecuritatem à nobis, & ab omnibus acciperent, facilè in omnibus conſcientiam ſuam crederent cuilibet minimo ex Societate, quaſi infallibili oraculo, cum tamen multi ex illis plus nimio indulgeant ſpeculationibus ſuis, & conſcientiæ laxitati. Nec volo lector, quod in hoc mihi præbeas fidem; ſed Superioribus ſuis, qui de huiuſmodi laxitate in ſuis opinationibus reprehendunt, & monent filios, & ſubditos ſuos. Audi ergo teſtimonium, quod perhibet de illis R. P. Mutius Vitelleſcus eiuſdem Societatis Præpoſitus Generalis in ſuis literis ad totam Societatem datis ſub die 4. Januarii 1617. ubi ſic loquitur. *Nonnullorum ex ſocietate ſententiæ, in rebus præſertim ad mores ſpectantibus, plus nimio liberæ, non modò periculum eſt, ne ipſam evertant, ſed ne etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant, ut qui docent, ſcribuntve, minimè hac regulâ, & normâ in delectu ſententiarum utantur: Tueri quis poteſt: probabilis eſt: Authore non caret; verùm ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorem, maioriſq; nominis Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queant, non vaſtare, non perdere.* Ecce teſtimonium omni exceptione maius: nonnullorum ex Societate ſententiæ, inquit, plus nimio liberæ &c. quid clarius dicere potuit de ſuis, quod nonnulli plus nimio humanis ſpeculationibus, & laxitati indulgeant? Huic ergo teſtimonio fides habeatur.

§. VI.

Summa doctrinæ eiuſdem Patris Riccii in quinto Capite.

1246 IN hoc capite expendit, num ſui Probabiliſtæ Recentiores diſtinguant probabilitatem practicam à merè ſpeculativâ, niſi enim has diſtinguant, fatetur magna, & multa inconvenientia indè ſequi; quia poſſent fieri licita, quæcumque ſcelera; nihil enim eſt tam incredibile, quod non poſſit ſpeculativè defendi; Probat autem Recentiores ſuos eas optimè diſtinxiſſe ex tot requiſitis, quæ ſupra recenſita ſunt ex eorum doctrinâ ad probabilitatem tùm intrinſecam, tùm etiam extrinſecam, quæ inquit, procul dubio non ad ſpeculativam, ſed ad practicam probabilitatem requiruntur. Undè hic ea repetit ex Reginaldo, Bardi, Cardenas, Fagundez, Baldello, Layman, Caramuel, & aliis. Ex quibus infert ſuos Probabiliſtas ſatis, & abundanter opinandi licentiam compreſſiſſe: nam per huiuſmodi requiſita ad probabilitatem practicam prætendit adeò reſtringi licitum uſum probabilitatis, ut reducatur tandem ad ipſam probabilioritatem, ut dicunt Probabilioriſtæ. Quod ſi quis in delectu opinionũ ea requiſita non benè expendat, atq; ideò facilè omnem opiniolam credat practicè probabilem, ſibi debet culpam imputare, non Probabiliſtis, dum illorum regulas, & requiſita non perquirit. Quem quidem defectum dicit, plerumque nobis contingere ex defectu piæ affectionis debitæ ad Deum ſupremum Legislatorem, eiuſque divinas leges. Sicut enim ad credendum, inquit, quæ ſunt fidei, ſicut oportet ad ſalutem neceſſaria eſt quædam pia affectio voluntatis erga divinum Teſtimonium, quæ ſi deſit, neque ſi quis ex mortuis reſurgat, homines credent ita ad operandum ſicut oportet ad ſalutem, neceſſaria eſt quædam pia affectio voluntatis ad Deum, & ſuas divinas leges: alioquin cum, inquit, ea, quæ lege divinâ præcipiuntur ſint contra naturæ corruptæ inclinationem, & contra concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, niſi accedat pius affectus erga Deum, ut Legislatorem, & conſequenter ad eius legem, nũquam deſinent homines effugia, & diverticula quærere; atque hinc confundent in praxi opinionem probabilem merè ſpeculativè cum opinione probabili practicè; quantumcumque Recentiores Probabiliſtæ hæc duo probabilitatis genera manifeſtiſsimè diſtinguant; non igitur illorum, ſed noſtrâ culpâ fiet, ſi confundentur; cum ea non tàm diſtinguat (inquit) acuta ſpeculatio, quàm pia affectio erga Deum, eiuſque legem; quæ ſi deſit, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.

1247 Indè poſtea procedit ad repetitionem requiſitorum, ea percurrendo, & ex illis oſtendendo, probabilitatem practicam, quam ſolam ſui Probabiliſtæ docent licitum eſſe ſequi, coincidere cum probabiliore, quam exigunt Probabilioriſtæ. Nam ex P. Cardenas, inquit, probabilitas dubia, eſt exigua, & minimè ſufficiens ad conſcientiæ ſecuritatem; & huiuſmodi eſt, quando Author, qui illam docet, non eſt omni exceptione maior; vel ratio quâ nititur, non ſatisfacit, nec videtur omninò firma. Tibi igitur, ait Riccius, imputa, ſi in tanta ſcribentium multitudine, omnes tibi Authores ſint omni exceptione maiores; & ſi omnes rationes, quæ ſtant pro licito, & libertate, videantur firmiſſimæ, nedum firmæ. Similiter dubia eſt probabilitas, quando pauci aliquam opinionem docent, ſi plures alii dicant, eam eſſe parùm tutam.

Digitized by Google

tam. Item quando datur aliquod principium certum, cui dubitatur an opinio, quam ſequeris, repugnet, neç proponitur tibi ratio ad deponendum dubium firma, & ſufficiens. Item cum dubitatur, an ratio concluſionis ſit levis, an gravis, & firma. Cur igitur tu non dubitas? Tu ergo mores corrumpis tuos, tu ſolvis diſciplinam, quam Recentiores Probabiliſtæ propugnant.

1248 Ulterius te docent Probabiliſtæ ad probabilem opinionem requiri ut contraria argumenta ſolvantur; & ita quidem ſolvantur, ut non poſſis prudenter de oppoſita dubitare. Quod colligit ex definitione probabilis opinionis, quam tradit ſuus Pater Scildere. & tu interim vides ab Authoribus, quos ſequeris, contrarias rationes ſtantes pro lege ne quidem nominari, nedùm non ſolvi. Non igitur Authores Probabiliſtas ſequeris, eam ſequens opinionem ut practicè probabilem, quam optimè agnoſcere potes non eſſe talem ex defectu conditionum, quas ad eam exigunt Probabiliſtæ. Profectò Probabiliſtæ Recentiores, quos Tu verbo ſequeris, re autem averſaris, ſurgent tecum in iudicio, & condemnabunt te. Unumquodque (proſequitur Riccius) ad modum recipientis recipitur. Viro timorato, viro benè affecto erga Deum, & res divinas, non facilè ſatisfaciunt rationes pro licito in dubio legis. Hinc huic ſit dubia opinionis probabilitas; nec facilè Doctores benigni videntur omni exceptione maiores: neque facile deponit dubium, num rationes illæ ſint graves, an nullæ; præſertim ſi videat complures alios Doctores idipſum ſentire. Si ergo tibi facillimè contingat oppoſitum, vide ne tibi ſit in causâ defectus timoris, & amoris erga Deum, & legem; vide ne ſit in causâ amor falſæ libertatis. Ita diſcurrit Pater Riccius.

1249 Et cum hæc omnia requiſita ad practicam probabilitatem juxta Probabiliſtarum doctrinam nequeant reperiri in utrâque parte contradictionis, neque in parte minùs veriſimili, præſertim conditio illa, quod oportet videri evacuata, & ſoluta argumenta contraria; ita ut non ſit locus prudenter dubitandi de parte oppoſitâ, videtur manifeſtè clarum probabilitatem practicam non reperiri in utrâque parte contradictionis æquè probabili, & multò minùs in minùs probabili, ſed ſolummodò in probabiliore; ex quo liquet Probabiliſtas cum Probabilioriſtis convenire. Poteſt enim, inquit, utique utraque pars videri probabilis, ſed varia probabilitate; una nimirum ſpeculativè, altera practicè; utraque verò practicè probabilis videri non poteſt. Sed quia quæ placent, facillimè credimus vera; ideò ab oppoſito, quæ diſplicent, quantumvis vera ſint, & manifeſta, vix adduci poſſumus, ut vera credamus. Habemus jam manifeſta ſigna practicæ probabilitatis ex Recentioribus Probabiliſtis, niſi deſit pia affectio voluntatis ad obediendum divinis legibus.

1250 Nec ad rem facit, dicit hic Riccius, quod interdùm Doctores dicant ſententiam aliquam eſſe practicè, & nedùm ſpeculativè probabilem: non enim videndum eſt quid dicant, ſed quid dicere debeant ex communiſſimâ Recentiorum Probabiliſtarum doctrinâ de probabilitate practicâ: ridiculum enim eſt ſtabilire principia, quæ numquam deindè conſulas; eſſet enim hoc aerem verberare.

1251 Inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas itaque (ſubdit) magna certè erat contentio, & magnum diſcrimen, ortum ex ipsâ definitione opinionis probabilis, quâ dicitur: opinio probabilis eſt, quæ innititur motivo magni momenti Sed non definiebant undè eſſet menſuranda hæc motivi magnitudo: atque hinc fiebat locus laxitati, quia motivum poteſt eſſe aliquando magnum, ut dubites, ſed non ut concludas: & interdùm ut ſententiam commodè defendas in ſcholis ſeu ſpeculativè; ſed non ut eam in praxi ſequaris, ſeu practicè: Poteſt inſuper videri magnum uni, ſed parvum alteri. Ergo res erat valdè incerta, & arbitraria; & tamen menſura debet eſſe certa. Hinc Probabilioriſtæ urgebant contra Probabiliſtas doctrinam Auguſtini: *Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus, quod volumus pro arbitrio noſtro, dicentes hoc grave eſt, hoc leve eſt. Sed afferamus divinam ſtateram de ſcripturis ſacris tamquàm de Theſauris dominicis, & in illa quid ſit gravius appendamus.* At nunc Probabiliſtæ Recentiores benè determinant, quænam ratio dicenda ſit gravis, & quæ gravis authoritas in re noſtrâ; illa nimirum, ex quâ ita ſolvantur argumenta contraria, ut non poſſis prudenter dubitare, quod vera ſit ſententia benigna, & falſa ſententia, quæ ſtat pro lege, ut vidimus ex de Scildere, Bardi, Reginaldo, Eſparza, Cardenas, aliiſque; & idem proportionaliter dicitur de authoritate. Hoc poſito, deinc nunc Novatores diſcrimen inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas. Hæc P. Riccius. Ex quibus concludit, quod probabilitas maior, probabilioritas, & probabilitas ad dictos terminos revocata, ſeu reformata ſunt ſynonima, & idem dicitur per diverſa. Idque probat quia nunc Probabiliſtæ Recentiores motivum magni momenti appellant rationem, qua rationes contrariæ ſolvantur. Rationes autem, quæ ſolvunt argumenta contraria, ſunt contrariis argumentis efficaciores: ergo opinio quæ his rationibus nititur, nititur rationibus efficacioribus. Opinio autem innixa rationibus efficacioribus, eſt opinio probabilior. Ergo quam Probabiſtæ vocant probabilem, eamdem Probabilioriſtæ vocant probabiliorem. *Nihil igitur eſt* (concludit tandem hic P. Riccius) *quod Novatores reprehēdant in Probabiliſtis, niſi quod non ſanſeniaent...... Numquam dubitatum eſt apud Catholicos, quod ad licitè operandum, ſatis ſit motivum magni momenti, nec requiratur motivum omnino infallibile, cum ipſa etiā SS. Pa-*

grum, & veterum Theologorum authoritas ſit fallibilis. Solùm dubitatum eſt undè eſſet deſumenda hæc motivi magnitudo, & per ordinem ad quem effectum; quia hìc poterat eſſe magna æquivocatio. Hoc benè ſtabilito, ut benè ſtabilitum à Recentioribus Probabiliſtis, nulla poteſt eſſe quæſtio. Qui ſibi citra paſſionem, & culpam certò perſuadit à ſuis rationibus ſolutas eſſe rationes oppoſitas, quæ occurrunt, is ſibi innocenter etiam perſuadere poteſt ſententiam, quam ſequitur, eſſe veram. Nam quid aliud requiratur? At hæc eſt tota probabilioritas. Hæc ſunt ſummatim quæ in hoc quinto capite habet P. Riccius.

Criſis doctrinæ præcedentis capitis adverſùs eius Authorem.

1252 MUlta certè in hoc capite dicit P. Riccius vera, & laude quidem digna; ad quæ ſi fuiſſet quoque conſequenter locutus, Recentiorum Probabiliſtarum doctrinam penitùs evertiſſet potiùs, quàm ſolidaſſet. Ipſe verò eam indè multâ arte deducit, vel verius extorquet; & tantâ induſtriâ, ut ſub fucatâ quadam piæ affectionis ſpecie erga Deum, eiuſque ſacras leges, pro ſincerâ, ac promptâ obedientiâ illi debitâ, ſimplicibus, & incautis mentibus modum ingerat; quo paſſim ab ea ſe ſubtrahant, & non advertant; quin imò ſibi ſuadeant ſatis ſe obſequium præſtare Deo, quandiù ſuorum de probabilitate doctrinam, tantummodò conſulti, ſine ullo remorſu ſequantur in praxi, & amplexentur. Quod quidem hìc manifeſtè oſtendam, expendendo totam eius in hoc capite ſummatam doctrinam.

1253 Dicit itaque hìc Author iſte primò, quod ſui Recentiores Probabiliſtæ benè diſtinguunt inter probabilitatem practicam, & merè ſpeculativam, Nolo in hoc cum ipſo contendere, quantumvis fortè minùs verum ſit, ſi de ſuis omnibus, nemine prorsùs excepto, velit aſſertionem ſuam intelligi: non enim deſunt inter eos, qui putent, quodcumque ſpeculativè probabile eſſe etiam practicè probabile, ac proptereà iſti manifeſtè reiiciunt diſtinctionem illam, quam alii propugnant. Et ne hoc gratis videar dicere, nemine citato, videri poteſt Antonius Eſcobar *tom. 1. cap. 3. num.* 15. & Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp.* 41. *num.* 5. Ambo de ſua Societate, qui cum aliis huiuſmodi ſententiam expreſſiſſimè docent; quibus etiam addo, & Caramuelem, quem P. Riccius inter ſuos cum gratiarum actione recepit, ut vidimus ſuprà. Sed quidquid ſit de hoc; eſto quod ſui omnes diſtinguant, & ſolam probabilitatem practicam dicant ad licitè operandum ſufficere, non autem ſpeculativam: non tamen omnes ad illam eas conditiones exigunt, & requiſita, quæ inculcat P. Riccius, & præſertim requiſitum illud, quod argumenta contraria evidenter ſolvantur, ita ut non poſſit ampliùs prudenter de oppoſito dubitari, & de veritate obiectiva opinionis, quam quis ſequitur. Imò nullus ſuorum Probabiliſtarum hoc requiſitum ponit, ſi diligenter obſervetur: nam nec Pater Cardenas, nec Scildere, ex quibus P. Riccius tale requiſitum magnificat, umquam de illo meminerunt; neque ex eorum doctrinâ tale quid deduci poteſt; ſed ad ſummum, quod non poſſit dubitari de probabilitate opinionis. P. Cardenas enim in ſuis illis quinque requiſitis ſolùm intendit concludere quod probabilitas non ſit tenuis, & dubia, ut ea quis poſſit uti ad licitè operandum; ex quo ad ſummum deducitur, quod opinio practicè probabilis illa ſit de cuius probabilitate dubitari non poſſit, non autem de cuius veritate obiectiva dubitari non poſſit. Multum igitur æquivocat P. Riccius, dum requiſitum poſitum à P. Cardenas de morali certitudine probabilitatis opinionis, ita ut non poſſit de eius probabilitate prudenter dubitari, accipit pro alio requiſito omninò diverſi generis, & quod hactenùs nemo Probabiliſtarum poſuit, videlicet de certitudine obiectivæ veritatis, ita ut non poſſit de hac prudenter dubitari. Et ſimiliter hoc ipſum malè deducit ex P. Scildere, qui in definitione opinionis probabilis, poſuit requiſitum illud, videlicet quod concludatur poſt argumenta contraria conſiderata, & ſoluta, ſicut fieri ſolet in negotiis magni momenti: non enim ex hoc bene deducitur, quod eò certitudinis ſaltem moralis debeat pervenire, ut non poſſit prudenter de eius obiectivâ veritate dubitari. Imò ex ipſo Scildere expreſsè habetur oppoſitum ibidem, dum exponens particulas ſingulas ſuæ definitionis, ait: *dicitur ſecundò cum formidine, ſive cum iudicio reflexo, quod res aliter eſſe poſſit*. Ut refert ipſemet Riccius. Ubi ergo eſt moralis illa certitudo requiſita à P. Scildere, quàm fingit Riccius de obiectivâ veritate, ita ut non poſſit prudenter de ea dubitari? Numquid iudicium reflexum, quod claudit P. Scildere in ſuâ definitione opinionis probabilis, quod res aliter eſſe poſſit, ſtare poteſt ſimul cum certitudine ſaltem morali de veritate obiectivâ, ita ut non poſſit de eâ prudenter dubitari? Scio utique de ſolum moraliter certâ poſſe metaphiſicè, & ſpeculativè dubitari: At poſſe ſimul moraliter dubitari penitùs ignoro. Si ergo P. Scildere intendiſſet ad opinionem probabilem requiri, non poſſe de eius veritate obiectivâ prudenter, quod idem eſt, ac moraliter, dubitari; non potuiſſet dicere, includi in ea iudicium reflexum, quod res aliter eſſe poſſit. An fortè de iudicio reflexo metaphiſico, & purè ſpeculativo locutus fuit? At hoc impertinens fuiſſet ad opinionem practicè probabilem, quam ibi voluit definire. Remanet ergo quod requiſitum illud de certitudine veritatis obiectivæ, ita ut de illa non poſſit prudenter dubitari, ſit purum commentum Patris Riccii, à nemine autem Probabiliſtarum uſque adhùc poſitum. Id autem

P. Riccius excogitavit induſtriosè per æquivocationem ex ſuis Probabiliſtis deducere, ut inde concludere poſset ſuorum practicam probabilitatem, nedum cum probabilioritate convenire, & ſic fieri cum illis, & Probabilioriſtis ſummam concordiam; ſed etiam convenire cum vera morali certitudine ad licitè agendum ſufficiente, quam nemo Catholicorum inficiatur, & cum fide illa, de qua meminit Apoſtolus *ad Rom.* 14. numquam enim ad hoc pervenire potuiſſet, niſi ementito hoc ſuo commento.

1254 Fateor itaque ſatis eſſe ad licitè operandum moralem certitudinem de veritate obiectivâ agendorum, ſi verè ad id perveniat agens, dum aliquid agit, ut non poſſit prudenter dubitare de licito ſuæ actionis, id quod ſupra ubi de Probabiliſmo directè, fuſiùs docui: nec requiri infallibilem, & metaphiſicam veritatem. At id requirere Recentiores Probabiliſtas; & minus non ſufficere juxta eorũ doctrinam, perpetuò negabo: aut ipſos exigere probabilioritatem cum Probabilioriſtis, & eſſe in hac materiâ concordes, ut contendit P. Riccius, nec ſi quis ex mortuis reſurgat, & teſtimonium de hoc perhibeat, crediturus ſum; cum paſſim, & manifeſtè in oppoſitum reclament publici eorum libri, & ſtylo ferreo exarata atque indelebiliter poſteris omnibus relicta ipſorum teſtimonia. Et ſi quando in probabilitate ſua moralem certitudinem ineſſe dicant, ſatis ipſimet ſe explicant, quod illam non referũt ad obiectivam veritatem opinionis probabilis, ſed ad probabilitatem ipſam, quam regulam agendorum eſſe dicunt, quatenùs per judicium reflexũ de probabilitate opinionis credunt agentem moraliter certificari, non fore peccaturum jure probabilitatis practicæ. Et quod, hoc tantum ſentiant adeò verum eſt, ut Pater Cardenas expreſſè diſtinguat de opinione ſeu judicio probabili directo, & reflexo; & in illo expreſsè neget reperiri certitudinem moralem, quam tamen concedit in reflexo, ut vidimus ſupra. Conſtat autem quod judicium reflexum non eſt de ipſa obiectiva veritate alicujus agibilis in particulari, ſed de eius probabilitate, quâ probabilitas eſt, quo pacto eſt quid commune, & genericum omnibus opinionibus probabilibus: ſolùm autem judicium directum eſt de veritate obiectivâ, & hoc ſemper incertum eſſe, etiam moraliter, affirmat Cardenas, & ideò ſtat cum probabilitate oppoſitæ opinionis; nam ubi opinio aliqua pertingit ad moralem ſui certitudinem, deſtruit probabilitatem oppoſitæ juxta doctrinam Patris Cardenas: ut vidimus ſupra ubi de Probabiliſmo egimus contra ipſũ. Ergo ad probabilitatem practicam non exigunt Probabiliſtæ moralem illam certitudinem, ut non poſſit prudenter dubitari de obiectiva veritate opinionis.

1255 Neque cum dicunt conſideranda eſſe, & ſolvenda argumenta contraria, intendunt ita illa elidenda eſſe, ut deſtruatur probabilitas opinionis oppoſitæ; ſed ſatis eſſe quod ſolvi poſſint probabiliter, ſemper tamen manente opinione oppoſitâ in ſua probabilitate etiam practica; nam ut vidimus in præcedenti capite etiam ex ipſo Riccio ore proprio confeſſo, in hoc diſcriminantur Probabiliſtæ a Probabilioriſtis, quod Probabiliſtæ dicant opinionem minus probabilem manere in ſua probabilitate etiam in concurſu probabilioris, negent autem Probabilioriſtæ. Si ergo minùs probabilis in concurſu probabilioris retinet ſuam practicam probabilitatem ut ſemel confeſſus eſt Riccius, jam ſuſtineri non poteſt, eſſe doctrinam Probabiliſtarum, quod ad probabilitatem practicam exigatur evidens ſolutio rationum oppoſitarum, quia minùs probabilis cum ſupponatur habere rationes minùs efficaces, ut per ſe conſtat, & etiam fatetur Riccius, nequit evidenter ſolvere ſuis rationibus rationes oppoſitas efficaciores opinionis probabilioris. Imo neque iſtæ efficaciores ſupponuntur poſſe evidenter ſolvere, & deſtruere juſta doctrinam Probabiliſtarum rationes minùs efficaces opinionis benignæ minùs probabilis, alioquin non retineret iſta ſuam probabilitatem practicam in concurſu probabilioris, ut ſemel, & iterùm confeſſus eſt idem Riccius. Quomodo ergo nunc dicit Riccius non poſſe ſubſiſtere probabilitatem practicam, niſi ſint argumenta contraria evidenter ſoluta, & ſoluta, inquit, non declinata? Et quomodo nunc infert opinionem practicè probabilem ex vi huius requiſiti juxta doctrinam Probabiliſtarum, oportere eſſe probabiliorem? Et quod maior probabilitas, probabilioritas & probabilitas practica juxta Probabiliſtas ſint Synonima? Negat quod fatetur; & fatetur quod negat, ut ſuos quo ſuo modo cum Probabilioriſtis concordet; ſed dum illos violenter nititur cum iſtis concordare, & ſeipſum ſibi, & illos invicem viciſſim contradicere ſemel, atque iterùm, & tot vicibus compellit, quot modos excogitat dicendi, ut illos conciliet. Quid igitur hac ſua concordia diſcordantius? Probabiliſtæ, & Probabilioriſtæ perpetuò inter ſe pugnant, & uſque ad mutuam internicionem; & Riccius vult ſuadere, quod verbis ludant, & pacificis ſynonimorum armis tantum ſe exerceant. Illi pro minùs tuta minuſque probabili ubique proclamant; & Riccius quæſitis hinc, indè, ac perquiſitis quibuſdam conditionibus ab illis quandoque obſcurè prolatis, iiſque perperàm interpretatis, eos vel renitentes cogit, ut ſtent pro probabiliore. Sed quidquid dicat Riccius, jam ex dictis liquet nimis longè diſtare ab interpretationibus ſuis practicam probabilitatem Probabiliſtarum, ab eâ, quam docent Probabilioriſtæ; & conditiones illius longiùs eſſe diverſas, ab iis quas commentatur Riccius: quod ſi qui ſint inter ſuos, qui his juxta commentum Riccii requirant, vel de ſuorum Probabiliſtarum numero delendi ſunt, & cum Probabi-

babilioriſtis computandi, imò cum aliis ſtrictioribus; vel ſibimet, ac ſuis principiis manifeſtè contradicunt.

1256 Præterea dato, quod huiuſmodi à Riccio requiſitæ conditiones ad probabilitatem practicam, prout ſunt ab ipſo interpretatæ, ſint re vera juxta doctrinam ſuorum Probabiliſtarum. Peto à Riccio, an ipſimet eas ſervent in decisionibus ſuis in particulari? Cum enim eas ut tutas in praxi doceant, procul dubio illas ut practicè probabiles habent. Dicat ergo nunc Riccius ſi huiuſmodi ſuæ deciſiones ſint omnes cum his conditionibus, & requiſitis, ac per conſequens ſint ſuis oppoſitis probabiliores, & ita moraliter certæ, & cum evidenti ſolutione rationum contrariarum, ut non poſſit prudenter dubitari de obiectivâ veritate earum, & quod oppoſitæ ſint certò moraliter falsæ, & practicè improbabiles ab ipſis judicatæ; an non?

1257 Si reſpondeat Riccius quod ſic: ergo omnes ſuorum deciſiones tutò poterit quiſque ſequi in praxi abſque aliâ indagine, ſatis enim erit unicuique, quod unus ex ſuis ita dixerit. Atqui inter ſuos paſſim videmus deciſiones particulares contrarias, quibuſdam affirmantibus de aliquo caſu eſſe licitum, aliis negantibus, ac per conſequens poterit quiſque quamlibet partem liberè eligere, & utramque ut probabiliorem, & indubitabilem prudenter habere: quo quid abſurdiùs, & licentioſius admitti poteſt? Jam hoc illud inconveniens eſt, quod Riccius damnat in Laxonibus Probabiliſtis extra Societatem: Jam inſuper iterum redit, quod utraque pars contradictionis poſſit eſſe practicè probabilis, quod tamen ipſemet dixerat impoſſibile. An fortè reſpondebit Riccius, non eſſe attendendum ad id, quod ipſi dicunt; parum enim eſt ſi ipſi dicant, opinionem ſuam eſſe practicè probabilem; ſed attendendum eſſe ad id, quod deberent dicere, & conſulendas eſſe ſuas conditiones: (ſic enim vidimus ſupra reſpondere ad ſimile teſtimonium Doctorum de propriis opinionibus) ſi ita reſpondebit, inquam, ſic contra inſurgo: & peto cur non eſt ſuis dictis attendendum, fortè quia in ſuis judiciis decipiuntur? An quia volunt decipere? Si hoc ſecundum: ergo ſunt de dolo ſuſpecti: cur igitur de dolo etiam non ſuſpicabimur, cum conditiones illas deſcribunt ſuæ practicæ probabilitatis, quod ſcilicet id efficiant, ut videantur, & reputentur ab omnibus Authores cauti, pii, prudentes, diligentes, & omni exceptione maiores, ſicque omnes ad ſui ſequelam trahant, etiam cùm docent laxitates? Undè certificabimur, quod ſincerè eas conditiones exigant, præſertim cum alias proclament, licitum eſſe ſequi omnem opinionem probabilem, etiam minùs tutam, minùſque probabilem relictâ tutiore, & probabiliore? Sed non credo quod velit Riccius de minimo dolo ſuos accuſare, nec ego accuſare audeo. Reſpondebit igitur fortè primum, quod ſcilicet interdùm decipiantur: At contra inſtabo: ergo conditiones illæ ambiguæ ſunt, & menſura illa motivi magni momenti, (de qua inquit P. Riccius fuiſſe magnam contentionem inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas, & quæ erat cauſa laxitatis) non eſt certa, nec contentio nunc ſublata eſt à Probabiliſtis ſuis, dum talia requiſita ponunt adeò cognitu difficilia, ut vel ipſimet in iis agnoſcendis decipiantur, atque ideò variant in judiciis ſuis. Ergo ſua probabilitas practica manet adhuc cauſa laxitatis. quid ergo refert eam utcumque à ſpeculativa diſtinguere, ſi in praxi vix ab ipſis diſcerni poteſt? quanto minùs ab aliis? Si vero ad primum quæſitum reſpondeat Riccius, quod non ſervent ſui Probabiliſtæ conditiones ſuas ſemper in deciſionibus particularibus ſuis: ergo iam ſibi, & ſuis principiis manifeſtè contradicunt; imò exemplo ſuo oppoſitam doctrinam tradunt, & fortiùs quoque eam ingerunt aliorum mentibus, quam illam, quam theoricè tradunt. quo quid indignius de eis dici poſſet? & tamen hæc omnia conſequentia ſunt ad Commentum Patris Riccii.

1258 Oportet igitur tandem concludere Recentiores Probabiliſtas, qui ſuas aliquas conditiones, quiſque pro ſuo ingenio, requirunt; non ita eas ſentire, ſicut interpretatur Riccius, ut tandem idem ſentiant cum Probabilioriſtis: ſed ab illis omninò diſconvenire, & velle ſufficere ad licitè operandum probabilitatem, magis, minùſve extenſam, vel limitatam, pro variis eorum placitis; numquam tamen ad ſolam probabilioritatem reſtringi, & multò minùs ad eam moralem certitudinem de veritate obiectivâ, ita ut non poſſit de ea prudenter dubitari. Si enim ad hanc moralem certitudinem reſtringerentur, non cum Probabilioriſtis ſentirent, ſed convenirent omninò nobiſcum, neque enim nos aliud exigimus, ut oſtenſum eſt ſupra cum directè de Probabiliſmo agebamus: Sed huiuſmodi moralem certitudinem nec probabilitas, nec probabilioritas nobis tribuere poteſt; ut ibidem monſtravimus; quia probabilitas de licito ſtante probabilitate oppoſitâ de illicito, non deſtruit motivum prudenter dubitandi de obiectivâ veritate; ſi enim non deſtruitur probabilitas de illicito, quomodo deſtrui poteſt motivum prudenter dubitandi de illicito, præcipuè juxta doctrinam Probabiliſtarum, qui volunt quod judicium probabile ſit judicium prudens? & quomodò poterit formari bona illa fides, de qua meminit Apoſtolus *ad Rom.* 14. & quam exigit Pater Riccius, dum ex adverſo videtur obſtare judicium prudens de illicito? Quid refert, quod probabiliùs videatur licitum, quàm illicitum; ſi adhùc probabiliter videtur illicitum? Eſſetne hoc habere piam affectionem ad Deum, & ſacras eius leges? an potiùs ad noſmetipſos, & & commodum, ac libertatem noſtram? Ubi eſt pia illa affectio, quam exigit Riccius in eligendis

gendis opinionibus, ad Deum ut Dominum, & Legiſlatorem, & divinas eius leges; ſi etiam probabiliorem eligamus, quando ex oppoſito ſtat pro lege probabilis opinio de illicito? Eſt ne hæc pia affectio ad legem Dei, & dilectio mandatorum eius? *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate* 1. Joan. 3.

1259 Et ideò dixi ſupra, quod multa quidem vera, & laude digna hic dicit P. Riccius, ad quæ ſi conſequenter locutus fuiſſet, evertiſſet potiùs omninò Probabiliſtarum doctrinam, quam ſolidaſſet. Laude quippè dignum eſt, & veriſſimum, quod ſicut ad credendum myſteria fidei, ſicut oportet ad ſalutem, requiritur pia affectio voluntatis ad divinum Teſtimonium; ita ad operandum, & cuſtodienda divina mandata exigitur pia affectio ad Deum Legiſlatorem, & Sancta eius mandata, quæ ipſe præcepit cuſtodiri nimis. Sed conſequenter ad hoc nõ bene infert Riccius eligi poſſe ſententiã benignam faventem libertati contra legem; per hoc quod ſit practicè probabilis, vel etiam probabilior, relicta oppoſitâ magis tuta, & ſtante pro lege; quia ex affectione ad legem nulla eſt conſequentia ad eligendum, quod favet commodo, & libertati, ſed potiùs ad oppoſitum. Veriſſimum quoque eſt, & laude dignum, dicere quod agens in genere moris non debet eligere, niſi quod ſibi apparet certò moraliter bonum, ita ut non poſſit prudenter, ſeu moraliter dubitare de eius malitia: ſed conſequenter ad hoc non eſt ſatis, eſſe opinionem practicè probabilem, ut docent Probabiliſtæ, quia in ea fingitur, & non eſt huiuſmodi moralis certitudo, cum illa habeat per ſe & eſſentialiter ſecum annexam incertitudinem, & prudentem formidinem de oppoſito, ut aliàs demonſtravimus ſupra ubi de Probabiliſmo, & fatetur etiam P. Cardenas loquendo de probabilitate practicâ directâ, de quâ in totâ hac prima diſſertatione ſemper loquitur P. Riccius. Veriſſimum item eſt ſufficere bonam illam fidem, de qua meminit Apoſtolus *ad Rom.* 14. ſed bona hæc fides nequit in probabilitate practicâ fundari, dum ex adverſo in oppoſitum reclamat probabilitas etiam practica ſtans pro lege. Ergo ſi conſequẽter ad hæc locutus fuiſſet Riccius, evertiſſet penitùs ſuorum Probabiliſtarum doctrinam, & non ſolidaſſet.

1260. Fateor utique id quod Riccius dicit de illis, qui abſque ullo debito examine, & abſque ulla indagine quemlibet Doctorem ſuſcipiunt ut omni exceptione maiorem, & quamlibet opinionem ut practicè probabilem, in causâ eſſe defectum illius piæ affectionis debitæ ad divinas leges: at cum hoc quoque fateri oportet, eumdem pariter defectum in causâ eſſe Probabiliſtis, quod adeò confidant ſuæ practicæ probabilitati opinionis, quam benignam vocant, ſtantis contra legem, reiectâ oppoſita etiã practicè probabili, quæ legi favet. Nec prodeſt Riccio effugium illud, quod fingit ex Probabiliſtis ſuis, nempè quod non poſſit utraque pars contradictionis eſſe practicè probabilis, cum in oppoſitum ipſimet Probabiliſtæ reclament, & expreſſiſſimè concedant poſſe utramque partem eſſe practicè probabilem; imò & etiam minus probabilem ſuam probabilitatem practicam retinere in concurſu oppoſitæ probabilioris, quod & idem Riccius ſemel atque iterùm confeſſus fuerat, dicens in hoc uno eos diſcriminari à Probabilioriſtis, ut vidimus ſupra. Quo diſcrimine ſuppoſito, & expreſſè confeſſo, corruit tota Riccii prætenſa concordia: at ipſe hoc tandem animadvertens, revocat quod admiſerat; & ſibimet, fortè immemor cõfeſſionis ſuæ manifeſtè contradicit. Vide ergo lector, & judica Tu ex dictis, ſi Antiprobabiliſtæ, quos ipſe Novatores appellat, habeant quod reprehendant in Probabiliſtis ſuis, præter hoc, quod non janſenizent: vide quam falsò nos Janſeniſmi accuſet, & fingat velle ſuos cogere ad janſenizandum: nos verò nec janſenizamus, nec volumus illos janſenizare, quia non prætendimus certitudinem infallibilem, aut ſcientificam, ſed contenti ſumus ſola morali certitudine, & bona fide de agibilibus noſtris, ita ut moraliter, & prudenter dubitare non poſſimus. At hoc haberi poſſe per ſuam probabilitatem practicam publicè negamus, quandiù ex adverſo contra eos reclamat oppoſita opinio probabilis pro lege; quia ut ipſimet fatentur opinio probabilis eſt judicium prudens, ergo dùm contra nos reclamat judicium prudens pro lege, non poſſumus non prudenter dubitare de opinione contra legem, & non formidare prudenter de periculo transgrediendi legem. Ubi ergo eſt moralis illa certitudo, & prudens judicium moraliter certum de opinione contra legem, ita ut non poſſit prudenter dubitari de eius obiectivâ veritate? Judicium probabile, & opinativum, quà tale, quantumcumque prudens, ſemper formidoloſum, & incertum eſt eſſentialiter, & ex naturâ ſuâ, ſaltem quando perſiſtit judicium oppoſitum: neque obſtat quod ſit judicium prudens, quia eſt prudens ad opinandum, ideſt ad judicandum formidoloſè, & cum incertitudine, non autem ad certò, & ſine formidine judicandum. Contenti ergo ſumus nos de prudente tantum ſeu morali certitudine, ſed negamus eam haberi per opinionem practicè probabilem vel probabiliorem, et dicimus quod tunc ſolùm habetur, quando non poteſt etiam formari judicium prudens oppoſitum, opinativum, incertum, & formidoloſum; quia ſuppoſito quod hoc etiam formari poſſit, jam erunt duo judicia ambo prudentia, ambo formidoloſa, & incerta, ita ut de utroque poſſit, prudenter, & moraliter dubitari; unde ergo accedit opinioni contra legem, quam benignam vocant, moralis illa certitudo, ita ut non poſſit prudenter de obiectivâ eius veritate dubitari. Hæc eſt doctrina noſtra, quâ penitùs evertitur tota doctrina Probabiliſtarũ ſine ullo Janſeniſmo.

1261 Malè ergo Riccius de ſuis Recentioribus Probabiliſtis univerſaliter dicit, quod diſtinguant inter probabilitatem practicam, & purè ſpeculativam; quia id non de omnibus verificatur. Malè de illis; qui eas diſtinguunt, interpretatur, quod conditiones illas requirant de quibus ipſe meminit deductivè ex illorum quibuſdam locis. Malè, quod non admittant probabilitatem practicam in utraque parte cõtradictionis ſive æquè probabili, ſive una minùs probabili, quam altera. Malè quod juxta eorum doctrinam maior probabilitas, probabilioritas, & probabilitas ſint ſynonima; ac quod propterea cum Probabilioriſtis ſentiant. Malè quod exigant moralem illam certitudinem de ipsâ veritate obiectivâ, ita ut non poſſit de illâ prudenter dubitari; & non contenti ſint de morali certitudine ſoliùs probabilitatis illius. Malè quod exigant piam illam affectionem ad divinas leges, aut quod velint ſecundùm illam eligendas eſſe opiniones in praxi. Malè, quod juxta eorum doctrinam fundari poſſit bona illa fides, de quâ meminit Apoſtolus *ad Rom.* 14. Malè, quod ſi quid aliud, quam quod ipſi requirũt ad licitè operandum, exigatur, oporteat ad ſciẽtiam, & veritatem infallibilem devenire. Malè, quod non poſſint in alio reprehendi, niſi quod non Janſenizent. Et malè tandem quod nos cõtra illos ſentientes Novatores ſimus, & Janſeniſmo infecti reputari valeamus, & quod ab Alexandro VIII. in duabus illis damnatis propoſititionibus, ſecunda, & tertia comprehendi poſſimus. Ut hactenùs hæc omnia malè, atque falliſſimè dicta ſufficienter Superiori noſtro diſcurſu demonſtravimus.

§. VII.

Summa doctrinæ eiuſdem Patris Riccii in ſexto, & ultimo capite ſuæ primæ diſſertationis.

1262 IN ſexto, & ultimo capite quærit P. Riccius: an ſui Recentiores Probabiliſtæ benè diſtinguant opinionem probabilem merè per accidens, & ex circumſtantiis, ab opinione probabili per ſe, & liberâ electione? In quo quæſito ſupponit opinionem poſſe eſſe per ſe, & abſolutè practicè probabilem, & hanc dicit poſſe quemlibet licitè ſequi, & eligere liberâ electione: & interdùm eam, quæ non eſt practicè probabilis, ſed merè ſpeculativè, poſſe per accidens, & ex contingentibus circumſtantiis eſſe practicè probabilem, ac proindè tunc in iis circumſtantiis licitum eſſe illam ſequi per accidens, quam aliàs ſequi regulariter licitum non eſſet. Quo ſuppoſito, ne fiat locus laxitati, dicit opus eſſe hæc duo benè diſtinguere. Et ideò hìc quærit, an hæc duo Probabiliſtæ ſui benè diſtinguant? Et ſuppoſito quod benè hæc duo diſtinguant; advertit, quod cum illi dicunt de aliquo agibili probabile eſſe, quod ſit licitum; vel eſſe licitum, quia eſt probabile; videndum eſt de quo licito ſit ſermo, videlicet an de per ſe licito, ac per conſequens liberè, & abſolutè eligibili; an verò de licito per accidens, & ſolùm eligibili in quibuſdam circumſtantiis; & an de alterutro; vel de utroque. Et rursùs etiam videndum eſt, num omnis probabilitas, etiam ſi merè ſpeculativa, faciat utrumque licitum? Pro quo nonnulla exempla adducit, ut oſtendat ſæpè aliquid poſſe licitè eligi in quibuſdam circumſtantiis, quod tamen iis circumſtantiis præciſis eligi licitè non poteſt. Ut ſi caſus particularis urgeat, de quo oportet ſtatim determinare, tunc licitum erit eligere id, quod agenti tunc pro ſua capacitate videtur verum, vel ſaltem non temerarium, & excuſabitur à peccato, etiã ſi ad eam opinionem inclinet, quæ non eſt vera, nec fortè probabilis; quod tamen non licebit, cum tempus ad maiorem diligentiam ſuppetet. Ita ex ſuo Gregorio de Valentia; & ex Caramuele, qui ad idem citat Joannem Idelphonſum Baptiſtam *tract. de conſcientia diſp.* 28. *dub.* 6. *concl.* 3. *num.* 579. Ubi habet. *Aliquando talis ſe poteſt offerre occaſio operãdi promptè, ut maior notitia, vel certior opinio haberi non poſſit; vel tale periculum vitandum; ut pro tunc ne exponatur ſalus corporis, & animæ periculo; illa parva ſufficiat probabilitas: tunc enim attentis circumſtantiis loci, temporis, perſonarum, & periculi debet cenſeri probabilior poſſibilis illa parùm probabilis ſententia. Sicut confeſſio debet eſſe integra, & ex ſimili cauſa poteſt dimidiari, ſed cenſetur integra, &c.* Ex quibus infert P. Riccius, quod eſto interdum dicant Probabiliſtæ eſſe licitum, ſeu probabile, quidquid verum videri poteſt, aut non omninò temerè creditur verum; ſermo eſt de probabili, & licito merè per accidens, non de probabili, & licito per ſe. *Hæc autem* (inquit) *ſi confundas, injuſtam creabis Recentioribus Probabiliſtis invidiam. Probabilitas enim exigua, & dubia non facit licitum; hæc autem probabilitas exigua eſt, & valdè dubia. Nec te eximunt Probabiliſtæ ab onere expendendi fundamenta partis utriuſque,* (per ſe loquendo, cum poteris) *& ubi hæc expenderis, quid facto opus ſit, te docent;* ideſt te teneri ad probabiliorem; alioquin fruſtra cum tempus ſuppetit ad maiorem Indaginem te remitterent. Ergo benè diſtinguunt de probabili per ſe, & per accidens, de licito per ſe & per accidens; & licet interdum minùs probabile licitum dicant per accidens; per ſe verò intendunt ſolum id licitum eſſe, quod poſt debitam conſiderationem rationum utriuſque partis verum apparet, quod procul dubio idem eſt, quod probabilius. Atque ideo ex hac diſtinctione de probabili, & licito per ſe, & per accidens, quam P. Riccius probat hìc facere Probabiliſtas ſuos, concludit eos convenire cum Probabilioriſtis in doctrinâ probabilioritatis eligendæ: & ſi quandoque videntur admittere de quocumque etiam minùs pro-

probabili eſſe licitum, tunc ait, eos loqui de licito per accidens, & in quibuſdam circumſtantiis, in quibus (ut loquitur Idelphonſus) parùm illa probabilis ſententia cenſeri debet per accidens probabilior, cum nõ poſſit alia haberi.

1263 Ecce ultimum Patris Riccii conatum, & ſolertem induſtriam ad conciliandos Probabiliſtas Recentiores cum Probabilioriſtis; quantumcumque illi contra illos proclament pro licito uſu cuiuſcumque opinionis probabilis, & etiam pure, & mere ſpeculativè probabilis: hac namque unica diſtinctione, quod ſcilicet tunc intelligant de probabili, & licito per accidens, non autem de probabili, & licito per ſe, totam illorum diſcordiam cum Probabilioriſtis componit; & omnem probabilitatem ſive practicam, ſive ſpeculativam, ſive tenuem, & quantumcumque dubiam ad probabilioritatem revocat. quare indè ſic *num.* 4. preſentis capitis concludit: *Propugnant igitur* (inquit) *Recentiores Probabiliſtæ opinionum benignarum probabilitatem in tota ſua latitudine, & ſecundum omnes gradualitates, ſeu ſpecies* (nota lector, ſecundum omnes gradualitates dicit, ſeu ſpecies, quod eſt dicere, ſive ſint minùs, ſive magis probabiles; ſive ſint practicè probabiles, ſive ſpeculativè; ſive tenuis, ſive dubiæ probabilitatis; iſtæ enim ſunt ſpecies probabilitatis, ut ipſemet in ſuperioribus capitibus docuerat) *quia illam in tota ſua latitudine, & ſecundùm omnem gradualitatem, & ſpeciem, excludunt Novatores, ut patet ex prop. 2. & 3. ab Alexandro VIII. damnatis.* quas ibidem affert, & ſunt ſequentes; prima: *Tametſi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ; hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.* Altera: *non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam. At non proindè*, ſubiungit P. Riccius, *Probabiliſtæ faciunt licitum per ſe, & merè ex electione quamcumq; probabilitatem: eſto omnis probabilitas facere poſſit licitum; at non omnibus, & pro omni caſu, ut patet ex prop. 3. ab Innocentio XI. damnata: Generatim &c. tibi proindè imputa, ſi exigua probabilitas videatur probabilitas maxima; & quod eſt probabile per accidens, videatur probabilis per ſe.* Hæc P. Riccius.

1264 Poſt hæc totus diffunditur in hoc capite Author iſte ad probandum, quod ſui Probabiliſtæ benè diſtinguant probabile, & licitum per ſe à probabili, & licito per accidens. Et ad hoc primò inducit Antonium Perez *tract. 1. de iuſtit. & iure diſp. 6. cap. 3. num. 40.* quaſi loquentem de probabili per ſe reſpectu iudicis, de quo concludit teneri ad iudicandum ſecundum id, quod ſibi videtur veriſimilius, & probabilius. Quam doctrinam dicit Riccius ſervandam eſſe à quocumque, & etiam in quacumque alia materia. Id quod probat ex ipſo Perez, quia ibidem idem Perez videtur ſententiam ſuam de iudice probare ratione quadam univerſali per huiuſmodi verba, videlicet: *Sæpiùs, & frequentiùs dices verum, ſi affirmas eſſe verum id, quod omnibus penſatis tibi videtur eſſe probabilius; quàm ſi dicas eſſe verum, id quod omnibus penſatis tibi videtur eſſe minùs probabile: Imo videtur eſſe valdè ſtultum dicere, verum eſſe id, quod omnibus penſatis, dicenti videtur eſſe minùs probabile.* Et confirmat etiam ex principiis ſuorum Probabiliſtarum dicentium, quod tunc opinio eſt probabilis, quando nititur motivo magni momenti, ex quo ſcilicet ſolvuntur rationes oppoſitæ; *nemo autem*, inquit, *ex ratione minùs validà, quamvis non manifeſtè falsà, ſolvit rationes oppoſitas validiores: ergo ratio minùs efficax, ſi oppoſita ſit efficacior, non conſtituit opinionem probabilem*, ſupple: per ſe; *quia non habet propriam notam motivi magni momenti: & idem proportionaliter dicendum de gravi authoritate; nam probabilitas extrinſeca fundatur, & reducitur ad intrinſecam; ergo ſi hæc non ſtet, neque ſtabit illa. Hæc de probabilitate per ſe; quamvis per accidens & ex circumſtantiis poſſint hæc non requiri, & tamen licite operamur ex modo dictis cum Valentia.*

1265 Et iterùm id ipſum confirmat ex eodem Perez *loc. cit. n. 51.* ubi expreſſe ad obiectionem contra ſe factam, qua dicebatur, quod omne probabile eſt veriſimile, ac propterea ſi iudex iudicaret iuxta ſententiam minùs probabilem, iam ſequeretur veriſimile. reſpondet quod probabile eſt utique veriſimile, ſed quando non conſtat de maiori probabilitate contraria, nam tunc maior probabilitas ſeu veriſimilitudo perimit minorem. Et licet poſt datam hanc reſponſionem ſibimet obiiciat, hoc ipſum contingere, ſi in aliis rebus velimus ſequi opiniones minùs probabiles: & huic obiectioni reſpondeat, non eſſe incommodum in aliis rebus plerumque errare, quando datur aliqua præponderãtia ex parte rei, cui favet opinio minus probabilis. *Poteſt enim*, inquit, *accidere, ut aliquoties attingere verum, ſit melius, quàm attingere ſæpè verum in re oppoſitâ*: & exemplum dat in ludo, dicens: *veluti ſi ludas cum multis, qui faciant ſponſionem unius iulii, ita ut victus ſolùm amittat unum iulium, & vincens lucretur aureum; ſi experiaris tuam eſſe fortunam, ut tertio quoq; ludo ſepè vincas, & vix vincaris; prudenter facies ludendo, quia lucrum unius ludi ſuperat iacturam duorum ludorum. Ita dicimus accidere, quandò licet ſequi opinionem minùs probabilem: Nam bonum illud rarius, quod poteſt afferre opinio minùs probabilis, eſt ſicut lucrum rarius, ſed pretioſius propoſiti exempli. In iudice autem alia eſt ratio, quia finis iudicis eſt attingere veritatem &c.* Hæc Perez, licet, inquam, ſic ſibi obiiciat; & reſpondeat, in aliis rebus non eſſe incommodum plerumque errare. Nihilominùs P. Riccius hanc reſponſionem explicat, non intelligendam eſſe in aliis rebus etiam ſpectantibus ad conſcientiam, ſed ſolùm in aliis humanis actibus. Quod

P.

P. Riccius facit; ut non videatur P. Perez ſolum in iudice velle obligationem iudicandi ſecundum id, quod videtur veriſimilius; & non in aliis agibilibus conſcientiæ, vult enim Riccius doctrinam illam intelligi univerſaliter pro quibuſcumque negotiis conſcientiæ; alioquin non probaret, quod omnes ſui Probabiliſtæ velint probabile ſeu licitum per ſe ſemper eſſe idem, quod probabilius.

1266 Poſt hæc iterùm, & prolixè probare nititur P. Riccius probabile per ſe illud eſſe, quod eſt probabilius: idque probat ex ipſa definitione probabilium, ſive data à Probabiliſtis ſuis, ſive etiam à Philoſopho, tum etiam ex conditionibus, & requiſitis ſupra ab ipſo recenſitis, & præſertim ex ſolutione argumentorum partis oppoſitæ, aliiſque rationibus. Atque inde inculcat Probabiliſtas ſuos per ſe ſtare pro probabilioritate, & idem eſſe per ipſos probabile, & licitum per ſe, quod probabilius: licet per accidens (ut cum v. g. non occurrunt principia partis probabilioris oppoſitæ) poſſit etiam minùs probabile eſſe probabile, & licitum, cui nimirum rationes efficaciores oppoſitæ non occurrunt, & ſimilia. Quibus tandem concludit numquam fuiſſe in Eccleſiâ factam mutationem ſententiæ a Probabiliſtis, ſed ſemper eamdem, unam, & uniformem doctrinam omnium extitiſſe. Et ſolum contentionem fuiſſe in determinando motivo magni momenti requiſito ad probabilitatem, quod Probabilioriſtæ, inquit, explicant per effectum, puta per iudicium inculpabile de veritate ſententiæ benignæ, ex quo prudenter iudices rem ita eſſe: Probabiliſtæ verò per ordinem ad alium effectum priùs præſtandum, puta ſolutionem contrariarum rationum, & ſimiles conditiones, quibus ſemper in idem tenditur per diverſa, ita ut pro utriſque tandem nihil poſſit contingere eſſe per ſe practicè probabile, niſi quòd ſit etiam probabilius, ut dictum eſt ſupra.

1267 Denique ſummatim hic repetit, & numerat, P. Riccius, ſex Canones, quos per ſex hæc capita hactenùs attulit ad formandam conſcientiam probabilem, qui ſi ſerventur; nullum, inquit, eſſe poteſt aut diſcordiæ à Probabilioriſtis, aut veſtigium laxitatis. Et indè infert doctrinam ſui R. Patris Thyrſi Præpoſiti Generalis eſſe re vera communiorem, & ferè unam, & unicam inter Doctores Societatis. Idque prætendit hoc dilemmate convincere: vel, inquit, Recentiores Probabiliſtæ ſibi ſuiſque principiis procedunt cohærenter; aut contrà incohærenter. Si coherenter; confirmant evidenter doctrinam noſtri Patris Generalis. Si incohærenter (quod non facilè crediderim) ſeipſos deſtruunt evidenter; nec ſunt audiendi, qui ſibi manifeſtè contradicunt. Et ulteriùs ait: *Communiſſimi ſunt hi Canones inter omnes noſtros Probabiliſtas, Teſte P. Antonio Terillo. Quod ſi eſſent hi Canones inter Probabiliſtas dubitabiles, & concederentur ab aliis, ab aliis negarentur; iam ſi Probabiliſtæ admitterent principia probabilitatis reflexa; directæ probabilitatis principia ignorarentur invincibiliter, quia de ipſis diſputaretur, hinc, indè, inter Doctores, ut patebit ſequenti diſſertatione.* Quaſi velit P. Riccius ex hac ignorantiâ, quam invincibilem vocat, manere tunc Probabiliſtis ſuis liberum docere ex vi probabilitatis reflexæ tantùm, licitum eſſe ſaltem per accidens quodcumque probabile directum, etiam ſi non ſint illi Canones ab ipſiſmet ſervati. Hæc P. Riccius in toto hoc ſuo ſexto capite.

Criſis doctrinæ præcedentis capitis adverſus eius Authorem.

1268 NOn longo diſcurſu quidem, aut multo opus eſt labore ad huiuſmodi præcedentis capitis doctrinam impugnandam, cum ſatis conſtet conſiderato viro, eam eſſe merum effugium ad declinandam manifeſtam diſcordiam inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas. In cuius ſignum eſt, quod etiam factà ſuppoſitione, quod inter ſe ſint ex diametro oppoſiti, quemadmodùm ſupponit Riccius de aliis Probabiliſtis, quos laxos appellat, & qui generatim volunt licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem probabilem, etiam ſpeculativam, tenuem, & dubiam, iuxta propoſitionem illam tertiam ab Innocentio XI. damnatam, adhùc hac unica diſtinctione de licito, & probabili per ſe, & de licito, ac probabili per accidens, poſsent cum ipſis Probabilioriſtis concordari. quid enim prohiberet dicere, quod propugnarent opinionum benignarum probabilitatem in tota ſuâ latitudine, & ſecundùm omnes gradualitates, & ſpecies contra Novatores, qui illam in tota ſua latitudine, & ſecundùm omnem gradualitatem, & ſpeciem, excludunt, iuxta *prop.* 2. *&* 3. damnatas ab Alexandro VIII. ut dicit P. Riccius de Probabiliſtis ſuis? non enim proindè facerent licitum per ſe quamlibet probabilitatem; ſed ſolùm dicerent, quod omnis probabilitas poſſit facere licitum ſive per ſe, ſive per accidens; eo ferè modo, quo nunc dicit de ſuis P. Riccius. Et nihilominùs eſſet manifeſtum effugium ad tegendam diſcordiam. Cur ergo non erit effugium Patri Riccio ad tegendam diſcordiam ſuorum? Inutilis profectò eſt doctrina, quæ æquè poteſt contrariis applicari. Oſtendat Riccius quare effugium eſſet volenti laxos illos cum Probabilioriſtis hac diſtinctione concordare, & non ſibi volenti ſuos cum illis componere? æquè laxones illi pro quacumque opinione probabili proclamant ſecundùm omnes gradualitates, & ſpecies; ſicut ſui Recentiores Probabiliſtæ, quod proprio jam ore fatetur Riccius: cur ergo fas erit ipſi ſuos interpretari, quod loquantur promiſcuè, ſed ſecundum debitam intelligentiam de probabili, & licito per ſe, vel per accidens, pro variis caſibus, & circum-

cumſtantiis; & non fas erit alteri alios ſic interpretari, ut ſuadeat pro ſuo beneplacito illorum concordiam quantumcumque in ſe falſam, & repugnantem? huc certè accedit illud Tullii à Riccio citatum, quod *nihil eſt tam incredibile, quod non poſſit aliqua probabilitate ſuaderi.*

1269 His tamen ponderationibus miſſis; ſiſtamus aliquantulùm in ipſamet doctrinâ Riccii, & expendamus an poſſit ſuſtineri. Dicit itaque primò hìc, Probabiliſtas ſuos benè diſtinguere inter probabile, & licitum per ſe, & probabile, & licitum per accidens. Sed hoc eadem facilitate, qua ipſe affirmat; poſſem ego negare. Neque enim ipſe aliquem refert ex ſuis, qui eiuſmodi diſtinctionem formaliſſimè, & ſub iiſdem terminis afferat: nec ſuus Gregorius de Valentia, neque Caramuel, neque Perez, quos pro ſe citat, talem diſtinctionem formaliſſimè inducunt, ut videre eſt in ipſorum textibus allegatis.

1270 Quod ſi dicat P. Riccius illam docuiſſe quoad ſubſtantiam, & in ſenſu, quantumvis non illi fuerint eâ diſtinctione ſub iis terminis de probabili, & licito per ſe, & de probabili, & licito per accidens; hoc ipſum enim ſonat, quod ait Valentia, nempè *quod ſufficit in caſu urgente ſi quis ſibi illud perſuadeat, quod attentâ capacitate ipſius, & rei conditione, iudicetur meritò potuiſſe illi videri verum, aut certè non temerè: Cum verò tempus ad cogitandum ſuppetit, maior diligentia adhibenda erit in delectu opinionis.* Quia iam quod ait ſufficere in caſu urgente, negat ſufficere cum tempus ſuppetit; ergo diſtinguit, & negat per ſe ſufficere, quod aliàs per accidens, & in caſu urgentiæ ſufficere concedit. Et ſimiliter cum Perez ait; quod licet omne probabile ſit veriſimile, quando non conſtat de maiori probabilitate contrariâ, non tamen manet veriſimile intellectui, cui conſtat de contrariâ probabilitate maiori. Hoc ipſo enim diſtinguit, & negat per ſe eſſe veriſimile, id quod aliàs veriſimile concedit per accidens reſpectu alicuius, cui maior probabilitas oppoſita non conſtat. Et idem eſt de Caramuele, qui allegat Ildephonſum aſſerentem quod in caſu urgentiæ illa parva ſufficiat probabilitas; quæ alioquin non ſufficit. Si, inquam, ſic dicat P. Riccius; nolo in hoc cum eo contendere. Sed velim quod ſaltem notet, & advertat mecum, illos longè diverſam à ſua loquelam tenuiſſe, & varium loquendi, ſeu ſignificandi modum, quidquid ſit de identitate rei ſignificatæ. Notet igitur benè Riccius, quod illi dum id licitum affirmant in caſu urgentiæ, quod aliàs licere negant; non appellant illud pro eo tunc probabile, excepto Ildephonſo, qui non eſt de ſuorum numero; ſed licitum dicunt excuſante à peccato ignorantia, ut conſtat ex verbis Valentiæ ibi: *Et ſanè cum caſus particularis urget, hoc eſt quandò ſtatim determinare oportet intellectum ad alterutram partem, ſæpè numero accidit, ut quis per ignorantiam, ſive incogitantiam invincibilem excuſetur à peccato, etiam ſi ad eam opinionem inclinet, quæ non eſt vera, aut etiam probabilis.* Ecce quomodo ad ignorantiam, ſeu incogitantiam invincibilem recurrit, non ad probabilitatem pro tunc, & per accidens, imò expreſſè negat iudicium illud, & opinionem illius eſſe veram, aut probabilem. Quod eſt manifeſtum ſignum, quod ipſi dedignantur iudicium illud denominare probabile, quoquo modo, ſive per ſe, ſive per accidens. Hoc autem benè adnotato, qua veriſimilitudine poterunt interpretari, quod cum pronunciant licitum eſſe ſequi quamlibet opinionem etiam minùs probabilem ſecundum omnem ſuam gradualitatem & ſpeciem, ſint intelligendi, quaſi in ſuo dicto comprehendant probabile per accidens, & in caſibus anguſtiæ quandoque contingentibus? Siquidem loquela ipſorum manifeſtos eos facit, quod loquantur abſolutè, & præciſis anguſtiarum circumſtantiis. Ergo interpretatio Patris Riccii ſuſtineri non poteſt.

1271 Et quidem ſi locum haberet hæc ſua interpretatio, oporteret concedere, quod ſub hac ſuâ doctrinâ de probabilitate comprehenderent etiam quemlibet errorem, & erroneum iudicium ſaltem pro ignorantium conditione quoquo modo excuſabile; quia attenta circumſtantia perſonarum, poſſet hoc modo dici per accidens probabile; quod tamen nemo, quem viderim, uſque modo pronunciavit. Excuſant utique omnes conſcientiam invincibiliter errantem; at nemo ſub titulo probabilitatis, benè tamen ignorantiæ invincibilis. Et Ildephonſus citatus à Caramuele apud Riccium, non de huiuſmodi probabili per accidens in ſua latitudine locutus fuit, ſed de ſententia, quæ ſupponitur per ſe probabilis, ſed in minori gradu quàm ſua oppoſita, & de illâ dicit, quod in occaſione promptè operandi, ubi maior notitia, & certior opinio haberi non poteſt, cenſeri debet probabilior poſſibilis illa parùm probabilis ſententia, utpotè quia probabilior, pro quâ ipſe militat, tunc eſt impoſſibilis haberi ab eo, qui in iis anguſtiis reperitur conſtitutus. Cæterum de hoc probabili per accidens in tantâ latitudine ſumpto, ut etiam ſe extendat ad quodlibet particulare iudicium, etiam erroneum, & ex ignorantia, quamvis fortè inculpabili, factum; & indignum, quod poſſit denominari opinio probabilis ſaltem ſpeculativè, nullus umquam mentionem fecit.

1272 Si verò reſtringatur à Riccio ad opinionem ſaltem ſpeculativè probabilem, & tenuem, ſeu dubiam, & in hoc ſenſu velit loqui Probabiliſtas ſuos, cum licitum eſſe pronunciant ſequi quamlibet opinionem probabilem in totâ ſuâ latitudine, & ſecundum omnes ſuas gradualitates, & ſpecies; & ſimul velit eos intelligi de licito, & probabili confuſè, hoc eſt ſive per ſe, ſive per accidens; non autem abſolutè, & ſemper per ſe: falſum ſupponit Ric-

cius, vel deficientes facit Probabiliſtas ſuos in ſua Doctrinâ: nam vel ſupponit Authores illius opinionis ſpeculativè probabilis, tenuis, vel dubiæ, ſuam opinionem ſuſtinere, ut probabilem in caſu aliquo repentino, & per accidens explicitè: vel ſolùm intra ſe, & implicitè. Si primum, conſtat id eſſe manifeſtè falſum, quia Authores illi abſolutè opinionem ſuam docent, & nemo dicit eam ſuſtineri poſſe in caſu ſolùm per accidens. Si ſecundùm: ergo tenebantur Recentiores Probabiliſtæ de tali, & ſimilibus propoſitionibus explicitè diſtinguere, dicendo eas licere tantùm in caſu, & per accidens, aliquando ſequi; & non aliter; quod cum numquam hoc fecerint, & promiſcuè dixerint licitum eſſe ſequi quamlibet opinionem in totâ latitudine, & ſecundum omnem generalitatem, & ſpeciem, diminuti fuerunt, & deficientes in doctrinâ ſuâ: & maximè cum primo aſpectu non videatur poſſe intelligi de huiuſmodi opinionibus, niſi abſolutè, prout abſolutè probabiles docentur ab Authoribus ſuis. At certè ſi Recentiores Probabiliſtæ conceptum huiuſmodi diſtinctionis interiùs habuiſſent, non ſine tali explicitâ diſtinctione pronunciaſſent, licitum eſſe ſequi quamlibet opinionem probabilem; conceptum enim ſermonem quis retinere poteſt? Ergo huiuſmodi interpretatio purum Commentum Patr. Riccii eſt ad tegendam diſcordiam ſuorum à Probabilioriſtis.

1273 Præterea ex doctrinâ ſui Antonii Perez, quem pro ſe P. Riccius citat, potiùs contra ipſum Riccium concluditur. Tum primò quia ibi Perez nec verbo, nec ſenſu ſimilem diſtinctionem de probabili per ſe, & per accidens, videtur amplecti; nam ibi loquitur de variis opinionibus abſolutè ſumptis, & invicem ſibi oppoſitis, quæ poſſunt Judici occurrere, quæ quidem opiniones ſunt ſuis Authoribus abſolutè probabiles, & præciſis omnibus circumſtantiis per accidens contingentibus, & de illis ait Perez procedere difficultatem; an ſcilicet Judex poſſit ſecundùm quamlibet iudicare; ut conſtat ex eius verbis ibi: *Difficultas autem maxima* (inquit) *noſtræ ſententia eſt, quando factum, & ius eſt ita controverſum, ut conſideratis omnibus, authoritate ſcilicet, & ratione, adhùc maneat res controverſa, & expoſita variis opinionibus, quia propter diverſas hominum diſpoſitiones, & inclinationes, alius affirmat, & alius negat, & neuter imprudenter facit. In hoc itaque caſu eſt maxima difficultas, utrum Judex, qui non ſolùm authoritate, ſed etiam ratione ducitur, ſequi debeat id, quod omnibus penſatis, ſibi probabilius videtur; & non poſſit in iudicando ſequi opinionem, quæ ipſi videtur minùs probabilis, ita ut non poſſit omnibus penſatis juxta captum ſui ingenii aliud dicere &c.* Ubi autem ſunt variæ, & oppoſitæ opiniones Authorum poſt benè conſideratas omnes rationes, et authoritates utrinſque partis, ibi non habet locum probabilitas per accidens, ſed ſola probabilitas per ſe, ut de ſe patet: poteſt tamen Judex de iis opinionibus benè ſecum conſideratis iudicare, quænam ſibi appareat probabilior, vel minùs probabilis, utique per ſe, & abſolutè, non autem per accidens. Et in tali caſu dicit Perez eſſe maximam difficultatem: quam tamen ipſe reſolvit, dicens teneri Judicem iudicare ſecundùm probabiliorem. Et ad obiectionem contra hanc ſuam reſolutionem, qua dicebatur, quod Iudex ſi reſolveret iuxta minus probabilem, adhùc benè reſolveret, quia iudicaret iuxta id, quod videretur adhùc veriſimile, cum omne probabile ſit veriſimile: reſpondet, quod probabile non manet veriſimile, quando conſtat de maiori probabilitate contrariâ, Iudex autem tenetur iudicare ſecundùm veritatem, quæ videtur magis eſſe in opinione probabiliore, & veriſimiliore.

1274 Sed hìc notandum eſt quod hanc doctrinam Perez non extendit extra Iudicem ad alios caſus, ut mox oſtendam, ſed ſolum ſiſtendo in caſu de Iudice ſententiam prolaturo. Undè videtur Perez limitare uſum probabilitatis minoris in caſu tantum, ubi agitur de damno tertii, ſicut ſolent nonnulli limitare. Tum etiam quia Perez non vult in aliis materiis teneri homines ad ſequelam opinionis probabilioris, ſed contentus eſt minùs probabili abſolutè, nihil aliud exigendo, ut mox paulò inferiùs oſtendam. Tunc autem peto à Riccio; num Perez in aliis materiis opinionem minùs probabilem credat manere practicè probabilem in concurſu probabilioris? vel ut eius propriâ phraſi utar, num credat minùs probabilem perimi à maiori probabilitate contraria? vel non perimi? ſi reſpondeat Riccius, quod Perez velit perimi, & non manere ampliùs practicè probabilem; ergo iam abſolutè (& non in caſu alicuius circumſtantiæ, ſeu per accidens) de opinione quoquo modo, & purè ſpeculativè, vel tenuiter probabili, & dubia, abſque ullâ diſtinctione docet licitum eſſe illam ſequi in aliis materiis. Patet hæc conſequentia, quia probabilitas practica iam perempta, nequit eſſe niſi probabilitas ad ſummum ſpeculativa, tenuis, atque dubia, iuxta doctrinam Riccii. Ergo Perez non diſtinguit, dum abſolutè dicit licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem in aliis materiis, & non meminit de caſu per accidens; ſed per ſe intendit id licitum eſſe. Si verò reſpondeat illum credere minùs probabilem in aliis materiis manere practicè probabilem, & non perimi à probabilitate maiori contrariâ, jam redit diſcordia inter Perez, & Probabilioriſtas, cum iſti velint eligendam eſſe probabiliorem; nec poterit diſcordia conciliari per diſtinctionem de per ſe, & per accidens, quia Perez abſolutè in aliis materiis dicit eſſe licitum ſequi minùs probabilem, & non in caſu aliquo per accidens; ac per conſequens abſolutè, & non

per

Digitized by Google

per accidens admittit licitum uſum probabilitatis ſecundùm omnes gradualitates. Ubi ergo eſt concordia illa, quam Riccius prætendit via huius diſtinctionis de probabili, & licito per ſe, & per accidens.

1275 Quod autem Perez in aliis materiis extra caſum Judicis velit abſolutè licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, quod in præſenti negat Riccius, manifeſtè oſtenditur ex ipſo Perez, qui ad inſtantiam, quam ſibi obiicit contra reſolutionem ſuam de debito judicandi, quod imponit Judici, ſecundum id, quod ſibi videtur veriſimilius, alioquin non judicaret ſecundùm veritatem, ſicut teneretur; qua dicebatur, idem inconveniens ſequi in aliis materiis, quod ſcilicet non judicaretur ſecundùm veritatem. Reſpondet abſolutè tale inconveniens in aliis materiis nihil importare per hæc formalia verba: *Reſpondeo in aliis rebus non eſſe incommodum plerumque errare, quando datur aliqua præponderantia ex parte rei, cui favet opinio minùs probabilis.* Et affert exemplum de ludo, ut vidimus ſupra in ſumma doctrinæ præſentis capitis. Quare manifeſtè approbat doctrinam de ſequenda minùs probabili in aliis materiis, & non habet pro inconvenienti in illis errare, ſicut habet in Judice; quia in aliis materiis, inquit, *datur aliqua præponderantia ex parte rei, cui favet opinio minùs probabilis*, quæ non datur in errore Judicis. Quænam autem ſit hæc præponderantia ex eius exemplo paulò poſt explicabo: pro modo ſatis ſit, quod ipſe abſolutè admittat in aliis materiis licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, quod negat in Judice.

1276 Nec valet quod dicit P. Riccius, quod Perez non loquatur in aliis materiis, ſeu rebus ſpectantibus ad conſcientiam, cum ait *in illis non eſſe incommodum plerumque errare.* Alioquin eius reſponſio eſſet omninò impertinens; quia obiectio de ſequelâ opinionis minùs probabilis in rebus ſpectantibus ad cōſcientiam loquebatur, & procedebat à paritate inconvenientis, quod æquè videbatur ſequi in aliis rebus, ac in ſententiâ dandâ à Judice etiam ſecundùm conſcientiam. Niſi enim obiectio hoc prætendiſſet, adhuc fuiſſet impertinēs. Ergo tam obiectio, quàm & reſponſio nonniſi de rebus ſpectantibus ad conſcientiam intelligi poſſunt: At quia Riccius nimis apertè vidit hanc Perez reſponſionem ſibi contradicere, tentavit ab eâ per fugam declinare, dicendo intelligendam eſſe in aliis rebus ad conſcientiam minimè ſpectantibus. Sed quis non videat fugam Riccii tàm manifeſtam? Credidit ab exemplo, quod affert Perez de ludo, poſſe quodammodo huiuſmodi ſuam fugam occultari, ſed non potuit. Parùm enim refert, ſi exēplum non ſit relativè ad conſcientiam adductum, quia inter exemplum, & exemplatum non oportet, quod ſit omnis proportio, ſed ſatis eſt quod ea ſola proportio currat, quæ ſufficit ad intentionem exemplificantis; Perez autem non aliud voluit ſuo exemplo ludi, niſi exponere quamdam præponderantiam ex parte rei, cui favet opinio minùs probabilis, ſicut reperitur in ludo ex parte ludentis, cui favet fortuna: cæterum non quia in exemplo de ludo non habetur relatio ad conſcientiam, in exemplato de ſequela minus probabilis dici poteſt non haberi relationem ad conſcientiam; alioquin, ut dixi, impertinens fuiſſet reſponſio ad obiectionem.

1277 Quænam autem ſit præponderantia iſta ex parte rei, cum favet opinio minùs probabilis in aliis rebus, extra negotium Judicis, exponit Perez exemplo ludi, dicens: *Veluti ſi ludas cum multis Adverſariis, qui in ſingulis ludis faciant ſponſionem unius Julii, ita ut victus amittat unum Julium, & Vincens lucretur aureum; ſi experiaris tuam eſſe fortunam, ut tertio quoque ludo ſæpè vincas, & vix vincaris, prudenter facies ludendo, quia lucrum unius ludi ſuperat jacturam duorum ludorum. Ita dicimus accidere, quando licet ſequi opinionem minùs probabilem. Nam bonum illud rarius, quod poteſt afferre opinio minùs probabilis, eſt ſicut lucrum rarius, ſed pretioſius propoſiti exempli. In Judice alia eſt ratio, quia finis Judicis eſt attingere veritatem.* Eſt igitur id quod præponderat in aliis rebus tamquàm bonum pretioſius, juxta dictum huius Authoris, poſſeſſio libertatis, pro qua utique facit opinio minus probabilis, ſupponit enim in aliis rebus, ubi lex addubitatur, poſſeſſionem ſtare pro libertate, ac per conſequens legem non obligare, & prudenter poſſe quemlibet tunc liberè agere, etiamſi contingat plerumque errare, quia nullum tunc incommodum ſequitur neque agenti, neque tertio: non ſic autem in Judice, qui ſi errat, damnum infert tertio. Et in hoc conformatur multis aliis Probabiliſtis, qui probabilitatem limitant, ut non ſit licitum eam ſequi, ubi agitur de damno tertii. Hic eſt ſenſus citati Perez, quem placuit hìc explicare, ut magis appareat, quod verè concedat in aliis rebus etiam ſpectantibus ad conſcientiam licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem; & malè Riccium id negare, ut violenter illum conciliet cum Probabilioriſtis.

1278 Sed quidquid ſit de Perez, id ſemper veriſſimum eſt, quod ſæpè diximus ex ipſomet Riccio jam confeſſo, quod in hoc Probabiliſtæ à Probabilioriſtis diſcriminantur, quod illi concedant opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris retinere ſuam practicam probabilitatem, & non perimi a Probabiliore. Ergo veriſſimum quoque eſſe debet, quod abſolutè doceant de probabilitate, & 1.ō in caſu per accidens, licitum eſſe illam ſequi, ſaltem quoad omnes eius gradualitates; quod tamen negant Probabilioriſtæ. Non ergo poſſunt illi cum iſtis concordari, neque via huius

diſtin-

diſtinctionis de licito per ſe, & per accidens; niſi vel ipſemet Riccius ſibi contradicat, & neget unicum illud diſcrimen, quod ingenuè prius confeſſus fuerat: ſicut de facto negat, ſibimet inconſtans, & varius: ſed proprium hoc eſt omnium effugia quærentium, qui firmi ſtare loco nequeunt, ne facilè deprehendantur.

1279 Atque hinc patet quàm fruſtraneè conetur vigore huius commentitiæ diſtinctionis de licito, & probabili per ſe, & per accidens, defendere Probabiliſtas ſuos, cum dicunt, licitum eſſe ſequi quamlibet opinionem probabilem in totâ ſuâ latitudine, & ſecundum omnem ſuam gradualitatem, & ſpeciem: nam adhuc admiſſa diſtinctione illâ, conſtat ex dictis, illos abſolute, & per ſe ſaltem quoad gradualitates maioris, vel minoris probabilitatis fuiſſe locutos. Et multò magis conſtat in vacuum laboraſſe ad ſuadendum quod Probabiliſtæ ſui loquentes de probabili, & licito per ſe, idem intellexerint, quod probabilius; & tru ltra conditiones illas repetit, & Canones probabilitatis practicæ, quos nonniſi violenter extorquet a Probabiliſtis ſuis, ut hactenùs oſtenſum eſt, illis manifeſtè reſiſtentibus, & recalcitrantibus in doctrinis ſuis. Nec oportet iterum ad eos aliquid reſpondere, & cum cruce lectoris impugnationes noſtras iterare, cum ſatis ad ſingulos huiuſmodi Canones in ſingulis præcedentibus capitibus, dictum ſit, ac demonſtratum paſſim contradictiones involuere. Ex quibus tandem liquidò concluſum manet nullam prorsùs eſſe eorum cum Probabilioriſtis concordiam, ſed diſcrepantiam maximam, atque ſummam diſcordiam, pro quanto pertinet ad probabilitatem directam, de qua in hac tota prima ſua diſſertatione locutus eſt P. Riccius.

CAPUT XIV.

De altero principio eiuſdem P.Riccii ad ſuam prætenſam concordiam firmandam.

§. I.

Proponitur intentio huius Authoris in hac ſecundâ ſua diſſertatione, & dum eius aſſumptum refertur, ſimul de contradictione redarguitur.

1280 IN poſteriori diſſertatione agit Author iſte de Probabilitate reflexâ, ſeu de reflexo dictamine, cui adeò confidunt Recentiores Probabiliſtæ; & in eo contendit ſummoperè concordare Probabiliſtas ſuos cum Probabilioriſtis, ut ſic totaliter uniformem eorum doctrinam concludat in deſignandâ regulâ honeſtatis in materiâ opinativâ.

1281 Et primò præmittit notionem probabilitatis reflexæ, dicens eam valdè diverſam eſſe à directâ probabilitate tùm extrinſecâ, tùm intrinſecâ, quæ ſcilicet fundata eſt in Authoritate Doctorum, vel in Ratione magni momenti, ut dictũ eſt in præcedenti diſſertatione: nam non in iiſdẽ principiis fundatur, ſed diverſis; nec eumdem effectum, ſed longè diverſum habet, quantùm diverſa eſt probabilitas ab evidentia. Reflexa enim ex principiis ſuis evidenter concludit; directa verò ſolùm probabiliter. Quod totum ſic exponit. Suppoſito (inquit) Doctorum diſſidio in aliqua particulari quæſtione de licito, quod quidem diſſidium fundari poteſt tùm in Ratione, tùm in authoritate; ſtatim reſultant novæ rationes, & principia, quæ evidenter videntur concludere ignorantiam invincibilem legis, de qua directè eſt inter Doctores diſſidium, ſeu non ſufficientem illius promulgationem, ac proindè libertatem in operante ad partem quamlibet eligendam; quam quidem evidentiam non evincerant rationes directæ, neque directa Doctorum authoritas. Quare probabilitas directa, & reflexa, ſunt duo genera probabilitatis valdè diverſa, quæ niſi benè diſtinguantur, Probabiliſtarum doctrina (inquit P. Riccius) non tenetur. Reflexa enim per ſua principia concludit de lege, quod invincibiliter ignoretur, ſeu quod non ſit ſufficienter promulgata; & indè de operante, quod maneat liber ab obligatione illius: directa verò non ſic, ſed ſolùm concludit de aliquo actu probabiliter, quod ſit, vel non ſit licitus; non autem evidenter.

1282 Poſt traditam hanc notitiam huiuſmodi duorum generum probabilitatis, refert eorum falſam (ut ipſe cenſet) exiſtimationem, qui pro certo habent Recentiores Probabiliſtas a Probabilioriſtis diſcrepare, atque ſimul moralem corrumpere diſciplinam: & quaſi admirans firmam illorum credulitatem, & curtam firmiter id credant, percurrit eorum motiva, & fundamenta, ut tandem vana illa eſſe concludat. Undè ſic ait: *Quamplures tàm certum putant, Recentiores Probabiliſtas relaxare diſciplinam, & à Probabilioriſtis toto cælo diſcordare; quàm certò credimus omnes, totum eſſe maius ſua parte; nec poſſe idem ſimul eſſe, & nõ eſſe. Sed unde illis tam certa perſuaſio? quia (inquiũt) evidenter conſtat apud omnes Recentiores Probabiliſtas, hanc propoſitionem, puta: licitum eſt cuique ſequi opinionem minus tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliori; eſſe veriſſimam, & omninò indubitatam: à qua tamen omnes Probabilioriſtæ abhorrent quàm maximè.*

1283 *Conſtat pariter, inquiunt* (proſequitur Riccius) *evidenter Recentiores Probabiliſtas velle ſibi victoriam vindicare, & quidem duplici ex capite, maxima ſcilicet authoritate; & evidenti, ut aiunt, ratione. At illis utramque partem inficiantur Probabilioriſtæ. Ergo evidenter conſtat has duas ſcholas diſſidere. Maxima authoritas eſt ducentorum ferè Doctorum præſertim ſæculi proximè ſuperioris,*

qui

qui pro uſu licito ſententiæ minùs tutæ, minùſque probabilis, relictâ probabiliore, & tutiore, citantur à Terillo, Moya &c. Ratio deindè eſt tanti ponderis, ut evidentia vocetur reflexa, quæ ſic proponitur: nulla lex, neque divina, neque humana, quemquam obligat, niſi priùs fuerit lata, & ſufficienter intimata. Sed nulla lex, quam complures Viri docti poſt diuturnos, & aſſiduos labores in illâ inquirendâ negant eſſe latam, eſt lata, aut ſaltem ſufficienter intimata. Ergo lex illa nullum obligat, &c. Hinc inferunt Probabiliſtæ evidenter conſtare licitum eſſe uſũ ſententiæ minùs tutæ, minuſq; probabilis, relictâ tutiore, & probabiliore oppoſitâ, etiam evidenter cognitâ ut probabiliore; quia quamvis altera ſit minùs probabilis, ſi ſolùm conſiderentur principia intrinſeca, ex quibus deducitur; at ſi conſiderentur hæc extrinſeca principia modò dicta, ut his principiis innixa eſt probabiliſſima, & moraliter certa, atq; adeò certiſſima. Addunt quoque poſſe me licitè ſequi ſententiam minùs tutam, minùſque probabilem, quam inſpectis principiis intrinſecis judico omninò eſſe falſam, poſſe me, inquam, licitè juxta illam operari, vi, & virtute huius extrinſeci principii reflexi omninò certi, & lumine naturæ noti: lex non obligat, niſi fuerit ſufficienter intimata; nec eſt ſufficienter intimata ſi diſputent hinc indè Viri docti, utrum extet hæc lex. Ergo quouſque hinc indè diſputatur à Doctoribus, nemo ab illa lege conſtringitur. Ergo quiſque remanet cum ſuâ libertate, ergo utramlibet partem ſequatur, non peccat. At neque hæc doctrina de principiis extrinſecis, ſeu reflexis, neque longus ille ducentorum Doctorum ſyllabus probatur Probabilioriſtis: nam doctrinam hanc de principiis extrinſecis dicunt eſſe omninò falſam, & ſyllabum illum eſſe malè contextum, partim ex his Doctoribus, qui expreſsè docent oppoſitũ, partim ex his, qui pro utraque parte citantur, partim ex his, qui uſum licitum minùs tutæ, minuſque probabilis retractarunt, & partim qui quæſtionem hanc, ut nunc agitur, ne noverunt quidem. Et etiam ſi benè omnes citentur, nihil ad rem, & punctum difficultatis, quin potiùs meritò omnes citari poſſẽt pro parte intrinſecè, & directè probabiliore tenendâ, attentâ cohærentiâ doctrinæ ex adæquatâ partium diviſione. Ergo conſtat, aiunt, evidenter Probabiliſtas à Probabilioriſtis diſcordare. Sic Riccius percurrit motiva, cur quamplures pro certo credant toto cœlo diſſidere Probabiliſtas à Probabilioriſtis, & moralem diſciplinam relaxare.

1284 Verùmtamen hæc omnia motiva eludit brevi hac unicâ reſponſione; videlicet, quod quantumvis certum ſit doctrinam hanc de principiis reflexis, ſeu extrinſecis hactenùs recenſitis, a Probabilioriſtis non approbari; falſò tamen ſupponitur approbari à ſuis Recentioribus Probabiliſtis; atque ideò in hoc falſo ſuppoſito decepti, crediderunt quamplures, quod Recentiores Probabiliſtæ toto cœlo diſcrepent à Probabilioriſtis. Quaſi velit dicere: ſi probabilitas reflexa eiuſque principia defenderentur re verâ à Probabiliſtis; ſicut iſti Doctores pro certo ſupponunt, utique certum foret, illos diſſidere a Probabilioriſtis; quia conſtat Probabilioriſtas ſe opponere dictæ probabilitati reflexæ, eiuſque principiis. At hoc, inquit Riccius, falſum eſt; non enim eſt certum, ſed valdè dubium, quod probabilitas reflexa, & eius principia placeant Probabiliſtis Recentioribus. Undè ergo quamplures illi pro certo credunt iſtos ab illis diſcordare? Oporteret prius oſtendere Probabiliſtas certò tenere doctrinam probabilitatis reflexæ, & non hoc ſupponere: ſicut certò apparet illam reiici à Probabilioriſtis. Contendit itaque Riccius in præſenti Probabiliſtas ſuos doctrinam reflexæ probabilitatis non admittere re verà, ſicut neque illam admittunt Probabilioriſtæ, ac per conſequens eos omninò convenire. Sed quia non poteſt Riccius omninò negare doctrinam probabilitatis reflexæ afferri a Probabiliſtis ſuis, quia iſti nimis manifeſtè illam docent; ideò dicit, ea quæ ad probabilitatem reflexam pertinent, fuiſſe à Probabiliſtis ſuis ingenioſe potiùs, quàm verè dicta: cæterum re vera illa non approbant. Specioſa induſtria! Audi, lector, eius verba poſt motiva credulitatis illorum recenſita: *Equidem ad hæc omnia perbreviſſimè. Nulli dubium eſſe poteſt, neque doctrinam hanc de principiis extrinſecis ſeu reflexis; neque longum illum Doctorum ſyllabum, qui pro benignâ ſententiâ citantur, Probabilioriſtis probari. Sed valdè dubium eſt, nùm ipſis etiam Probabiliſtis Recentioribus hæc probentur. Nam ſi ne ipſis quidem hæc ſatisfaciant, ſed videantur ingenioſè potius, quàm verè dicta: non erit cur dicantur diſſidere à Probabilioriſtis, aut diſciplinam relaxare, quod erit præcipuum huius ſecundæ diſſertationis argumentum.*

1285 Itaque vult Riccius Probabiliſtas ſuos ea acutè potiùs, quàm verè dixiſſe. At quis non videat apertiſſimè hanc fugam eſſe, ut a manifeſta ſuorum diſcordia, & oppoſitione cum Probabilioriſtis declinaret? Dicta utique à ſuis ea minimè diffitetur, quia in eorum libris apparent meridiana luce clariora; ſed acutè potiùs dicta, quàm verè, comminiſcitur, ne contra ipſum retorqueantur, & videatur ſine ullo effugio confuſus. Sed velit, nolit, non effugiet confuſionem ſuam; nam ſi acutè potiùs, quàm verè, ea dixerunt; ergo ad oſtentationem ingenii, non ad ſuadendam veritatem ea locuti ſunt; vel veriùs, inanem, & falſam doctrinam effutierunt, ut proprii ingenii acumen oſtenderent, & commendarent: at quæ fides huiuſmodi conditionis hominibus habenda eſt, qui ſui oſtentationem affectant magis in doctrinis ſuis, quàm veritatem? Sunt ne

 tales,

tales, qui non plus nimio indulgent humanis ſpeculationibus, & ſubtilitatibus, ut fusè de eis conatus fuit oſtendere P. Riccius ſupra *cap.* 4. præcedentis diſſertationis? cur non ubique, & in omnibus doctrinis ſuis, idipſum timendum ſit? Reſpondeat Riccius. An fortè reſpondebit: acutè quidem potiùs ea dixiſſe, quã verè, ſed ſemper tamen ad ſuadendam veritatem: acumen eorum minùs verum in mediis ſiſtebat; at in fine relucebat veritas? Indigna quippè erit reſponſio hæc; neque enim fas eſt veritatem ſophiſmatibus, falſisque argumentis confirmare: non emendicat veritas à falſitate lumen, cum ipſa in ſemetipſa lumen ſit; & falſitates ab oppoſito ſint tenebræ, de quibus ſcriptum eſt, quod *Tenebræ eam* (nempè lucem) *non comprehenderunt. Joann.* 1. Ut quid ergo adeò doctrinam de judicio reflexo, ſeu de reflexâ probabilitate magnificant, ſi eam re verà non probant, quin potiùs reiiciunt?

1286 Sed ut verum fatear, non dixit Riccius Probabiliſtas ſuos doctrinam illam reiicere; ſed valdè dubium eſſe, ſi eam probent, ut videre eſt apud ipſum ſupra allegatum; & ideò ſubiunxit, non affirmanter, ſed conditionatè ſic: *Si ne ipſis quidem hæc ſatisfaciant, ſed videantur ingenioſè potiùs, quàm verè dicta, non erit cur dicantur diſſidere à Probabilioriſtis, & diſciplinam relaxare.* Nihilominùs tamen niſi hoc affirmanter dicat, nihil dicit: nam ſi valdè dubium eſt, an eam doctrinam probẽt, jam quoque valdè dubiũ erit, an diſcrepent à Probabilioriſtis, à quibus certum eſt nõ probari: cur igitur ipſe affirmanter, & certò dicit cõvenire? Illos redarguẽdos putat, qui certò cenſent Probabiliſtas Recentiores à Probabilioriſtis diſſidere: ſed quare? quia, inquit, non eſt certũ, ſed valdè dubium, quod Probabiliſtæ eam doctrinã de probabilitate reflexâ probent, & admittant. Cur ergo & ipſe ex hac eadẽ cauſâ non eſt reprehenſione dignus, quod velit certò illos convenire? Unde ipſi accedit tàm certa perſuaſio? Et ſi nec ſibi hoc certò perſuadet, cur dicit affirmanter, & certò illos convenire? quod ſi neque hoc affirmanter dicat, & pro certo habeat, profectò nihil dicit ad intentum ſuæ prætenſæ concordiæ, ſed in incertum currit, quaſi aerem verberans: Ipſe verò quod valdè dubium dicit, certum ſimul dicit, ut oſtendam; & certum putare tenetur, ſi velit pro certo ſuadere eos convenire Neque enim aliud eſt huius ſuæ poſterioris diſſertationis argumentum, quod demonſtrandum aſſumit, ut vidimus in poſtremis ipſius verbis ſupra relatis, dum ait: *Si ne ipſis quidem hæc ſatisfaciant, ſed videantur ingenioſè potiùs, quàm verè dicta; non erit cur dicantur diſſidere à Probabilioriſtis, aut diſciplinam relaxare, quod erit præcipuum huius ſecundæ diſſertationis argumentum.* Id quod fusè, & per octo diſtincta capita proſequitur. Quorum doctrinam ſummatim referemus, & impugnabimus eadem ferè methodo, ut fecimus in priori diſſertatione. Unde ſit.

§. II.

Summa doctrinæ eiuſdem Authoris in primo capite poſterioris diſſertationis.

1287 IN primo hoc capite quærit Author iſte, num Probabiliſtæ Recentiores in dubio ſuſpenſivo agnoſcant omnes hæc extrinſeca, ſeu reflexa principia? Et reſolvit partem negativam. Eam probat ex ſuo P. Andrea Mendo, qui inquirens; an quis teneatur fateri peccata dubia; refert pro utraque parte Doctores; ipſe verò tuetur partem affirmativam, ex vi illius regulæ iuris: *In dubiis tutior pars eſt eligenda.* Et ad contrarios Doctores, qui ad principia reflexa recurrentes, aiebant nullam omninò eſſe obligationem confitendi peccata dubia dubio ſuſpenſivo, ſic reſpondet: *Hæc omnia etſi acutè excogitata, me neutiquàm convincunt.* & paucis interpoſitis ad probandum concluſionem ſuam ex illa regula iuris; ſubdit: *Et quidem argumenta Adverſariorum* (quæ erant principia propria illa reflexa) *multùm probant, atque adeò nihil: probant namque hoc axioma, in dubiis tutior pars eſt eligenda, numquàm eſſe verum, nec vim habere, nec in dubio facti; quodcumque ſit ius, & factum; ut perpendenti doctrinam, quam tradunt, conſtabit.* Et doctrina, quam tradunt, inquit Riccius, eſt de principiis extrinſecis, ſeu reflexis, de ignorantia invincibili nata ex diverſitate opinionum, de legis non ſufficienti intimatione, & de poſſeſſione libertatis. Ex quo infert idem P. Riccius: *Ergo inter ipſos Recentiores Probabiliſtas valdè dubium eſt, & incertum, quando hæc principia concludant; & in dubio ſuſpenſivo quidem alii docent, quod concludant, alii verò quod illudant. Rursùs: poſito quod non concludant in dubio ſuſpenſivo, incertum eſt apud eoſdem, & valdè litigioſum, utrum concludant in dubio probabili, ſeu opinativo; & alii aiunt, alii negant* (dicit idem Riccius) *ergo vel inter ipſos Probabiliſtas hæc reflexa evidentia reſolvitur in evidentem incertitudinem, & dubietatem.*

1288 Quod iterum confirmat ex Mendo, qui poſt ſtabilitam obligationem confitendi peccata dubia ex illo Axiomate, in dubiis tutior pars eſt eligenda: ſubdit, quod aliqui hoc axioma alio axiomate elidere voluerunt, nempe quod *in dubio melior eſt conditio poſſidentis* (quod eſt unum de principiis reflexis) ſed ipſe illud reiicit, dicens, quod tale axioma ſolùm locum habet in materia juſtitiæ. Ex quo iterum infert Riccius, quod principia reflexa non ſolùm non ſunt certa apud Recentiores Probabiliſtas, ſed valdè dubia; & ſi aliqui illa admittunt ut vera, multò plures ea negant ut omninò falſa: neque id ſolùm cum ſumus in du-

dubiò ſuſpenſivo de peccato commiſſo, ſed etiã cum dubii ſumus de voto, aut de juramento emiſſo. Quod probat ex Azorio, quem ibi allegat. Et inde eamdem repetit conſequentiam dicens: *Ergo evidens eſt evidentia facti principia illa reflexa in dubio ſuſpenſivo ita ab aliquibus Probabiliſtis admitti, ut tamen negentur à multis aliis etiam Probabiliſtis. Ergo principia illa in dubio ſuſpenſivo evidens eſt quod nullam faciant evidentiam: imò juxta ipſorum principiorum doctrinam* (inquit) *invincibiliter ignoratur, num ipſa rectè concludant in hac materià de dubio ſuſpenſivo, quia de hoc Doctores diſputant, & alii negant, imò docent quod probent pluſquam intendunt.*

1289 *Et quoniam Doctores* (proſequitur Riccius) *qui his principiis innixi, docent ſtandum eſſe pro libertate in dubio ſuſpenſivo, docent etiam hæc eadem principia reflexa, aut habere locum in dubio ſuſpenſivo, aut potiori jure locum non habere in dubio opinativo, ut refert Mendo loco allegato; quia inquiunt, in dubio opinativo habes pro te rationem, quam non habes in ſuſpenſivo.* (Idem argumentum retorquens Riccius, ſubſumit ex adverſo ſic) *at in opinativo habes etiam rationem contra te, & fortaſsè validiorem, quam non habes in ſuſpenſivo. In uno nec pro te, nec contra; in altero pro, & contra. Ergo dicendum erit pariter ignorari invincibiliter, num hæc reflexa principia concludant in dubio probabili ſeù opinativo, de quo mox directè quæremus in capite ſequenti. Nam diſputant Doctores nùm concludant in dubio opinativo, ſi non concludunt in ſuſpẽſivo, & hic etiam alii aiunt, alii negant.* Hæc Riccius.

1290 Et hinc concludit, quod *ducenti illi Doctores, qui dicuntur aſſerere licitum eſſe ſequi partem minùs tutam, minùſque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore, etiamſi minus tuta minùſque probabilis credatur falſa, non ſunt intelligendi id aſſerere in dubio ſuſpenſivo; neque in hoc dubio locum habent extrinſeca illa principia, & evidentia illa, quã vocant reflexam. Idque ex ipſorum Probabiliſtarum doctrinâ. Quod ſi ponantur etiam in dubio ſuſpenſivo habere locum, ſequitur errare evidenter eos, qui docent in hoc dubio ſequendam eſſe partem tutiorem, ut ſunt ferè omnes Probabiliſtæ Recentiores. Quod ſi evidenter errarẽt, malè deindè in illo indice citarẽtur, quia nullius eſſent authoritatis. Et rursùs ſi ponantur* (inquit idem Riccius) *in dubio ſuſpenſivo non valere: contra etiam eſt; quia ex vi formæ valere deberent; quia diſputant hinc, & indè Doctores. Legem enim ſufficienter intimatam non ignorant multi Viri pii, prudentes, & docti poſt diligentiſſimas, & diuturnas inquiſitiones: ſed legem de confitendo peccato, de implendo voto, aut juramento ſuſpenſivè dubio, ignorant multi Viri pii, prudentes, & docti, poſt longas, & plurium annorum diſputationes, nàm de facto illam negant. Ergo hæc non eſt ſufficienter intimata. Ergo nullum obligat. Quod ſi iſtis opponas regulam illam: in dubiis tutior pars eſt eligenda. Dicent regulam illam eſſe directivam, non præceptivam; & ad conſilium pertinere, non ad præceptum; ut dicunt multi, cum eadem regula aſſeratur in dubio opinativo.*

1291 *Et idem dicat* (dicit Riccius) *de illo alio principio: qui ſequitur Viros pios prudentes, & Doctos, prudenter, & licitè operatur. Sed qui non confitetur peccatum ſuſpenſivè dubium, ſequitur Viros pios, prudentes, & Doctos. Ergo prudenter, ac licitè operatur.*

1292 Ex quibus patet, quod P. Riccius quaſi per evidentiam facti his ſuis argumentis intendit oſtendere principia illa reflexa hinc indè dici poſſe concludere, & non concludere; ac valere, & non valere in dubio ſuſpenſivo ex eadem doctrinâ Probabiliſtarum: ac propterea evidentiam reflexam reſolvi in certitudinem, & dubietatem, ſaltem in dubio ſuſpenſivo, de quo in præſenti quærit. Unde ad argumenta poſtremò facta pro illorum valore reſpondet dicens: *Ne igitur omnia ruant, dicendum eſt, quod eſto concedatur, invincibiliter ignorari aliquam legem particularem immediatam, & directam, puta de confitendo peccato, de implendo voto aut juramento ſuſpenſivè dubio; nõ tamen invincibiliter ignoratur lex illa univerſalis, quæ docet, quid ſtante hoc dubio ſuſpenſivo ſit faciendum, puta: in dubiis tutior pars eſt eligenda. Dixi, eſto, concedatur, nam ſuo loco videbimus, num ſit concedendum, & quid juxta Probabiliſtarum doctrinam ſit dicendum.* Hæc Riccius.

1293 Denique compendiosè epilogando argumentorum ſuorum vim, & efficaciam, ſic arguit: *Pone igitur hoc principium: dum Doctores hinc indè diſputant res ignoratur invincibiliter: nunc ſic: ſed Doctores etiam Probabiliſtæ hinc indè diſputant, num hæc reflexa principia concludant: & rursùs hinc inde diſputant, num poſito quod non concludant in dubio ſuſpenſivo, concludant tamen in opinativo, quocumque ergo invincibiliter ignoratur, num concludant. Quo pacto igitur dicuntur concludere evidenter? Bene igitur docet Mendo: hæc ut ut acute excogitata non convincere, ſed probare pluſquàm intendant. Ergo nihil probant, ſed deſtruunt ſeipſa. Nec ducenti illi Doctores ſtant pro parte minùs tutà minùſque probabili in dubio ſuſpenſivo, ſed potiùs pro tutiori. Ergo hæc reflexa principia neque ſunt inter noſtros Probabiliſtas communia, neque vera.* Hæc P. Riccius.

Criſis præcedentis doctrinæ adverſus eius Authorem.

1294 SI benè relatam uſque modò doctrinam lector expendas, profectò non inve-

invenies, quid pro ſe, quidvè ad intentum ſuum concludat Author iſte. Intendit namque ſuorum Probabiliſtarum cum Probabilioriſtis ſummam concordiam ſtabilire; & promit palàm diſcordiam. Probat omni conatu valdè dubium eſſe apud ipſos Probabiliſtas, nùm principia reflexa concludant, & valeant in dubio ſuſpenſivo, imò & an ſaltem in dubio probabili. Sed undè id probat? quia, inquit, hinc indè diſputant Doctores etiam Probabiliſtæ: & alii aiunt; alii negant: alii docent, quod concludant etiam in dubio ſuſpenſivo; alii quod illudant. Et ſi aliqui illa admittant ut vera; multò plures ea negant ut omninò falſa, & ſimilia huiuſmodi, quæ per totum eius diſcurſum dicta, atque ſæpiùs repetita videntur. Probat ſpecialiter ex Mendo, & Azorio, qui videntur ea reiicere in dubio ſuſpenſivo; & quia Pater Mendo de illis ait, quod ſint acutè excogitata, ſed neutiquàm convincant. Et indè infert evidens eſſe evidentia facti, principia illa reflexa in dubio illo ſuſpenſivo ità ab aliquibus Probabiliſtis admitti, ut tamen negentur à multis aliis etiam Probabiliſtis. Et denique concludit in ſe, & abſolutè evidens eſſe, quod principia illa in dubio ſaltem ſuſpenſivo nullam faciant evidentiam. Idque confirmat ex Doctrinâ ipſorum Probabiliſtarum, eo quod juxta ſua principia, id circa quod Doctores hinc indè diſputant, invincibiliter ignoratur: cum ergo hinc inde Probabiliſtæ diſputent, num principia reflexa in dubio ſuſpenſivo concludant, nec nè; jam invincibiliter ignorantur, ſi concludant; ac per conſequens non evidenter concludunt, nec facere poſſunt evidentiam illam reflexam, quam aliqui dicunt.

1295 At hæc omnia, & ſimilia diſcordiam potiùs oſtendunt ſuorum Probabiliſtarum, nedùm à Probabilioriſtis, ſed etiam inter ipſos. Nam ſi alii aiunt, alii negant, ut ipſemet Riccius fatetur; ſi alii docent, quod principia reflexa concludant etiam in dubio ſuſpenſivo, alii verò dicunt, quod illudant; & ſi denique aliqui illa admittunt ut vera, multò tamen plures ea negant ut omninò falſa: jam nec inter ſe conveniunt, nec omnes cum Probabilioriſtis, qui certiſſimè illa negant, ut idem Riccius fatetur, concordare poſſunt. Ubi ergo eſt ſumma illa doctrinæ uniformitas? ubi illa concordia ſumma cum Probabilioriſtis? jam ex ore proprio judicatur. Quid refert unum, vel alterum adducere ex ſuis, qui principia hæc reflexa inficietur? Imò ſi & multò plures ea negent, quàm admittant? Satis eſt nobis, quod multi ex ſuis Probabiliſtis eam doctrinam pro verâ habeant, & quod acriter evidentiam hujuſmodi reflexam ſuſtineant, atque magnificent; ut meritò poſſimus, & citra calumniam contra Probabiliſtas ſuos proclamare, eoſque de laxitate redarguere, dum vigore reflexæ probabilitatis prædicant tutò poſſe quemlibet ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore. Quia ad juſtas huiuſmodi proclamationes ſatis eſt, quod multi eiuſmodi doctrinam de evidentiâ reflexâ doceant ex Probabiliſtis Recentioribus, in iſtos enim ſiunt proclamationes illæ; & veræ ſunt, non falſæ accuſationes, ut dicit P. Riccius; nec fingunt hoſtem, quem feriant, qui in eos proclamant; ſi ſemel verum ſit quod talem doctrinam teneant, ut ore proprio verum eſſe jàm hic fatetur Riccius; ſicut & de iſtis etiam veriſſimum eſt, quod toto cœlo diſcrepent à Probabilioriſtis; non enim de omnibus loquitur, qui proclamant, ſed de illis tantùm, qui ita docent contra Probabilioriſtas. Nam qui id negant, & Probabilioriſtis accedunt, jam non Probabiliſtæ dicuntur, ſed Probabilioriſtæ. Fateor tamen quod P. Riccius multos Probabiliſtas ſuos conatur violenter ſuis interpretationibus ad Probabilioriſtas revocare; qui re vera tales non ſunt: ſed quidquid ſit de hoc, non eſt præſentis inſtituti ſingulos Doctores ſuos in individuo tangere, eorumque doctrinas examinare; ſed ſatis ſuperque eſt, quod ſint ex ſuis Probabiliſtis, qui verè, & non ingenioſè tantùm dicta velint, quæ dixerunt de principiis reflexis.

1296 Quod autem P. Riccius ex varia opinatione eorumdem Probabiliſtarum inferat abſolutè, & in ſe evidentiam hanc reflexam in evidentem dubietatem reſolvi, & invincibiliter ignorari, quia hinc indè de ea variè diſputant ipſimet Probabiliſtæ, non tollit quin illi, qui affirmant principia reflexa cõcludere, re vera reflexam evidentiam teneant, imò quod eam tenéant ſupponit: tollit autem quod re verâ ita ſit in ſe, ſicut illi tenent; & ponit oppoſitum, videlicet eam in ſe non evidentiam eſſe, ſed dubietatem potiùs, circa quam ſunt variæ opinationes. At hoc ipſum non favet Riccio, ſed nobis; nam ſi dubium eſt principia reflexa re verâ, & in ſe concludere, atque ideò ſint diverſæ de illis opinationes Probabiliſtarum, & alii ea ut verè concludentia affirment, alii negent, jam manifeſtè ſequitur non ſolùm in hoc plures ex Probabiliſtis Recentioribus à Probabilioriſtis recedere, imò & inter ſe diſcrepare; ſed etiam in ſe, & re vera à veritate deviare dum reflexam evidentiam ponunt; ubi re vera non eſt. Cur ergo non licebit nobis eos erroris atque laxitatis accuſare? Cur non benè dicimus à Probabilioriſtis diſſidere? Utrumque ſuo modo convincitur dixiſſe Riccium ore ſuo, uñ fatetur Riccius ex ſuo Patre Mendo principia hæc reflexa non valere, quia plus probant, quàm intendant; nam probant axioma illud ſeu regulam juris numquam, & in nullo dubio verificari, videlicet quod *in dubiis ſit tutior pars eligenda*, quod utique non intendunt, ut ſupponit Mendo, quia hoc ſupponit omninò falſum, & cauſam laxitatis, nimirùm liberè operandi in quocumque dubio: fatetur etiam Riccius aliquos ex Probabiliſtis affirmare principia

cipia hæc reflexa valere etiam in dubio ſuſpenſivo, nedùm probabili, & benè concludere, contra alios Probabiliſtas, ac per conſequens contra Probabilioriſtas: & nos non poterimus eos laxitatis, & diſcordiæ à Probabilioriſtis redarguere? Jam utrumque videmus fateri Riccium in dictis ſuis; cur ergo nos idipſum dicere prohibemur?

1297 Certè utrumque in ſe veriſſimum eſt, nimirùm eiuſmodi principia extrinſeca ſeu reflexa nihil concludere, & nimis probare, ſi probarent, ac propterea eſſe in causá nimiæ laxitatis; & in hoc Probabiliſtas, qui ea docent, toto cœlo a Probabilioriſtis diſcrepare. Nam ſi probarent in dubio probabili, adhùc probarent in dubio ſuſpenſivo, cum ex parte formæ, ut ipſemet Riccius arguit, utrobique eodem modo militarent; utrobique enim hinc indè diſputant Doctores. Et ſic ruerent omnes leges in quocumque quantumvis minimo dubio, quia hoc ipſo dicerentur invincibiliter ignorari, non eſſe ſufficienter intimatas, & redire unicuique totam libertatem ab illis. Quo quid laxius dici poteſt? Nec aliquid refragatur Riccius, dum ait, quod licet invincibiliter ignorentur leges illæ in particulari, nō tamen ignoratur lex illa univerſalis, ſtatuens quid in dubio agendum ſit, videlicet, quod ſit pars tutior eligenda: nam adhuc ex iiſdem principiis probatur, quod etiam lex iſta univerſaliter invincibiliter ignoretur; cum de ea quoque hinc indè Doctores diſputent, aliis eam legem eſſe affirmantibus, & regulam præceptivam; aliis negantibus, & dicentibus eſſe purum conſilium. Ergo fruſtra Riccius ad hanc legem recurrit, ne omnia ruant. Ergo velit nolit, oportet quod abſolutè, & determinatè dicat eiuſmodi principia nimiùm probare, ac per conſequens nihil probare, & eſſe cauſam nimiæ laxitatis; atque ideò meritò a Probabilioriſtis reprobari ut in ſe falſa. Et cum alias ea doceantur à pleriſque Probabiliſtis, ut idem Riccius concedit; conſequenter in ſe utrumque veriſſimum erit de iſtis Probabiliſtis, quod ſcilicet & diſciplinam relaxent, & à Probabilioriſtis toto cœlo diſſideant.

1298 Ex quo patet malè Riccium interpretari ducentos illos Doctores, qui pro illâ propoſitione citantur, videlicet: licitum eſt ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore: non eſſe intelligendos in dubio ſuſpenſivo. Nam eſto nolint verbis id concedere in dubio ſuſpenſivo, coguntur vel etiam inviti ex iiſdem ſuæ doctrinæ principiis id concedere. Nec valet aliquid, quod ſubdit Riccius, dicens, quod ſi ponantur ea principia concludere in dubio ſuſpenſivo, evidenter errarent qui dicerent in hoc dubio ſequendam eſſe partem tutiorem; & ſi evidenter errarent, non eſſent ampliùs in illo indice citandi, quia nullius eſſent authoritatis. Non, inquam valet; quia licet ſequela veriſſima ſit, nam dum ea reflexa principia admittunt aliquando, nempè in dubio probabili; procul dubio evidenter errant, ea negando in dubio ſuſpenſivo, quia re vera, & in ſeipſis eamdem vim retinent utrobique, & ſic fruſtra in ſuſpenſivo, & irrationabiliter docent partem tutiorem; quia manifeſtè ſuiſmet principiis contradicunt. Atque ideò indigni re vera ſunt, ut pro Doctoribus citentur, & Doctorum numero adſcribantur. Nihilominùs quia Probabiliſtæ inter ſuos eos computant, & ex illis numerum illum componunt, alioqnin non poſſent victoriam prætendere ex magno illo ſyllabo Doctorum; ideò & nos eorum idiomate loquētes, illos ut Doctores citamus, & ut Doctores ab ipſiſmet citatos accipimus; ſed quia eorum doctrina nobis minimè placet, acriter impugnamus; ipſorumque reflexa principia palam reiicimus.

1299 Sed ſive dicat Riccius eos dignos, ſive indignos, ut authoritatē faciant, & ut Doctores citari poſſint, vel non. Quid hoc refert? Illi ex ſuis ſunt, qualeſcumque ſint. Si ergo ſuos omnes velit uſque ad unum defendere, oportet quod, & iſtos quoque cum Probabilioriſtis conciliet, ſi poteſt. Quod ſi non poteſt, aut nobiſcum fateatur eos toto cœlo ab illis diſſidere; & diſciplinam relaxare: aut rationes noſtras, & argumenta contra eius concordiam ſolvat, vel patienter ſuſtineat. Nos enim parati ſumus pro juſtitia agonizare, & uſque ad mortem certare pro juſtitia, & veritate.

§. III.

Summa doctrinæ eiuſdem Authoris in ſecundo capite.

1300 IN hoc capite incipit Author iſte oſtendere de Probabiliſtis ſuis, quod neque in dubio probabili ſeu opinativo admittant ut vera eiuſmodi reflexa principia; ut ſic paſſim poſſit eos cum Probabilioriſtis totaliter tandem concordare. Et certè non ſine induſtriâ paulatim, ac pedetentim ad hoc procedit; cum enim videat eos manifeſtè in dubio probabili ad doctrinam de principiis reflexis confugere, atque ideò non poſſit illos ex toto conformes reddere, & concordes cum Probabilioriſtis; perquirit nonnullas eorum exceptiones ab uno, vel altero eorum, in uno, vel altero caſu ab ipſis diviſim, & ſparſim poſitas, in quibus videntur cum illis convenire, ut ex earum collectione tandem ad totalem convenientiam videatur pertingere. Quapropter eas ſingulas dearticulatè proponit, & ſpeciali diſcuſſione amplificat, ut ſic quaſi ex partibus ſufficienter numeratis appareat totum concludere; quod tamen minimè concludit, quia nec partes ſufficienter enumerat; nec quas enumerat, poteſt ad intentionem ſuam unire, cum nec illæ ab omnibus uniformiter admittantur, & unitim;

ſed quæ ab uno, vel altero docetur, reiicitur ab altero, & ſic de ſingulis; ut ſatis obſervari poterit in hoc, & ſequentibus capitibus. Quod lector velim diligenter advertas, ideò enim ſic te præmonitum volui.

1301 Itaque in præſenti capite incipiendo ab exceptione, quam nonnulli Probabiliſtæ faciunt in caſu de damno tertii; quærit utrum Probabiliſtæ Recentiores agnoſcant omnes hæc principia reflexa in dubio opinativo, cum agitur de damno tertii, ſeu in materiâ juſtitiæ. Et procedens eadem omnino via, ac methodo, quâ in capite præcedenti; ſic reſpondet: *Hæc reflexa principia in dubio opinativo in materia juſtitiæ aliquos Probabiliſtas agnoviſſe; ſed multò plures negaſſe, evidens eſt evidentia facti.* Probat hoc ex Mendo in ſtatera *diſſert.* 13. §. 2. apud quem multi citantur aſſerentes ex his principiis reflexis licitum eſſe Judici iudicare juxta opinionem etiam minùs probabilem; et multi alii negantes talia principia reflexa habere locum in materia iuſtitiæ cum damno tertii. Et idem, inquit, videre licet apud Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. qui ſimiliter pro utrâque parte citat Doctores, ipſe verò tenet partem negativam, & vult Judicem debere iudicare iuxta opinionem probabiliorem cum P. Mendo; & idem ibidem docet de Medico, & de Chirurgo. & multò magis (ait) videri poteſt apud Perez *tract.* 1. *de iuſt. diſp.* 4. ubi validiſſimè probat non licere Judici iudicare iuxta opinionem minùs probabilem. quæ ſententia nunc extra controverſiam eſt ex decreto Innocentii XI. qui damnavit oppoſitam.

1302 Ex quo infert neque ante hanc cenſuram Innocentii XI. principia illa reflexa fuiſſe communia inter Probabiliſtas in dubio opinativo in materiâ juſtitiæ, ſed à maiori eorum parte fuiſſe negata. Quare ducenti illi Doctores, inquit, non poterant citari pro uſu licito opinionis minus probabilis in hac materiâ. Et indè etiam infert, quod maior illa propoſitio ſeu principium reflexum, videlicet: ubi Doctores diſputant inter ſe, lex ignoratur invincibiliter; eſt evidenter in ſe falſum abſolutè loquendo: alioquin ſi eſſet omninò verum, etiam poſt decretum Innocentii concluderet in hac materiâ iuſtitiæ, & cum damno tertii; cum hic inter ſe diſputent Doctores: & ſic rueret prohibitio Pontificis; non enim poteſt Pontifex prohibere, quod eſt evidenter verum: eſſet autem evidenter verum etiam in hac materia iuſtitiæ, quod lex eſſet invincibiliter ignorata de iudicando ſecundùm probabiliorem; ſi maior illa eſſet in ſe vera & certa, quia indè evidenter inferretur; nec poteſt Pontifex efficere, quod lex invincibiliter ignorata obliget. Ergo oportet dicere quod principium illud reflexum ſeu maior propoſitio non ſit in ſe vera, ſed falſa abſolutè. Eamque ibidem falſam eſſe, & contra mentem, & expreſſam doctrinam omnium Recentiorum Probabiliſtarum promittit infra ſuo loco oſtendere.

1303 Quod ſi dicas (Inquit Riccius) partem minus probabilem, poſt decretum Innocentii XI. manere ſolùm probabilem probabilitate facti; non autem ampliùs probabilitate iuris relatè ad Judicem, iure nunc ita diſponente de Judice, ut ſolùm iudicet iuxta probabiliorem. Ad hoc replicat Riccius, ita etiam dici à Probabilioriſtis in omni materiâ relatè ad omnes, iure ita univerſaliter diſponente de omnibus obſcuris, & dubiis, per eam regulam iuris: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*: & illam aliam: *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius &c.* Undè concludit Riccius, quod minus veriſimile ſemper, & in omni materiâ eſt tantùm probabile, probabilitate facti, non iuris.

1304 Sed eſto veriſsima eſset maior illa, & lumine naturæ omnibus nota; adhuc contra inſurgit Riccius; nam diſcurſus, inquit, non ſtat; quia arguit à ſecundùm quid ad ſimpliciter, hoc eſt à lege particulari, de quâ hinc indè diſputant Doctores, ad legem univerſalem reflexam, quæ præcipuum locum habet, quandò Doctores inter ſe diſsident circa aliquam particularem legem. Ac proptorea eſto verum eſset, quod lex invincibiliter ignoretur, ubi Doctores diſsident; ac per conſequens quod invincibiliter ignoretur lex particularis in ſeipsâ, & directè conſideratâ, de quâ eſt diſsidium inter Doctores; non tamen hoc verificatur de lege illâ univerſaliſsimâ, ſtatuente quod in obſcuris inſpicimus quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit; quæ eſt regula 45. iuris in 6. & eſt etiam iuris civilis, imò etiam naturalis, quia ſi ſecus fiet errabitur frequentiſſimè, ut benè advertit Perez. Et hæc lex eſt, & dicitur reflexa, & univerſalis, quia reflectit, & diſponit ſuper dubiis, & obſcuris.

1305 Atque hinc P. Perez (inquit Riccius) probat Judicem teneri ad iudicandum iuxta probabiliorem, quia dum ſumus in opinabilibus ſumus in obſcuris: in quibus inſpicere debemus, quod eſt veriſimilius. Hinc omninò negat hæc extrinſeca ſeu reflexa principia in dubio opinativo. Hinc etiam infert manifeſtè hallucinari eos, qui putant partem minùs tutam, minùſque probabilem retinere probabilitatem, ſi pars oppoſita appareat probabilior; nam ſi de communi Probabiliſtarum doctrinâ, probabile idem eſt, ac prudenter eligibile; iam quod non eſt prudenter eligibile non eſt probabile: cum ergo ex dicta regula iuris, in obſcuris inſpiciendum ſit quod eſt veriſimilius, & dum ſumus in opinabilibus hinc indè diſputatis, ſimus procul dubio in obſcuris; iam in opinabilibus ſolùm id eſt inſpiciendum ad electionem, quod eſt veriſimilius, ac per conſequens quod eſt minùs veriſimile non erit prudenter eligibile, ergo neque probabile probabilitate iuris. Et hinc quoque idem Perez docet minorem probabilitatem ſtatim abſumi à probabilitate maiori.

Hunc

1306 Hinc denique Riccius infert, quàm vera ſit doctrina Recentiorum Probabiliſtarum requirentium ad probabilitatem practicam, & prudentem electionem, ut ſolvantur argumenta contraria; quia impoſsibile eſt unam partem contradictionis apparere probabiliorem, ſi alterius partis argumenta non ſint adæquatè ſoluta; ut dictum eſt, inquit, in præcedenti diſsertatione. Et quia illa regula iuris, ait idem Riccius, eſt univerſaliſsima & in omni materiâ; ſive agatur de damno tertii; ſive de mera actus honeſtate; ideò in omni materiâ id eſt prudenter eligibile, quod eſt veriſimilius, ergo id eſt unicè probabile, idque ex utroque iure. Hæc omnia hîc P. Riccius quaſi obiter concludit.

1307 Undè poſt hæc omnia ſubdit: *Verùm in præſenti ſatis ſit evidenter oſtendere evidentia facti, principia illa extrinſeca, etiam ante prohibitionem Innocentii XI. ita ab aliquibus admiſſa fuiſſe in dubio opinativo in materiâ iuſtitiæ, ſeu cum ageretur de damno tertii; ut à multò pluribus negatum fuerit, principia illa in materiâ iuſtitiæ habere locum. Ergo neque ante Innocentium poterant in hac materiâ citari ducenti Doctores; niſi qui valdè inter ſe diſcordarent. Neque principia illa extrinſeca, quæ dicuntur facere evidentiam reflexam. Et qui his extrinſecis principiis, huic reflexæ evidentiæ inſiſtentes docuerunt licitum eſſe Judici ſequi partem minùs probabilem in iudicando; patet nunc eſſe deceptos. Ergo aut extrinſeca illa principia, & reflexa illa evidentia ſunt omninò falſa; aut falſum omninò eſt in materiâ iuſtitiæ habere locum.*

1308 Denique, dicit hîc P. Riccius, falsò principia hæc tribuuntur omnibus Probabiliſtis, cum evidens ſit evidentia facti à maiori parte Recentiorum Probabiliſtarum negari: negata enim ſunt in dubio ſuſpenſivo; negata pariter in dubio opinativo ſeu probabili, cum agitur de damno tertii: ergo ſi pariter negata ſunt in dubio opinativo dum agitur de ſolâ actus honeſtate; evidens eſt hæc extrinſeca principia, & hanc reflexam evidentiam, in nullâ materiâ eſſe communia inter Recentiores Probabiliſtas; ſed ita admitti ut vera ab aliquibus, ut à multò pluribus ut falſa reiiciantur. Quæ igitur eſt hæc evidentia, quæ in nulla materia à multis non negatur; & à multis quidem eorum, qui inter ducentos illos Doctores computantur? Ita diſcurrit hîc P. Riccius. Imò concludit quod ſi hæc principia extrinſeca ſeu reflexa valeant, valebunt ad ſe interimendum. Nam ſi dum Doctores hinc indè diſputant, res invincibiliter ignoratur; cum iam hinc indè diſputent Doctores, num hæc principia concludant in dubio opinativo in materiâ iuſtitiæ; ſequitur utique invincibiliter ignorari num re verâ concludant; & interim dicuntur concludere evidenter. Addit ulteriùs P. Riccius ex his principiis confundi probabilitatem merè ſpeculativam cum practicâ; & probabilitatem facti cum probabilitate iuris; quod eſt contra communem Recẽtiorum Probabiliſtarum doctrinam.

Criſis præcedentis doctrinæ adverſus eius Authorem.

1309 Quemadmodum ſupra expendendo doctrinam primi capitis vix quidpiam potuimus in eâ reperire, quod potuerit ad intentum Patris Riccii ſuffragari; ita proportionaliter, & in præſenti hoc capite ferè nihil ſibi favorabile deprehendimus, ſi ſingula eius dicta conſiderentur. Via enim, quâ procedit ferè eadem eſt hîc, qua uſus fuit in præcedenti capite; ubi ſatis oſtendimus eam non conducere ad optatum finem ſuæ concordiæ cum Probabilioriſtis; neque ergo & nunc illuc conducere poterit. Sed ne, quæ dicit, videamur omninò ſine ullâ ſpeciali diſcuſſione præterire, oportet aliquantulum in eis immorari, & Authori punctualiter ſatisfacere.

1310 Expendamus ergo quæ dicit. Statuit primò evidens eſſe evidentiâ facti, aliquos Probabiliſtas agnoviſſe hæc reflexa principia in dubio opinativo in materiâ juſtitiæ, & cum agitur de damno tertii: ſed multò plures ea negaſſe. Et hoc probat ex P. Mendo, Laymam, & Perez. Totum hoc ultrò ipſi concedo: ſed quid indè? Ad ſummum convenient in hoc iſti plures cum Probabilioriſtis: At cæteri Probabiliſtæ, qui in hac etiam materiâ talia reflexa principia valere dixerunt, procul dubio diſcrepabunt. Hoc autem ſatis eſt nobis ad proclamandum contra Probabiliſtas ſuos, quod laxent diſciplinam, & quod toto cœlo diſcrepent à Probabilioriſtis, ſaltem quantùm ad dubium opinativum in hac materiâ juſtitiæ, de quâ in præſenti ſpecialiter loquitur P. Riccius. Numquid nos omnes ſuos accuſamus, & neminem excipimus? Et ſi omnes reos dixerimus Probabiliſtas ſuos, non propterea mentimur; quia nos ſolùm Probabiliſtas facimus Reos hoc noſtro dicto, non verò Probabilioriſtas. Dicat autem Riccius: Iſti plures, qui in hac materiâ reiiciunt principia hæc reflexa, & contendunt de judice quod teneatur iudicare ſecundùm ſententiam probabiliorem, quo nomine veriùs appellandi ſunt, Probabiliſtarum, an Probabilioriſtarum? certè negare non poterit, quod ſint dicendi veriùs Probabilioriſtæ, & præſertim in eâ materiâ, in quâ exigunt probabilioritatem; ergo ſi omnes Probabiliſtas reos dixerimus, non offendimus in dicto illos plures, qui Probabiliſtarum nomine verè, ac propriè venire non poſſunt; nec mentimur; quia omnes Probabiliſtæ extra illorum numerum ſunt, & cum aliis, qui ea reflexa principia admittunt propriè computantur. Contra iſtos omnes autem ſunt proclamationes illæ, & accuſationes, quos ſcilicet vel ipſemet Riccius fatetur in hac materiâ iuſtitiæ reflexa illa principia agnoviſſe.

viſſe. Inter quos procul dubio plures de ſuâ Societate ſunt, quantumvis ipſe nominatim non explicet, etiam in hac materiâ juſtitiæ, ut ſunt Gaſpar Hurtadus, Salas, & alii quos refert Pater Thomas Tamburinus ex Bardi, ut apud Tamburinum ipſum videri poteſt.

1311 Statuit ſecundò ſententiam de debito Judicis ad judicandum ſecundùm probabiliorem ſententiam eſſe extra controverſiam poſt Decretum Innocentii XI. qui oppoſitam damnavit. Ex quo infert principium illud reflexum, videlicet: *Ubi Doctores inter ſe diſputant, lex invincibiliter ignoratur*; eſſe abſolutè in ſe falſum, & in tota ſuâ univerſalitate, etiam extra materiam juſtitiæ. Et optimè quidem, ac veriſſimè dicit. Sed non benè probat: probat enim ipſe ex eo, quod ſi verum in ſe eſſet, etiam poſt Decretum Innocentii XI. concluderet in hac materiâ juſtitiæ, & cum damno tertii, adhùc legem invincibiliter ignorari, ac per conſequens nec obligare, & ſic rueret pontificia prohibitio. Verumtamen hæc ſequela neganda eſt, nam ſtante cenſurâ pontificiâ, quâ ſententia illa damnatur, non manet ampliùs locus hinc indè diſputandi; ſed evadit opinio illa nobis certò falſa, & omninò improbabilis, ac propterea non poſſet ampliùs principium illud reflexum, etiam ſi eſſet in ſe verum, illi materiæ applicari, cum non eſſet ampliùs materia hinc inde diſputata à Doctoribus, vel diſputabilis.

1312 Vidit utique P. Riccius hanc ſuam ſequelam poſſe ab Adverſariis negari; & dici, quod ſuppoſito Decreto Pontificis, non maneret opinio illa de licitè judicando ſecundùm minùs probabilem opinionem, in ſua probabilitate, ſicut antea: ſed non agnovit, quod nullo modo maneret probabilis, ſed ſolùm quod non maneret probabilis probabilitate juris, ſtante jure ipſo pontificio noviter id prohibente; conceſſit autem, quod maneret probabilis ſolâ probabilitate facti; quatenus ſcilicet utraque pars contradictionis directa in ſe ipsâ ſupponitur facta probabilis hinc indè authoritate Doctorum, eorumque directis rationibus, quas ſupponit in ſuo vigore permanere, etiam poſt Decretum Pontificis; quia credit, quod Decretum illud non tangat probabilitates illas utriuſque partis; ſed illis relictis in ſuo robore, condat novum jus prohibitivum, ne ſcilicet quis partem affirmativam de licito in hac materiâ, quantumvis probabilem, ſequatur. Et ideò hanc ſolutionem ſibi figuravit, & impugnavit. At deceptus eſt, quia Decretum Pontificis non eſt conditivum novi juris, ſed purè declarativum; ac propterea ſupponit legem de non ſequendo in judicando opinionem minùs probabilem; vel clariùs, ſupponit eſſe in ſe, & de jure naturæ illicitum judicare pro eo, cui non aſſiſtunt potiora jura, ſed minora, quam parti alteri litiganti; & hanc legem veram eſſe declarat, ac per cõſequens opinionem oppoſitam aſſerentem eſſe licitum, declarat eſſe in ſe falſam, & ſic nullo modo manet amplius probabilis, neque probabilitate facti, quam ipſe credit permanere. Unde vera reſpõſio ad eius ſequelam, & inſtantia verè irrefragabilis eſt illa, quam modò tradidi, & non illa, quam ſibi opponit, & impugnat, ut ſua ſequela ſubſiſtat.

1313 Addo quod etiam admiſſâ illâ reſpõſione, quam ſibi ex parte Adverſariorum contra ſequelam ſuam obiicit; non proindè eius replica in oppoſitum ſubſiſtit, ac per conſequens neque eius ſequela. Nam ſtante quod poſt Decretum Pontificis maneret adhuc utraque pars contradictionis probabilis probabilitate facti, & ſolùm deſineret pars affirmativa de licito eſſe probabilis probabilitate juris, ſtante videlicet novo jure reflexo id prohibente; non valet eius inſtantia, & replica, quam contra hoc facit, dicens: *Ita etiam dici à Probabilioriſtis in omni materia relatè ad omnes, jure ita univerſaliter, & veluti reflexè diſponente de omnibus obſcuris, & dubiis*, per eas nempè regulas juris, quas ipſe adducit. Nam regulæ illæ juris adhùc invincibiliter ignorarẽtur, ſi ſemel ſupponatur verum illud principium reflexum; quod *ubi hinc indè diſputant Doctores, lex invincibiliter ignoratur, & non obligat.* Quia regulæ illæ juris hinc indè adhuc diſputantur à Doctoribus, an ſint præceptivæ, vel de puro conſilio: non ſic autem eſt, de novo illo jure in Decreto Innocentii XI. in hac materiâ de Judice, ubi expreſsè damnatur eſſe licitum judicare ſecundum opinionem minùs probabilem; & ſic eius paritas non currit. Nec valet dicere quod regulæ illæ juris, ſint etiam de jure naturæ; nam hoc ipſum hinc indè diſputatur à Doctoribus. Undè non ſatis hinc concludit Riccius, quod minùs veriſimile ſẽper, & in omni materiâ eſt tantum probabile probabilitate facti, non juris, ſtantibus juribus illis reflexis, & univerſalibus, ita diſponentibus; ſi ſemel ſupponatur verum in ſe illud reflexum principium, quod ubi hinc indè diſputant Doctores, lex invincibiliter ignoratur, & non obligat. Verum ergo dicit Riccius principium hoc reflexum in ſe falſum eſſe; at non benè id probat virtute illius ſuæ ſequelæ.

1314 Ex quo etiam patet neque illud aliud, quod P. Riccius dicit, poſſe ſubſiſtere; videlicet: quod eſto principium illud reflexum veriſſimum eſſet, & lumine naturæ omnibus notum; adhùc diſcurſus non ſtaret; quia argueret (inquit) à ſecundum quid ad ſimpliciter; hoc eſt a lege in particulari, de quâ hinc indè diſputant Doctores, ad legem univerſalem reflexam, quæ præcipuum locum habet, quando Doctores inter ſe diſſident circa aliquam particularem legem. Patet, inquam, non poſſe ſubſiſtere, quia ipſe ſupponit falſum, videlicet legem illam reflexam univerſalem nõ eſſe hinc indè diſputatam a Doctoribus, ſi ſit lex, vel

conſi-

cenſentur; & tamen videmus in facto illam hinc, inde disputari; ac per consequens idem redit de illa, quod ſcilicet invincibiliter ignoretur, & non obliget; ſi ſemel verum ſupponatur in ſe illud principium reflexum univerſaliſſimum. Nec refert quod Riccius addit, quod ſi ſecus fiat ab huiuſmodi regulis juris univerſalibus, frequentiſſimè errabitur; quia ſi ejuſmodi regulæ juris, vigore illius principii reflexi, ſemel dicantur invincibiliter ignoratæ, ſi ſint leges, vel conſilia, errores illi frequentiſſimi evadunt, & dicuntur à Probabiliſtis, qui talem doctrinam ſuſtinent, omnes invincibiles, & inculpabiles. De erroribus autem invincibilibus, & inculpabilibus non eſt moraliter curandum, alioquin oporteret attingere infallibilem veritatem in moralibus, quod Riccius, & omnes abhorrent, ut extremum errorem damnatum ab Eccleſiâ.

1315 Ad illas autem illationes, quas affert P. Riccius, ex ſuo P. Perez, conſequenter ad huiuſmodi præallegatas regulas juris; quatenùs ſcilicet hinc infert, Judicem teneri ad judicandum juxta id, quod eſt veriſimilius, & probabilius. Et hinc etiam negat (ſi tamen verè univerſaliter negat) hæc extrinſeca ſeu reflexa principia in dubio opinativo. Et hinc quoque infert hallucinari eos, qui putant partem minus tutam, minuſque probabilem manere probabilem, & eligibilem, ſi pars oppoſita appareat probabilior; quia minor probabilitas ſtatim abſumitur à probabilitate maiori; præſertim ſi probabile ſumatur hìc pro eodem, ac quod eſt prudenter eligibile, ut nunc exponit P. Riccius. Dico quod omnes re verà, & in ſe ſunt optimæ illationes, & benè ex illis regulis juris, quas ego exiſtimo eſſe de jure naturæ, ut alibi oſtendi, ſunt deductæ, eaſque commendo. At ſi ſupponatur verum illud principium reflexum, quod ubi hinc indè diſputant Doctores, lex invincibiliter ignoratur, & non obligat; dixi, & iterùm dico, quod illationes illæ omnes evaneſcunt, quia regulæ illæ ſeù leges univerſales etiam ſi ſint de jure naturæ, nihilominùs hinc indè videmus adhuc diſputari à Doctoribus, ſi leges ſint, vel pura conſilia; ac proindè factâ ea ſuppoſitione, quod principium illud reflexum ſit in ſe verum, ex illis regulis nulla earum illationum tenet; quia omnes fundantur in juribus illis reflexis univerſalibus, quæ vim obligandi ad veriſimilius eligendum amitterent, cum etiam invincibiliter ignorentur ſi jura ſint, vel conſilia, ut dictum eſt. Et quia aliqui ſaltem ex Probabiliſtis Recentioribus principium illud reflexum pro vero in ſe habent, & acriter ſuſtinent; ideò omne debitum, & obligationem tollunt ſequendi opinionem probabiliorem, vel tutiorem in quocumque dubio ſive ſuſpenſivo, ſive opinativo, & etiam in quacumque materiâ; ac proindè toto cœlo diſcrepant a Probabilioriſtis.

1316 Ad illud denique quod ſubdit P. Riccius, videlicet quod hinc patet, quàm vera ſit doctrina Recentiorum Probabiliſtarum requirentium ad probabilitatem practicam, & prudentem electionem, ut ſolvantur argumenta contraria, quia impoſſibile eſt, inquit, unam partem contradictionis apparere probabiliorem, ſi alterius partis argumenta non ſint adæquatè ſoluta, ut dixit in præcedenti diſſertatione; & tamen oportet ſemper ſequi partem probabiliorem, quia *regula illa juris*, ait idem Riccius, *eſt univerſaliſſima in omnibus obſcuris, & dubiis in omni materia, ſive agatur de damno tertii, ſive de mera actus honeſtate, atque ideò in omni materià illud eſt prudenter eligibile, quod eſt veriſimilius; & eſt unicè probabile, & nihil aliud; idque ex utroque jure.* Ad hoc totum, inquam, dico veriſſimam utique eſſe eam doctrinam in ſeipsâ; ſed an verè ea ſit Recentiorum Probabiliſtarum, ut ipſe hìc demonſtratum ſupponit, alii judicent ex dictis ſupra, ubi oppoſitum demonſtravi. Quod ſi pigeat ad ſuperiùs dicta reverti; ecce in præſenti, ore proprio oppoſitum fatetur idem Riccius, & confeſſione quidem multoties repetitâ; dum poſt hæc omnia, immediatè ſubdit ſequẽtia verba: *Verum in præſenti ſatis ſit evidenter oſtendere evidentia facti, principia illa extrinſeca etiam ante prohibitionem Innocentii XI. ita ab aliquibus admiſſa fuiſſe in dubio opinativo in materià juſtitiæ, ſeu cùm ageretur de damno tertii, ut à multò pluribus negatum fuerit, principia illa in materia juſtitiæ habere locum, &c.* Quid clariùs? Fatetur Riccius etiã in materiâ juſtitiæ in dubio opinativo ab aliquibus admiſſa fuiſſe principia illa extrinſeca ſive reflexa, & quod plus eſt, ab aliquibus utique Probabiliſtis Recentioribus, quos defendit, ut pluries antea expreſſiùs explicaverat; & nos ſupra nominatim aliquos ex ſuis retulimus apud Tamburinum citatos ex P. Bardi, qui explicitè docent, fundati in illis principiis extrinſecis ſeù reflexis, licere Judici judicare ſecũdùm opinionem minùs probabilem. Quod ſi iſti in materia juſtitiæ, ubi agitur de damno tertii, quod alii abhorrent, licere dicunt ſequi minùs probabilem, quantò magis in aliis materiis ubi de ſola actus honeſtate dubitatur? Tenent ne iſti doctrinam illam, quod oporteat ſolvere adæquatè argumenta contraria oppoſitæ partis, ut aliquando ſit practicè probabile, & eligibile prudenter? Procul dubio quod non, juxta doctrinam Riccii, quia opinio minùs probabilis, ut ipſemet docet, nequit elidere argumenta contraria partis probabilioris, imò neque alteriùs æquè probabilis, ut ipſemet fatetur; ſed ſola probabilior poteſt hoc efficere. Ergo illa vera doctrina, non verè, ſed falsò dicitur à Riccio eſſe Recentiorum Probabiliſtarum, ſed eſt ſolùm Probabilioriſtarum. Et certè qui illam verè tenent, non Probabiliſtæ ſunt, ſed Probabilioriſtæ: & proclamationes de quibus conqueritur Riccius, contra omnes, & ſo-

los Probabiliſtas ſunt. Quos utique eſſe in rerum naturâ, & non fictos ab Adverſariis, quotquot ſint, ſivè pauciores, ſivè plures jam ore proprio fatetur Riccius, ut vidimus. Hi profectò diſcrepant evidenter à Probabilioriſtis, & toto cœlo cum illis adverſantur. Ubi ergo eſt prætenſa illa concordia: hos utique tenetur Riccius concordare, vel de mundo tollere, ut concludat omnium Catholicorum concordiã ſummam, & maximam uniformitatem, quam promittit.

§. IV.

Summa doctrinæ eiuſdem Authoris in tertio capite.

1317 IN titulo huius capitis quærit: utrum Probabiliſtæ Recentiores agnoſcant omnes hæc principia reflexa in dubio opinativo, cum agitur de ſolâ actus honeſtate? Sed infra perquirit priùs, an omnes poſſint ea cohærenter agnoſcere? quaſi quod, ſi ſemel probaverit non poſſe cohærenter ad doctrinas ſuas ea agnoſcere, maneat ſufficienter demonſtratum, quod illa non ſuſtineant; vel veriùs, quod illa reiiciant. Atque ideò totis viribus tentat ex ipſorum principiis probare, quod huiuſmodi principia reflexa non poſſint cohærenter defendi in dubio opinativo, cum agitur de ſolâ actus honeſtate.

1318 Procedit autẽ ſic diſcurrendo. Qui, inquit, ex regulâ illâ: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*: negat hæc principia reflexa in dubio ſuſpẽſivo; & qui ex illa alia regula: *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius &c.* negant hæc principia reflexa in dubio opinativo ſeu probabili, cum agitur de damno tertii; & qui ex hac eadem regula, in hac materia, ubi ſcilicet agitur de damno tertii, negant eſſe prudenter eligibile, & conſequenter probabile, quod non eſt veriſimilius; hi omnes tenentur aſſignare poſitivam rationem, & diſparitatem, cur ex eadem regulâ non ſint etiam talia principia reflexa reiicienda in omni aliâ materiâ, ubi agitur de ſola actus honeſtate; maximè cum regula illa iuris, *in obſcuris &c.* ſit univerſalis, & valeat quoties res non conſtat, ſed dicitur obſcura, cuiuſmodi eſt omnis materia opinativa; & cur non ubiquè illud ſolùm ſit prudenter eligibile, & conſequenter probabile, quod eſt veriſimilius? Et hæc poſitiva ratio ſeu diſparitas, inquit, debet eſſe evidens, & omninò certa; nam niſi certum ſit ex ratione certa, & evidente principia illa reflexa habere locum, cum quæſtio eſt de ſolâ actus honeſtate, licet non habeat locum, cum agitur de damno tertii, non poterunt facere evidentiam illam, quam vocant reflexam, neque cum eſt quæſtio de ſola actus honeſtate; quia principia illa etiam ſi faciant evidentiam reflexam, eam tamen nequeunt facere, niſi ubi re vera habent locum. Et niſi evidenter conſtet ubi re vera habent locum, ſed ſit prudenter dubitabile ſi locum in aliqua materiâ habeant, vel non; non poterit in tali materia conſurgere reflexa illa evidentia, nam nulla evidentia ſtare poteſt cum prudenti dubitabilitate. Quare, inquit, recurrere in aliquâ materiâ ad principia reflexa, eſt manifeſta petitio principii, & ſupponere quod eſt probandum, videlicet quod in eâ materiâ habeant locum, maximè cum non habeant locum in omni materia.

1319 Poſt hæc ulteriùs oſtendit P. Riccius non poſſe ab aliquo aſſignari talem diſparitatem evidentem, & quæ non ſit prudenter dubitabilis; idque probat, quia præcepta primæ tabulæ, quæ ſunt circa Deum, ac per conſequens de ſola actus honeſtate, ſunt graviora præceptis ſecundæ tabulæ, quæ ſunt circa proximũ, imò hæc dependent ab illis, & cuſtodienda ſunt propter illa, cum comparentur ad illa ut media ad finem, finis enim omnis præcepti eſt charitas, & amor Dei, propter quem ſervanda ſunt omnia alia, ergo illa ſunt exactiùs cuſtodienda, & minùs exponenda tranſgreſsioni, quam iſta. Ergo ſi in iſtis vim habet regula illa iuris: *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius*, atque ideo non habent locum principia illa reflexa; multò magis eadem regula iuris habebit locum in illis, & reiici debent principia hæc reflexa. Quæ omnia, inquit, clarè oſtendunt eſſe valde difficile aſsignare diſparitatem, ut poſsit defendi principia illa reflexa habere locum in præceptis primæ tabulæ, ubi agitur de ſolâ actus honeſtate, & non in illis ſecundæ tabulæ, ubi agitur de damno proximi. Quod quidem argumentum diffusè expendit P. Riccius, nos verò ſummatim hîc retulimus.

1320 Deindè procedit ad videndum directè, num hæc principia extrinſeca ſeu reflexa habeant locum, & aliquid probent in dubio opinativo, cum quæſtio eſt de ſola actus honeſtate, & id expendit iuxta Recentiores Probabiliſtas. Et primò adducit Ioannem Sancium, *in ſelect. diſp. 33. à n. 27. ad finem*, qui ex dictis principiis extrinſecis docet, quod quando verſatur inter ſuperiorem, & ſubditum varietas opinionum, non tenetur ſubditus obedire. Undè conſtat illum tueri hæc principia reflexa, & ut refert idem Riccius, nedum *dicta diſp. 33.* citata, ſed etiam *diſp. 44. à n. 61. ad 72.* fuſiſſimè illa propugnat. Sed oppoſitum, inquit, docent communiter alii Doctores etiam Probabiliſtæ, quando conſtat electionem ſuperioris eſſe legitimam, & varietas opinionum non eſt circa eius legitimam electionem. Ex quo infert: ergo hæc extrinſeca ſeu reflexa principia neque cum agitur de ſolà actus honeſtate admittuntur ab omnibus Probabiliſtis ut vera; ſed ita admittuntur ab aliquibus, ut à pluribus aliis etiam Probabiliſtis expreſsè negentur.

1321 Ulteriùs adducit propoſitionem quartam ab Innocentio XI. damnatam, videlicet:

licet: *ab infidelitate excuſabitur infidelis nō credens ductus opinione minùs probabili*. Et tamen, inquit, in fide, & infidelitate non agitur de damno tertii, ſed de ſolâ actus honeſtate. Ergo evidens eſt, ait, evidentiâ facti neque in dubio opinativo, cum agitur de ſolâ actus honeſtate, principia illa reflexa ab omnibus Probabiliſtis admitti; ſed ita ab aliquibus admittuntur, ut à pluribus aliis negentur. Et evidens eſt poſt Innocentium non poſſe univerſaliter admitti, ſive agatur de damno tertii, ſive de ſolâ actus honeſtate. & ſubdit: ergo illi ducenti Doctores, qui dicuntur ſtare pro uſu licito opinionis minùs tutæ, minùſque probabilis, relictâ tutiore, & probabiliore etiam propriâ, in nullâ materiâ conveniunt, neque poſt Innocentium poterunt ampliùs convenire, ſed in quocumque genere alii aliis adverſantur. Ex quo infert citari ad terrorem, vel ad pompam. Et hoc ipſum confirmat ex doctrinâ, ut ipſe dicit, univerſali Caramuelis deſumptâ ex ſuo Lugone, quod Eccleſia intelligitur tacitè compræcepiſſe, ne quis mutet ſententiam, ſi indè ſequatur legem minùs ſervari; quam retulimus ſupra in capite tertio primæ diſſertationis; ut ibi videri poteſt. Iuxta quam doctrinam, dicit P. Riccius, & illam aliam ſupra etiam datam ex P. Bardi, quod non ſit recedendum ab opinione veterum Theologorum, niſi eorum rationes ſolvantur evidenter, ita ut iam nulla remanſerit in veterum opinione probabilitas; non habent locum extrinſeca illa principia, & evidentia reflexa in dubio opinativo, cum agitur de ſolâ actus honeſtate. Et tamen, inquit, *non ſolum hi tres Doctores*, (puta Lugo, Caramuel, & Bardi) *nuper citati; ſed omnes illi, quos in priori diſſertatione produximus, in ſyllabo illorum ducentorum honorificè citantur, non enim aliter ducentorum ille numerus impleretur; nec facilè crediderim hos Doctores pugnantia loqui, ſibique contradicere.*

1322 Denique probat quod ſi hæc principia reflexa valerent, dum quæſtio eſt de ſolâ actus honeſtate, valerent etiam ad deſtruendam omnem probabilitatem, & ad inducendam gravem obligationem, ut in dubio legis ſemper ſtemus pro lege. Et probat ſic: dum Doctores diſputant hinc, & indè, res de qua diſputant, ignoratur invincibiliter. Sed dum Doctores diſputant de aliquâ concluſione, diſputant exercitè, aut etiam ſignatè de ratione illius concluſionis, num ſit gravis, aut levis, num probet, aut non probet; ergo ignoratur invincibiliter num opinio illa ſit probabilis; ac per conſequens res diſputata manet in dubio ſuſpenſivo, & non in opinativo, cum pro neutrà parte habeamus probabilitatem. Sed in dubio ſuſpenſivo iuxta communem Recentiorum Probabiliſtarum doctrinam, ſequenda eſt pars tutior, & ſtandum pro lege contra libertatem. Hoc certè, inquit, non admittunt Probabiliſtæ. Ergo optimè dixit Mendo hæc reflexa principia probare plus, quàm intendant, & ſic nihil probare.

1323 Præterea, inquit, *ſi probarent, certè non probarent ex vi formæ, ergo ex vi materiæ, ergo probarent ex vi aliorum principiorum, quæ ſunt propria huius materiæ nempè actus honeſtatis. Quæ autem ſunt hæc principia propria huius materiæ? hæc fortaſſe: Præcepta primæ tabulæ ſunt multò leviora, quàm præcepta ſecundæ, furtum eſt gravius idololatria? ergo quò quò te vertis res hæc intolerabilibus erroribus ſcatet. Hùc ducunt hæc reflexa principia, niſi de communi, & vera Recentiorum Probabiliſtarum, omninò reducantur ad intrinſeca. Cæterum expreſſè docet Cardenas, ut alibi vidimus, quod quando dubitatur num ratio adducta pro concluſione, ſit gravis aut levis, opinio eſt exiguæ probabilitatis, nec ſufficit ad conſcientiæ ſecuritatem, in tali caſu ſtandum eſſe pro lege, ita in Criſi Theologica differt. 4. cap. 5. propoſ. 3.*

1324 *Rursùs hæc reflexa principia ita ducunt ad ſummum rigorem, ut ducant ſimul ad maximam laxitatem. Nam qui agnoſcit, ut vera hæc reflexa principia omnem ſibi adoptat, & nullam poteſt reſpuere laxitatem. Imò omnes laxas opiniones, quas alii docent, ut merè probabiles, ipſe agnoſcat oportet ut extrinſecè probabiliores, & earum uſum licitum ut omninò certum, & ex his principiis reflexis demonſtratum; etiam ſi ipſe reiiciat opiniones illas, ut intrinſecè parùm tutas, parumque probabiles. Ergo non acutè, ſed valdè ruditer ſunt excogitata. Ergo ſi una, atque unica cauſa receſſus à doctrinâ Probabilioriſtarum ſint extrinſeca hæc, & reflexa principia; nulla omninò cauſa eſt, cur ab illa recedamus. Ergo hæc extrinſeca principia, niſi omninò reducantur ad intrinſeca, & directa, ſunt errorum omnium Apothecæ, & merum Diaboli commentum ab omnibus fugiendum &c.* Hæc P. Riccius.

1325 *Et quia nemo unus eſt* (ſubdit) *qui dum reiicit aliquam opinionem ut minùs tutam, minùſque probabilem, concedat demonſtrari uſum licitum illius opinionis, quam ipſe reiicit; nemo unus eſt, aut eſſe poteſt, qui cum Mendo non fateatur hæc reflexa principia probare nimis; ergo nihil. ergo nemo unus eſt, aut eſſe poteſt, qui hæc reflexa principia, ut omninò falſa in quavis materiâ non reiiciat*. & paulò inferius addit: *Si pro una parte ſtat demonſtratio ſive directa, ſive reflexa; altera pars oppoſita non poteſt eſſe probabilis, quia nulla opinio probabilis habet contra ſe demonſtrationem. Et interim conceditur eſſe probabiliorem, nedùm tutiorem.* uſquehùc P. Riccius.

1326 Ex quo aſſerit falſum eſſe, quod aliqui dicunt, Summos Pontifices diſpenſando in matrimonio rato, non conſummato; vel in voto ſolemni, ſecutos eſſe partem minùs tutam, minuſque probabilem. Et inſuper addit, quod hunc optimè docet Perez, quod niſi hæc refle-

ſæ principia reducantur ad intrinſeca, omnes Doctores, qui ſtant pro lege in dubio legis, fruſtra, & omninò inutiliter laborant, etiam ſi adducant rationes validiores. Et tandem concludit falſum eſſe, pro uſu licito ſententiæ benignæ ſtare quam plures Doctores; cum re vera vix, inquit, ſtent valdè pauci, & obſcuri nominis; nec cum Doctoribus oppoſitæ ſententiæ comparandi. Et vix unus horum eſt, qui non poſſit commodè pro utrâque ſententiâ citari: adeò parùm ſibi conſtant, ſi tamen poſſunt ſibi conſtare. Ergo qui concedit unam partem eſſe minùs tutam, minùſque probabilem, non poteſt defendere alteram eſſe probabilem. *Hùc ducunt*, inquit, *reflexa principia*.

Criſis præcedentis doctrinæ adverſus eius Authorem.

1327 QUæſivit, ut vidimus, Author iſte in titulo huius capitis, num Recentiores Probabiliſtæ agnoſcant omnes hæc principia reflexa, ubi quæſtio eſt de ſolâ actus honeſtate? & interponit aliud quæſitum, an ſcilicet poſſint ibidem ea cohærentur agnoſcere? quaſi quod ſemel probato, quod non poſſint cohærenter ad ſua principia, illa ſuſtinere, ſequatur in bonâ conſequentiâ, de facto minimè illa docuiſſe in quæſtione de ſolâ actus honeſtate. Sed undè habetur conſequentia hæc? Scio valere argumentum de negatione potentiæ ad negationem actus; ſi tamen actus, & potentia ſumantur in eodem genere; at ſi ſint diverſi generis, conſequentia eſt vana. Poſſet igitur P. Riccius benè arguere, ex hoc quod illi non poſſunt cohærenter ad ſuam doctrinam, principia illa reflexa hic docere, quod de facto hic non doceant cohærenter: At quod de facto hic non doceant abſolutè, non infertur; quia negatio huius actus abſolutè ſumpti pertinet ad genus impotentiæ abſolutè ſumptæ, non autem ad genus impotentiæ ſecundum quid, id eſt ſecundùm cohærentiam ad propriam doctrinam. Neque novum eſt in ſcholis, quod multi multa doceant de facto, quæ incohærentia ſunt ad propriam doctrinam, nec poſſunt cohærenter ſuſtineri, & tamen quia incohærentia illa non advertitur, vel datâ operâ diſſimulatur, plura illa in ſe, & re vera incohærentia, defenduntur. Quod autem non credat Pater Riccius de ſuis Recentioribus Probabiliſtis, quod aliqua incohærenter docuerint, & quod ſibimet aliquo modo contradixerint in doctrinis ſuis, id parum eſt; non proindè evacuabitur fides noſtra, nos enim id firmiter credimus, imò demonſtramus. At Pater Riccius, ſi nolit, oportet ut idipſum credat invitus, & fateatur; ſed quid dico, oportet ut fateatur, iam ore proprio fatetur, & pluries confeſſus eſt, ſaltem de paucis illis Probabiliſtis, de quibus affirmat, quod admittant; ſed ego quod oporteat id credere quaſi de omnibus, iterum dico, ipſiſmet manifeſtè de huiuſmodi principiis reflexis atteſtantibus: Ut oſtendit, & ſequitur P. Joannes de Cardenas in ſua Criſi Theologicâ. Cuius doctrinam fuſè alibi examinavimus. Expendamus nihilominus num hìc aliquid probet Pater Riccius ad intentum ſuum.

1238 Probat autem ipſe non poſſe Probabiliſtas cohærenter ſuſtinere hæc principia reflexa, & reflexam evidentiam indè emergentem, in quæſtione ubi agitur de ſolâ actus honeſtate, & præcipuè qui ex regula illa iuris, *in dubiis tutior pars eſt eligenda*, negant illa habere locum in dubio ſuſpenſivo; & qui ex alia illa regula, *in obſcuris inſpicimus, quod eſt veriſimilius &c.* negant illa habere locum in dubio opinativo, cum agitur de damno tertii; & tenent inſuper tunc non eſſe prudenter eligibile, ac per conſequens nec probabile, niſi quod eſt veriſimilius: probat, inquam, ſic dicens; quod hi omnes niſi aſſignent evidentem rationem, & diſparitatem, non poſſunt cohærenter illa reflexa principia hìc ſuſtinere. Benè probat, & totum eius diſcurſum admitto; verè enim incohærenter hìc loquuntur, & benè ſuo diſcurſu hoc demonſtrat. Sed quid indè? dicam ego quod probat utique benè contra illos incohærentiam ſuæ doctrinæ: at pro ſe nihil benè probat, nihil ad intentum ſuum concludit; intendit enim ipſe oſtendere, quod ubi agitur de ſolâ actus honeſtate, illi non admittant hæc principia reflexa, & probat incohærentiam doctrinæ eorum, quaſi ex hac incohærentiâ ſequatur illos non admittere ea principia, ubi agitur de ſolâ actus honeſtate; at hoc, ut dixi, non infertur. Ad quid ergo adeò deſudat Riccius? Intendit Probabiliſtas defendere à falſitate doctrinæ de principiis reflexis in quæſtione de ſolâ actus honeſtate, & eos redarguit de incohærentiâ doctrinæ, quam illi de eiſdem principiis in eadem quæſtione publicè, & rotundis verbis profitentur, & ut veriſſimam atteſtantur?

1329 Et certè ſi illi doctrinam hanc hìc non profiterentur, cur diſparitatem tentant paſſim aſſignare? Audi, lector, Antonium Perez, quem pro ſe citavit P. Riccius, loco ſuperiùs ab ipſo citato, ubi de Iudice docet, quod tenetur iudicare ſecundùm probabiliorem ſententiam, & niſi judicet id, quod ſibi videtur veriſimilius, non iudicabit, inquit, ſecundum veritatem, ſicut tenetur. Ibidem enim, ut vidimus ſupra, & refert idem P. Riccius, ſibi obiiciens idem inconveniens ſequi in aliis rebus; ſic reſpondet: *In aliis autem rebus non eſt incommodum plerumque errare*. Ergo P. Perez intendit eſſe diſparem rationem de ſequelâ opinionis minus probabilis in iudicando reſpectu Iudicis, & de ſequelâ opinionis minùs probabilis in agendo, ubi agitur de ſolâ actus honeſtate reſpectu aliorum. Et tamen ipſe ex regulâ illâ iuris, *inſpicimus in obſcuris &c.* docuerat in ordine ad Judicem non eſſe prudenter eligibile,

le, nec probabile, quod non eſt veriſimilius: cur ergo poſtea in aliis rebus dicit, quod ſi minus probabiles opiniones velimus ſequi, poſſumus; & rationem reddit, quia in aliis rebus non eſt incommodum plerumque errare? In Iudice autem, *alia*, inquit, *eſt ratio*, *quia finis Iudicis eſt attingere veritatem &c.* ut vidimus *in cap.* 6. præcedentis diſſertationis, & retulit ipſe Riccius ad literam. Ergo tentat diſparitatem dare; ergo admittit Perez principia hæc extrinſeca, ubi quæſtio eſt de ſolâ actus honeſtate. Et licet, cum non potuiſset P. Riccius hoc effugere, excogitaverit illum gloſsare, quod locutus fuerit in aliis rebus ad conſcientiam non pertinentibus, tamen gloſsa hæc omninò gratis datur, & impertinens ad rem moralem, de qua ibi erat ſermo, ut vidimus ſupra.

1330 Audi ulteriùs Lector P. Joannem de Cardenas, de quo dubitari non poteſt quod admittat principia hæc reflexa, ubi quæſtio eſt de ſolâ actus honeſtate, cum fuſiſſimè in ſua Criſi Theologica evidētiam reflexam eiuſque principia propugnet, & exemplificet in materia de officio canonico recitando, eiuſque mutatione in aliud, ubi jam conſtat quæſtionem eſſe de ſola actus honeſtate, ut videri poteſt *in Tract.* 1. *de probabilit. diſp.* 10. *cap.* 4. Audi, inquam, eum diſcurrentem de Judice ſuper propoſitione ſecunda damnatâ ab Innocentio XI. *diſſert.* 3. ubi refert argumenta, quibus alibi motus fuerat ad concluſionem ſuam probandam, quod ſcilicet Iudex teneatur judicare ſecundum probabiliorem ſententiam, & ea ibidem dicit eſse ſibi moraliter certa, & ibidem ex illis manifeſtè aſſignat diſparitatem, quare in Judice non militet evidentia illa reflexa, ſicut militat in aliis materiis. ibi enim *cap.* 1. *num.* 5. dicit, primum argumentum, in quo ipſe fundatur, eſſe ex contractu, quem init Judex cum Republica adminiſtrandi juſtitiam meliori modo, quo poſsit, & in maiorem utilitatem Reipublicæ. *Et num.* 6. ait, ſecundum argumentum eſſe, ex eo quod cum quis promittit præſtare munus ſuum meliori modo quo poſsit, in ordine ad utilitatem publicam abdicat à ſe libertatem ſequendi opinionem probabilem, quæ ei utilitati ſit adverſa. *Et num.* 7. dicit tertium argumētum eſſe ex eo, quod ibi ex probabilitate minori, directa non benè infertur reflexa juxta regulas ſuæ doctrinæ, quas in ſuâ criſi tradiderat: dixerat enim non inferri ex probabilitate directa reflexam, quando propoſitioni reflexæ accedit novum obiectum; ſicut de facto accedit in caſu Iudicis, Medici, & ſimilibus. Et hinc diſparitatem tradit dicens: *Nam licet probabilis ſit hæc propoſitio directa: hæc domus eſt Petri, ad quam domum Joannes habet jus probabilius; ex illa propoſitione directâ* (minus probalili pro Petro (*malè infertur hæc propoſitio reflexa: Judex poteſt ſequi opinionem probabilem, quæ ſuffragatur Petro: quia ea propoſitio reflexa habet novum obiectum, ratione cuius limitatur ea probabilitas ex contractu Judicis cum Repuplica. vide etiam quæ dixi diſp.* 15. *c.* 4. *art.* 2. Hæc P. Cardenas.

1331 Ergo P. Cardenas non negat generaliter principia reflexa, & reflexam evidentiam indè emergentem, ubi ex aliquo obice extrinſeco non impeditur, ſed negat illa in Judice, qui impeditur ex contractu tacitè inito cū Republicâ, quo ſe privavit libertate ſequendi opinionem minùs probabilem, hoc ipſo quod ſe obligavit exequi munus ſuum omni meliori modo. Ecce diſparitatem inter quæſtionem ubi agitur de damno tertii, & in materiâ juſtitiæ, & quæſtionem ubi agitur de ſolâ actus honeſtate. An autem hæc diſparitas ſatisfaciat, & an illa alia ratio Patris Antonii Perez ſit ſufficiens, alia conſideratio eſt alibi examinanda. Prò modo tamen ſatis eſt ad oſtēdendum quod de facto & Perez, & Cardenas principia reflexa ſuſtineant ubi eſt quæſtio de ſolâ actus honeſtate, licet ea negent ubi agitur de damno tertii, & utrique conantur diſparitatem tradere, & oſtendere, ſe non inconſequenter loqui. Quantumcumque ergo Riccius probet illorum inconſequentiam, numquam probat illos evidentiam illam reflexam eiuſque principia extrinſeca non admittere, & multò minùs eum Probabilioriſtis convenire.

1332 Audi denique, lector, ex ipſo Patre Riccio Probabiliſtas omnes Recentiores: iſti omnes, inquit P. Riccius, ut vidimus in prima ſua diſſertatione, in hoc uno diſcriminantur à Probabilioriſtis, quod illi fateantur opinionem minus probabilem in concurſu oppoſitæ probabilioris retinere ſuam probabilitatem practicam; contrà verò Probabilioriſtæ id negent. Ergo Probabiliſtæ Recentiores admittunt minùs veriſimile, minùſque probabile, eſſe practicè probabile atque prudenter eligibile. Et ideò de facto communiter proclamant licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, modò practicè probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore: at hoc non dicunt ex principiis directis, & minùs efficacibus, quàm ſint directa principia partis oppoſitæ; ſed ex principiis reflexis, quatenùs ſcilicet licitum eſt, ut dicunt, ſequi opinionem probabilem; quia in dubio legis ſtante hinc indè diverſâ probabilitate, lex invincibiliter ignoratur, ac proindè non obligat; & quiſque manet liber, ut eligat quodcumque judicium voluerit, quia ſemper judicio prudenti operatur; ut paſsim videri poteſt apud ipſos; ſive id limitent, ut nonnulli faciunt in caſu de damno tertii, & ſimilibus, ſive non. Ergo principia hæc reflexa communiter defenduntur à Probabiliſtis Recentioribus, quidquid ſit ſi cohærenter, vel incohærenter eos loqui probet P. Riccius; Et ſi ubi limitant, & rationem, atque diſparitatem aliquam aſsignant, illa ſit evidens, vel probabilis, & dubitabilis.

1333 Quare & ſi P. Riccius probet illos non poſſe diſparitatem, quæ ſit evidens, aſſignare, ſicut de facto probat ex ponderatione præceptorum primæ, & ſecundæ tabulæ; nunquam tamen poteſt de illis concludere, quod principia hæc reflexa non agnoſcant in quæſtione de ſolâ actus honeſtate, licet benè concludat, quod ibi malè, & incohærenter agnoſcant. Commendo itaque eius diſcurſum ad reiicienda principia hæc reflexa, ut in ſe falſa: admitto diſparitates ab illis aſſignatas vim nullam habere, & vanas omninò eſſe in ſeipſis: at totum hoc nihil prodeſt Patri Riccio, nec minimum quid ſuffragatur ad tegendas ſententias Recentiorum Probabiliſtarum, eorumque manifeſtas diſcordias à Probabilioriſtis, quod eſt eius præcipuum intentum in præſenti controverſia.

1334 Progreditur ulteriùs poſt hæc P. Riccius ad videndum, inquit, directè: num hæc principia reflexa juxta Recentiores Probabiliſtas valeant, & aliquid probent in quæſtione de ſolâ actus honeſtate. Et primò refert opinionem Ioannis Sanci, qui ex principiis reflexis tuetur ſubditum non teneri obedire Superiori, ubi inter ipſum, & Superiorem eſt varietas opinionum. Contra quem, inquit, ſentiunt communiter Doctores etiam Probabiliſtæ. Ex quo infert: ergo hæc principia reflexa neque cum agitur de ſolâ actus honeſtate admittuntur ab omnibus Probabiliſtis ut vera; ſed ita admittuntur ab aliquibus, ut à pluribus aliis etiam Probabiliſtis expreſsè negentur. Secundò adducit quartam propoſitionem ab Innocentio XI. damnatam; *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili*. Et tamen inquit, in fide, & infidelitate non agitur niſi de ſolâ actus honeſtate. Ex quo infert, ergo evidens eſt evidentia facti neque in dubio opinativo cum agitur de ſolâ actus honeſtate, principia reflexa ab omnibus Probabiliſtis admitti, ſed ita ab aliquibus admittuntur, ut à pluribus aliis negentur. Et evidens eſt poſt Innocentium non poſſe admitti univerſaliter, ſive agatur de damno tertii, ſive de ſolâ actus honeſtate: ergo illi ducenti Doctores citati pro uſu licito minùs probabilis in nullâ materiâ conveniunt, neque poſt Innocentium poſſunt ampliùs convenire ſed in quocumque genere alii aliis adverſantur.

1335 Sed in toto hoc diſcurſu ferè nihil pro ſe concludit P. Riccius, ſed potiùs contra ſeipſum confeſſus videtur. Quid enim refert, ſi communiter Doctores etiam Probabiliſtæ contra Sancium ſentiant de ſubdito, inter quem, & ſuperiorem eſt varietas opinionum? Eſto ita re vera ſentiant omnes communiter, quod tamen falſum eſt; numquid inde ſequitur, quod in omni alia quæſtione de ſolâ actus honeſtate ſemper ſtent pro lege, aut dicant eligendum eſſe quod eſt probabilius? Et ubi pro lege reſolvunt, vel id quod ſibi videtur probabilius, numquid proindè ſequitur, quod ibi non admittant principia hæc extrinſeca ſeu reflexa, etiam pro ſententia ſibi oppoſita? profectò nullæ ſunt conſequentiæ iſtæ. Alioquin Ioannes Sancius, & Pauciores illi ſaltem, quos Riccius fatetur admittere principia hæc reflexa ubi agitur de ſolâ actus honeſtate, nihil in ſuis particularibus reſolutionibus directis potuiſſent in favorem legis, aut id quod eſt probabilius, determinare; ſed omnia, & ſemper contra legem, & quod eſt minùs probabile ſibi viſum in quacumque materiâ opinativâ. Nam ſi quando aliquid reſolvunt pro lege, & quod eſt probabilius, indè dicatur benè inferri, quod negent principia hæc reflexa, iam oporteret dicere quod nihil umquam reſolverint pro lege, aut probabilius, alioquin iuxta modum arguendi Patris Riccii, negaſſent principia hæc reflexa, quæ tamen eos admiſiſſe apertiſſimè Pater Riccius fatetur. At conſtat de facto eos non omnia reſolviſſe, & ſemper contra legem, nec quod ſibi viſum eſt minùs probabile, vel quod in ſe minùs probabile fuerit: Imò cenſeo neminem poſſe opinari, quod ſibi videtur minùs veriſimile; licet poſſit quis, quod in ſe eſt minùs veriſimile, opinari. Ergo inde etiam conſtat eos negaſſe per bonam conſequentiam principia hæc reflexa; quæ tamen conſtat ſimul eos expreſsè admiſiſſe, ut fatetur P. Riccius, quæ duo ſunt contradictoria, & repugnantia. Malè ergo arguit P. Riccius ex communi illâ reſolutione directa Recentiorum Probabiliſtarum de ſubdito, quod tenetur in varietate opinionum obedire, inferendo quod proindè negent principia reflexa, ac proindè nihil pro ſe inde concludit.

1336 Sciat ergo Pater Riccius ex doctrina ipſorum Recentiorum Probabiliſtarum, duo hæc genera probabilitatis, directæ ſcilicet, & reflexæ, eſſe inter ſe valdè diverſa; & poſſe ſtare ſimul, quod quis in quacumque materiâ directè reſolvat quod eſt probabilius, & ſtat pro lege; & nihilominùs in eadem materiâ admittat principia reflexa, & reflexam evidentiam inde, ut ipſi dicunt, emergentem, etiam pro opinione ſibi oppoſita, quam directè reiiciunt, ut ſibi viſam minùs probabilem; ita ut ipſimet, ſi interrogarentur, num quis eligens opinionem ſuæ directæ oppoſitam, & minùs probabilem, prudenter operetur, apertiſſimè reſponderent, quod utique etiam prudenter ageret, & quidem certiſſimè ob reflexam evidentiam ex principiis illis extrinſecis ſeu reflexis ibi emergentem. Quod ſi hæc non credat P. Riccius, & videantur ipſi abſurda; quia, inquit, nulla opinio probabilis habet, vel habere poteſt contra ſe demonſtrationem, & evidentiam aliquam etiã reflexam: Audiat ſuum Ioannem de Cardenas, qui expreſsè negat hæc eſſe abſurda, & ad ſuam inſtantiam reſpondet *in ſua Criſi Theologica tract. 1. de probabilit. diſp. 10.* ubi fuſiſſimè agit per plura capita de certitudine reflexâ, &

cap.

cap. 4. num. 35. ait: *Colligitur primò poſſe aliquam propoſitionem eſſe probabilem ex vi actus directi, & ex vi actus reflexi eſſe certam. Nam cum actus concluſionis ex diverſis motivis poſſit eſſe probabilis, & certus; probabilis ex motivo probabili, & certus ex motivo certo, & actus directus poſſit habere motivum probabile, & reflexus motivum certum, non eſt in hoc ſpecialis difficultas.* Et *cap. 5. num. 46.* reſpondens ad ſextum argumentum, quod coincidit cum inſtantia Patris Riccii, quatenùs probabat, quod ſi ex hoc quod probabile eſt, non peccare mortaliter, qui variat officium Canonicum, eſt certum ſequentem talem opinionem non peccare, ſequeretur quod opinio probabilis oppoſita non eſſet probabilis, ſed certo falſa; & hanc conſequentiam probabat, quia iſtæ ſunt oppoſitæ: Probabile eſt quod peccat: certum eſt quod non peccat. Sic reſpondet: *Ad probationem conſequentiæ dico iſtas propoſitiones: Probabile eſt quod peccat mortaliter: certum eſt quod non peccat mortaliter: non eſſe oppoſitas, ſi prima loquatur de probabilitate habita ex vi dictaminis directi; & ſecunda de certitudine habita ex vi dictaminis reflexi. quo pacto ambas tamquàm veras concedimus.* Hæc P. Cardenas.

1337 Ecce quomodo admittit ſimul P. Cardenas cũ hoc, quod certũ ſit per judicium reflexum non peccare, qui variat officium Canonicum, componi quod etiam maneat probabile per judicium directum, illum peccare. Et idem repetit, & magis explicat numero ſequenti reſpondendo ad ſeptimum argumentum: ubi dicit eas propoſitiones eſſe contradictorias ſi ambæ ſint ex vi dictaminis directi; vel ambæ ex vi dictaminis reflexi; non autem ſi una ſit ex vi dictaminis reflexi, altera verò ex vi dictaminis directi; nam ſic illa, quæ dicit certum eſſe non peccare ex vi dictaminis reflexi, eſt certa, & vera; & oppoſita ex vi eiuſdem dictaminis reflexi, eſt certò falſa; quia, inquit, eſt certò falſum quod peccat qui ſequitur opinionem probabilem. Et illa quæ dicit peccare ex vi dictaminis directi eſt probabilis; ut videri poteſt apud ipſum. Ergo ex Patre Cardenas etiam ſi opinio benigna pro commodo, & libertate ſit minùs probabilis ex vi iudicii directi, & quæ ſtat pro lege ex vi etiam iudicii directi ſit probabilior, adhùc illa minùs probabilis evadit certa ex vi iudicii reflexi, dicendo certum eſſe, quod qui variat officium canonicum, non peccat; imò iudicium reflexum oppoſitum fundatum in illa directà tutiore, & probabiliore dicit eſſe certò falſum; quia, dicit, certò falſum eſt, quod peccat, qui ſequitur opinionem verè probabilem. Ex quibus conſtat Ioannem de Cardenas admittere principia reflexa, & certitudinem ſeu evidentiam reflexam indè emergentem in materià de ſola actus honeſtate etiam pro opinione minùs tutà minùſque probabili ſtante contra legem, non obſtante probabilitate, vel probabilioritate directa oppoſità; & admittere etiam utrumque iudicium, alterum ſcilicet reflexum, & certò verum, & alterum directum, & probabile ſtare ſimul, & non oppoui, nec ſe mutuò deſtruere, non obſtante quod illud dicat certum eſſe licere, & iſtud neget eſſe licitum aliquid agere. Ex hoc ergo quod Probabiliſtæ directè quandoque reſolvunt pro lege, & id quod tutius, & veriſimilius videtur, non ſequitur quod negent principia reflexa, & reflexam evidentiam de licito uſu opinionis oppoſitæ etiam minùs probabilis, minùſque tutæ. Ergo P. Riccius malè ex directà illà reſolutione Probabiliſtarum de ſubdito cõtra Sancium, arguit eos negare principia hæc reflexa, ac proindè nihil pro ſe concludit.

1338 Neque aliquid concludere poteſt ex propoſitione illà quartà damnatà ab Innocentio XI. videlicet: *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.* Primò, quia ex hac cenſurà potiùs arguitur oppoſitum, videlicet fuiſſe ante hoc decretum Probabiliſtas, qui etiam in hac materia principia hæc reflexa admiſerint. Secundò, loquendo poſt decretum, quia ex hoc non ſequitur non poſſe ampliùs à Probabiliſtis admitti hæc principia reflexa in quàcumque materià univerſaliter, ſed ad ſummùm in hac determinatà materià, fidei; & ratio eſt quia per hoc decretum damnatur iudicium illud probabile directum, ac proindè opinio illa non eſt ampliùs directè probabilis, ceſſante autem probabilitate directa, & damnata ut certò erroneà, non habent ampliùs locum principia illa reflexa; at illo decreto non damnantur omnes opiniones directæ etiam minùs probabiles in omni materiâ. Ergo nequit inferri ex hoc decreto, quod non poſsint ampliùs univerſaliter, & in quacumque materià admitti à Probabiliſtis principia illa reflexa. Tertiò, quia eſto conſequenter ad decretum Innocentii non poſsint ampliùs admitti, non benè infertur, quod re vera à noviſsimis Probabiliſtis non admittantur; videmus enim interdum à Doctoribus plura doceri, quæ conſequenter ad decreta põtificia admitti nullatenùs deberent; & propterea ab aliis virtute huiuſmodi conſequentiæ impugnantur.

1339 Sed omiſſis his omnibus. Iam P. Riccius de his reflexis principiis, non ſemel, ſed iterum, atque iterùm ſemper repetit, quod ita ab aliquibus admittuntur, ut à pluribus aliis etiam Probabiliſtis negentur. Ergo fuit iam in mundo Probabiliſtæ Recentiores, qui ea admittunt; quid refert ſi non omnes? contra illos ſunt clamores noſtri, iſtos arguimus laxitatis, & de iſtis aſſerimus toto cœlo à Probabilioriſtis diſsidere. Reliqui enim qui hæc impugnant, & Probabilioriſtis accedunt, Probabiliſtarum nomine non cenſentur. At P. Riccius, qui ſummam concordiam, & maximam uniformitatem doctrinæ inter Catholicos prætendit cum Probabilioriſtis oſtendere, tenetur

prorsùs

prorſus omnes uſque ad unum conciliare, ut concludat falſos clamores noſtros, & accuſationes, quod niſi complerè agat, nihil concludit.

1340 Ad id verò quod ſubdit conſequenter ad ſua dicta, quod illi ducenti Doctores, qui dicuntur ſtare pro licito uſu opinionis minùs probabilis, relicta probabiliore, in nullâ materiâ conveniunt, neque poſſunt poſt Innocentium convenire, ſed in quocumque genere alii aliis adverſantur. Dico id verum eſſe loquendo de probabilitate directa; nam in omni materiâ nunc pro lege, nunc contra; nunc quod eſt minùs probabile reſolvunt, atque ideò videntur alii aliis veriſſimè adverſari. At loquendo de probabilitate reflexa, gratis dicitur, & oppoſitum ipſimet communiter atteſtantur, dum commune eorum dictum eſt: licitum eſſe ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore. P. Riccius autem ſuum dictum arguit ex oppoſitione, quam inter ſe habent directè opinando: ſed jam oſtendimus indè non inferri, quod qui pro lege etiam probabiliùs multoties directè reſolvunt, negent hæc principia extrinſeca, & reflexam evidentiam indè emergentem, etiam pro opinione benignâ ſibi oppoſitâ, & minùs probabili. Quare cum dicit illos citari à Probabiliſtis ad terrorem, vel ad pompam, ſi ſerio id dicit, ſibimet præiudicat, vix enim credibile eſt à ſenſato viro id dici poſſe.

1341 Ad doctrinam illam Caramuelis, quam P. Riccius dicit deſumptam ex ſuo Lugone de compræcepto Eccleſiæ, &c. & ad illam aliam Patris Bardi de non recedendo à Veterum Theologorum doctrinâ, niſi &c. quam hic iterùm repetit ad confirmandum, quod iſti Doctores ſtent pro tutiore, & probabiliore ſententiâ, ac per conſequens non admittere poſſint judicia hæc reflexa, cum hæc, inquit P. Riccius, non poſſint ſtare cum tali doctrinâ. Reſponſum fuit ſupra in primâ diſſertatione pro quanto ſpectat ad probabilitatem directam: nunc autem addo, quod eſto hi Doctores cautè procedant in ſtabiliendâ probabilitate directâ, ita ut non facile reſolvant directè aliquid, ut probabile, niſi videatur magis accedere ad præceptum legis, quia tale probabile videtur quaſi compræceptum ab Eccleſiâ, ne mutetur, ſi ex tali mutatione contingat legem minùs cuſtodiri; vel niſi ſit iuxta mentem Veterum Theologorum, aut ex ſolidâ aliquâ ratione de novo occurrente rationabiliter recedens &c. eſto, inquam, ita ſit; non proindè ſequitur, quod negent principia hæc reflexa; falſum enim eſt quod hæc non poſſint ſtare cum tali doctrinâ, ut hactenùs oſtenſum eſt ex P. Cardenas.

1342 Quod denique P. Riccius impugnet hæc principia reflexa probando directè ea ad nihilum valere, nec aliquid re vera poſſe evidẽter probare, ex eo quod ſi valerent, valerent etiam ad deſtruendam omnem probabilitatem, & ad inducendam gravem obligationem, ut in dubio legis ſemper ſtemus pro lege. Hoc nobis non nocet, qui nullius roboris credimus huiuſmodi principia extrinſeca ſeu reflexa eſſe ad aliquid probandum. At nec ſibi prodeſt, qui non hoc monſtrandum aſſumpſit, ſed quod ea negent Recentiores Probabiliſtæ. Credidit autem P. Riccius quod ea directè impugnando, optimè poſſet inferri, non admitti à Probabiliſtis; ſed illatio hæc non tenet; benè tamen alia, videlicet, ergo malè ab illis admittuntur: hoc autem eſt potiùs impugnare Probabiliſtas, quàm defendere, & tamen ipſe eos defendere intendit, & eorum doctrinam propugnare.

1343 Nihilominùs verò expendamus eius argumenta ſi aliquid probent. Dicit ipſe, quod ſi hæc principia reflexa valerent, valerent ad deſtruendam omnem probabilitatem, & ad inducendam gravem obligationem, ut in dubio legis ſtemus ſemper pro lege. Sequelam probat, quia dũ Doctores diſputant de aliquâ concluſione, diſputant exercitè, aut etiam ſignatè de ratione illius concluſionis, num ſit gravis, aut levis; num probet, aut non probet; ergo ignoratur invincibiliter, num opinio illa ſit probabilis, ac per conſequens res diſputata manet in dubio ſuſpenſivo, & non in opinativo, cum pro neutra parte habeamus probabilitatem: in dubio autem ſuſpenſivo juxta communem Recentiorum Probabiliſtarum doctrinam, ſequenda eſt pars tutior, & ſtandum pro lege contra libertatem. Verùm ad hoc argumentum ſequelam negant Probabiliſtæ, & ad probationem ſimiliter negant antecedens, & eius ſuppoſitum; non enim Doctores cum diſputant de aliquâ concluſione in materia opinabili, diſputant exercitè, vel ſignatè de ratione concluſionis, num gravis ſit, vel levis: num probet, vel non probet; nam ſi concluſio eſt in ſe hinc, indè opinabilis, habetur à Doctoribus utriuſque partis, ut certò probabilis, & eorum contentio ſolùm eſt exercitè, vel ſignatè num rationes unius ſint efficaciores, vel minùs efficaces, quàm alterius, omnes tamen ſupponuntur graves, & ſufficientes ad probabilitatem, unde non reiiciunt oppoſitam ut improbabilem, ſed tantùm ut minùs probabilem; quare manet in eis dubiũ ſuſpenſivum ad ſummum de gradualitate gravitatis rationum, non autem de gravitate earum abſolutè, imò cum aliquali ſaltem tenui præponderatione in unoquoque pro ratione ſuâ magis, quam alterius. Quarè cum non dubitent de ſufficiente gravitate rationum utriuſque partis, ut ſupponit P. Riccius, ideò eius antecedens falſum eſt cũ ſuo ſuppoſito; ac propterea nihil probat pro eo caſu, quando concluſio eſt verè hinc, indè opinabilis, pro quo caſu loquuntur Probabiliſtæ, cum hæc principia reflexa admittunt; ut videri poteſt apud Joannem de Cardenas. Pro caſu verò quando non eſt hinc, indè concluſio verè opinabilis, non admittunt reflexa hæc principia; & tunc dici poteſt, quod diſputetur de

gravi-

gravitate, vel levitate rationum abſolutè, ut dicit P. Riccius, & non aliàs. Addo, quod, ut vidimus ſupra, & adhùc confeſſus eſt P. Riccius, non omnes Probabiliſtæ communiter docent in dubio ſuſpenſivo eligendam eſſe tutiorem partem. Ergo juxta iſtorum doctrinam, nedum non eſt bona ſequela Patris Riccii, ſed neque dato illo antecedente cum ſuo ſuppoſito, bona eſſet conſequentia illa, quod ſequenda eſſet pars tutior, ſed neganda. ac propterea contra iſtos nihil valet argumĕtatio P. Riccii.

1344 Secundò arguit P. Riccius, quod ſi hæc principia reflexa probarent, certè non probarent ex parte formæ, ſed ex parte materiæ; *Ergo probarent*, inquit, *ex vi aliorum principiorum, quæ ſunt propria materiæ, puta actus honeſtatis. Sed quæ ſunt*, ait, *hæc principia propria huius materiæ? Hæc fortaſſe: præcepta primæ tabulæ ſunt multò leviora, quàm ſecundæ, furtum eſt gravius Idololatria? Ergo quò quò te vertis, res hæc intolerabilibus erroribus ſcatet.* Ad hoc tamen argumentum reſpondent Probabiliſtæ juxta ſuam doctrinam, principia hæc reflexa probare tùm ex parte formæ, tum etiam ex parte materiæ ſimul conjunctim, & non diviſim; ac per conſequens ex vi etiam principiorum, quæ ſunt propria huius materiæ, nempè actus honeſtatis; & cum P. Riccius petit: *Et quæ ſunt hæc principia propria huius materiæ? hæc fortaſsè: præcepta primæ tabulæ ſunt multò leviora, quàm ſecundæ &c.* Reſpondent, nequaquam: ſunt hæc falso imaginata à P. Riccio: at vera principia ſunt ipſæmet rationes intrinſecæ ſeù principia propria probabilitatis directæ, quibus ſcilicet directè probatur de ipſis actibus eſſe licitos, & non contineri ſub prohibitione legis, ubi agitur de ſolâ actus honeſtate: uno verbo, eſt ipſamet probabilitas directa de licito in tali materiâ opinativâ. Quod ſi velit Riccius ſcire, & cur in materiâ de ſolâ actus honeſtate hæc principia probent, & non in materiâ juſtitiæ, vel ſimili, in quâ agitur de damno tertii? Reſpondent, quia ubi agitur de damno tertii, probabilitas directa ex principiis intrinſecis deſtruitur à jure certo deloris ſuperveniente, videlicet in Judice à pacto tacitè inito cum Republicâ exequendi munus ſuum omni meliori, & perfectiori modo, quo poteſt, ac proindè abdicat à ſe libertatem procedendi ſecundùm quamlibet probabilitatem; & ſimiliter in Medico, cum quo etiam ſupponitur tacita conventio facta ab infirmo, ut procedat tutiore viâ, & ſic de aliis ſimilibus. Quæ quidem jura impedientia non ſunt ubi agitur de ſolâ actus honeſtate, ut diximus ſupra ex P. Cardenas. Non eſt ergo diſparitas ea, quam fingit P. Riccius, quod leviora ſint præcepta primæ tabulæ, quã ſecundæ; ſed quia in illis, ubi agitur de ſolâ actus honeſtate, nullo certo jure cohibetur libertas agentis, quam ibi habet ex vi probabilitatis reflexæ fundatæ ſuper probabilitate directâ: in iſtis verò, ubi agitur de damno tertii, obſtat novum jus ſpecialis conventionis ſeu pacti tacitè initi, quo agens impeditur. Ita defendunt Probabiliſtæ ſua reflexa principia. Et licet veriſſimum ſit, quod dicit P. Riccius, doctrinam hanc de principiis reflexis intolerabilibus erroribus ſcatere; non proindè illa everti poteſt huiuſmodi argumentis Patris Riccii; ſed oportet aliis principiis eam impugnare, quemadmodum nos impugnavimus ſupra, ubi agebamus de Probabiliſmo directè.

1345 Tertiò arguit P. Riccius ex eo, quod hæc reflexa principia ita ducunt ad ſummum rigorem, ut ducant ſimul ad maximam laxitatem. Nam, inquit, qui agnoſcit ut vera hæc reflexa principia nullam poteſt reſpuere laxitatem, imò omnes laxas opiniones, quas alii docĕt ut merè probabiles, oportet quod ipſe agnoſcat ut extrinſecè probabiliores, & earum uſum licitum ut omninò certum, & ex his principiis reflexis demonſtratum; etiam ſi ipſe reiiciat opiniones illas ut intrinſecè parum tutas, parumque probabiles. Ergo non acutè, ſed valdè ruditer ſunt excogitata. Et paulo poſt ſubdit: *Ergo hæc extrinſeca principia niſi omninò reducantur ad intrinſeca, & directa, ſunt errorum omnium Apotheoſis, & merum diaboli commentum ab omnibus fugiendum.* Ad hoc argumentum reſpondent Probabiliſtæ negando antecedens quoad utramque partem; & quidem quoad primam; quod ſcilicet hæc principia ducant ad ſummum rigorem, patet reſponſio ex dictis ſupra ad rationes Riccii, quibus eam partem probaverat. Quoad ſecundam partem verò, quod ducant ſcilicet ad maximam laxitatem; quia qui ea ut vera agnoſcit, nullam poteſt reſpuere laxitatem, dicunt ſe plures laxitates indè reſpuere, videlicet eas omnes, quæ ſolùm ſunt probabiles ſpeculativè, vel ex quarum probabilitate directâ non valet conſequentia ad reflexam, & ſimiles, quas omnes expendit P. Joannes de Cardenas in ſuâ Criſi. Et ad id quod ſubdit P. Riccius, quod imò oportet, quod qui hæc reflexa principia agnoſcit ut vera, agnoſcat ut extrinſecè probabiliores etiam illas, quas alii docent ut merè probabiles, etiam ſi ipſe eas reiiciat ut intrinſecè parum tutas, parumque probabiles, & quod agnoſcat etiam earum uſum licitum ut omninò certum, & ex his principiis reflexis demonſtratum. Reſpondet P. Joannes de Cardenas id non eſſe inconveniens loquendo in diverſo genere probabilitatis & certitudinis, ut vidimus ex eodem paulò ſuperiùs. *Id enim quod eſt directè probabile*, inquit P. Cardenas, *eſſe licitum, eſt certò licitum, & tutum judicio reflexo, quantumvis, ut probabile judicio directo, non ſit certò licitum, nec certò tutum; quia certum eſt eſſe licitum, & tutum ſequi opinionem probabilem.* Quare juxta doctrinam Probabiliſtarũ non eſt abſurdum, quod id quod eſt directè minùs probabile licitum, dummodò

ſit verè probabile, dicatur reflexè certum, & evidenter certò licitum; quantumvis ab ipſiſmet per judicium directum reiiciatur illud ut minus probabile, & ſuſtineatur oppoſitum. Ex quibus conſtat fruſtra Patrem Riccium his argumentis impetere principia hæc reflexa, ut inde quaſi conſequenter poſſit deducere ea non admitti à Recentioribus Probabiliſtis, quia illi, & illa expreſsè docent, & argumentis Patris Riccii reſpondent. Et ideo eorum reſponſiones placuit hîc adducere, non quod ego eas probem, ſed quia volui ex hujuſmodi adductis ſolutionibus eorumdem Probabiliſtarum, manifeſtius fieri, quod ea principia reflexa admittunt, & acerrimè propugnant.

1346 Cæterùm ex proprio ſenſu loquendo, dico veriſſimum eſſe, quod hæc principia reflexa ad maximam utique laxitatem ducunt, quia hoc ipſum quod dicunt Probabiliſtæ ex his principiis, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, modò verè probabilem, ſumma laxitas eſt. Eamque optimè vidit P. Riccius, & benè probavit, ſed fruſtra ad intentum ſuum. Et benè quoque dixit; ergo non acutè, ſed valdè ruditer ſunt excogitata; licet ſuprà ex ſuo Patre Mendo dixerit ea acutè, & ingenioſè quidem, non verè fuiſſe dicta. Et optimè tandem ſubdit eſſe errorum omnium Apotheoſim, & Commentum Diaboli ab omnibus fugiendum; Teſtimonium enim hoc in ſeipſo veriſſimum eſt. Sed qualecumque ſit ad intentum ſuum non conducit, nà re vera ea communiter Probabiliſtæ Recentiores admittunt, & unicè illis inſiſtunt.

1347 P. Riccius tandem ex eo, quod ultimatè dixerat in ſuo hoc tertio argumento mox relato (nempè quod qui hæc principia extrinſeca, ſeù reflexa agnoſcit ut vera, oportet, quod agnoſcat etiam ut omninò certum, & ex his reflexis principiis demonſtratum uſum licitum earum opinionum probabilium, quas ipſe reiicit ut minùs tutas, minùſque probabiles) exiſtimat poſſe ſatis concludere quaſi benè inferendo, & per legitimam conſequentiam, intentum ſuum principale, quod videlicet Probabiliſtæ Recentiores ea principia nullatenùs admittant. Unde ſic format indè noviſſimum diſcurſum ſuum. *Et quia*, inquit, *nemo unus eſt, qui dum reiicit aliquam opinionem ut minùs tutam minùſq; probabilem, concedat demonſtrari uſum licitum illius opinionis, quam ipſe reiicit; nemo unus eſt, aut eſſe poteſt, qui cum Mendo non fateatur hæc reflexa principia probare nimis, ergo nihil; ergo nemo unus eſt, aut eſſe poteſt, qui hæc reflexa principia ut omninò falſa in quavis materia non reiiciat.* Ecce quâ arte, & induſtriâ credit poſſe intentum ſuum concludere ex præmiſſo ſuo diſcurſu. Et paulò poſt idipſum confirmat, dicens, quod *ſi pro una parte ſtat demonſtratio ſive directa ſive reflexa, altera pars oppoſita non poteſt eſſe probabilis, quia nulla opinio probabilis habet contra ſe demonſtrationem.*

1348 Verùm his verbis P. Riccius aerem verberat, & in vacuum laborat. Nam contrà dicam ego, & veriſſimè, ipſiſmet Recentioribus Probabiliſtis mihi teſtimonium perhibentibus, quod omnis unus ex eis palàm fatetur, & acerrimè contendit, affirmans verè demonſtrari demonſtratione reflexa uſum licitum cujuſlibet opinionis probabilis, & etiam illius, quam ipſe directè reiicit ut minùs tutam minùſque probabilem. Nam communiſſimè omnes, & unanimi conſenſu, atque unâ voce proclamant, & concelebrant propoſitionem illam: licitum eſt ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, relicta tutiore & probabiliore, modò illa ſit verè probabilis. Et quidem quid aliud ſonat propoſitio hæc? quid aliud affirmat hoc effatum, niſi quod opinio minùs probabilis, & ut minùs probabilis jam ab ipſiſmet directè judicata, atque ideò qua talis ab ipſis rejecta, ſit certò licita quoad ejus uſum, & ut omninò certa ab ipſiſmet judicata per judicium reflexum, ex hoc ipſo quod verè probabilis, licet minùs probabilis, quàm oppoſita? Et undè hanc certitudinem fatentur, niſi ex demonſtratione reflexà, quam dicunt? Ergo omnis unus ex eis concedit, & publicè docet demonſtrari uſum licitum etiam illius opinionis, quam ipſemet directè reiicit, ut minùs tutam, minùſque probabilem. Nec opponuntur juxta eorum Doctrinam minor probabilitas opinionis de licito directa, cum certitudine, & evidentiâ reflexa ejuſdem, ut vidimus ſuprà ex P. Cardenas. Fruſtrà ergò, & in vacuum laborat P. Riccius, & aerem inaniter verberat ſuis illis vocibus apparentibus, cùm nihil indè concludere ad intentum ſuum poſſit de Probabiliſtis ſuis, ipſiſmet in oppoſitum apertiſſimè reclamantibus. Ubi ergo eſt eorum concordia cum Probabilioriſtis? Cùm ſatis ex hucuſque dictis conſtet illos admittere hæc principia reflexa ubi agitur de ſola actus honeſtate?

§. V.

Summa doctrinæ ejuſdem Authoris in quarto capite.

1349 IN hoc capite oſtendit P. Riccius ſpecialiter falſitatem illius principii reflexi, videlicet: ubi Doctores hinc indè diſputant, lex invincibiliter ignoratur, & ſupponitur non ſufficienter intimata. Et quia hoc principium fundatur in hoc, quod videtur impoſſibile, legem ſufficienter intimatam ignorari à Viris piis, prudentibus, & doctis, poſt longas, & diuturnas diſcuſſiones; ideò hic expendit fundamentum hoc ſeu dictum, quo aliqui in hac materia utuntur, nempè: *legem ſufficienter intimatam non ignorant Viri pii, prudentes, ac docti, poſt longas, & diuturnas diſcuſſiones*; Ex hoc enim quidam inferunt, quod ſi

multi

multi eorum reſolvunt partem negativam, & negant legem aliquando extare, & in hoc contingit eos errare, jam illam ignorant; ergo lex non ſupponitur tunc ſufficienter intimata, atque ideò invincibiliter ignoratur. Quod tamen falſum eſſe conatur P. Riccius hîc oſtendere. Ad hoc autem oſtendendum præmittit valdè diverſa eſſe inter ſe hæc duo, videlicet: *legem ignorare, & legem non comprehēdere.* Et rurſus: *legem non eſſe ſufficienter intimatam, & legem non ponere explicitè quidquid implicitè comprehendit.* Quâ diſtinctione præmiſsâ probat, falsò dici legem non eſſe ſufficienter intimatam, ex eo quod lex in ſui promulgatione non deſcendit explicitè ad omnia, quæ ſub ſe implicitè comprehendit; & ſimiliter falsò dicitur invincibiliter ignorari, per hoc quod non comprehenditur, ſeù per hoc quod nō cognoſcuntur explicitè omnia ea, quæ comprehendit: alioquin omnis lex non eſſet ſufficienter promulgata, & omnis lex invincibiliter ignoraretur; quod eſt manifeſtè falſum. Neque enim ut ſufficienter promulgetur lex, exigit, ut explicitè intimetur quoad ſingulos caſus, quos cōprehendit, quia nec poteſt ad ſingulos deſcendere; neque ſi poſſet, expediret; quia pareret maximam confuſionem, & ferè numquam finiretur intimari. Quare cum diſputant hinc indè Doctores de aliquâ lege, non ignorant legem, quinimò illam certò, & evidenter ſciunt; ſed quia illam non comprehendunt, diſputant nùm aliquando ad hoc, vel illud ſe extendat; ad has, vel illas circūſtantias, &c. Quod ſi quis obiiciat, inquit P. Riccius, quod ſaltem invincibiliter ignoratur quoad hæc, de quibus hinc indè diſputant, nùm lege comprehendantur. Reſpondet, quod tunc obligamur ad eam legem ſervandam etiam quoad ea, de quibus eſt ambiguitas, ſi non ex vi illius particularis legis directè, & per ſe; ſaltem ab alia lege univerſali, quæ non ignoratur, videlicet ex illa regula; *Inſpicimus in obſcuris, &c.* vel illa aliâ, *in dubiis tutior pars eſt eligenda.* Ac per conſequens numquam ſequitur, quod liberi ſimus à lege ex vi talis ignorantiæ.

1350 Præterea, inquit, eſto invincibiliter ignoretur nùm aliquid comprehendatur ſub prohibitione legis, v.g in lege de uſurâ nùm comprehendatur hic contractus, vel non; ſeu quod idem eſt, ſi ſit hic contractus uſurarius, vel non: conſtat tamen evidenter ex ipsâ opinionum varietate hunc contractum habere ſpeciem illiciti, & uſurarii, dùm plures Doctores ex gravi ratione nondùm ſolutâ, expreſsè docent eſſe uſurarium, & illicitum. Quo ſuppoſito non ſolùm ſtat lex illa humana canonica, & civilis, *Inſpicimus in obſcuris, &c.* Quæ jubet quid durante tali ignorantiâ, & obſcuritate facto ſit opus, ſed etiam lex divina: *Ab omni ſpecie mali abſtinete vos. ad Theſſalonicenſes quinto. Et dicit ſpecie* ut exponit ibidem D. Thomas *lect.* 2. quia etiam quæ habent ſimilitudinem malitiæ vitare debemus.

Et hinc, ſubdit idem P. Riccius, docent communiter Probabiliſtæ, ut pluries vidimus in primâ diſſertatione, ad practicam probabilitatem requiri, ut ſolvantur argumenta contraria, & ita quidem ſolvantur, ut non ſit prudenter dubitabile de oppoſito; nam hoc poſito, non remanet ſpecies mali, à qua jubemur abſtinere. Ergo dum Doctores ex gravi ratione diſputant hinc, & indè, patet manifeſta prohibitio.

1351 Poſt hæc dicit in hac ignorantiâ ortâ ex varietate opinionum habere locum doctrinam Cardinalis de Lugo, Caramuelis, & Bardi, quam ſupra adduxerat de compræcepto illo Eccleſiæ, de non recedendo à Veterum Theologorum doctrinâ: & ſimiliter habere locum doctrinam Reginaldi de requiſitis ad conſtituendam in dubio ignorantiam invincibilem: & etiam habere locum doctrinam Patris Cardenas de tenui probabilitate; & ulteriùs ſui Antonii Perez; & ſimilia ſuperiùs ab ipſo allegata, quibus conatus fuerat oſtendere de Probabiliſtis ſuis, quod velint ſequenda eſſe probabiliora, & tutiora, ut vidimus iam in diſſertatione præcedente, & capitibus eius uſque modò ſufficienter diſcuſſis.

1352 Denique arguit ad intentum ſuum ſic: quidquid poteſt prudenter de lege credi verum, nec prudenter poteſt negari ut falſum, eſt ſufficienter intimatum, & non ignoratur invincibiliter: ſed diſputantibus hinc, & indè Doctoribus, id quod gravioribus probatur argumentis, poteſt prudenter credi verum, nec poteſt negari prudenter, ut falſum. Ergo diſputātibus hinc, indè Doctoribus, quidquid gravioribus probatur argumentis, non ignoratur invincibiliter, ſed eſt ſufficienter intimatum. Et minorem, inquit, admittunt Probabiliſtæ Perez, Moya, Arriaga, ut omninò certam. majorantem tam certa videtur, ait, quàm certa eſt fides humana, alioquin ſi dicendi ſumus invincibiliter ignorare id, quod prudenter credimus eſse verum, nec niſi imprudenter negamus ut falſum; ea omnia, de quibus ſumus certi moraliter, & non methaphiſicè, ignoramus invincibiliter. quo quid abſurdius?

1353 Et iterùm epilogando hûc uſque dicta, dicit: Igitur primò falſum omninò eſt invincibiliter ignorari legem aliquam, ex eo præcisè, quod de ea Doctores hinc, & indè diſputent, ſi pro ea ſtent validiores rationes. Secundò eſto lex illa particularis, de quâ diſputatur, ignoretur invinciliter; at certò ſcitur lex illa univerſalis, quæ ſtatuit; quid, ſtante tali ignorantia, & obſcuritate ſit faciendum; videlicet; *Inſpicimus in obſcuris &c. & ab omni ſpecie mali abſtinete vos.* Et ſtante æqualitate rationum pro utraque parte, neutra poteſt prudenter credi vera, vel falſa, & hinc dicitur in tali caſu ſequendam eſſe tutiorem ex Bardi, Scildere, Reginaldo &c. Et ſimiliter repetit quod non poteſt minùs tuta minùſque probabilis,

ex

ex principiis reflexis eſſe certa, & demonſtrata; alioquin oppoſita pro lege etiam probabilior non eſſet probabilis, imò evidenter falſa. Quod, inquit, quis credat?

1354 Ultimò tandem arguit ex ſubiectione quàm habemus Deo, ſupra quam quibuſcumq; aliis ſuperioribus, ſine quorum licentia nulla ſunt vota noſtra, ut conſtat de uxore erga maritum, & ſubdito erga prælatum: ergo nobis in dubio legis incumbit poſitivè probare, inquit, hoc vel illud eſſe à Deo permiſſum, alioquin diſponimus de re alienà, & violatur in re gravi ius divinum, ſi non conſtet de illius permiſſione, & conceſſione; dum autem Doctores hinc indè diſputant, non conſtat utique conceſsio. Hæc P. Riccius in hoc capite.

Criſis præcedentis doctrinæ adversùs eius Authorem.

1355 CErtè, quæ in hoc capite dicit Pater Riccius ad oſtendendam falſitatem illius principii reflexi, nempè quod ubi Doctores hinc indè diſputant, lex non eſt ſufficienter intimata, & invincibiliter ignoratur; veriſsima in ſeipſis eſſe cenſeo, & veritatem optimè concludere. Veriſsimum enim eſt, falſum eſſe huiuſmodi principium reflexum, & ſufficientiſsimè eius falſitas prædictis rationibus à P. Riccio productis oſtenditur. At quod hæc ſit doctrina Recentiorum Probabiliſtarum, quod eſt præcipuum ipſius intentum hìc concludendum, eſt merum eius commentum plùs nimio violentum. Neque à P. Riccio hìc ſpeciali aliquâ ratione probatur; ſed ſupponitur quaſi quid optimè conſequens ad præſentem hanc ſuam doctrinam, & diſcurſum, & etiam ad doctrinam ſuperiùs ab ipſo allegatam in capitibus, & diſſertatione præcedentibus, quaſi iam ibi hactenùs deductam, & fideliter depromptam ex eiiſdem ſuis Probabiliſtis Recentioribus ibi citatis; cum re vera ex illis nullatenùs deduci poſſit, ut contra ipſum ad hominem poſt ſingula eius capita diſtinctiſsimè demonſtratum eſt.

1356 Quod ſi velis, lector, me & hìc quoque idipſum ſpecialiter demonſtrare, id iterùm lubenter faciam, & breviter expediam. Mecum attende: P. Riccius dicit hìc falſum eſſe quod diſputantibus hinc indè Doctoribus, & pro utraque parte probabiliter opinantibus, lex invincibiliter ignoretur, & non ſit ſufficienter intimata. Videamus ſi id dicant ſui Probabiliſtæ; & interrogemus de hoc ſuum Ioannem de Cardenas; reſpondet iſte oppoſitum concludẽdo *in ſua Criſi Theologicâ tract. 1. de probabilitate diſp. 15. cap. 3. art. 3. num. 75.* ſic dicens: *Hinc eſt quod quando homini occurrit ratio merè probabilis pro libertate contra legem, ea ignorantia maneat invincibilis, iuxta ea, quæ aſſerit P. Vaſquez relatus ſupra num. 71.* Quid clariùs dicere potuit Pater Cardenas contra dictum Riccii ex P. Vaſquez, quem citat, & ſequitur? dixit apertè, quod ignorantia legis, ex mera ratione probabili homini occurrente, manet invincibilis, & conſequenter non eſt lex ſufficienter intimata, repugnat enim legem, quæ ſupponitur alicui ſufficienter intimata, invincibiliter ignorari ab illo: At diſputantibus hinc indè Doctoribus, & pro utraque parte probabiliter opinantibus, procul dubio ſemper occurrit homini ratio ſaltem merè probabilis pro libertate contra legem, dum eligit ſequi eos Doctores, qui pro hac parte opinantur: ergo ex vi huius opinionis lex iuxta Patrem Cardenas invincibiliter ignoratur, & ſupponitur non ſufficienter intimata. Et totum hoc nedùm docet P. Cardenas, ſed nititur illud probare, quia ſcilicet ſtante ratione merè probabili (quod idem eſt ac dicere, ſtante pro ea parte opinione merè probabili) non tenetur ampliùs homo ſcire; & qui non tenetur ſcire, dicitur invincibiliter ignorare, etiam ſi poſsit; quia in eo caſu ex unâ parte, dum ſibi lex non conſtat, non ſupponitur ſibi intimata; ex alia verò parte non tenetur ampliùs de ea inquirere, & ſcire; ac per conſequens quod ſibi nondùm intimetur, non poteſt ei ad culpam imputari. Hæc ſunt principia Patris Cardenas, quibus probat, quod ſtante opinione merè probabili contra legem, lex invincibiliter ignoratur, quod ex diametro opponitur dicto Patris Riccii. & principia hæc Pater Cardenas credit deſumere ex D. Thoma: Audi lector eius verba ad literam immediatè poſt ſuperiùs allegata: *Nam*, inquit, *ut aſſerit S. Thomas quodlib. 7. art. 15. referendus infra cap. 6. art. 3. ea ignorantia eſt inculpabilis, ſive invincibilis, quæ verſatur circa id, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur. Undè propoſita eâ quæſtione (an ſit obligatus reſtituere, qui damnum grave intulit cum ſolà culpa veniali?) dum homo ignorat, quæ pars quæſtionis ſit à parte rei vera; & videt ſibi impoſſibile ſcientiam acquirere eius obiecti; ſi non ſibi occurrit ratio probabilis pro libertate, & occurrit ei ſufficiens deliberatio ad dubitandum; ignorantia manet vincibilis; quia poteſt, & tenetur reducere ſe ad dubium, in quo tutiorem partem ſequatur pro lege contra libertatem, & ſic vincere practicè eam ignorantiam. Si verò occurrat ei ratio probabilis pro libertate contra legem (iuxta ſententiam eorum, qui docent, non adeſſe in eo caſu obligationem ſatisfaciendi) ignorantia manet invincibilis; non quia non poſſit dubitare, & in dubio ſequi partem tutiorem; ſed quia propter rationem probabilem, non tenetur eo modo vitare ignorantiam.* Hæc P. Cardenas. Quid clariùs ad deſtruendum totaliter dictum P. Riccii?

1357 Addo quod in his verbis plura ſunt cõſideratione digna adverſus dicta Patris Riccii. Et primò quidem conſiderandum eſt, quod P. Cardenas admittit ignorantiam invincibilem legis, ubi hinc indè variè opinantur Doctores. Secundò quod admittit hanc ignorantiam

tiam invincibilem, & excuſantem à peccato etiam ſtante varietate opinionum, & nondùm adæquatè ſolutis argumentis oppoſitæ partis ſtantis pro lege, adeò ut non poſſit prudenter de hac dubitari, ut conſtat in poſtremis verbis eius, ibi: *Si verò occurrat ei ratio probabilis &c. Ignorantia manet invincibilis, non quia non poſſit dubitare, & in dubio ſequi partem tutiorem, ſed quia propter rationem probabilem, non tenetur eo modò vitare ignorantiam.* Tertiò quod totum hoc tenet nedùm ubi quæſtio eſt de ſola actus honeſtate; ſed etiam ubi agitur de damno tertii (licet in hoc alibi ſibi contradicere videatur) quia hic exemplificat de quæſtione ſatisfaciendi damno illato cum ſolâ culpâ veniali. Quæ omnia adverſantur manifeſtè dictis Patris Riccii. Quâ ergo veri ſpecie ſuadere poteſt de Probabiliſtis ſuis, quod hæc principia reflexa negent; & quod negent hanc invincibilem ignorantiam legis, ubi eſt varietas Doctorum, niſi prorſus ſolvantur argumenta opinionis ſtantis pro lege, adeò ut non poſſit ampliùs manere probabilis, nec poſſit prudenter de eius veritate dubitari? Et quo fundamento poteſt nominatim de P. Cardenas dicere, quod hic locum habeat eius doctrina ſuperiùs allegata de tenui probabilitate, maximè in eo ſenſu ab ipſomet P. Riccio explicatâ, & ita ibi extensâ, ut indè deduxerit ferè nullam opinionem benignam non eſſe tenuem, & dubiam? qui quidem ſenſus nimis alienus eſt à P. Cardenas: At P. Riccius ex induſtriâ ſenſum huiuſmodi extorſit, quia alioquin non potuiſſet dicere habere hic locum doctrinam illam. Sed iam hunc ſenſum ſuprà reiecimus, & nunc iterùm evidentiùs reiicimus ex ipſomet Cardenas mox allegato.

1358 Hanc etiam ignorantiam invincibilem, diſputantibus hinc indè Doctoribus, deſumpſit P. Cardenas ex P. Vaſquez *tom.* 1. *in primam partem diſp.* 117. *num.* 2. ut refert idem Cardenas *loc. cit. num.* 71. ubi verba Vaſquez ſic refert: *Hæc* (ignorantia) *dicitur invincibilis, vocatur etiam probabilis. Invincibilis quidem quando nullâ diligentia humana impediri poterit. Probabilis verò, quia licet potuerit vinci, non tamen debuit; eo quod probabili ratione ſic iudicatum fuit, ultra quod nullus debet inquirere. quæ etiam, ut ait Corduba loco inferiùs allegando, eadem ratione dici poteſt invincibilis, quia licet potuerit ſuperari aliquo modo, (quiſque enim poteſt opinionem, quam putat probabilem, retinere) tamen eâ diligentiâ, quam debebat adhibere, non potuit, eo ipſo quod non debuit.* Hæc Vaſquez apud Cardenas.

1359 Ubi conſtat ex P. Vaſquez duplicem eſſe ignorantiam invincibilem; alteram, quæ nullâ humanâ diligentiâ impediri poteſt. Alteram verò alio nomine probabilem dictam, quæ licet vinci poſſit, non tamen debet, hoc ipſo quod probabili ratione ſic iudicatur, quia habitâ probabili ratione nullus ultrâ tenetur inquirere; *quiſque enim*, inquit ex Corduba, *poteſt opinionem, quam putat probabilem, retinere*. Ergo ex Patre Vaſquez, ex opinione probabili contra legem, quam quis ſequitur, relictâ oppoſitâ pro lege, oritur ignorantia quædam invincibilis, quam probabilem vocat, iuxta quam agens agendo non peccat, quia non tenetur eam vincere, ſe reſolvendo in dubium, & eligendo tutiorem partem, ut exponit P. Cardenas; quia non tenetur, licet poſſit de oppoſitâ dubitare, & ignorantiam vincere practicè per electionem tutioris partis. Ubi ergo eſt regula illa apud Probabiliſtas: *In obſcuris inſpicimus &c.*? Ubi: *In dubiis pars tutior eſt eligenda?* Ubi: *Ab omni ſpecie mali abſtinete vos?* Quantumcumque ergo P. Riccius ex regulis iſtis; & legibus, quas univerſales appellat in quocumque dubio, ſive ſuſpenſivo, ſive opinativo; ſive in materiâ juſtitiæ, & ubi agitur de damno tertii, ſive ubi de ſolâ actus honeſtate, benè concludat non ignorari invincibiliter legem diſputantibus hinc indè Doctoribus; numquam tamen poterit ſuadere hanc eſſe doctrinam Probabiliſtarum.

1460 Fruſtra ergo deſudat, & gratis omninò dicit in hac doctrinâ locum habere doctrinas ſuorum Probabiliſtarum Lugonis, Caramuelis, Bardi, Reginaldi, Antonii Perez, Cardenas, & aliorum, quas omnes ſingillatim ſuprà vidimus, & alienas à ſuis Authoribus eſſe monſtravimus in eo ſenſu, quo à P. Riccio interpretatæ afferuntur. Atque ideò ne eadem repetamus, brevitatis gratia omittimus ad huiuſmodi epilogationes, vel probationes iteratas, ac moleſtiſſimè repetitas iterùm reſpondere; ſatis enim ad eas omnes in ſuperioribus dictum eſt.

§. VI.

Summa doctrinæ eiuſdem Authoris in quinto capite.

1361 ASſumit hic P. Riccius expendendum principium illud reflexum: *Qui ſequitur viros pios, prudentes, & doctos, prudenter, ac licitè operatur*. Et antequàm de illo reſolvat, an & quomodò Recentiores Probabiliſtæ illud admittant, exponit primò quid de illo dicatur, & concomitanter quid de aliis principiis reflexis, apud ipſos Probabiliſtas compertum ſit. Et dicit quod vi, & virtute huius principii, dicitur omninò certum eſſe apud Recentiores Probabiliſtas, licitum eſſe cuique ſequi partem minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore etiam propria; & etiam ſi minùs tuta, minùſque probabilis credatur falſa; & propria, quæ ſupponitur tutior, & probabilior, credatur vera; idque tam certum eſſe, ac licitum, quàm certum, & licitum eſt ſequi viros pios, prudentes, & doctos,

ex illo communi, & antiquo proverbio, quod *ſtandum eſt peritis in arte*: Et tunc, inquiunt, agens non regulatur ex proprio privato dictamine ſuæ opinionis propriæ tutioris, & probabilioris; ſed ex hoc principio reflexo: *Qui ſequitur viros pios &c.* quatenùs ex eo format ſibi dictamen ultimum practicum de licito; & ideò non operatur contra conſcientiam, ſed ex fide certà, reflexà tamen. Et idem dicunt de aliis principiis extrinſecis ſeu reflexis; nam certum videtur actum regulatum ex his principiis extrinſecis reflexis, regulari ſecundùm ſcientiam, & veritatem, ſeu ut exigit Apoſtolus, *ex certa fide*. Non ſic autem ex probabilitate directà ſive intrinſecà, & fundata in ratione, ſive extrinſecà, & fundata in authoritate; quia hæc non ſufficit ad totum hoc, & ad licitè operandum.

1362 Et ratio eorum eſt, quia ad licitè operandum, inquiunt, requiritur moralis certitudo de licito, & talis, quæ non relinquat oppoſitam probabilitatem de illicito. Nam ſi adhuc maneat probabile, quod aliquid ſit illicitum, certum eſt peccare, qui facit illud; quia qui facit, quod probabile eſt eſſe illicitum, procul dubio peccat, ut probat Terillus *de conſcien. probab. diſcept.* 22. ex Carthuſiano, Navarro, & Cajetano. Et quia hæc moralis certitudo, ſeu evidentia de licito non habetur ex principiis directis, dicitur haberi ex principiis reflexis, & evidentia reflexa appellatur. Stante autem hac evidentiâ, & morali certitudine pro licito, non ſtat ampliùs probabilitas pro illicito; undè tunc agens non facit illud, quod probabile eſt eſſe illicitum, & ideò non peccat. Atque hinc dicunt, quod ſententia, quæ ſtat pro illicito remanet in confinio improbabilitatis; ut videri poteſt apud Terillum *diſſert.* 22. citata. Hoc autem non poteſt efficere probabilitas directa. Dicunt tamen quod licet probabilitas directa ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, non ſufficiat ad hanc moralem certitudinem, & ad licitè operandum, nihilominùs fundat illam; quatenùs ſtante probabilitate Doctorum pro utraq; parte, evidenter fundatur quod lex non ſit ſufficienter intimata, & invincibiliter ignoretur, dū de ea viri docti hinc indè diſputant, ac per conſequens non obligat. Ergo evidenter indè, & certò moraliter habetur, licitum eſſe illud agere, de quo viri docti hinc indè diſputant, & viri pii, prudentes, ac docti credunt eſſe licitum. Et hæc eſt evidentia reflexa, quæ non relinquit probabilitatem oppoſitam de illicito; quia certum eſt non eſſe illicitum id, quod invincibiliter ignoratur prohiberi à lege; atque ideo probabilitas de illicito ponitur in confinio improbabilitatis. Ita exponit ex Probabiliſtis P. Riccius doctrinam de principiis reflexis.

1363 Deindè ſubdit: *Ergo probabilitas directa de licito* (per Probabiliſtas) *fundat moralem certitudinem, ſeu evidentiam reflexam de licito, & ponit probabilitatem de illicito in confinio improbabilitatis. Eſto, ut habet. Sed vide quot, & quanta requirantur ex communi Recentiorum Probabiliſtarum doctrinâ, ut opinio benigna ſit probabilis practicè, & non merè ſpeculativè; & cōſequenter vide quot, & quanta requirantur ad habendum fundamentum moralis certitudinis, ſeu evidentiæ reflexæ de licito. Conſule quæ dicta ſunt in priori diſſertatione præſertim cap. 5. & quidem ex communi noſtrorum Probabiliſtarum doctrinâ; & ubi illa omnia repereris, do tibi libentiſſimè probabilitatem directam ſive intrinſecam, ſive extrinſecam fundare moralem certitudinem de licito, ſeu reflexam evidentiam, ex qua deindè tamquàm à principio proximo reguletur licita operatio, ſeu uſus licitus opinionis benignæ ſtantis pro licito, & libertate. Si verò conditiones illas non repereris, iam omnibus Probabiliſtis, & manifeſtæ rationi te opponis, ſequendo partem viſam minùs tutam, minùſque probabilem.*

1365 His poſitis redit P. Riccius ad principium expoſitum: *Qui ſequitur viros pios, prudentes, ac doctos, prudenter, ac licitè operatur.* Et diſtinguit illud ſic: *Qui ſequitur in eo, in quo faciunt probabilitatem practicam; verum eſt iuxta omnes Probabiliſtas, & Probabilioriſtas: In eo in quo faciunt probabilitatem merè ſpeculativam; falſum eſt iuxta omnes Probabiliſtas, & Probabilioriſtas. Qui autem ſint*, inquit, *Characteres proprii probabilitatis practicæ habes ex communi noſtrorum Probabiliſtarum doctrina diſſert. 1. cap. 5. & paſſim alibi; & habes etiam quæ ſit ratio gravis, & quæ gravis authoritas ad faciendam probabilitatem practicam ſufficiens.*

1365 Eodem modo diſtinguit illud aliud principium: *Qui operatur ex ratione gravi prudenter & licitè operatur. Verum eſt*, inquit, *ſi ſit gravis, quæ faciat opinionem benignam practicè probabilem. Secus verò, ſi ſolùm faciat probabilem merè ſpeculativè. Ergo*, infert, *ſive inſpiciat principia directa, ſive reflexa, nunquàm poteris ad laxitatem declinare, niſi priùs a communi Recentiorum Probabiliſtarum doctrinâ declines.*

1366 Et confirmat hoc ulteriùs ſic arguendo: *Hoc argumentum*, inquit, *qui ſequitur viros pios &c. fieri poteſt in omni materiâ, in quâ Doctores contraria opinantur, ſive ſimus in dubio merè ſuſpenſivo, ſive in opinativo; & tamen à nullo conceditur in omni materiâ.* Quaſi velit dicere: Ergo à nullo conceditur efficere evidentiam reflexam ſemper, & ubicumque, ſed ſolùm ubi ſupponitur probabilitas practica directa, quæ non in omnibus opinionibus reperitur, ex defectu conditionum, quas iidem Probabiliſtæ requirunt ad probabilitatem practicam. Et indè deſcendit ad exempla quorumdam Doctorum, dicens: *Certè Mendo non concedit prudenter ac licitè operari eos, qui ſequuntur illos Doctores, qui docent peccatum ſuſpenſivè dubium non eſſe aperiendum in confeſſione.*

ſeſſione. Neque Caramuel, & alii, concedunt licitè operari ſubditum non obediendo Superiori legitimo in caſu varietatis opinionum. Et ſic de ſingulis.

1367 Ex quibus infert, *docent ergo Recentiores Probabiliſtæ, & benè docent, licitum eſſe ſequi &c. ſed poſtquam docuerunt tot, ac tanta requiri ad practicam probabilitatem directam, ut licitè ſtes pro libertate; nam ſolùm poſitis illis requiſitis fundari poteſt in illa moralis certitudo, & evidentia reflexa de licito, ex principiis reflexis, & non aliter. quibus conditionibus poſitis nullum inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas diſcrimen eſſe poteſt; ſed ſolùm ſupereſt ut à Novatoribus diſcordent utrique, ut pluries in priori diſſertatione oſtenſum eſt; aut à ſeipſis diſcordent Porbabiliſtæ, ſuæque ſint immemores doctrinæ, quod non facilè crediderim.* Hæc P. Riccius

1368 Atque hinc concludit quod omnia, quæ in hac materia de conſcientia probabili dicuntur à Probabiliſtis fundantur in definitione opinionis probabilis; quatenùs ea eſt, quæ innititur rationi gravi, vel gravi authoritati; ſeu quod idem eſt motivo magni momenti. Ita quod juxta omnes Probabiliſtas donec habeatur ratio gravis, vel gravis authoritas, non habetur probabilitas practica. Et rursùs authoritas gravis eſt, quæ vel expreſſè innititur rationi gravi, ſi ratio adducatur à Doctoribus; vel prudenter ſupponitur innixa rationi gravi, ſi ratio à Doctoribus non adducatur. Ac propterea ſi certum eſt rationem adductam, vel prudenter præſuppoſitam, eſſe gravem; certum pariter erit opinionem illam Doctorum eſſe probabilem. Si dubium erit, num ratio ſit gravis; dubium pariter erit, nùm opinio ſit probabilis. Et ſi certum erit rationem non eſſe gravem, certum etiam erit opinionem illi innixam non eſſe probabilem. Et ſi ratio nō ſit gravis; neque gravis erit authoritas, neque opinio erit probabilis, ac per conſequens neque principia extrinſeca ſeu reflexa habebunt locum. Nam Probabiliſtæ dùm dicunt, quod *cum Doctores hinc indè diſputant de licito, lex non eſt ſufficienter intimata, & invincibiliter ignoratur*, ſupponunt pro utraque parte adduci rationes graves. Et idem eſt cum dicunt, *qui ſequitur Viros pios prudentes, &c.* Supponunt enim illos habere rationes graves. Quod ſi ceſſet veritas ſuppoſitionis, non habebunt locum principia hæc reflexa. Ergo omnia, quæ in hac materia dicuntur à Probabiliſtis pro uſu licito ſententiæ benignæ fundantur in notione rationis gravis, ſeu motivi magni momenti. Et hinc oritur omne principium, & hùc referendus eſt omnis exitus. *Pete igitur*, inquit P. Riccius, *ab ipſis Probabiliſtis, quæ ratio ſit gravis, & undè dignoſcenda ſit juxta eorum doctrinam; & ubi certò eam videris eſſe, vel non eſſe, aut dubitari; ibi certo habebis eſſe, vel non eſſe opinionem probabilem, vel eſſe in dubio. Ubi autem non eris de ratione gravi certus; juxta ipſoſmet Probabiliſtas mortaliter peccabis ſequendo benignam opinionem Doctorum, quia tunc in eà non fundatur moralis illa certitudo requiſita, ſeu evidentia reflexa juxta eorum doctrinam.*

1369 *Similiter*, inquit, *vide ſi ratio gravis, & magni momenti poſſit eſſe pro utraque parte contradictionis, hoc eſt ſi rationibus utrinſque partis poſſit competere ſimul notio ſeu definitio rationis gravis; & vide etiam ſi poſſit competere rationibus minùs efficacibus unius partis, ſtantibus ex adverſo efficacioribus; vel ſtantibus pro utraque parte æqualibus: & tunc benè videbis ſi utraque pars ſit practicè probababilis, vel hoc ſit impoſſibile, ut ſupra viſum eſt ex doctrinà ipſorum Probabiliſtarum; & ſi hæc benè inpexeris, videbis ubi locum habebit moralis certitudo, & evidentia reflexa, & ubi non. Quibus ſervatis nullum comperies diſcrimen inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas.* Uno verbo contendit hic P. Riccius juxta doctrinam Probabiliſtarum ſuis hiſce tot, tantiſque adminiculis concludere nihil manere practicè probabile, niſi id quod eſt tutius, & probabilius, & tunc ſolum habere locum hæc principia reflexa. Quod etiam ſupra ſæpiùs tētavit ſuadere, ut viſum eſt in præcedentibus.

1370 *Quare*, inquit, *credere quod hæc extrinſeca ſeu reflexa principia habeant ullam vim propriam omninò independentem, & contradiſtinctam à ratione gravi intrinſecà, eſt errare contra prima principia eorumdem Recentiorum Probabiliſtarum; nam ſi ratio intrinſeca nulla eſt, & futilis: hæc principia extrinſeca erunt longè futiliora: nam ut benè monet Perez, quando ratio adducta non eſt gravis, nec ſolvit rationes oppoſitas, tunc Doctores in illa quæſtione dormitant, ita ut de eis poſſit tunc illud uſurpari: (quandoque bonus dormitat Homerus.) Quare tunc neque habetur gravis authoritas, neque intrinſeca, aut extrinſeca probabilitas, ac per conſequens neque illa evidentia reflexa, quia principia reflexa ſunt mera proprietas conſequens ad directam probabilitatem.*

1371 Et certè, ſubdit P. Riccius, adeò ab omnibus Probabiliſtis principium hoc: *qui ſequitur Viros pios, &c.* limitatur, ut tot tantiſque poſitis limitationibus, omnino ad intrinſeca, & directa principia reducatur. Quare ſi inſpectis principiis directis intrinſecis non licet ſequi partem viſam minùs tutam minuſque probabilem, relicta tutiore, quæ ſit etiam probabilior; neque ex principiis iſtis extrinſecis id licebit.

1372 Quod autem de facto limitetur hoc principium à Probabiliſtis ſuis probat primò ex Antonio Perez *tract. 1. de juſt. & jure diſp. 4. cap. 4. num.* 80. Ubi obiiciens ſibi contra id, quod docuerat de Judice (eum ſcilicet teneri ad judicandum ſecundùm id, quod eſt veriſi-

Digitized by Google

riſimilius) quod fruſtrà videatur laboraſſe in hac quæſtione, quia adeſt ſententia oppoſita probabilis, quam ſequuntur multi Authores tàm juriſtæ, quàm Theologi; cui poterit Judex ſe conformare. Nam quando probabilitas opinum verſatur circà eam quæſtionem; utrum aliquid liceat Judici, vel non liceat, dictum fuerat ab ipſomet ſupra, poſſe Iudicem ſequi opinionem minùs probabilem. Sic reſpondet: *Reſpondeo, ſi Judex examinatis fundamentis, & authoritatibus noſtræ ſententia, & oppoſitæ, poſſet formare iudicium liberans ſeipſum à ſcrupulo conſcientia, tunc poſſe ſequi opinionem noſtræ contrariam. Sed mihi eſſe valdè probabile, aut ferè certum paucos Judices id poſſe facere. Nam ſi examinentur authoritates, apparebit Juriſperitos non poſſe in hac re ſedare conſcientiam, nam licet illi concedant cauſas pro amicis. & dicant in jure controverſo non teneri de ſindicatu, intelligendi ſunt de foro externo; nam judicium de foro interno, & conſcientia non ſpectat propriè ad juris peritos &c. De Theologis autem illud ego auſim dicere, non advertiſſe omnes textus, & jura à nobis allata, non enim ad illa reſpondent; & plerique breviſſimè quæſtionem tractant; & vix afferunt aliud argumentum præter illud, quod ducitur à paritate aliorum caſuum. Sed meo judicio in hac re argumentum ductum à ſola ſimilitudine numquam habet probabilitatem propter manifeſtam rationem diſcriminis. Itaque licet concedam, poſſe aliquos decipi invincibiliter; tamen exiſtimo non habere oppoſitam ſententiam talem ſtatum, ut ſi examinentur benè fundamenta utriuſque partis, poſſet apparere probabilis; manifeſtè enim vincunt argumenta noſtræ ſententia; neque argumenta oppoſita vim habent, niſi apud illum, qui argumenta noſtræ ſententia non audivit. Quando autem probabilitas fundatur in ignorãtia probabilioris principii, ſupra diximus, eam nullo modo ſufficere ad faciendam conſcientiam probabilem apud eos, qui non ignorant illud principium probabilius.* Ergo, inquit, P. Riccius juxta hunc Doctorem, tunc licitè operamur ſequendo Viros pios, prudentes, ac Doctos, quando illi concludunt poſt argumenta contraria conſiderata & ſoluta; quia aliàs non facient opinionem practicè probabilem. Quod etiam (ait) expreſſe docet noſter Scildere.

1373 Et rursùs id confirmat conſequenter ad doctrinam adductam ex Perez hoc argumẽto: vel, inquit, Judex tenetur ad examen utriuſque ſententiæ; vel non tenetur. Si non tenetur, ruit doctrina Perez, & omnium, qui ſtant pro lege: ſi tenetur, ruunt reflexa principia, niſi regulentur ex principiis intrinſecis, & directis, & niſi ſit opinio directa ratione gravi innixa, ex qua citra remorſum conſcientiæ ſolvantur argumenta contraria, ut docet P. Perez, alioquin fruſtraneus eſſet labor in examinandis ſententiis, ſi ad probabilitatem unius partis habendam non eſſent contraria argumenta alterius ſolvenda. Idem dicit ex P. Moya, qui opinionem probabilem, quam Viri pii, & Docti docent, à principiis intrinſecis, quibus innixa ſupponitur, probabilem nuncupat. Et ex P. Bardi, qui de eis, dicit, ſine ratione ita ſenſiſſe, incredibile eſt; aliàs graves, pii, & Docti non eſſent. Et iterùm ex Caramuele dicentè, quod probabilioritas authentica ad probabilioritatem intrinſecam reduci debet. Ergo poſt multa ſemper tandem deveniendum eſt ad definitionem rationis gravis, & motivi magni momenti. Quam ex ipſo Caramuele & Perez aliiſque citatis concludit hic P. Riccius, eam eſſe, ex qua ſolvuntur rationes oppoſitæ cum ſapientum applauſu; & ita ſolvuntur ut liberes te ab omni conſcientiæ remorſu, quem poſſent inijcere argumenta contraria, quæ ſtant pro lege, & illicito.

1374 Atque hinc habes, inquit P. Riccius, tàm Probabiliſtas, quàm Probabilioriſtas optimo jure clamitare mutuò contra ſe invicem: Probabiliſtas quidem contra Probabilioriſtas, qui ad licitè operandum requirunt rationem pluſquàm gravem, & opinionem pluſquam probabilem: Probabilioriſtas verò adversùs Probabiliſtas, qui ſibi perſuadent quamlibet rationem eſſe gravem, & conſequẽter quamlibet opinionem eſſe practicè probabilem. Sed hi clamores, ut patet, concordes ſunt, non diſcordes, & ſe mutuò inferunt evidenter, poſita notione rationis gravis tradita à Probabiliſtis, ex qua fit, ut multùm rara ſit practica probabilitas.

1375 Præterea, inquit, principium hoc; *qui ſequitur viros pios &c.* limitat Reginaldus, dum ait: modò non conſtet plures, vel ſapientiores docere oppoſitum. Limitat Bardus dicens: modò opinio juniorum non ſit veterum opinioni contraria; aut ſi contraria eſt, ſolvat evidenter argumentata eorum, & adducat novam legem, vel diploma pontificium in oppoſitum, ita ut illa non ſit ampliùs probabilis. Limitat Cardenas, dum dicit: modò Author ſit omni exceptione maior: modò Authores dent rationem, qua nituntur: modò opinio à multò pluribus non reiiciatur, ut improbabilis aut parùm tuta: modò non detur principium certum, cui dubitatur nùm opinio illa repugnet, nec proponatur ratio ſufficiens ad deponendum dubium: & modò non dubitetur an ratio, cui innititur, ſit levis, an gravis; & firma.

1376 Et ex his poſtremis duabus limitationibus arguens P. Riccius, ſubdit: & certè quis non dubitet, nùm ratio ſit levis, an gravis, niſi ex ea viderit argumenta contraria ſoluta? Et quis ignoret dari principium hoc certum: *inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, &c?* Et huic principio opponi electionem partis non ſolùm minùs tutæ, ſed etiam minùs probabilis? certè qui ſic operatur, non inſpicit in obſcuris, quod eſt veriſimilius; non

igitur

igitur prudenter operatur. Ecce etiam alterum certum principium ex ſacris literis: *ab omni ſpecie mali abſtinete vos*. Ergo quartum requiſitum à P. Cardenas numquam habetur; imò neque quintum facilè invenies. Ita P. Riccius diſcurrit. Et hinc concludit; ergo non ſatis eſt ad licitè operandum, ſi quos ſequeris, docti ſint, & graves Viri, niſi in illâ etiam particulari quæſtione doctè ſe, ac graviter gerant, & non dormitent; bonus enim quandoque dormitat Homerus. Tunc autem doctè ſe, prudenter, ac piè gerunt ex Reginaldo, quando ſuas deciſiones ex Sacris Canonibus deducunt: regula autem ex Sacris Canonibus deprompta hæc eſt; *ut inſpiciamus in obſcuris quod eſt veriſimilius. Ut in dubio ſuſpenſivo, tutiorem partem eligamus.* Quare qui his principiis inſiſtunt ſeu regulis, negant Doctores oppoſitæ ſententiæ pro libertate doctè, prudenter, ac piè, procedere. Et ſimiliter qui docent in dubio opinativo, cum agitur de damno tertii, ſtandum eſſe pro parte probabiliore; & qui univerſaliter, dum agitur de ſolâ actus honeſtate, exigunt ad licitum uſum opinionis benignæ ſolutionem argumentorum partis oppoſitæ, niſi id evidenter fiat, negant Doctores ſententiæ benignæ doctè, prudenter, ac piè ſe gerere. Omnia ergo cum Viris Doctis, piis, ac prudentibus delibera; ſed prius de illis, nùm piè, doctè, prudenterque procedant.

1377 Denique arguit P. Riccius, ſi valet diſcurſus ille: *donec Doctores de lege diſputant, lex invincibiliter ignoratur, & ſupponitur non ſufficienter intimata, atque ideò non obligat.* Valebit etiam arguere: donec Doctores diſputant pro utraq; parte in aliqua particulari quæſtione, invincibiliter ignoratur, qui eorum piè, prudenter, ac doctè procedant, ac per conſequens ipſorum doctrina, prudentia, & pietas, pro illa particulari deciſione, invincibiliter ignoratur, nec ſupponitur nobis ſufficienter propoſita. Sicut ergo lex non ſufficienter intimata non obligat; ita doctrina, prudentia, ac pietas Doctorum non ſufficienter propoſita non firmat conſcientiam ad licitam operationem. Sufficienter autem intimatur ſeu proponitur, dum ſolvit argumenta contraria, & ita ſolvit, ut non poſſis prudenter de oppoſito dubitare, & liberet te ab omni conſcientiæ remorſu, qui non oritur niſi ex contrariis rationibus. Et ſi quis dicat, inquit Pater Riccius, argumentum hoc valere pro utraque parte, & quod utriuſque partis doctrina, prudentia, & pietas invincibiliter ignoretur. Reſpondeo hoc eſſe falſum, nam ſi contingat argumenta contraria ſe mutuò ſolvere, jam non erimus in dubio probabili; ſed merè ſuſpenſivo, in quo non habent locum principia reflexa juxta doctrinam Probabiliſtarum, benè tamen regula illa, *in dubiis tutior pars eſt eligenda.*

1378 Itaque, concludit P. Riccius, ut extrinſeca ſeu reflexa principia poſſint habere locum debent fundari in gravi ratione intrinſecâ directâ, & in adæquata ſolutione contrariarum rationum. Si ſecùs fiat, non eſt ſequi Recentiores Probabiliſtas, ſed eſt eorum ſanam doctrinam non benè percipere, eâque abuti ad corruptelam, & laxitatem. Nam fundamentum ipſorum doctrinæ eſt probabilitas practica opinionis benignæ; & hujus unicum fundamentum eſt gravitas rationis, quæ indè dignoſcitur, ſi ſolvat adæquatè rationes contrarias, ut nullus remaneat conſcientiæ remorſus.

1379 Admiſsâ igitur notione rationis gravis, ſubdit P. Riccius, traditâ à Caramuele, admitto totum hunc diſcurſum: „habeo opinionem probabilem de licito: ergo habeo moralem certitudinem, & evidentiam reflexam „de licito: ergo ſententia de illicito eſt in confinio improbabilitatis. Quid gratiùs Probabiliſtis? Sed quid contra Probabilioriſtas? Solve „citra remorſum conſcientiæ, citraque paſſionem, & culpam, quod in cōtrarium obiicitur, „& do tibi ut veras omnes illas illationes. Aut „igitur definitio rationis gravis non competit „rationi, cui innititur opinio minùs tuta, minùſque probabilis; & tunc jàm non eſt probabilis, nec facit licitum; & hoc juxta omnes; „ſed dicitur minùs probabilis, ſicut ſcandalum „dicitur verbum, aut factum minùs rectum, „cum tamen nō ſit rectum. Aut ei convenit definitio rationis gravis; & tunc eſt unicè probabilis practicè, & facit certò licitum; & hoc „erit etiam neceſſariò verū juxta omnes. Quare aut nulla inter Doctores poteſt eſſe diſcordia; aut erit de mera voce. Hæc P. Riccius in præſenti capite.

Criſis ejuſdem doctrinæ adverſus Authorem.

1380 HAbes jàm primò lector in initio hujus capitis ab Authore iſto expoſitum, quid dicatur à Probabiliſtis Recentioribus de hoc principio reflexo, ſeu extrinſeco: *Qui ſequitur Viros pios, prudentes, & Doctos prudenter operatur, & non peccat*; & concomitanter de ſimilibus aliis principiis extrinſecis. Dicunt quippè in vi, & virtute hujus principii omninò certum eſſe, licere cuique ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore, etiam propriâ; & etiā ſi minùs tuta, minuſque probabilis credatur falſa; & propria quæ ſupponitur tutior, utpotè pro lege, & probabilior credatur vera. Idque tàm certum eſſe, ac licitum; quàm certum, & licitum eſt ſequi Viros pios, prudentes, ac Doctos, ex illo communi & veteri proverbio: quod *ſtandum eſt peritis in arte.*

1381 Verumtamen quia hoc principium, ſicut & quæcumque alia reflexa fundantur, inquit P. Riccius, in probabilitate directâ; ideò

niſi hæc ſupponatur, illa ruunt; corruente enim fundo, corruit, & omnia, quæ in illo fundantur. Atque ideò ſi Viri pii, prudentes, & Docti, in aliqua particulari ſua deciſione non piè, prudenter, ac doctè reſolvant; jam ibi non erunt tales, quales prædicantur; ac per conſequens, qui illos in aliquâ huiuſmodi deciſione ſequuntur non prudenter operantur, nec pro eis hoc principium valebit. Et ſimiliter, ſi cum Doctores hinc indè diſputant pro utraque parte in aliquâ particulari quæſtione, non ſufficienter hinc indè reſolvant opiniones ſuas, ut teneantur juxta doctrinam ipſorum Probabiliſtarum, ita ut pro utraque parte ſubſiſtat vera probabilitas practica; non habebit locum principium illud reflexum; quod *ubi Doctores hinc indè diſputant, lex non ſupponitur ſufficienter intimata, & invincibiliter ignoratur;* ac propterea non proderit illis, qui aliquam eiuſmodi opinionem ſequuntur; quia corruente probabilitate directâ, in quâ eiuſmodi principia fundantur, corruunt, & ipſa principia fundata, & tota eius evidentia reflexa. Cæterùm ſi ſupponatur practica probabilitas directa, principia hæc extrinſeca ſeu reflexa veriſſima erunt, & facient evidentiam reflexam de licito, & oppoſitam opinionem de illicito collocabunt in confinio improbabilitatis practicæ.

1382 Ex quâ doctrinâ concludit P. Riccius in hoc ſenſu doceri principia reflexa, & reflexam evidentiam de licito à Recentioribus Probabiliſtis, videlicet conſecutivè ad practicam probabilitatem directam. Quo pacto intellecta, & benè uſurpata intendit Author iſte quod conducant ſemper ad moralem certitudinem de licito, quia hoc modo non poterunt niſi in probabilioritate fundari, ac per conſequens in idem recidunt Probabiliſtæ cum Probabilioriſtis, quod eſt præcipuum huius Authoris intentum hîc concludendum. Atque ideò poſita hac doctrina, dicit: *Vide quot & quanta requirantur ex communi Recentiorum Probabiliſtarum doctrinâ, ut opinio benigna ſit practicè probabilis, & non merè ſpeculativa: & conſequenter vide quot, & quanta requirantur ad habendum fundamentum moralis certitudinis ſeu evidentiæ reflexæ de licito: conſule quæ dicta ſunt in priori diſſertatione præſertim cap. 5. & quidem ex communi noſtrorum Probabiliſtarum doctrinâ, & ubi illa omnia reperieris, do tibi libentiſſime probabilitatem directam ſive intrinſecam, ſive extrinſecam fundare moralem certitudinem de licito, ſeu reflexam evidentiam; ex qua deinde tanquam à principio proximo reguletur licita operatio, ſeu uſus licitus opinionis benignæ ſtantis pro licito, & libertate. Si verò conditiones illas non reperieris, iam omnibus Probabiliſtis, & manifeſtæ rationi te opponis, ſequendo partem viſam minùs tutam, minuſque probabilem.*

1383 At fruſtrà fatigatur, & operam inaniter perdit, ſi credit hoc modo ad ſuorum cum Probabiliſtis concordiam poſſe pervenire; via enim hæc, quà incedit, exitum non habet, utpotè quæ ex ſuperiùs dictis obſtructa manet, cum hanc ipſam eius doctrinam in dicto capite quinto citato ab ipſo adductam impugnavimus. Non enim vera ſunt tot, & quanta ibi requiſita ad probabilitatem practicam refert ex Probabiliſtis ſuis, & maximè illud de ſolutione adæquatâ contrariarum rationum partis oppoſitæ, adeò ut non maneat locus de eâ ampliùs prudenter dubitandi. Et multò minùs verum eſt quod dicit ea omnia collectivè requiri ab omnibus Recentioribus Probabiliſtis communiter, ita ut omnes, & ſinguli ea omnia coniunctim exigant, & in eo ſenſu quo ipſe ea longo ac vario illationum circuitu interpretatur; adeò ut tandem ex tot appoſitis adminiculis nihil ſit juxta illorum doctrinam practicè probabile, niſi quod eſt abſolutè probabilius. Hoc enim ipſe nimis ædificatis hinc inde quibuſdam illorum dictis, iiſque à legitimo ipſorum ſenſu diſtractis, atque indè apparenter contextis repagulis concludit; ſed violenter, & manifeſtè contra mentem ipſorum Authorum; ut ibi ſatis oſtendimus; & hîc iterum ulteriùs demonſtrabitur.

1384 Quare fateor utique ego verum eſſe, quod Probabiliſtæ principia hæc reflexa, & reflexam evidentiam in probabilitate practicâ directa fundant; ſed falſiſsimum eſt, quod eam fundent in probabilitate tot tantiſque requiſitis, & adminiculis vallata, ut ſit ipſiſsima probabilioritas, ut hîc contendit P. Riccius; & multò magis falſum eſt, quod nonniſi in tali practicâ probabilitate fidet, quæ adæquatè ſolvat argumenta oppoſitæ partis, ut non poſsit de illa prudenter dubitari, imò ut non maneat ampliùs probabilis, ſed ponatur in confinio improbabilitatis. Cum igitur Author iſte unicè in huiuſmodi commentitiis fundamentis totam eorum concordiam fundet cum Probabilioriſtis; ſi ſemel illa falſa, & commentitia detegantur, liquidò conſtabit nullam eſſe eorum concordiam, ſed purum huius Authoris figmentum. Iam verò illa falſa eſſe, & commentitia in Superioribus ſatis oſtenſum eſt. Sed oſtendamus iterùm, ut præ oculis veritas habeatur, qua præſente Authoris huius diſcurſus protinùs evaneſcat; & ſi quæ ab eo hîc offuſa eſt recens caligo, diſpareat unà cum illo.

1385 Commune omnium Probabiliſtarum dictum eſt: ex vi reflexorum principiorum, ſeu evidentiæ reflexæ, & in virtute cuiuslibet eorum, ut etiam initio huius capitis fatetur idem P. Riccius, cuique licitum eſſe ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore &c. Dicat autem nunc P. Riccius de quâ opinione minùs tutâ minùſque probabili intelligunt Recentiores Probabiliſtæ? Exponat nobis hîc quænam huiuſmodi ſit minùs probabilis opinio, quam ſequi cuique licitum

eſſe

Digitized by Google

eſſe dicunt, in vi, & virtute huius principii reflexi: *Qui ſequitur viros pios, prudentes, ac doctos, prudenter operatur*: vel illius alterius principii: *Ubi Doctores hinc indè diſputant lex invincibiliter ignoratur &c. & ſimilium?* Oſtendat quæ opinio minùs probabilis in quæſtione hinc, indè à Doctoribus diſputatâ, à viris piis, prudentibus, ac doctis ſtabilita contra tutiorem, & probabiliorem ſtantem pro lege, ſit talis, quæ ſit ſufficiens fundare hæc principia reflexa, & reflexam evidentiam, iuxta ſua omnia requiſita ſuperiùs recenſita, ut ſic ſaltem aliquandò verificetur commune illud dictum Recentiorum Probabiliſtarum? tenetur enim nobis hanc P. Riccius indicare; ut commune illud dictum non ſit de ſubiecto non ſupponente, ac per conſequens omninò falſum. Et nota Lector, quod hanc indicando P. Riccius tenetur duo ſimul ſalvare, videlicet quod retineat probabilitatem practicam iuxta omnia requiſita ab ipſo aſsignata; & quod ſit minùs probabilis ſaltem in aliquo ſenſu. Nam ſi alterum ex his deficiat, tota eius doctrina ruit, ut mox patebit. At hæc duo ſimul ipſe ſalvare non poteſt: nam opinio minùs probabilis, ut ipſemet huc uſque arguendo monſtravit, & multoties repetivit, non poteſt argumenta oppoſitæ probabilioris ſolvere, & ita ſolvere, ut non poſsit de eâ ampliùs prudenter dubitari, nec maneat ampliùs probabilis, ſed ponatur in confinio improbabilitatis: benè tamen econtra opinio probabilior poteſt vincere argumenta opinionis minùs probabilis. Ergo vel numquam opinio minùs probabilis fundabit principia illa reflexa, & reflexam evidentiam, ſeu moralem certitudinem de licito: & hoc eſt contra commune illud dictum Recentiorum Probabiliſtarum. Vel ad probabilitatem practicam non exigunt Recentiores Probabiliſtæ ea requiſita, quæ fingit P. Riccius, & quæ non poſſunt in minùs probabili reperiri; ſed ſolùm, & unicè in unâ parte contradictionis, quæ, ut ipſemet dicit, eſt probabilior, & unicè practicè probabilis: & ſic ruit tota eius doctrina; & redit tota diſcordia Probabiliſtarum à Probabilioriſtis, quam hic P. Riccius negat, & contendit ſummam concordiam demonſtrare.

1386 Exponat ergo qualitercumque Pater Riccius practicam probabilitatem directam, quam ipſe prærequirit ad fundandam evidentiam illam reflexam, ſeu moralem certitudinem: producat quomodolibet characteriſticam notionem illius ex communi Recentiorum Probabiliſtarum doctrinâ: ſuperædificet illam ſuper ipſiſsimâ definitione opinionis probabilis, quæ ſcilicet innixa eſſe debet gravi rationi, ſeu magni momenti: aſſerat, ut ſibi placuerit, definitionem rationis gravis: expendat ad ſuum beneplacitum ſingulas eius conditiones, & requiſita iuxta ipſorum Probabiliſtarum doctrinam: ſemper tenebitur hæc omnia infra eos limites docere, ut ſalvari poſsint omnia in opinione minùs tutâ ſtante pro libertate, minùſque probabili, in concurſu probabilioris ſtantis pro lege; ut verificet commune illud dictum Probabiliſtarum, nempè *licitum eſſe ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore*. Alioquin commune hoc dictum eſſet de ſubiecto non ſupponente, & omninò vanum; quia numquam verificari poſſet, eſſe licitum ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore. Quod eſſet potiùs Probabiliſtas deſtruere, quàm eos cum Probabilioriſtis concordare. Illi enim paſsim, publicè, & communiter dictum illud pronunciant, docent, & acerrimè defendunt; quemadmodùm & ipſe P. Riccius perpetuò confeſſus eſt, & fatetur; & in principio quoque huius præſentis capitis proponit: ſuperaddit tamen attendenda eſſe omnia requiſita ad practicam probabilitatem directam ex ipſâ communi Recentiorum Probabiliſtarum doctrinâ; ergo oportet quod talia requiſita poſſint ſaltem aliquandò habere locum in opinione minùs tutâ minùſque probabili. Aut ergo hæc requiſita, quæcumque ea ſint, quæ exponit P. Riccius, habent locum in opinione aliquâ minùs tutâ minùſque probabili; vel non: ſi non; ergo nequeunt eſſe ad mentem Recentiorum Probabiliſtarum, qui procul dubio volunt ſua requiſita ſaltem aliquandò verificari in opinione minùs tutâ, minùſque probabili: Si habent locum; ergo non ſola opinio probabilior eſt unicè practicè probabilis, ut contendit P. Riccius, ſed etiam minùs tuta minùſque probabilis: & non ſolùm illa, ſed etiam hæc ad mentem Probabiliſtarum fundat moralem illam certitudinem, & evidentiam reflexam. Ergo non conveniunt Probabiliſtæ cum Probabilioriſtis in quæſtione de ſolâ actus honeſtate, quia illi admittunt eligi poſſe minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore; quod tamen negant Probabilioriſtæ. Ergo ruit tota eorum concordia.

1387 Quid ergo refert, ſi P. Riccius adducat quaſdam limitationes ſuorum Probabiliſtarum? numquam illi ad hoc pertingere poſſunt, ut in quacumque materiâ omnem opinionem minùs probabilem excludant: limitent Probabiliſtæ principium illud, ut dicit P. Riccius, *qui ſequitur viros pios, prudentes, ac doctos &c.* ut omninò ad principia intrinſeca, ſeu directa reducatur; non proindè ad directè probabilius unicè coarctabitur: limitet P. Perez illud in Iudice, à quo exigit examinari priùs fundamenta, & authoritates ſuæ ſententiæ, & oppoſitæ, ut poſſit iudicium indè formare ſine ſcrupulo conſcientiæ, quod Paucos Iudices, inquit, efficere poſſe; non propterea intelligitur ab ipſo limitatum ad id, quod eſt veriſimilius in quacumque alia quæſtione, in qua non agitur de damno tertii, ſed de ſola actus honeſtate: ſed ex ipſiuſmet verbis expreſsè colligitur in aliis caſibus non ita limitari; nam in eodem loco,

Digitized by Google

co, & textu ſupra relato, rationem reddit, quare in iudicando non liceat Iudici ſtare opinioni minùs probabili Theologorum, benè tamen liceat in aliis caſibus; ait enim: *De Theologis autem illud ego auſim dicere, non advertiſſe omnes textus, & iura à nobis allata; non enim ad illa reſpondent; & plerique breviſſimè quæſtionem tractant; & vix afferunt aliud argumentum præter illud, quod ducitur à paritate aliorum caſuum. Sed meo iudicio in hac re argumentum ductum à ſola ſimilitudine numquam habet probabilitatem, propter manifeſtam rationem diſcriminis.* Ecce rationem Perez ultimatè aſsignatam, *propter manifeſtam*, inquit, *rationem diſcriminis*. Ergo ſupponit eſſe manifeſtam diſparitatem in caſu Iudicis, ubi agitur de damno tertii; & in aliis caſibus citra damnum tertii; & ideò dicit non ſtandum eſſe in iudicando viris illis piis, prudentibus, ac doctis; benè tamen in aliis caſibus, ubi non eſt manifeſta diſparitas. Et certè ubi ſupponitur manifeſta diſparitas, Theologorum opinio evadit manifeſtè improbabilis, præſertim ſi tota eius probabilitas innitatur paritati. At ubi non eſt manifeſta diſparitas, ad mentem Patris Perez, opinio Theologorum etiam minùs probabilis, manet in ſua probabilitate, & ita poteſt fundare reflexam illam evidentiam, & moralem certitudinem; & ſic accidit in aliis caſibus iuxta eius doctrinam; ac proindè non limitat principium illud reflexum in aliis caſibus, ad id quod eſt probabilius.

1388 Et ſi petas quænam ſit hæc manifeſta diſparitas? Reſpondebit Perez cum aliis Probabiliſtis, eſſe, quia Iudex in iudicando, cum ſit Miniſter publicus, habet ex naturâ ſui publici muneris tacitè pactum initum cum Republicâ iudicandi omni meliori, & perfectiori modo, & iuxta id, quod eſt veriſimilius, & non utendi ſuâ libertate, quam poſſet ipſi tribuere opinio Doctorum de licito; ac propterea opinio Doctorum de licito, & præſertim minùs probabilis, evadit Iudici improbabilis practicè, & quoad uſum eius licitum, id quod contingit per accidens, ex pacto illo ſpecialiter ſaltem tacitè inito; ut alibi diximus ex P. Cardenas, quod non habet locum in aliis caſibus, ubi non agitur de damno tertii; & ideò diſparitas eſt manifeſta.

1389 Ex quo patet reſponſio ad argumentum Patris Riccii, quod format in confirmationem ſuæ doctrinæ ex doctrina ipſius Patris Perez, dum ait: *Vel Iudex tenetur ad examen utriuſque ſententiæ; vel non tenetur. Si non tenetur, ruit doctrina Perez, & omnium, qui ſtant pro lege*, quod ſcilicet ſit eligendum, quod eſt tutius, & probabilius. *Si tenetur; ruunt reflexa principia, niſi regulentur ex principiis intrinſecis, & directis, & niſi ſit opinio directa ratione gravi innixa, ex qua citra remorſum conſcientiæ penitùs ſolvantur argumenta contraria &c.* Ex quo videtur P. Riccius concludere ex doctrinâ Probabiliſtarum principia hæc reflexa ſolùm fundari in eo, quod eſt ſemper probabilius, & tutius; & numquam in opinione minùs probabili Doctorum. Patet, inquam, reſponſio: dicet enim ad hoc Perez, & alii Probabiliſtæ, quod Iudex tenetur ad examen utriuſque ſententiæ, ut iudicet ſecundùm id, quod eſt probabilius; ſed per accidens, ex pacto tacitè inito cū Republica, involuto implicitè in ſuo munere publico; quod non militat in aliis caſibus: atque ideò negabit conſequentiam illam: *Ergo ruunt reflexa principia, niſi &c.* vel diſtinguet; ergo ruunt in caſu Iudicis, & concedet, ex diſparitate aſsignata: in aliis caſibus, & negabit. Malè enim infert Pater Riccius, quod ruant etiam in aliis caſibus, niſi examinentur rationes utriuſque partis, & eligatur, quod eſt probabilius; nam iuxta Probabiliſtas in aliis caſibus ſatis erit quod opinio Doctorum habeat pro ſe rationem aliquam gravem, licet minùs in ſe efficacem, quam ſit ratio oppoſitæ partis, quod ſemper ſupponitur, hoc ipſo quod viri aliqui pii, prudentes, & docti, illam ſuſtineant; & ſic verificatur dictum illud commune Probabiliſtarum in aliis caſibus, quod licitum eſt ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore; licet id non valeat in caſu Iudicis, ob manifeſtam rationem diſcriminis, ut dicit P. Perez. & hoc eſt quod aliàs idem Perez dixit, quod in aliis rebus non eſt incommodum plerumque errare, ut vidimus ſupra.

1390 Requirunt igitur utique Probabiliſtæ probabilitatem directam ſive intrinſecam, ſive extrinſecam, ut locum habeant principia reflexa, & reflexa evidentia de licito: ſed contenti ſunt quacumque probabilitate practicâ etiam minori, quam ſemper ſupponunt, in opinione, quam aliqui viri pii docent, prudentes, & docti; niſi aliundè conſtet de eius improbabilitate; ſicut conſtat in caſu Iudicis ex pacto tacitè inito cum Republicâ, per accidēs ſuo muneri annexo. Quare veriſſimum eſt, quod P. Moya cum Bardi nonniſi à principiis intrinſecis, & directis dicunt eſſe probabilem opinionem, quam viri pii, prudentes, & docti docent; *quia*, inquiunt, *eos ſine ratione ita ſenſiſſe incredibile eſt*. Sed non exigunt diſcuſſionem illam utriuſque partis ab unoquoque faciendam, ut dicit P. Riccius; imò hoc ipſo, quod dicunt, incredibile eſſe eos ſine ratione ita ſenſiſſe, videntur manifeſtè aſſerere ſtandum eſſe in fide eorum; & ſupponendum eſſe eorum opinionem eſſe ex principiis intrinſecis verè probabilem, & ſufficientem ad fundandam reflexam illam evidentiam. Neque exigunt quod ea opinio validioribus rationibus innitatur, ita ut deſtruat probabilitatem oppoſitam; ſed contenti ſunt, quod non ſine ratione aliquâ probabili dicatur, quod ſemper ſuppponunt, & oppoſitum incredibile eſſe dicunt; niſi aliquando id aliundè evidenter conſtet. Ergo non fundant evi-

evidentiam reflexam unicè in eo, quod eſt probabilius, ut contendit P. Riccius, ſed in quacumque opinione etiam minùs probabili, quo pacto ſaltem eſſe quamlibet ſupponunt, ſi ſemel eam doceant viri pii, prudentes, & docti; ac propterea non concordant cum Probabilioriſtis, qui minùs probabilem non admittunt.

1391. Ex quibus conſtat Probabiliſtas, & Probabilioriſtas optimo jure utique clamitare mutuò contra ſe invicem, ut ait P. Riccius, ſed hi clamores non ſunt, ut ipſe dicit, concordes, & ſe mutuò inferentes; ſed diſcordes, & ſe invicem deſtruentes. Quia Probabiliſtæ non clamitant contra Probabilioriſtas, ut fingit Pater Riccius, quod iſti velint ad licitè operandum ſententiam pluſquàm probabilem, & omninò in ſe certam metaphiſicè; hoc enim utrique cōcorditer negant. Neque Probabilioriſtæ clamitant contra Probabiliſtas, quod iſti omnia credant practicè probabilia, & quamlibet rationem exiſtiment gravem; nam & hoc utrique etiam concorditer inficiantur. Sed Probabiliſtæ clamitant contra Probabilioriſtas, quia iſti ad licitè operandum exigunt probabiliora; Probabiliſtæ verò dicunt ſufficere minùs probabilia, etiam minus tuta: quæ duo dicta non ſe inferunt, ſed mutuò ſe deſtruunt; & in hoc veriſſimè diſcrepant, & toto cœlo adverſantur.

1392. Atque ex his etiam patet, non eſſe ad rem noſtram limitationes illas, quas P. Riccius adducit ex Reginaldo, Bardi, & Cardenas. Quid enim refert ſi principium illud: *qui ſequitur Viros pios, prudentes, & doctos &c.* Reginaldus limitet, dicens: modò non conſtet plures, vel ſapientiores docere oppoſitum? Numquid per hoc coarctat illud ad id, quod eſt ſemper probabilius? & tamen hoc oportebat Patrem Riccium concludere ad propoſitum ſuum hic intentum. At hoc ex tali limitatione non infertur; ſtat enim quod opinio aliqua minùs probabilis minùſque tuta præſertim in aliquâ novâ quæſtione, ſit tantùm rejecta ab aliis Doctoribus æqualis nominis, & in æquali numero; ac propterea oppoſitum probabilius non doceatur à pluribus, vel ſapientioribus; ac per conſequens in tali caſu opinio illa minùs probabilis ex vi hujus limitationis non excluditur ut incapax evidentiæ reflexæ ex vi illius reflexi principii: *qui ſequitur. Viros pios &c.* ergo hoc principium non limitatur ad id, quod eſt probabilius, ſed locum habet in minùs probabili; quod tamen negant Probabilioriſtæ. Ubi ergo in hoc eſt eorum concordia?

1393. Similiter nec prodeſt limitatio Patris Bardi, dum ait: modo opinio juniorum non ſit veterum doctrinæ contraria; aut ſi contraria eſt, ſolvat evidenter argumenta eorum, vel adducat novam legem, vel diploma Pontificium in oppoſitum; ita ut illa deſinat eſſe probabilis. Non, inquam, prodeſt, nam hæc limitatio ad ſummum locum haberet in his, de quibus Sancti Patres, & Veteres Theologi aliquid explicitè, & probabiliùs determinarunt: cæterùm in reliquis, quæ noviſſimè agitantur, & Doctores hinc inde dividuntur, & aliqui magis, aliqui minùs probabiliter reſolvunt, nō limitabitur principium illud: *qui ſequitur Viros pios &c.* ſed habebit locum etiam in reſolutione minùs probabili; ſicut in præcedenti. Et idem dico, de quinque illis limitationibus adductis ex P. Cardenas, nam illæ non tendunt ad excludendam opinionem minùs probabilem, ſed ſolùm ad excludendam opinionem, quæ eſt dubiæ probabilitatis, ut vidimus ſuprà ex ipſo Cardenas.

1394. Nec aliquid valet argumentum Patris Riccii ad probandum, quod minùs probabile, ex quartâ, & quintâ limitatione Patris Cardenas ſemper ſit dubiæ probabilitatis, ac per conſequens principium illud reflexum: *qui ſequitur Viros pios &c.* numquàm habebit locum in opinione minùs probabili, ſed ſolùm in probabiliore juxta doctrinā Cardenas. Cardenas enim, inquit P. Riccius, in quartâ limitatione ait: *modò non detur principium certum, cui dubitatur num opinio illa repugnet, nec proponatur ratio ſufficiens ad deponendum dubium.* Et in quintâ ait: *modò non dubitetur, num ratio ſit levis, an gravis, & firma.* Ex quibus ſic arguit P. Riccius: *Et certè quis non dubitet, num ratio ſit levis, an gravis, niſi ex eâ viderit argumenta contraria ſoluta? & quis ignoret dari principium hoc certum: Inſpiciamus in obſcuris, quod eſt veriſimilius &c. & huic principio opponi electionem partis non ſolùm minùs tutæ ſed etiam minùs probabilis? certè,* inquit, *qui ſic operatur, non inſpicit in obſcuris, quod eſt veriſimilius.* & ſubdit: *ecce etiam alterum principium certum ex ſacris literis: Ab omni ſpecie mali abſtinete vos ergo quartū, & quintum requiſitum à Patre Cardenas nunquam habetur.* Ex quo intendit P. Riccius concludere juxta doctrinam Patris Cardenas principium illud: *Qui ſequitur Viros pios &c.* limitari unicè; & tantùm ad id, quod eſt ſemper probabilius; & numquàm habere locum in minùs probabili.

1395. At non valet, inquam, hoc ejus argumentum: nam Pater Cardenas non docet eam ſolùm rationem eſſe gravem, quæ ita ſolvit argumenta contraria evidenter, ut deſtruat probabilitatem oppoſitam, vel reddat illam dubiam, & tenuem; alioquin nullam opinionem minùs probabilem licitè ſequi poſſe admiſiſſet, quia quælibet eſſet dubiæ probabilitatis vel omninò improbabilis; quod tamen nec P. Cardenas, nec ullus umquàm Probabiliſtarum dixit. Imò commune eorum dictum eſt, licitum eſſe ſequi opinionem minus tutam, minuſque probabilem, modò probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore. neque P. Cardenas, & Alii Probabiliſtæ facilè admittunt nos eſſe in dubiis vel in obſcuris, dum ſumus in probabilibus; &

Digitized by Google

etiam in minùs probabilibus, ita ut tunc oporteat recurrere ad principium illud, ſeu regulam juris: *inſpicimus in obſcuris &c.* neque tale, vel ſimile principium admittunt eſſe præceptum, ſed plerique ſuſtinent eſſe de conſilio. Et illud aliud: *ab omni ſpecie mali abſtinete vos*; communiter intelligitur de ſcandalo paſſivo; ita ut ſenſus ſit, teneri nos abſtinere ab omni opere etiam in ſe bono, ſi habeat apparentiam mali, ne indè quis ſcandalizetur; quare non facit ad propoſitum. Et eſto interpretetur in ſenſu, quo illud accipit P. Riccius, fateor ego in ſe verum eſſe; at nego ſic accipi à Probabiliſtis Recentioribus; alioquin non poſſent verificare commune illud ſuum dictũ: *licitum eſt ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore*; nam manifeſtè ſibi contradicerent. Certè P. Cardenas, & cum eo Probabiliſtæ omnes communiter admittunt, ubi Doctores hinc indè dividuntur, poſſe utramque partem eſſe probabilem, vel ambas æquali probabilitate, vel unam altera probabiliorem, & unam minùs probabilem altera: nec proindè dubitant de gravitate rationis, imò certò exiſtimant, unicuique gravem rationem aſſiſtere, vel æqualiter; vel uni rationẽ graviorẽ quam alteri, ſemper tamen in ſeipſâ gravem, & ſufficientem. Nec exigunt deſtruenda eſſe adæquatè, & evidenter argumenta contraria, ut probabilitas oppoſita deſtruatur, nec poſſit de eâ prudenter ampliùs dubitari; hoc enim eſt purum additum, & inventum Patris Riccii, quod nemo Probabiliſtarum adiecit, ut diximus ſupra, & nunc quoque monſtratum eſt, alioquin ſibimet manifeſtè contradicerent. Limitent ergo quomodocumque Probabiliſtæ principium illud: *Qui ſequitur Viros pios &c.* apponantque limites quoſcumque voluerint, numquam poterunt ad id pertingere, ut ad nihil aliud valeat niſi ad id ſequendum ſemper, quod eſt probabilius; niſi fortè dicamus ſibimet contradicere. Implicat enim in propriis terminis dicere, quod ſint Probabiliſtæ, & fautores ſententiæ benignæ minùs probabilis; & ſimul velint eligendam eſſe ſemper probabiliorem.

1396 Et eſto nonnulli ſuis limitationibus ſic reſtringant principium illud, & re verâ dicant id, quod prætendit P. Riccius. Unde tamen probat idipſum de omnibus Probabiliſtis ſuis? Imò ipſemet P. Riccius ſupra centies repetivit de principiis reflexis, ita à pluribus ea admitti, ſive in dubio ſuſpenſivo, ſive in dubio opinativo, ſivè cum agitur de ſolâ actus honeſtate; ut a multò pluribus negentur. Ergo ſaltem ab illis, à quibus ſine huiuſmodi limitationibus admittuntur, & ſine ulla exceptione quæſtionis principia reflexa conceduntur, non intelliguntur reſtricta ad id quod eſt probabilius, ſed extenſa ad quamlibet opinionem probabilem, & etiam minùs probabilem. Et iſti ſunt verè Probabiliſtæ; alii verò, ſi qui ſunt, malè Probabiliſtis adnumerantur, cum re vera ſint Probabilioriſtæ. At clamores Probabilioriſtarum contra Probabiliſtas ſunt, & non contra Probabilioriſtas ſuos. Ergo loquendo de verè Probabiliſtis, & Probabilioriſtis, non ſiunt clamores concordes, & mutuò ſe inferẽtes; ſed diſcordes, & mutuò ſe deſtruentes. Ergo nulla eſt inter eos vera concordia. Nec eam umquam poterit P. Riccius aliquo modo probare.

1397 Denique arguit P. Riccius quaſi ad hominem ſic: *Si valet diſcurſus ille; donec Doctores de lege diſputant, lex invincibiliter ignoratur, & ſupponitur inſufficienter intimata, atque ideò non obligat. Valebit etiam arguere: donec Doctores diſputant pro utraque parte in aliquâ particulari quæſtione; invincibiliter ignoratur, qui eorum piè, prudenter, ac doctè procedant. Ac per conſequens ipſorum doctrinâ prudentia, & pietas, pro illâ particulari deciſione, invincibiliter ignoratur, nec ſupponitur nobis ſufficienter propoſita. Sicut ergo lex non ſufficienter intimata non obligat; ita doctrina, prudentia, & pietas Doctorum non ſufficienter propoſita non firmat conſcientiam ad licitam operationem. Sufficienter autem ſolùm proponitur, dum ſolvit argumenta contraria, & ita ſolvit, ut non poſſis prudenter de oppoſito dubitare, & liberet te ab omni remorſu conſcientiæ, qui ex contrariis rationibus poſſet oriri.*

1398 Ad hoc autem argumentum dico, quod ſi P. Riccius prætendit abſolutè probare principia reflexa non concludere, alioquin etiam concluderent contra Probabiliſtas, non excuſari a peccato qui opiniones Doctorum ſequuntur, quia numquam eis conſtare poſſet doctrina, prudentia, & pietas illorum in ipſis ſuis deciſionibus particularibus; ita ut velit P. Riccius argumentum deſumptum ex principiis reflexis in ipſos Probabiliſtas retorquere; & indè oſtendere malè Probabiliſtas ad principia reflexa recurrere, optimè procedit. Sed hoc non eſt ad rem noſtram. Ipſe enim in præſenti non contra Probabiliſtas agit; ſed eos defendit; & intendit oſtendere, quod falsò illis attribuãtur principia hæc reflexa, quaſi in iis aliquam vim faciant independenter a probabilitate directâ; imò vult quod totam vim ponant in directâ probabilitate, & tali probabilitate, quæ coincidat cum probabilioritate. Quod certè præfato argumento non probatur. Quod ſi credat indè hoc probari, quia tunc ſolum conſtat Doctorum doctrina, prudentia, & pietas, quando ipſorum opinio directa adeò gravi rationi innititur, quæ vincat, & deſtruat adæquatè argumenta partis oppoſitæ, ac per conſequens validioribus rationibus ſupponitur innixa, & ideò ſupponitur probabilior. Iterùm dico hoc poſſe eſſe in ſe ipſo verum; at quod ſit hoc ipſũ ad mentem Probabiliſtarum; & quod plus eſt, de communi eorum ſenſu, undè probat? præfato argumento certè non probatur. Et ſi dicat

cet probari ex ipſorum limitationibus ſuperiùs adductis; & ex requiſitis ad probabilitatem practicam, & maximè ex requiſito illo de ſolutione adæquatâ contrariarum rationum: hæc omnia ſupra reiecimus, & non eſſe ad mentem Probabiliſtarum oſtendimus, ſed ſuperaddita à P. Riccio.

1399 Et ſi replicet probari ex hoc, quod niſi ita intelligant, non benè dicunt, quia valeret contra ipſos retorſio præfati argumenti ex vi eiuſdem principii reflexi. Si ſic, inquam, replicet; dicam ego, pro quanto ad me ſpectat: concedo totum. Fateor enim illos non benè procedere. At pro quanto ſpectat ad ipſos Probabiliſtas, reſpondebunt negando ſequelam, & retorſionem illam, cum ſuâ paritate. Et diſparitatem tradent, dicendo quod quando Doctores hinc indè diſputant de lege, certum eſt ipſam legem diſputatam in quæſtione eſſe, num ſit, vel non ſit; ac proindè certò ignorari, & invincibiliter, dum nihil certi de eâ determinari poteſt, nec aliquòd certum caput haberi poteſt formaliter, aut præſuppoſitivè, cum formaliter in quæſtione ſit, & alias undè ſupponi poſſit non habetur. At quando Doctores hinc indè diſputant in aliqua particulari quæſtione, non eſt formaliter in quæſtione doctrina, prudentia, & pietas ipſorum, non enim hæc eſt res de quâ formaliter diſputatur, imò hæc in ipſis aliundè præſupponitur, nempè ex certâ veritate, quam pleruumque in aliis deciſionibus apparet determinaſſe, ex prudentiâ in aliis rebus ſtabiliendis cognitâ, & ex vitâ, & integritate morum; ex quibus certò ſupponuntur pii, prudentes, & Docti; & licet in peculiari illâ deciſione non certò conſtet metaphiſicè ſi doctè, prudenter, ac piè procedant; conſtat tamen certò moraliter ex frequenti eorum modo procedendi in ſimilibus; quod enim frequentiùs evenit, & experimur fieri ut plurimum, dicimus certò ſaltem moraliter ſciri, quod ita fiat, etiam quando contingit non fieri, ex præſuppoſitâ experientiâ; ac propterea non dicitur ignorari eorum doctrina, prudentia, & pietas in tali caſu; ſicut dicitur ignorari lex ipſa diſputata, undè non currit paritas, nec valet retorſio illa argumenti. Ita utique poſſēt Probabiliſtæ reſpondere. Et certè ipſi præſupponunt Viros Doctos, prudentes, & pios, aliundè cognitos: imò indè inferunt eorum doctrinam quemlibet ſequi poſſe; & non econtrà, ex ſpeciali aliquâ eorum deciſione dicunt agnoſcendos ſi ſint, vel non ſint tales. Quod adeò verum eſt, ut ſimul dicant utramque partem ab illis doctè, prudenter, ac piè determinari; neque intendunt hæc ſimul eſſe vera in ſe & methaphiſicè, quia hoc repugnat; ſed moraliter, & in exiſtimatione, quia prætendunt quod quidquid probabiliter judicatur verum, prudens, ac pium, dici debet moraliter prudenter, piè, ac doctè judicatum tale. Et ideo docent utramque partem ſequi poſſe, etiam ſi una ſit minùs probabilis alterâ, imò poſſe quempiam modò unam, modo alteram licitè ſequi, & pro ſuo libito variare, quia ſemper prudenter operabitur, ut videri poteſt apud Thomam Tamburinum *cap. 3. de conſcientia opinante ſeu de opinione probabili*, et alios Probabiliſtas ferè communiter.

1400 Malè ergo concludit hic P. Riccius quod ſi ſecùs intelligantur Probabiliſtæ, & ſi ſecùs in praxi fiat, ſequendo opiniones benignas, quæ ſuis rationibus non ſolvunt adæquatè rationes oppoſitas, ut non poſſit de illis ampliùs prudenter dubitari, nec indè poſſit ullus remorſus ſeu ſcrupulus conſcientiæ ſuboriri, & ut ipſemet exponit, ita ut oppoſitæ evadant improbabiles; non eſt ſequi Recentiores Probabiliſtas; ſed eſt eorum ſanam doctrinam non percipere, eâque abuti ad corruptelam, & laxitatem. Malè, inquam, quia conſtat Probabiliſtas non ita ſentire, nec poſſe, alioquin nimis manifeſtè ſibimet contradicerent; dum enim communiter dicunt, licitum eſſe ſequi minùs tutam, minuſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore; non poſſunt dicere ad licitum uſum illius requiri, quod illa minùs tuta minùſque probabilis ſit tam gravi rationi innixa, quæ ſuperet rationes oppoſitæ probabilioris; alioquin, ut ipſemet Riccius pluries arguit, illa eſſet probabilior iſtâ; & ſic eſſet ſimul minùs probabilis, & probabilior ſuâ oppoſitâ probabiliore; & hæc eſſet ſimul probabilior, & minùs probabilis illâ, quæ eſt manifeſta contradictio.

1401 Sed ponderemus tantiſper poſtrema eius verba, quibus hoc caput concludit, Pater Riccius, ut magis appareat ipſum in ſua doctrinâ ſibimet contradicere; ſic in fine habet: *Admiſſa igitur* (inquit) *notione rationis gravis traditâ à Caramuele, admitto totum hunc diſcurſum: Habeo opinionem probabilem de licito, ergo habeo moralem certitudinem, & evidentiam reflexam de licito: ergo ſententia de illicito eſt in confinio improbabilitatis. quid gratiùs Probabiliſtis? Sed quid contra Probabilioriſtas? Solve citra remorſum conſcientiæ, citraque paſſionem, & culpam, quod in contrarium obiicitur. & do tibi ut veras omnes illas illationes.* Ecce lector in his verbis compendioſè tibi propoſitam Probabiliſtarum doctrinam, & diſcurſum cum illationibus ſuis à Patre Riccio; non enim nomine proprio ita diſcurrit, ſed Probabiliſtarum; quod lepidè inſinuat, dicens: *quid gratius Probabiliſtis?* Indè verò procedit ad inſinuandam concordiam, ſubdens immediatè: *Sed quid contra Probabilioriſtas?* Quaſi dicat; doctrina hæc non contradicit Probabilioriſtis, ſi opinio probabilis, quam habes de licito, ſit talis, qualem exigunt Probabiliſtæ; hoc eſt, ſi ſit gravi rationi innixa, & adeò gravi, ut adæquatè ſolvat argumenta contraria, ita ut de oppoſito non poſſit ampliùs prudenter dubitari, nec remorſus, aut ſcrupulus conſcientiæ indè

dè

Digitized by Google

dè ſuboriri; quia tunc vincet, & diſſolvet probabilitatem oppoſitam, eamque ponet in confinio improbabilitatis, ac per conſequens erit probabilior, & unicè practicè probabilis; & ideò ſubiungit: *Solvo citrà remorſum conſcientiæ, citràque paſſionem, & culpam, quod in contrarium obiicitur; & do tibi ut veras omnes illas illationes*, ſubaudi: abſque ulla contradictione ſive oppoſitione ad doctrinam Probabilioriſtarum, qui utique probabiliorem exigunt ad licitè operandum.

1402 Sed procedamus ulteriùs, & audiamus a P. Riccio, quo pacto hanc doctrinam applicet opinioni minùs tutæ, minùſque probabili. Ecce applicationem: *Aut igitur* (inquit) *definitio rationis gravis non competit rationi, cui innititur opinio minùs tuta, minùſque probabilis, & tunc iam non eſt probabilis, nec facit licitum; & hoc iuxtà omnes, ſed dicitur minùs probabilis, ſicut ſcandalum dicitur verbum, aut factum minùs rectum, cum tamen non ſit rectum. Aut ei convenit definitio rationis gravis* (nempè quod ea ſit, quæ ſolvit adæquatè &c. hanc enim lector debes intelligere ſemper, & ſupponere ex P. Riccio eſſe eius definitionem) *& tunc eſt unicè practicè probabilis, & facit certò licitum: & hoc erit neceſſariò etiam verum iuxta omnes*. Audiſti lector applicationem doctrinæ? exigit P. Riccius, ut benè applices, & utaris doctrina Probabiliſtarum in ſequela minùs tutæ minùſque probabilis; quod priùs videas, ſi illa ſit tali rationi gravi innixa, quæ ſcilicet vincat oppoſitam probabiliorem, vel non. & ſiquidem vincat, ipſa erit probabilior, & unicè practicè probabilis; & ſic poteris eà uti licitè, ſicut dicunt Probabiliſtæ; nec negant Probabilioriſtæ, quia jam eliges probabiliorem, & unicè practicè probabilem; cum, quæ erat probabilior, ſit victa, & deiecta à probabilitate ſua, ac poſita in confinio improbabilitatis. Si verò non vincat, iam non eſt probabilis, ſed dicitur minùs probabilis, ſicut ſcandalum dicitur minùs rectum, cum tamen non ſit rectum; & ſic non facit licitum, nec tu poteris eà licitè uti, neque ſecundùm Probabiliſtas, neque ſecundùm Probabilioriſtas. Sed quis non videat hic manifeſtam Patris Ricci contradictionem? quis non advertat oppoſitionem Probabiliſtarum cum Probabilioriſtis? Vult Pater Riccius Probabiliſtas ſuos concordare, dum aiunt, licitum eſſe ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relictà tutiore, & probabiliore; quod negant Probabilioriſtæ: & ut eos concordet, interpretatur Probabiliſtas, quod loquantur de minùs tutà minùſque probabili, quæ ſit practicè probabilis; hoc eſt, quæ ſit gravi rationi innixa, quæ ſolvat adæquatè, & vincat oppoſitam probabiliorem, eamque ponat in confinio improbabilitatis. Sed ut hæc eius interpretatio locum habeat, oportet ſupponere, quod opinio minùs probabilis poſſit quandoque vincere probabiliorem ſibi oppoſitam; & ratione ſuâ, cui innititur, illam deſtruere. Dicat autem modo nobis P. Riccius, ſi hoc ipſe ſupponat; vel non. Si dicat, quod non ſupponit hoc eſſe poſſibile: ergo eius gloſſa, & interpretatio eſt apertiſſimè falſa, & de ſubiecto non ſupponente, ac per conſequens contradictoria in ipſo ſuo ſuppoſito. Si verò dicat, quod utique id eſt quandoque poſſibile; iam ſibimet contradicit, & veritati; quia ipſe non ſemel, ſed pluries demonſtravit, ſupra id impoſſibile eſſe, & re vera eſt impoſſibile, nam ut ipſemet pluries dixit, opinio minùs probabilis ideò eſt minùs probabilis, quia rationes habet minùs efficaces ſuâ oppoſitâ; impoſſibile autem eſt rationes minùs efficaces deſtruere efficaciores oppoſitas; imò ait, quod neque hoc efficere poſſunt rationes æquè efficaces. & ideò ſupra oſtendit, quod ſola probabilior ſit unicè practicè probabilis, ut vidimus ex eius doctrinà. Quomodo ergo nunc poteſt id tribuere minùs probabili? Ergo quò quò ſe vertat contradictionibus implicabitur.

1403 Præterea vel opinio minùs probabilis in ſeipsà innititur gravi rationi, quæ re vera poteſt aliquando vincere adæquatè, & deſtruere rationes partis oppoſitæ; vel quæ numquam tale quid efficere poteſt. Si dicatur primùm, ergo ratio gravis, cui innititur opinio minùs probabilis erit ſaltem aliquandò efficacior ratione ſuæ oppoſitæ probabilioris. Ergo cum opinio dicatur magis vel minùs probabilis, à ratione magis, vel minùs efficaci, ut de ſe conſtat; iam aliquando opinio minùs probabilis erit magis probabilis ſuà oppoſità probabiliore; & ſic erit ſimul minùs probabilis, & probabilior ſua probabiliore oppoſita; & hæc erit ſimul probabilior; & minùs probabilis illà; quæ omnino contradictoria, & repugnantia ſunt. Si dicatur ſecundum, quod ſcilicet numquam opinio minùs probabilis poteſt ratione ſua, cui innititur, deſtruere, et ſolvere adæquatè rationes ſuæ oppoſitæ probabilioris. Ergo vel numquam erit practicè probabilis; vel ad probabilitatem practicam falſum eſt requiri eiuſmodi adæquatam ſolutionem, & deſtructionem contrariarum rationum, quam fingit P. Riccius ex doctrina Probabiliſtarum. Si autem dicatur quod numquam erit practicè probabilis; ergo P. Riccius ſibi contradicit, dum illam aliquandò practicè probabilem ſupponit, & tunc interpretatur Probabiliſtas aſſerere licitum eſſe eam ſequi, quandò ſcilicet eſt practicè probabilis; *quod indè*, inquit, *dignoſcitur, ſi adæquatè ſolvit, & deſtruit rationes oppoſitas*. Si verò dicatur ſecundum, quod nempe ad probabilitatem practicam ea adæquata ſolutio non requiritur ex ſententia Probabiliſtarum; iam iterùm ſibi contradicit, qui id requiſitum docuerat ex doctrina Probabiliſtarum, qui tamen non requirunt. Si verò iſti hoc non requirunt, iam admittunt licitum eſſe ſequi minùs tutam minùſque probabilem ſine tali requiſito, ac per conſequens

ut

Digitized by Google

ut perſiſtentem in ſua minori probabilitate, ac propterea opponuntur Probabilioriſtis, qui ſolùm volunt ſequelam opinionis probabilioris.

1404 Denique: vel opinio minùs tuta, minùſque probabilis, ut ſit licitum eam ſequi iuxta doctrinam Probabiliſtarum, requirit ſolutionem illam adæquatam, & deſtructionem rationum opinionis probabilioris oppoſitæ; vel non requirit. Si dicatur primum, ut uſque modo requiſivit P. Riccius, alioquin, ait, non erit practicè probabilis, ſed dicetur minùs probabilis, ſicut ſcandalum dicitur minus rectum, cum tamen rectum non ſit: iam numquam erit licitum ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, quia numquam erit practicè probabilis ex defectu talis requiſiti, quod hactenùs vidimus eſſe impoſſibile tum ſecundùm veritatem, tum ſecundùm ipſum Patrem Riccium, qui non ſemel, ſed ſæpiùs oſtendit rationes opinionis minùs probabilis eſſe ſemper minùs efficaces; & rationes minùs efficaces impoſſibile eſſe, quod vincant efficaciores oppoſitæ probabilioris. ac per conſequens numquàm opinio minùs probabilis erit probabilis practicè, ſed dicetur minùs probabilis, ſicut dicitur ſcandalum verbum, aut factum minùs rectum. Hoc autem ſuppoſito, quomodò cohæret cum hoc dictum illud Probabiliſtarum: *licitum eſt ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore?* De qua minùs tutâ, minùſque probabili intelligunt? De eâ quæ dicitur minùs probabilis, ut ſcandalum, quod dicitur minùs rectum; an verò de ea, quæ dicitur minùs probabilis ratione gradualitatis, re verâ tamen probabilis? Certè dici non poteſt, quod loquantur de eâ primo modo dictâ probabili, ſicut ſcandalum, ut conſtat de ſe. Ergo oportet dicere, quod loquantur de eâ ſecundo modo ſumpta. Sed hoc ſecundo modo ſumpta conſtat ex P. Riccio, & ex rei veritate, quod non poteſt pertingere ad adæquatam illam ſolutionem, & deſtructionem oppoſitæ probabilioris, cum habeat rationes minùs efficaces, quàm illa; alioquin eſſet ſimul magis, & minùs probabilis illâ, quod repugnat. Ergo requiſita illa ſunt commentitia Patris Riccii contra mentem Probabiliſtarum, qui contenti ſunt ſolâ minùs probabili, etiam relictâ tutiore, & probabiliore, quod tamen negant Probabilioriſtæ. Ac propterea manifeſtè inter ſe adverſantur. Ergo oportet, quod neceſſariò dicatur ſecundùm membrum dilemmatis ſupra facti, quod ſcilicet eiuſmodi ſolutio adæquata, & deſtructio contrariarum rationum nullatenùs requiratur iuxta Probabiliſtarum doctrinam, ut licitum ſit ſequi minùs tutam, minùſque probabilem. Et oppoſitum quod prætendit P. Riccius hic concludere, eſt undique mille contradictionibus implicatum. ut hactenùs oſtenſum eſt.

1405 Concludendum eſt igitur hic quod licet Probabiliſtæ fundent principia reflexa, & reflexam evidentiam in probabilitate directâ intrinſecâ, ſive extrinſecâ, quæ ſemper intrinſecam ſupponit, & in illâ fundatur; tamen numquàm principia illa reflexa, & reflexam evidentiam coarctant ad directam probabilitatem illis requiſitis, & adminiculis vallatam, quæ coincidat cum probabilioritate; ſed contenti ſunt quâcumque minori probabilitate, dummodò ſit vera probabilitas; atque ideò non curant de eius gradualitate, ſed tota eorum cura eſt in hoc, quod ſit verè probabilis, & veram probabilem opinionem exiſtimant, quando ratio, cui innititur videtur gravis, & magni momenti in ſeipsâ conſiderata, quidquid ſit ſi oppoſita habeat graviores rationes, & maioris ponderis; quia ſtante quacumque gravi ratione in ſe ipsâ, etiam nullo habito reſpectu ad contrarias graviores, in eodem tamen genere puræ rationis probabilis, credunt ſemper iudicium eſſe prudens, quia rationes graviores, inquiunt, in genere rationum probabilium, non deiiciunt opinionem minùs probabilem à probabilitate ſuâ. Atque ideò dicunt quod opinio minùs probabilis in concurſu probabilioris retinet ſuam practicam probabilitatem, quod ſupra idem P. Riccius confeſſus fuit, cum ait quod *in hoc uno diſcriminantur Probabiliſta à Probabilioriſtis*, quod illi admittunt minùs probabilem retinere practicam probabilitatem etiam in concurſu probabilioris; Probabilioriſtæ verò negant, ut ſupra vidimus. Ex quo patet nullam eſſe in hoc eorum concordiam, ſed toto cœlo diſſidere; & concordia prætenſa à P. Riccio eſt omninò violenta, & mille contradictionibus implicata.

§. VII.

Summa doctrinæ eiuſdem Authoris in ſexto capite.

1406 Contendit in hoc capite Author iſte oſtendere de Probabiliſtis ſuis iterùm, & ſpecialiùs, quod omnes negent, & non agnoſcant, imò nec poſſint coherenter agnoſcere extrinſeca hæc, ſeu reflexa principia; niſi ut omninò menſurata à principiis intrinſecis directis, & particularibus, ex quibus particulares concluſiones probantur: ut indè poſſit concludere, quod ſi, ut dicitur, ab his principiis extrinſecis, ſeu reflexis oritur laxitas opinionum, & diſcordia inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas; jàm ſemel demonſtrato, quod Scriptores ſui omnes non agnoſcunt, nec poſſunt agnoſcere eiuſmodi principia, niſi ut benè menſurata ab intrinſecis, & directis, maneat ſimul demonſtratum Probabiliſtas ſuos omnes nec laxas opiniones introducere, nec diſcordare poſſe à Probabilioriſtis; præſertim ſi directam probabilitatem benè diſtinguant in practicam, & merè ſpeculativam, & in per accidens, & per ſe, ut ſupponitur hic ex dictis in ſuperioribus. Et ad hoc oſtēdēdū præmittit, quod P. Mendo in ſtatera opinionum beni-

benignarum *pag. 36. num. 137. & pag. 447. num.* 116. oſtendit ab Authoribus Societatis communiter doceri ſtrictiores opiniones: & ſi qui eorum aliquandò benigniores ſequantur, eos dicit inſiſtere veſtigiis Authorum extra Societatem. Et idem dicit oſtëdere Amadæum Guimenium, alias P. Matthæum de Moya in libro, cui titulus eſt: *Adverſùs quorumdam expoſtulationes, contra nonnullas Jeſuitarum opiniones morales*. Et in ſelectis,

1407 Quo præmiſſo ſic ſuum aſſumptum oſtendit: *Poſitis his principiis extrinſecis, & demonſtrationem reflexā in ipſis fundatā; & omnibus, quæ juxta hæc reflexa principia dicuntur à Probabiliſtis; quæ utilitas in delectu opinionum tutarum, & probabiliorum, relictis minùs tutis, minùsque probabilibus? jam Doctores Societatis non ſolùm omninò infructuosè laboraſſent, & inutiliter; ſed etiam perniciosè, Perniciosè quidem, quia trepidando, ubi nullus eſt timor, iniecíſſent ſcrupulos, illaqueaſſent conſcientias, fuiſſent multis ſcandalo, & occaſionē ruinæ: nam multi ignorantes hæc principia reflexa, utique peccaſſent non ſequendo ſtrictiores, quas ipſi proponerent. Et quanta temeritas, quanta imprudentia eſſet reiicere, & non libenter amplecti, & aliis amplectendas proponere opiniones minùs probabiles; pro quibus ſtat demonſtratio reflexa, & authoritas ducentorum Doctorum &c? maximè quia ſi per ipſos vera eſſent principia hæc reflexa, omnes illæ à ſe reiectæ opiniones, venirent ſimul ab ipſis propoſitæ ut amplectendæ tamquàm tutiſſimæ, & probabiliſſimæ. Ergo poſitis his principiis abſolute, non ſolum infructuosè laboraſſent, ſed etiam perniciosè; quo quid ſtolidiùs imò impiùs dici poteſt? Ergo hæc extrinſeca ſeu reflexa principia, niſi ad intrinſeca omninò reducantur, ut à Recentioribus Probabiliſtis reducuntur, non faciunt demonſtrationē reflexā, ſed directā illuſionē; nec habent pro ſe ducentos ſcriptores, ſed ducētas falſitates.*

1408 Et idem dicit de omnibus Scriptoribus dicendum eſſe, ſi principiis reflexis abſolutè inſiſtunt, cum aliquando in ſuis libris, aut ſcriptis, eligunt opiniones tutiores, & probabiliores, & improbant oppoſitas ut minùs probabiles, & minùs tutas; quod videlicet oleum, & operam perdant; quod ædificent ſimul, & diruant. Quis autem credat ducentorum Doctorū ſuffragio has ineptias ſtabiliri?

1409 Ulteriùs *poſitâ* (inquit) *hac doctrinâ de principiis reflexis, & extrinſecis, ſequitur, omnes opiniones eſſe communes omnibus, ut privatas, & proprias: alias quidem ex principiis directis; oppoſitas verò ex reflexis. Idque tam in rebus conſcientiæ, quàm merè ſpeculativis: nam ſicut cum hinc indè diſputant Doctores in re morali, dicitur lex invincibiliter ignorari, nec eſſe ſufficienter intimata; ita in ſpeculativis dicetur invincibiliter ignorari veritas, & non ſufficienter propoſita. Quare una erit, & unica ſcholarum omnium, & omnium Doctorum ſententia, quamvis non iiſdem principiis propoſita; ſed vel ex intrinſecis, vel ex extrinſeces, & reflexis.*

1410 Poſt hæc proponit argumentum, quod poſſet fieri pro iſtis principiis reflexis abſolutè; & ſpecialiter pro illo: *Qui ſequitur viros pios &c.* hoc modo: *Qui ſequitur viros pios, prudentes, ac doctos, prudenter operatur; dandum enim eſt aliquid extrinſecæ Doctorum authoritati.* Cui argumento ſic reſpondet: *eſto: ſed vide quas adhibeant huic aſſerto Recentiores Probabiliſtæ limitationes.* Et repetit limitationes Reginaldi, Bardi, & Caramuelis, quas examinavimus ſupra. Et ulteriùs ſubdit: *Aſſumptum hoc: dandum eſt aliquid doctorum authoritati, probat pro utraque parte;* nam, inquit, *etiam authoritati Doctorum ſtantium pro lege dandum eſt aliquid. Sed illi docent contractum, A, exempligratia, eſſe uſurarium; ergo ſi illum licitum eſſe admittas nihil das horum Doctorum authoritati; etiam ſi ſupponantur eſſe plures, aut melioris notæ. Ergo hæc principia reflexa probant etiam contra Authores ſuos.* & ſubiungit: *Verum ſic breviter arguo: Nemo poteſt aſſerere contractum, A, exempligratia, eſſe illicitum; ſi concedat pro uſu licito contractus, A, ſtare demonſtrationem. Sed qui concedit pro contractu, A, dari opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, concedit pro uſu licito contractus, A, dari evidentiam, & demonſtrationem* (ſubintellige reflexam) *ergo non poteſt aſſerere contractum, A, eſſe illicitum; aut probabile eſſe, contractum, A, eſſe illicitum. Ergo nemo unus eſt, qui non debeat negare hæc reflexa principia, & hanc evidentiam reflexam, ut evidenter falſam, & erroneam; ſi velit ſuſtinere opinionem aliquam ſtrictiorem.*

1411 Præterea reiicit hic P. Riccius ſimilem quemdam modum arguendi aliquorum ab oppoſito pro principiis reflexis; qui videlicet ſic arguunt contra Probabilioriſtas: *Tenemur ſequi probabiliora; ſed quæ ſunt intrinſecè minùs probabilia, ſunt hodiè extrinſecè probabiliora: ergo ſi tenemur ſequi probabiliora, poſſumus ſequi minùs probabilia.* Reiicit, inquam, primò; quia ex duabus illis præmiſſis: *Tenemur ſequi probabiliora: ſed quæ ſunt intrinſecè minùs probabilia, ſunt extrinſecè probabiliora:* formaliter ſequitur conſequentia hæc potiùs: *ergo tenemur ſequi minùs probabilia:* & non illa, quam iſti inferunt: *ergo poſſumus ſequi minùs probabilia.* Quare ex duabus illis præmiſſis, ait, potiùs infertur id, quod ipſimet non concedunt, nemo enim id numquam admiſit Probabiliſta, videlicet teneri nos ad ſequendum minus probabilia; ergo eo modo arguendi plus probatur, quàm intenditur. Ex quo patet falſam eſſe, & erroneam evidentiam illam reflexam abſolutè, utpotè quæ plus probat. Reiicit ſecundo quia, inquit, falſa eſt minor illa propoſitio: nam ſi de communi Recentiorum

Pro-

Probabiliſtarum doctrinâ, principia extrinſeca ſunt ad intrinſeca reducenda; & extrinſeca probabilitas eſt ab intrinſecâ menſuranda; quo pacto extrinſeca probabilitas tanta eſſe poteſt, ut faciat moralem certitudinem, & evidentiam, ſeu maiorem probabilitatem, cum intrinſeca probabilitas ſit longè minor. *Ergo*, inquit, *quò quò te vertas, nonniſi graves illuſiones reperies ex principiis iſtis reflexis, niſi ad intrinſeca omninò reducantur, & ab iſtis menſurentur.*

1412 Denique in forma reſpondet ad hæc principia extrinſeca diſtinguendo ea juxta menſuram intrinſecorum principiorum. Undè cum arguitur: qui ſequitur viros pios &c. prudenter operatur: diſtinguit, *ſi illi reſolvunt poſt argumenta contraria conſiderata, & ſoluta, ut ſupra*, concedit. *aliter*, negat. & cum arguitur: *dum Doctores hinc indè diſputant de licito, lex prohibens invincibiliter ignoratur, nec eſt ſufficienter intimata*: reſpondet primò negando ſuppoſitum, nam Doctores non diſputant hinc indè de lege, ſed eam certò ſupponunt: diſputant autem de extenſione legis. Et quoad hanc etiam negat invincibiliter ignorari, quando poteſt, & debet prudenter credi vera, nec poteſt prudenter credi falſa: *At dum pro extenſione legis*, inquit, *ſtant rationes validiores, poteſt & debet prudenter credi vera, & non poteſt prudenter negari ut falſa, ergo non eſt ignorata invincibiliter, ſed ſufficienter intimata, quando attenditur eius probabilitas intrinſeca, ſine quâ nulla eſt evidentia reflexa. Nulla autem eſt probabilitas intrinſeca de licito, niſi rationi gravi innitatur, ut ſuperius explicatum eſt; alioquin ſemper ſtandum eſt pro lege. Ergo ſi in re tanti momenti ſiſtamus in limine fugientes eos, qui non inquirunt veritatem, nullum, neque laxitatis, neque diſcordiæ inter Doctores Catholicos veſtigium eſſe poteſt. Diſſipa gentes quæ bella volunt* Pſal. 72.

1143 Atque hinc concludit: *diſcordant Probabiliſtæ à Probabilioriſtis, in principiis directis nè, an in reflexis? In principiis directis nullum Probabiliſtam à Probabilioriſtis diſcordare luculentiſſimè oſtendit Terillus. Reflexa principia à multò pluribus Probabiliſtis reiici, quàm admitti, & quidem in omni quæſtionum genere tabellis obſignatis in hac poſteriori diſſertatione eſt abundè demonſtratum. Quære igitur in quo diſcordent.* Hæc Pater Riccius.

Criſis præcedentis doctrinæ adverſus eius Authorem.

1414 Fateor quidem veriſsimum eſſe Recentiores Probabiliſtas in probabilitate intrinſeca directâ fundare principia hæc reflexa, & reflexam evidentiam, ut ſupra ingenuè confeſſus ſum: nam niſi opinio ſit directè practicè probabilis gravi aliqua ratione ad probabilem aſſenſum ſufficiente; vel authoritate Doctorum, quæ in eiuſmodi gravi ratione præſumitur ſemper fundata, non habebunt locum principia reflexa, nec poterit reflexa illa evidentia reſultare. Neque de hoc quis poteſt dubitare, impoſsibile enim eſt, eſſe probabilitatem reflexam ubi directa non reperitur, quia reflexa, hoc ipſo quod reflexa eſt, in directa neceſſariò fundatur, ut conſtat ex proprio ſuæ vocis ſignificato. At quod principia reflexa, & reflexa evidentia menſuretur à principiis intrinſecis directis, & directâ probabilitate, ut contendit hîc P. Riccius ex ipſorum Probabiliſtarum doctrinâ; hoc falſum eſt, & nemo unquam Probabiliſtarum admiſit. Neque P. Riccius id aſſerere poteſt, niſi ſibimet velit contradicere: nam etiam ſi tota eius doctrina de ſummâ concordia Probabiliſtarum cum Probabilioriſtis vera eſſet, ita ut Recentiores Probabiliſtæ cōvenirent in hoc, quod ſemper ſit eligenda opinio probabilior, & in hac ſolâ unicè fundarent demonſtrationem reflexam ex principiis iſtis extrinſecis, ſeu reflexis; non propterea hæc eſſent menſurata à principiis intrinſecis directis & directâ probabilioritate illius opinionis; quia rationes intrinſecæ illius graviores, & validiores, quam ſint rationes partis oppoſitæ, pertingunt uſque ad probilioritatem directam; at ad certitudinem, ad evidentiam, ad demonſtrationem aſſenſus directi non pertingunt, ſed relinquunt illum in confinio aſſenſus opinativi, licet probabilioris: at principia reflexa in eiuſmodi probabiliori opinione fundata, ut docent omnes Probabiliſtæ, & fatetur P. Riccius juxta eorumdem doctrinam, pertingunt ad certitudinem, ad evidentiam, ad demonſtrationem aſſenſus reflexi. Ergo Recentiores Probabiliſtæ, & ex eiſdem P. Riccius maiorem vim tribuunt principiis reflexis, quam directis; & plus probabilitati reflexæ quàm directæ, dùm illam ad certitudinem, & evidentiam evehunt, non iſtam. Quomodo ergo principia reflexa, & reflexa evidentia à principiis intrinſecis, & directis, & à directâ probabilitate mēſuratur? Numquid menſura poteſt eſſe minor menſurato, aut menſuratum excedere menſuram?

1415 Hinc P. Joannes de Cardenas, ut videri poteſt in ſuâ Criſi Theologicâ, & nos alibi, cum de Probabiliſmo agebamus, retulimus; dicit neminem licitè poſse operari ex vi judicii probabilis directi de licito, ſi in illo tantùm ſiſtat; quia judicium probabile directum, cum ſit tantùm probabile, eſt in ſe incertum ac per conſequens agens juxta illud exponit ſe periculo probabili peccādi, adeòque peccat lethaliter: econtrà verò ex vi judicii reflexi, dicit licitè poſſe quemlibet operari, quia hoc eſt certum, & evidens. Ergo P. Cardenas negat certitudinem judicio opinativo directo de licito, & tamen illam concedit judicio reflexo: ergo non vult judicium reflexum menſurari à judicio directo, quaſi quod ſi directum ſit minùs certum, minùs tutum, minuſque probabile;

Digitized by Google

bile; vel certius, tutius, & probabilius; tale etiam ſit judicium reflexum, ut contendit hic P. Riccius. Et tamen P. Cardenas judicium reflexum fundat in probabili directo. ergo ſui Probabiliſtæ licet exigant probabilitatem directam ad fundanda principia reflexa, & reflexam evidētiam; non tamen dicunt hæc à principiis illius menſurari. Et ut non aliò te remittam, lector, ad videndum hanc doctrinam Patris Cardenas, adducam hic pauca eius verba, quæ habet *in ſua Criſi diſp. 15. tract. 1. de probabilit. cap. 4. art. 5. num. 240.* ubi ſic ait: *Itaque Pictor ſi dicat: probabile eſt tantùm; quod non peccabo pingens die feſto; exponit ſe periculo probabili pecandi, adeoque peccabit lethaliter quia cum incertus ſit de peccato à ſe vitando, non reddit ſe tutum à peccato: At verò dicens: Probabile eſt, quod depingere in die feſto non eſt illicitum: Scio autem me non peccaturum, ſi operor ex ea opinione probabili; nulli periculo ſe exponit, quia certò ſcit, operantem ex opinione probabili non peccare. Quia quamvis actus directus ſit probabilis; actus reflexus eſt omninò certus.* Hæc P. Cardenas: quid clarius? ergo Recentiores Probabiliſtæ non intendunt hoc, quod dicit ex ipſis P. Riccius; videlicet quod niſi tuta ſit probabilitas intrinſeca, & directa, ad nihilum valebunt reflexa principia, nec facient reflexam evidentiam; ſed etiam ſi probabilitas directa ſit minùs tuta minùſque probabilis, adhùc ſuſtinent locum habere, & facere reflexam evidentiam, & demonſtrationem.

1416 P. Riccius nihilominùs intendit aſſumptum ſuum probare. Attendamus itaque eius probationes. Præmittit primò quod P. Mendo, & Moya, oſtendunt, ab Authoribus Societatis communiter doceri ſtrictiores opiniones. Et ſuper hoc unico præmiſſo, quaſi jacto ſolido fundamento, ſuperædificat probationes ſuas. Certè fundamentum hoc nimis debile eſt in ſe, & minùs verum, ſi P. Mendo, & Moya velint, quod omnes Scriptores ſuæ Societatis, omnes, & in omnibus quæſtionibus moralibus docuerint opiniones ſtrictiores; paſſim enim experimur in eorum libris benigniores, & faventes libertati ſuſtineri. Neque hoc à nobis opus eſt probari, ſed quiſque ſibi probare poterit legendo illorum libros, ad quos me remitto. Exiſtimo tamen quod P. Mendo, & Moya in aliquo ſenſu verum dixerint: hoc eſt, quod nulla ſit ſtrictiorum opinionum, quæ ab aliquo Societatis non amplexata fuerit; & nullus Societatis extiterit, qui aliquam de ſtrictioribus opinionibus non docuerit; quod totum libentiſſimè admitto. Cæterùm quod communiter omnes in omnibus quæſtionibus docuerint regulariter opiniones ſtrictiores, nec P. Mendo, & Moya probare, nec nos credere umquam poterimus.

1417 At ut etiam in hoc humaniùs, & beniùs procedamus, eſto: quid indè ad præſens negotium? Gratis demus P. Riccio omnes Societatis Scriptores ſemper, & in omnibus ſuis reſolutionibus directis, pro lege, & pro ſtrictioribus opinionibus ſtetiſſe: audiamus quid ſuper hoc fundamento ſuperædificat. Arguit indè hoc modo: *Quæ utilitas*, inquit, *in delectu opinionum tutarum, & probabiliorum, relictis minùs tutis minùſque probabilibus? Jam Doctores Societatis non ſolùm omninò infructuosè laboraſſent, & inutiliter; ſed etiam perniciosè. Perniciosè quidem, quia trepidando ubi nullus eſt timor, iniecìſſent ſcrupulos, illaqueaſſent conſcientias, fuiſſent multis ſcandalo, & occaſioni ruinæ, nam multi ignorantes hæc principia reflexa, utique peccaſſent non ſequendo ſtrictiores, quas ipſi proponerent.* Negatur. Non enim indè ſequitur inutiliter, aut perniciosè laboraſſe; imò muneri ſuo ſatisfeciſſe. Si conſideraſſet P. Riccius quale ſit Doctorum munus, hæc nullatenùs dixiſſet. Doctorum munus eſt docere ingenuè de quacumque re id, quod in rei veritatate de illa ſentiunt; & pro varietate quæſtionum varias reſolutiones ſtabilire; fieri enim non poteſt, quod unā eadēque reſponſione duplici quæſtioni ſatisfiat. Conſtat autem præcipuè apud Recentiores Probabiliſtas, ut videre eſt apud Joannem de Cardenas *in ſua Criſi diſp. 15. cit. cap. 4. art. 2.* & alibi; quæſtionem directam, & reflexam eſſe quæſtiones inter ſe valdè diverſas; id quod ibi variis exemplis oſtendit, & pro quanto nunc ad rem præſentem pertinet, earum diverſitatē explico, quod ſint de diverſis obiectis: directa enim eſt de licito, vel illicito alicuius actionis in ſeipsâ conſideratæ, v. g. nùm hic contractus in ſe ſit licitus, vel illicitus; atque ideò oportet reſolvi ex propriis, & intrinſecis principiis ipſius contractus, & Doctores ex huiuſmodi principiis diſcurrendo dividuntur, & ſic evadit utraque pars probabilis, vel æquè probabilis, ſi utrinque æquè rationes efficaces adducantur, vel una magis, aut minùs probabilis alterâ pro maiori, vel minori rationum efficaciâ: Unuſquiſque tamen ſuam partem, prout ſibi videtur, reſolvit, & eam docet. Reflexa verò non eſt de licito, vel illicito illius contractus in ſeipſo conſiderati, & iuxta principia intrinſeca ipſius; ſed de probabilitate indè ſuperveniente, & quærit nùm utraque pars, hoc ipſo quod facta eſt probabilis, liceat ex vi ſuæ probabilitatis; quæ quidem quæſtio eſt iam de alio obiecto, ut patet; eſt enim de ipſo contractu quâ probabili, & non in ſeipſo conſiderato; atque ideò indiget novo examine, & nova reſolutione ex principiis ipſius probabilitatis, quæ ſupponitur utrique parti acceſſiſſe. Ac propterea cum ſit nova, & valdè diverſa quæſtio, non eſt mirum quod etiam Doctores illi, qui docent contractum illum in ſeipſo ab ipſis conſideratum eſſe illicitum, reſolvant ex vi probabilitatis eſſe licitum. Non enim reſolutiones iſtæ opponuntur, ut notat P. Cardenas: Neque repugnat quod alicui videatur contractus aliquis in ſe, & ex

natu-

naturâ ſuâ probabiliter illicitus; & quia probabilitate oppoſitâ defenſus videatur licitus. Atque ideò ingenuè doceat illum, prout ab aliis licitum probabiliter exiſtimatum, eſſe licitum; quia ita ſentit ex vi probabilitatis, licet ſentiat oppoſitum ex inſpectione aliorum principiorum ex naturâ ipſius contractus emergentium, & probabilitate directâ. ac per conſequens ſatisfacit muneri ſuo, quod agit ut Doctor, diſtinguendo quæſtiones; & unicuique, prout ingenuè ſentit, reſpondendo.

1418 Neque per hoc perniciosè agit, aut ſcandalo eſt Auditoribus ſuis, quia veritatem, prout ſibi videtur, per diſtinctionem ſufficientem in utràque quæſtione ingenuè docet, & fatetur. Nec valet dicere, quod ignorantes hæc principia reflexa, in varia peccata laberentur, non ſequentes eorum opiniones directas ſtrictiores, quas ipſi docent, a quibus liberarentur, ſi eas non docerent, ac proindè perniciosè agant. Non valet, inquam, primò quia nihil intellectu facilius eſt ignorantibus, quàm quod licitum ſit ſequi quamlibet opinionem probabilem; quod utique idem eſt, ac ſcire ruditer, & pro ſua capacitate principia hæc reflexa; ac per conſequens cum hæc apertiſſimè, & ubique proclament Recentiores Probabiliſtæ, non poſſunt eſſe ſcandalo, & occaſioni ruinæ ignorantibus per ſuas opiniones ſtrictiores directas; cum ſatis eis pro captu ſuo ſuadeant reflexam: neque enim oportet, ut intelligant ignorantes hæc principia reflexa alio modo, & modo ſcholaſtico, ut indè vitent peccata.

1419 Et certè valdè miror de hoc Authore, qui vult tot conditiones ad probabilitatem practicam requiri, ut vix raro in opinionibus reperiatur practica probabilitas; ſine quâ, nulla, inquit, quis uti licitè poteſt ad operandum: & tamen non dicit, quod Probabiliſtæ in opinionibus ſuis ſint ſcandalo, & occaſioni ruinæ ignorantibus, qui procul dubio non poſſunt tot conditiones examinare; ſed potiùs ignorantibus ipſis imputat ad culpam, qui quamlibet opinionem utcumque eligunt, ſine hoc examine; imò neque eos excuſat, ſi ab Authoribus ipſis audiant ſuas opiniones eſſe practicè probabiles; quia, inquit, non eſt attendendum quid illi dicant de opinionibus ſuis, ſed quid dicere debeant; ut vidimus ex ipſo ſupra. Et nihilominùs hìc dicit, quod qui docent opiniones ſtrictiores directas, ſint ſcandalo, & occaſioni ruinæ ignorantibus principia reflexa, ſi ſupponantur vera; cum tamen palam doceant pro rudi captu eorum hæc reflexa principia, dicendo, licitum eſſe ſequi quamlibet opinionem probabilem, quod nemo ignorantium non capit pro ſua rudi intelligentiâ.

1420 Secundò non valet argumentum hoc, quod perniciosè doceant opiniones ſtrictiores, & ſint ſcandalo, & occaſioni ruinæ ignorantibus hæc principia reflexa; quia non ex eorum doctrinâ directâ, quæ ſaltem per lectioris conſilii eſt, oritur ruina illa; ſed potiùs ex malitia illorum, qui videntes doctrinam de illicito, hoc non obſtante, ex propriâ perversâ, & liberâ voluntate, illicitum illud eligunt, aſpernando doctrinam eorum. Ipſi ergo ſibi conſcientias ſuas peccatis onerant, qui propter effrænes concupiſcentias ſuas, contra proprias conſcientias temerè operantur; nec doctrinam ſuſcipiunt, niſi ſit iuxta propria deſideria ſua.

1421 Tertiò etiam ſi indè demus P. Riccio, eas inutiliter, imò & perniciosè laboraſſe, dum ſtrictiores opiniones particulares docent, quas tamen ex reflexis principiis deſtruunt, & introducunt oppoſitas; ac per conſequens quod ſimul ædificent, & diruant. Quid indè? numquid ex hoc inferri poteſt, quod re verâ hæc non docuerint? An novum eſt in ſcholis, quod doctores interdùm ſuis doctrinis ſemetipſos deſtruãt? fruſtrà ipſe quaſi abſurdum de illis incredibile infert, dicens: *Quis credat ducentorum doctorum ſuffragio has ineptias ſtabiliri?* Cum tamen palam multi Doctores, qui eos impugnarunt, de huiuſmodi ineptiis illos redarguant. Sed quid hìc ampliùs immoramur: Ipſimet de ſeipſis teſtimonium perhibent, & publicè fatentur hoc ipſum, quod incredibile de eis putat P. Riccius: videatur P. Ioannes Cardenas locis ſupracitatis quantâ libertate id fateatur, & doceat; videantur alii quotquot ſunt Probabiliſtæ, quàm manifeſtè doceant licere ſequi opiniones benignas ſuis propriis ſententiis oppoſitas, hoc ipſo quod illæ ſint verè probabiles, & etiam minùs probabiles, quàm ſint propriæ ſtrictiores; nec negant, ſed expreſsè fatentur veram probabilitatem earum. Et P. Ioannes de Cardenas rotundis verbis aſſerit nullam inibi intervenire contradictionem, imò dicit utramque propoſitionem ſeu opinionem, tam ſcilicet de licito, quàm de illicito, ambas eſſe veras, & concedendas, dummodò illa benigna de licito ſit reflexa, & altera de illicito ſit directa, ut vidimus ſupra in criſi tertii capitis huius diſſertationis: & reflexam de licito appellat certò veram; directam verò de illicito veram probabiliter. Ergo non credit ineptias ſtabiliri, dum quod directè probabiliter ſtabilitur illicitum; reflexè putatur certò licitum. Nec ſibi indignum reputat ſimul deſtruere reflexè, quod ædificat directè. Quomodo ergo incredibile profert Riccius, quod ſuorum Probabiliſtarum ſuffragio poſsint hæ ineptiæ ſtabiliri, ſi ſuus Joannes de Cardenas contra ipſum ſic manifeſtè perhibet teſtimonium ſuum? non ergo credimus, ſed ſcimus Probabiliſtas omnes, cum aliquid tutiùs, & pro lege, ac probabiliùs directè reſolvunt, docentque aliquid non licere; ſic illud ut illicitum ſtabilire, ut ſimul ex vi probabilitatis reflexæ dicant eſſe licitum; quando opinionem ſibi oppoſitam probabilem dicunt, & ſolùm ut minùs probabilem directè reiiciunt, vel pro ſuo beneplacito illam reſpuunt, ſi æquè probabilem eſſe iudicant; ut paſsim eſt videre apud ipſos.

1422 Ad id verò quod dicit P. Riccius, quod poſitâ hac doctrinâ de principiis reflexis, & extrinſecis, ſequitur omnes opiniones eſſe communes omnibus ut privatas, & proprias. Negatur ſequela, ſi propriè loqui velimus, quia ſenſus privatus, & proprius Doctorum ab opinione, & probabilitate directâ propriè deſumitur, non autem à iudicio reflexo. A iudicio enim reflexo ad ſummum convincitur, quod non reiiciant Doctores opiniones contrarias ut improbabiles, ſed admittant illas retinere probabilitatem ſuam; per hoc autem, quod quis concedit opinionem ſibi oppoſitam eſſe in ſeipſa probabilem, non ſequitur quod ipſe privatim, & propriè in eâ opinione ſit; benè tamen quod de illâ, ut alienâ, iudicet, quod ſit probabilis, & probabilitate ſuâ non careat: quod paſſim videmus Doctores fateri de opinionibus alienis, quibus tamen ipſi minimè adhærent; quin immò eas propriis rationibus impugnant, & oppoſitum reſolvunt. Undè non ſequitur, quod P. Riccius dicit, quod una eſſet etiam in ſpeculativis Doctorum omnium ſchola, & unica eorum omnium doctrina. Imò neque hoc ſequitur in moralibus; quia licet ex hoc quod Probabiliſtæ conveniunt in principiis reflexis, ſeu quod idem eſt in hac opinione, quod licitum eſt ſequi quamlibet opinionem probabilem Doctorum, ſequatur licere etiam uti opinionibus probabilibus aliorum, & quas ipſi directè reiiciunt ut minùs tutas minùſque, vel æquè probabiles; non propterea dicuntur propriè, & de proprio ſenſu eas docere; quia non docent, v. g. contractum, A, quem dicunt in proprio ſenſu eſſe illicitum, eſſe in ſua opinione privatâ, & particulari ſimul licitum, quaſi hæc ſit ſua opinio immediata; ſed quia ſupponitur eſſe licitum in opinione aliena, & ipſi alias univerſaliter docent licitum eſſe ſequi quamlibet opinionem probabilem, modò ſit verè probabilis, conſequenter etiam docent contractum, A, eſſe licitum, ex vi tamen opinionis probabilis alienæ, quam tamen ad licitè operandum ſufficere docent, hoc ipſo quod ea ſit verè probabilis. Et ſic faciunt illam ſibi propriam in ſenſu reflexo, ſed reiiciunt illam in ſenſu directo; Ex quo fit quod rigoroſè loquendo non ſit propria, ſed aliena, quodammodò tamen ſibi appropriata, non prout ſpecialiter in ſeipsa, & directè ſtabilita, ſed ut contenta ſub genere opinionis probabilis ut ſic, de qua univerſaliter concedunt licitum uſum, Et ideo dixi: negatur ſequela, ſi propriè loqui velimus; quia opinio appropriata rigoroſè loquendo, non eſt propria, ſed aliena, appropriatur autem per hoc, quod aliquo modo ad propriam reducitur, & ſub propria quodammodo continetur, quælibet autem particularis opinio probabilis directa, ſub probabili ut ſic continetur, & qui de probabili ut ſic docet licitum uſum, facit ſibi propriam, ſeu ſibi appropriat opinionem quamlibet de licito, etiam alienam.

1423 Ad reſponſionem autem, quam adhibet P. Riccius argumento, quod ſibi obiicit pro principio illo reflexo: *Qui ſequitur viros pios prudentes, & doctos prudenter operatur: eo quod dandum eſt aliquid extrinſecæ Doctorum authoritati*. Quatenùs ſcilicet reſpondet dicens: *Eſto: ſed vide quas adhibeant huic aſſerto Recentiores Probabiliſtæ limitationes*, & repetit limitationes Reginaldi, Bardi, & Caramuelis. Quaſi volens per hoc ſuadere quod ſui Probabiliſtæ non admittant hoc principium reflexum, niſi viri illi pii, prudentes, ac docti, in ſuis privatis reſolutionibus directis, iuxta illas conditiones procedant, quas dicit requiri a citatis Authoribus: iam patet ex dictis ſupra, ubi eas conditiones, & limitationes commentitias eſſe monſtravimus, & non ad mentem ſuorum Probabiliſtarum.

1424 Cum verò idem argumentum retorquet contra ſic argumentates pro hoc principio reflexo; eo quod etiam *dandum eſt aliquid extrinſecæ authoritati Doctorum ſtantium pro lege*. Dico retorſionem optimam eſſe, & re vera militare contra defendentes principia reflexa pro licito, & negantes ea pro illicito, ſeu pro opinione ſtante pro lege. At ex hoc non probat P. Riccius, quod ſui Probabiliſtæ non admittant reflexa illa principia pro licito; ſed probat ſolùm, quod non debeant admittere; alioquin ex eodem principio deberent admittere illa pro opinione Doctorum ſtantium pro lege; quod totum veriſſimum eſt. Sed ſibi ad præſens non ſuffragatur, quia ſic non concludit intentum ſuum de Recentioribus Probabiliſtis, quod ſcilicet negent hæc reflexa principia, ſed ſolùm quod deberent negare; quod utique concedo.

1425 Ipſi verò Probabiliſtæ, & reflexa principia admittunt pro licito: & retorſionem illam pro illicita parvi faciunt; nam, inquiunt, non poſſe fieri iudicium reflexum ex opinione probabili pro illicito; quia ſi fieret, eſſet certò falſum, cum certò falſum ſit non eſſe licitum ſequi opinionem probabilem. Ita reſpondet P. Joannes de Cardenas *in ſua Criſi Theolog. tract.* 1. *de probabilit. diſp.* 10. *cap.* 6. *num.* 49. Demùm ad obiectionem, quæ ibi aiebat non eſſe certum hoc dictamen, videlicet: quod licet uti quavis opinione probabili, quia adhuc probabile eſt, quod non licet uti opinione minùs probabili: reſpondet ſic diſtinguendo: eſt probabile quod non licet uti opinione minùs probabili, ſtando in ratione directa cuiuslibet opinionis minùs probabilis in particulari, & concedit: ſtando in ratione reflexa, quæ reſpicit generaliter praxim opinionis minùs probabilis, & negat. ubi dum ait: *ſtando in ratione reflexà*; non intelligit de ratione reflexâ ſuper probabilitate directa de illicito, ſed de reflexâ ſuper probabilitate oppoſitâ directâ de licito; & in hac ratione reflexa dicit, utrumque, nimirum &, certum omninò eſſe, quod licet ſequi opinionem minùs probabilem

bilem ; & omninò falſum eſſe , quod non licet; & ideò negat probabile eſſe , quod non licet. Cæterùm reflexam ſuper probabilitate directâ de illicito nec fieri poſſe ſupponit. At quia in ſuà diſtinctione poterat fieri æquivocatio , & credi quod intellexerit de reflexa ſuper probabilitate de illicito, quaſi ſupponendo illam fieri poſſe ; ideò ad tollendam hanc æquivocationem , & ad explicandum intelligentiam ſuam juxta ſenſum mox explicatum, expreſſè monet, qualiter intelligenda ſit particula illa ſuæ diſtinctionis: *ſtando in ratione reflexa*: dicens immediatè poſt : *Etcave ne id intelligas in quæſtione reflexa , quaſi reſolvi poſſit per opinionem minùs probabilem reſpondentem quæſtioni directæ. De quo vide diſp. 15.*

1426 Ecce quomodò manifeſtè advertit P. Cardenas pro intelligentia ſuæ doctrinæ quod quidquid in quæſtione particulari directâ probabiliter reſolvitur ut illicitum, cavendum ſit, ne intelligatur poſſe reſolvi in quæſtione reflexa , quod ſit certò illicitum , per opinionem minùs probabilem reſpondentem quæſtioni directæ , hoc eſt per opinionem oppoſitam directam, quâ minùs probabiliter illud dicitur eſſe licitum ; quaſi quod in quæſtione reflexa poſſit dici: certum eſt, vel certò minùs probabile eſt, eſſe licitum , id quod directè minùs tutò minùſque probabiliter dicitur eſſe licitum; hæc enim eſt minus probabilis reſpondens quæſtioni directæ, & per hanc dicit cavendum eſſe, ne intelligatur poſſe reſolvi in quæſtione reflexâ: quia ejuſmodi reſolutionem reflexam putat omninò eſſe falſam. Et ideò ibidem ſub exemplo dicit; *Itaque probabile eſt quod non licet variare officium canonicum abſque peccato mortali, ſtando in ratione directâ hujus opinionis hoc autem dictamen reflexum, quod non licet uti opinione minùs probabili, atque adeò quod non licet accommodare ſe opinioni minùs probabili* (hoc eſt dicenti eſſe licitum, quæ eſt opinio oppoſita reſpondens ex adverſo quæſtioni directæ) *cenſeo eſſe certò falſum* Hæc P. Cardenas. Et quia cenſet hoc dictamen reflexum per hujuſmodi opinionem minùs tutam minùſque probabilem reſpondentem quæſtioni directæ, eſſe certò falſum; ideò advertit cavendum eſſe ne quis intelligat illud fieri poſſe; benè tamen oppoſitum de licito, de quo ait, ſtando in ratione reflexâ non ſolùm eſſe probabile, ſed certum. quia omninò certum putat, & tamquàm principium irrefragabile in materiâ opinativa, eſſe licitum ſequi opinionem probabilem, & oppoſitum omninò falſum. quod expreſſiùs explicandum promittit *diſp.*15. ubi idipſum repetit. Ergo P. Cardenas retorſionẽ Patris Riccii non timet., ſed parvi pendit, & admittit manifeſtè principia reflexa pro licito. Ergo P. Riccius non probat eo argumẽto quod ſui Probabiliſtæ illa non admittant ; ſed ad ſummum , quod non debeant admittere. At ipſi in faciem ei reſiſtunt, & contendunt oppoſitum. fruſtra ergo laborat eos cum probabilioriſtis concordare, quod eſt hic ejus unicum aſſumptum.

1427 Ad illud aliud, quod P. Riccius ſubjungit, quod nemo poteſt aſſerere aliquid eſſe illicitum, v. g. contractum, A, ſi pro uſu licito illius aſſerat ſtare demonſtrationem . Ac proindè cum ille , qui admittit hæc principia reflexa , aſſerat pro uſu licito talis contractus , A, vel cujuſcumque alterius , pro quo concedit eſſe opinionem minùs tutam, minùſque probabilem , ſtare demonſtrationem ; non poterit aſſerere tale quid eſſe illicitum ; ergo nemo unus eſt , qui non debeat negare hæc principia reflexa , ſi velit ſuſtinere opinionem ſtrictiorem , & dicere tale quid eſſe illicitum. Ad hoc, inquam, patet ſimiliter ex ſupradictis quid reſpondeat P. Cardenas, & cum eo alii Probabiliſtæ: negant enim majorem illam , ſi aſſertio illiciti ſit juxta probabilitatem directam, & aſſertio liciti ſit juxta demonſtrationem reflexam : ſic enim utramque aſſertionem veram eſſe concedunt , ut vidimus ſupra ex P. Cardenas. Quare ex hoc non convincit eos debere negare hæc principia reflexa, & multò minùs quod de facto ea negent: cum re vera illi, & hæc manifeſtè admittant; & aſſertiones illas in ratione directâ , & reflexâ concedant ; nec ullam in illis contradictionem, aut abſurdum agnoſcant.

1428 Similiter cum rejicit P. Riccius modum illum arguendi pro uſu licito minùs tutæ minùſque probabilis ex principiis reflexis ſeu extrinſecis contra Probabilioriſtas ; quatenùs ſcilicet nonnulli ad hominem contra Probabilioriſtas ſic arguunt : Teneor ſequi probabiliora ; ſed quæ ſunt intrinſecè minùs probabilia, sũt hodiè extrinſecè probabiliora, ideſt ex principio illo reflexo, quod plures viri pii, docti, ac prudentes ita docent , quos licitum eſt ſequi: ergo ſi tenemur ſequi probabiliora , poſſumus ſequi minùs probabilia . Cum , inquam , hunc modum arguendi rejicit, dicens primò, quod deficiant in illatione , eo quod ex duabus illis præmiſſis non benè infertur, ergo licitè poſſumus ; ſed potiùs : ergo tenemur ſequi minùs probabilia , quod tamen nullus umquam Probabiliſta admiſit. Dico in primis malè ipſum eos de conſequentia redarguere ; quia licet ex illis præmiſſis conſequentia immediata ſit: ergo tenemur : tamen per conſequentiam mediatam optimè deducunt : ergo licitè poſſumus: quia quod tenemur facere, licitè poſſumus facere. Illi autem, tacitâ conſequentiâ immediatâ, intulerunt mediatam brevitatis gratiâ . Nec refert quod conſequentia prima , & immediata à nullo Probabiliſtâ umquam admittatur ; quia Probabiliſtæ dum ita arguunt contra Probabilioriſtas , arguunt ad hominem : qui autem contra alios arguit ad hominem , utitur principiis eorum , & conſequentiis quibuſcumque inde provenientibus , pro quanto conducunt ad conſequentiam ultimam ſibi favorabilem dumtaxat,

nullo

nullo habito reſpectu ad conſequentias intermedias, ſi ſint ſibi contrariæ, vel favorabiles, dummodò ſint legitimæ ex *vi* principiorum, quæ à contrariis admittuntur, & tandem conducant ad intentum arguentis quomodocumque. Secundò dico: eſto benè P. Riccius modum illum reiiciat, & redarguat de mala conſequentiâ: quid indè? Numquid ex eo convincit Probabiliſtas non uti eo modo arguendi contra Probabilioriſtas? Imò fatetur. Numquid indè probat ſic arguentes non admittere principia hæc reflexa, quod eſt eius aſſumptum? Imo practicè oſtendit eos *illis* uti, & illis nimis inſiſtere. Quid ergo concludit? profectò nihil, quod ſit ſibi favorabile.

1429 Et cum eumdem modum arguendi reiicit ſecundo, quod deficiat in minori, dicens eam falſam eſſe, quia minùs probabilia intrinſecè non poſſunt eſſe extrinſecè probabiliora, quia iuxta doctrinam Probabiliſtarum principia extrinſeca ſunt ad intrinſeca reducenda, & ab illis menſuranda, ac propterea extrinſeca probabilitas non poteſt eſſe tanta, ut faciat moralem certitudinem, & evidentiam, ſeu maiorem probabilitatem, cum intrinſeca probabilitas ſit longè minor. Cum, inquam, ſic reiicit argumentum illorum, dico iterùm quod nihil facit. Quia licet in ſe, & abſolutè benè dicat, & veriſſimum ſit quod probabilitas extrinſeca ab intrinſecâ menſuranda ſit: tamen ut vidimus ſupra hanc rationem menſuræ non admittunt Probabiliſtæ; nec P. Riccius umquam id probare potuit, aut poterit, quia illi expreſsè dicunt minus tutam, minuſque probabilem ſequi licitum eſſe, idque certum atque evidens eſſe per demonſtrationem reflexam paſsim, & ubique proclamant. Quare ratio illa menſuræ commentitia eſt, & imputata Probabiliſtis à P. Riccio, ipſis palam reſiſtentibus, ut ſupra ſatis oſtendimus. Quidquid ſit ſi in ſe veriſsima ſit. Quare ex hoc nihil concludit P. Riccius pro ſe, quia indè non probat Probabiliſtas negare principia reflexa, aut ea ſolùm admittere ad menſuram certitudinis, ſeu probabilitatis intrinſecæ, eſto debeant. Imo eo modo arguendi, quo illi utuntur, oſtendit ipſo facto illos plus certitudinis tribuere probabilitati extrinſecæ ſeu reflexæ, quàm intrinſecæ; & contra Probabilioriſtas eo modo palàm inſultare. Ubi ergo eſt eorum concordia?

1430 Pariformiter nec valet eius directa reſponſio ad præfatum Probabiliſtarum argumentum, diſtinguendo principia extrinſeca iuxta menſuram intrinſecorum, quaſi quod Probabiliſtæ illa iuxta hanc menſuram ſolùm admittant; quia hoc falſum eſt, ut huc uſque oſtendimus. fruſtra ergo diſtinguit principium illud: *Qui ſequitur Viros pios*, &c. dicens: ſi illi reſolvunt poſt argumenta contraria adæquatè ſoluta, concedo; aliter, nego. Et ſimiliter fruſtra negat legem invincibiliter ignorari quoad eius extenſionem in caſu, de quo hinc indè Doctores diſputant, quando pro eius extenſione ſunt validiores rationes intrinſecæ; quia tunc, inquit, poteſt & debet prudenter credi vera eius extenſio ad caſum, & non poteſt credi prudenter falſa. Fruſtra, inquam, hæc dicit, quaſi ex doctrinâ communi Probabiliſtarum; nam iſti non hanc, ſed doctrinam oppoſitam ſuſtinent, ut ex hucuſque dictis oſtenſum eſt. Quantumcumque ergo hæc, & ſimilia optimè dicat, & benè reſpondeat præfato argumento ſecundum ſe, & abſolutè loquendo: non valent tamen hæc ad eiuſmodi argumenti ſolutionem ad mentem Probabiliſtarum, ſicut ipſe prætendit hìc concludere; ut oſtendat Probabiliſtarum concordiam cum Probabilioriſtis: Ac propterea cum à nobis petit in quo diſcordent Probabiliſtæ à Probabilioriſtis, in principiis directis, an in reflexis? Reſpondemus in utriſque. Quod hactenùs ſatis ſuperque monſtravimus, non obſtante teſtimonio, quod ipſe adducit in contrarium ex Terillo, cum ſuis tabellis obſignatis.

§. VIII.

Summa doctrinæ eiuſdem Authoris in ſeptimo capite.

1431 IN hoc capite proponit ſe oſtenſurum ex communi Probabiliſtarum doctrinà falſa, & fallacia eſſe hæc extrinſeca, ſeu reflexa principia. Ad quod primo introducitur commendando ſuum P. Mendo, quod meritò dixerit de his extrinſecis principiis, de hac reflexâ demonſtratione, de irrefragabili hac ducentorum Doctorum authoritate: *Hæc omnia, etſi acutè excogitata, me neutiquàm convincunt.* Et paulò poſt: *Argumenta Adverſariorum multùm probant, atque adeò nihil.*

1432 Deindè incipit ſic probare: Ex *hoc*, inquit, *antecedente*; puta: invincibiliter ignoratur, num lex prohibens uſuras, hunc etiam contractum prohibeat: *non deducitur hac conſequentia: ergo probabile eſt contractum hunc non prohiberi. Et qui ſic indè concluderet, contra omnes Recentiores Probabiliſtas argueret*, quia P. Eſparza *lib.* 3. de actibus humanis ait: *Stellas eſſe pares licet nullo magno argumento falſum eſſe demonſtretur, probabile nihilominùs non eſt abſolute, quia non habet pro ſe poſitivum alicuius momenti argumentum. Oportet autem motivum probabilitatis eſſe momenti poſitivè, & negativè magni.* Ex quo infert: *Ergo quamvis verum ſit invincibiliter ignorari, num contractus ſit prohibitus, non tamen indè benè infertur: ergo probabile eſt non eſſe prohibitum; niſi adducatur poſitiva, & gravis ratio, quâ probetur non eſſe prohibitum. ergo niſi ignorantia invincibilis coniungatur cum ratione gravi, non faciet probabilitatem, quæ neceſſariò includit ignorantiam invincibilem ſimul, & rationem gravem. Quæ quidem ratio gravis eo tendit,*

dit, & id debet efficere, ut res non remaneat in eodem ſtatu, & in eodem gradu ignorantiæ, in quo eras priùs; ſed ſi non omninò, ſaltem magnâ ex parte innoteſcat; ita ut non ſit ampliùs temerarium, ſed prudens iudicium ex vi rationis gravis, quod res ita ſit ſine quâ gravi ratione erat antea temerarium. Niſi autem ratio ſolvat rationes oppoſitas, non extrahet rem à ſtatu prioris ignorantiæ, neque erit gravis, nec faciet probabilitatem.

1433 Præterea ex omnium Recentiorum Probabiliſtarum doctrinâ, nec ratio eſt gravis, nec probabilitatem facit, ſi habet contra ſe demonſtrationem. ac per conſequens ſi principia reflexa concludunt, & quidem evidenter, nulla opinio ſtans pro tutiore, etiam ſi ſit probabilior, poteſt eſſe probabilis; quia nullam poteſt habere pro ſe rationem gravem, aut gravem authoritatem; cum nulla ratio, aut authoritas poſſit eſſe gravis, ſi habeat contra ſe demonſtrationem, ſive directam, ſive reflexam.

1434 Ulteriùs nihil tritius apud omnes Recentiores Probabiliſtas auditur, quàm licitum eſſe ſequi utramque partem contradictionis, cum pro utraque ſtat ratio gravis, aut gravis authoritas; & poſſe utramque partem eſſe uni eidemque intellectui practicè probabilem: Imò tota diſcordia inter Recentiores Probabiliſtas, & Probabilioriſtas in hac unicâ propoſitione concesſâ, aut negatâ, ſita eſt. Poſitis autem his principiis reflexis, quæſtio eſſet non ſolùm de ſubiecto non ſupponente, ſed etiam impoſſibili. Nam ſi pro opinione benignâ ſtat evidentia reflexa; pro alterâ parte contradictionis non poteſt ſtare ratio gravis, neque gravis authoritas, ac per conſequens nec probabilitas. Ergo ex communi omnium Recentiorum Probabiliſtarum doctrinâ falſa eſſe debent, & fallacia hæc extrinſeca ſeu reflexa principia; nec aliquid probant, quia nimis probant, ut optimè ait Mendo, imò interimunt quæſtionem, & eius ſuppoſitum.

1435 Atque hinc, ſubdit P. Riccius, ſi verum eſt, quod ait Terillus de conſcien. prob. diſp. 22. uſum licitum ſententiæ benignæ fundari in principiis reflexis; & ſententiam benignam non poſſe benè intelligi, neque benè defendi, aut impugnari, niſi hæc reflexa principia benè intelligantur, benè defendantur, aut contrà benè impugnentur; dubium eſt non exiguum quo pacto ſtare poſſit benigna ſententia; cum Mendo doceat hæc principia probare nimis, adeòque nihil. Et Bardi, Moya, & Caramuel expreſsè moneant extrinſeca hæc principia ad intrinſeca omninò eſſe reducenda, ut inde vim hauriant. Nam ſi ſecus fiat, meritò clamat P. Mendo: Hæc omnia, etſi acutè excogitata, me nentiquam convincunt probare multum, adeòque nihil.

1436 Neque ſolùm (inquit) nimis probant, quia probant axioma illud, aliàs receptiſſimũ: In dubiis tutior pars eſt eligenda: nunquam eſſe verum, ut benè advertit Mendo. Sed multò magis, quia probat partem probabiliorem, ne probabilem quidem eſſe, cum habeat contra ſe rationem evidentem. Opinio probabilis, ait Caramuel in Apolog. num. 81. abſtractum ſumpta, dicitur quæ pro ſe habet rationes fortes, nullam autem demonſtrativam. & Lucæ 11. dicitur: Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet: Si autem fortior eo ſuperveniens, vicerit eum, univerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Hæc, ſi benè ſpectetur, ait P. Riccius, eſt doctrina Probabilioriſtarum, ut alibi vidimus ex Antonio Perez. Ratio gravis eſt, & facit probabilem, ac licitam opinionem, cuſtodit atrium ſuum, & in pace ſunt ea, quæ poſſidet. Si autem fortior ea ſuperveniens, vicerit eam, univerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.

1437 Hoc omnes, aut ferè omnes Probabiliſtæ agnoſcunt in dubio ſuſpenſivo: Hoc agnoſcunt in materia iuſtitiæ, cum agitur de damno tertii. Concedunt enim tunc non eſſe licitum ſequi partem minùs tutam, minùſque probabilem; ſed unicè ſtandum pro probabiliore aut tutiore. Magnâ etiam ex parte agnoſcunt, cum agitur de ſolâ actus honeſtate. Et ut cohærenter procedant, debent omnes agnoſcere. Et tunc minùs probabile dicitur minùs probabile per defectum probabilitatis, ſicut ſcandalum dicitur minùs rectum per defectum rectitudinis, ut diximus in prima diſſertatione; & omnes tenentur dicere in dubio ſuſpenſivo, & cum agitur de damno tertii. Quòd ſi ſecùs fiat, non habetur moralis certitudo requiſita ad licitè operandum; nec iuxta Apoſtolum operamur ſecundùm ſcientiam. quis enim dicat ſe ſcire id, de quo prudenter dubitare poteſt, aut etiam debet? Quoties pro parte oppoſitâ videmus rationes graves, aut gravem etiam authoritatem, & multò magis ſi graviorem, prudenter dubitamus num ita ſe res habeat.

1438 Hinc, ut alibi etiam vidimus, ſubdit P. Riccius, ſolvendæ ſunt rationes oppoſitæ ex communi Recentiorum Probabiliſtarum doctrinâ. Hinc ex P. Perez probabilitas maior opprimit minorem: & probabilitas orta ex ignorantia principii oppoſiti validioris non facit conſcientiam probabilem apud eos, qui principium illud probabilius non ignorant. Contra verò adhuc dicimus ſcire id, de quo non poſſumus prudenter dubitare; quare tunc etiam, iuxta Apoſtolum, operamur ſecundum ſcientiam.

1439 Sunt duo valdè diverſa, inquit; non ſum certus, quod hoc ſit illicitum: & ſum certus, quod hoc ſit licitum. Hoc ſecundum requiritur ad licitè operandum; nec ſufficit primum. Per hoc autem, quod Doctores diſputant de licito, ad ſummum non erit certum, quod ſit illicitum; non tamen erit certum, quod ſit licitum, niſi citra remorſum conſcientiæ ſolvantur argumenta, quæ ſtant pro lege. Aliter argumenta illa reflexa ſeipſa deſtruunt; nam diſputant

Doctores etiam Probabiliſtæ num illa reflexa principia concludant: diſputant num ratio adducta pro hac vel illa concluſione ſit gravis aut levis; ergo invincibiliter ignoratur an ſit gravis; quomodo ergo facit probabilitatem, cum ad hanc faciendam requiratur ratio magni momenti; & non ratio de qua invincibiliter ignoratur num ſit magni, aut nullius momenti? Ergo hæc reflexa principia ſeipſa multipliciter deſtruunt, deſtruendo etiam principia intrinſeca ſeu directa.

1440 *Rurſus qui ſignatè probat aliquam concluſionem eſſe falſam, exercitè probat Authores illius erraſſe in ea, quamvis in aliis doctè, piè, prudenterque proceſſerint. Quare adducendo rationes pro ſua concluſione, adducit exercitè exceptiones, & capita ſuſpicionis contra Doctores oppoſitæ ſententiæ. Ergo niſi hæ exceptiones, & capita ſuſpicionis indicentur falſa, & omninò inſubſiſtentia, eliditur Authoritas Doctorum oppoſitæ ſententiæ circa illam particularem concluſionem, & habendi ſunt ibi pro ſuſpectis: at ſi eius rationes ſunt veriſimiliores pro ſua concluſione, non poterunt exceptiones, & capita ſuſpicionis iudicari falſa ex P. Perez, & Moya: ergo illi tunc habendi ſunt pro ſuſpectis de errore in ea particulari materia; ergo non ſunt audiendi iuxta praxim omnium Tribunalium, & legum, & qui ſecus operatur imprudenter operatur: ergo ineptum eſt recurrere ad extrinſecam authoritatem eorum, & non attendere ad capita ſuſpicionis contra illos.*

1441 *Et idem dicendum eſt de probabilitate intrinſeca, dum alia pars videtur probabilior, aut etiam æquè probabilis. Et ideò optimè docuit P. Perez aibi citatus, adverſarios hac in re hallucinari; nam licet omne probabile ſit veriſimile, quando non conſtat de maiori probabilitate contrarii: attamen ſi eidem intellectui proponatur minus probabile ex una parte, & ex alia id quod probabilius eſt, reſpectu huius intellectus, id quod ſecundum ſe poſſet eſſe probabile, ſuam ſtatim probabilitatē amittit; maior enim probabilitas & veriſimilitudo perimit minorem. Sic ille tract. 1. de iuſt. & iure diſp. 4. cap. 3. num. 51. & 52. qui tamen inter Probabiliſtas recenſetur. Et hinc meritò docent Recentiores Probabiliſtæ, ut toties alibi vidimus; ſolvenda eſſe argumenta contraria. Aliter militant exceptiones, & ſuſpiciones, quas oportet priùs purgare. Et multò magis ſuſpicio erit, ſi concludas, quin illas, nedum purges, imo nec rationes contrarias audias, quod idem eſt, ac decernere inaudita parte.* Hæc P. Riccius in hoc capite.

Criſis præcedentis doctrinæ adverſus eius Authorem.

1442 QUæ in hoc adducit P. Riccius contra principia hæc extrinſeca ſeu reflexa, quaſi ex communi Recentiorum Probabiliſtarum doctrinâ, conſtat non ampliùs quidem opus eſſe hic impugnare; ſunt namque omnia ſatis in ſuperioribus, non ſemel, ſed multoties reiecta. Nihil enim hic novi, quod non fuerit anteà productum, affert; ut benè conſideranti patet. Et nihilominùs ipſe ſemper eadem repetit, & inculcat, & in eorumdem argumentorum circuitu perpetuò verſatur, quibus totidem vicibus ſatisfecimus. Verùm ut ea moleſtiùs repetuntur, ita & patientiùs oportet à nobis iteratò reiiciantur.

1443 Refert itaque primò in hoc capite de ſuo Patre Mendo, quod meritò dixerit de his principiis reflexis, de hac demonſtratione reflexa, deque hac ducentorum Doctorum irrefragabili authoritate: *Hæc omnia, & ſi acutè excogitata, me neutiquam convincunt. Et paulò poſt: argumenta adverſariorum multum probant, atque adeò nihil.* Et propterea illum commendat. Ad hoc autem dicam ego: tranſeat. Si verum eſt quod ita dicat, & in eo ſenſu, quo illum refert P. Riccius; nos quoque & illum commendamus: ſed tunc de Probabiliſtarum catalogo oportet etiam eum delere, & cum Probabilioriſtis computare. Dicat ergo P. Riccius nobis, eſt ne P. Mendo Probabiliſta, an Probabilioriſta? quod eſt quærere: ſuſtinet ne P. Mendo licitum eſſe ſequi minùs tutam, minùſque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore? Hoc enim eſt eſſe Probabiliſtam; & qui ita docent dicuntur Probabiliſtæ, contra quos Probabilioriſtæ inſurgunt: an potiùs abſolutè docet ſequendam eſſe ſemper probabiliorem, aut tutiorem, ſicut abſolutè docent Probabilioriſtæ? Si dicat primum; ergo P. Mendo non poteſt ea verba relata in eo ſenſu accipere, quo refert Riccius; alioquin ſibimet contradiceret, quia minùs tuta, minùſque probabilis non poteſt benè defendi quod eius uſum licitum, niſi benè defendantur principia hæc reflexa, ſicut dicit ſuus P. Terillus relatus ab eodem Riccio, ut infra etiam videbimus; & patet etiam hac evidenti ratione eiuſdem Patris Riccii; quia ut ipſe ait, ad licitè operandum requiritur quod ſit agens moraliter certus de licito: minùs tuta autem, minùſque probabilis, quà minùs probabilis directè, & intrinſecè non poteſt eſſe certa moraliter, ut idem Riccius fatetur; ergo ſi dicatur licitum eſſe eam ſequi; oportet quod ei aliundè, & ab extrinſeco ſuperveniat aliqua moralis certitudo, quod idem eſt ac dicere ex principiis extrinſecis ſeu reflexis. Quomodo ergo poterit P. Mendo ſuſtinere licitum eſſe ſequi minùs tutam minùſque probabilem, & ſic eſſe Probabiliſta; & poſtea negare quod hæc principia extrinſeca ſeu reflexa convincant, niſi ſibi contradicat? Si verò P. Riccius dicat ſecundum, quod ſcilicet P. Mendo neget licitum eſſe ſequi minùs tutam minùſque probabilem, ſed velit abſolutè ſequendam eſſe ſemper probabiliorem, aut tutiorem, ac proinde

ſit

ſit verus Probabilioriſta, jam non probat Riccius ex doctrina Probabiliſtarum principia reflexa non concludere, ſicut eſt eius aſſumptũ, ſed ex doctrinâ potiùs Probabilioriſtarum. Nihil ergo concludit pro ſe in propoſito P. Riccius ex P. Mendo.

1444 Incipit poſtea P. Riccius oſtendere intentum ſuum ſic: Ex hoc antecedente, inquit, puta: Invincibiliter ignoratur, num lex prohibens uſuras, prohibeat hunc Contractum; non deducitur hæc conſequentia: ergo probabile eſt hunc contractum non prohiberi; quia ad probabilitatem huius, non ſufficit pura ignorantia prohibitionis, ſed requiritur ratio gravis poſitiva, probans poſitivè non prohiberi, ut docet P. Eſparza; ita quod per talẽ gravẽ rationem poſitivam non relinquatur res in eodem ſtatu, & gradu ignorantiæ, in quo erat, ſed magnâ ex parte innoteſcat ita eſſe ut iudicatur, & non temerè, ſed prudenter ex tali gravi ratione iudicetur. Ex quo ſubſumit P. Riccius: at niſi hæc ratio gravis ſolvat rationes oppoſitas non extrahit rem a ſtatu prioris ignorantiæ, neque erit gravis, neque probabilitatem faciet. Si verò ſolvat, erit probabilior & unicè probabilis practicè; & tunc principia reflexa locum habebunt, ſed omninò dependenter; & ut menſurata ab hac maiori probabilitate intrinſecâ; cæterùm ſine iſtâ a ſemeptipſis omninò falſa ſunt, & fallacia. Ergo in ſe ipſis nihil probant.

1445. Sed argumentum hoc P. Riccii, pace ſuâ, non probat ex doctrina Probabiliſtarum principia reflexa falſa eſſe, & fallacia, ſicut probandum aſſumpſerat; ſed ex doctrinâ, quam Ipſè fingit Probabiliſtarum. Et quidem fingit primò, quod ſint ſaltem Aliqui Probabiliſtæ, qui ex purâ Ignorantiâ prohibitionis legis ſine ulla poſitivâ ratione, inferant probabile eſſe aliquid non prohiberi; quod tamen eſt falſum; quia communiter omnes Probabiliſtæ defendentes principia reflexa, conveniunt in definitione opinionis probabilis, quod ſcilicet ea ſit, quæ gravi rationi innititur. Ergo nihil reputant probabile, quin habeat gravem aliquam rationem poſitivam; imò ex hoc, quod gravi aliquâ ratione probatur aliquid non prohiberi inferunt prohibitionem legis invincibiliter, ſeù inculpabiliter ignorari. Fingit 2. quod ratio gravis ex doctrinâ Probabiliſtarum ſit illa, quæ adæquatè ſolvat, & deſtruat rationes, & probabilitatem partis oppoſitæ, quod ſatis ſupra oſtendimus falſum eſſe, alioquin non poſſent dicere Probabiliſtæ, licitum eſſe ſequi minùs tutam, minùſque probabilem; quia iam hæc propoſitio eſſet de ſubiecto non ſupponente, imò impoſſibili, ut fatetur idem Riccius. tolle ergo duo hæc figmenta; & pone ingennè doctrinam genuinam Probabiliſtarum, & vide ſi ampliùs hoc argumento probet Riccius de Probabiliſtis ſuis, quod negent principia hæc reflexa a ſeipſis vim habere.

1446 Genuina ergo doctrina Probabiliſtarum eſt, quod licitum eſt ſequi minus tutam, minùſque probabilem, modo ſit probabilis, relictâ tutiore, & probabiliore. Minùs tuta autem, minùſque probabilis in eorum ſententiâ, eſt quando innititur gravi rationi; & per gravem rationem non intelligunt, quæ ita ſolvat rationes oppoſitas, ut illas adæquatè deſtruat, & perimat probabilitatem partis oppoſitæ, ſed quæ in ſe gravis ſit, licet ſit minùs gravis, quàm ratio partis oppoſitæ, unde non permittit vinci omninò ab illa, ſed illi reſiſtit, ita ut opinio maneat etiam in concursù illius probabilioris in suâ probabilitate, imò in hoc, inquit, & fatetur idem Riccius, ut vidimus in ſuperioribus, unicè diſcriminantur Probabiliſtæ à Probabilioriſtis, quod illi volunt minus probabilem manere in suâ practica probabilitate etiam in concurſu probabilioris, iſti verò negant. Poſitâ autem hac doctrinâ, dicat Riccius, quomodo dicunt Probabiliſtæ licitum eſſe ſequi minùs tutam, minuſque probabilem, relictâ tutiore. & probabiliore? habent ne pro moraliter certo licitum eſſe ſequi minùs probabilem? Procul dubio quod ſic; quia communiter proclamant, quod qui ſequitur opinionem probabilem prudenter operatur. At dicat unde ſibi hanc certitudinem vendicant? Numquid ex gravi ratione intrinſeca? Minimè quidem; quia hæc non producit aſſenſum certum, ſed purè probabilem, & incertum, ut ſupra expreſsè oſtendimus ex P. Joanne de Cardenas; & maximè cum hæc ratio gravis ſit minùs gravis, quam ſit ratio partis oppoſitæ probabilioris. Ergo oportet quod eam ſibi vendicent ex ratione reflexâ, quod apertiſſimè, & in propriis terminis docet P. Joannes de Cardenas cum aliis, ut etiam vidimus ſupra. Ergo non negant principia reflexa habere ex ſe vim, & facere reflexam demonſtrationem, & evidentiam, quam efficere non poſſunt principia intrinſeca. Videatur P. Cardenas ubi ſupra relatus. Non ergo probat P. Riccius ex doctrinâ Probabiliſtarum intentum ſuum: ſed ſi probat, probat abſolutè principia reflexa non valere, contra tamen Probabiliſtas ſuos, quos prætendit defendere, extorquendo ab ipſis, quod negent principia hæc reflexa, ut indè poſſit eos cum Probabilioriſtis conciliare, quibus tamen ipſi manifeſtè reſiſtunt. Atque ideò falſum dicit P. Riccius, cum ait, quod ex communi Recentiorum Probabiliſtarum doctrinâ, nec ratio eſt gravis, nec probabilitatem facit, ſi habeat contra ſe demonſtrationem reflexam; ac quod proindè nulla opinio etiam probabilior ſtans pro parte tutiore ſeu pro lege maneat probabilis, ſi pro minus tutâ minùſque probabili oppoſitâ ſtet demonſtratio reflexa: nam P. Cardenas loco ſuperiùs allegato expreſsè docet ex communi ſenſu Probabiliſtarum utramque partem veram eſſe, unam ſcilicet in ratione directâ probabilitea, vel probabiliùs, quæ nempè

ſtat

ſtat pro lege:& alteram in ratione reflexâ certò, & evidenter, licet ſit minùs probabilis directè, nempè quæ ſtat pro licito; *quia*, inquit, *omninò certum eſt, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem.* Videatur ſupra ubi fideliter verba eius tranſcripſimus.

1447 Atque hinc clariùs apparet quàm malè arguat P. Riccius, dùm ex hoc quod communiter attribuit Probabiliſtis, nec rationem eſſe gravem, nec probabilitatem facere, ſi habeat contra ſe demonſtrationem reflexam; arguit in hunc modum, videlicet: *Nihil tritius apud omnes Recentiores Probabiliſtas auditur, quàm licitum eſſe ſequi utramque partem contradictionis, cum pro utraque ſtat ratio gravis, aut gravis authoritas, & poſſe utramque partem eſſe uni, eidemque intellectui practicè probabilem: imò tota diſcordia inter Recentiores Probabiliſtas, & Probabilioriſtas in hac unica propoſitione conceſſa, aut negata ſita eſt. Poſititis autem his principiis reflexis, quæſtio eſſet non ſolùm de ſubiecto non ſupponente, ſed etiam impoſſibili; nam ſi pro opinione benignâ ſtat evidentia reflexa, pro alterâ parte contradictionis non poteſt ſtare ratio gravis, neque gravis authoritas, ac per conſequens nec probabilitas. Ergo ex communi omnium Recentiorum Probabiliſtarum doctrina, falſa eſſe debent, & fallacia hæc extrinſeca, seù reflexa principia, nec aliquid probant, quia nimis probant, ut optimè ait Mendo, imò interimunt quæſtionem, & eius ſuppoſitum.* Apparet, inquam, clariùs quàm malè arguat; quia procedit ex doctrinâ a ſe falsò communiter imputata Probabiliſtis, quaſi illi dicant communiter rationem non eſſe gravem, nec probabilitatem facere, ſi habeat contra ſe demonſtrationem, & evidentiam reflexam, cum tamen ipſi hoc non dicant, imò expreſſè doceāt oppoſitum, ut diximus ex P. Cardenas.

1448 Atque ideò ad hoc argumentum P. Riccii directè reſpondeo negando ſuppoſitum; ſupponit enim Probabiliſtas dicere, quod ratio nec gravis eſſe poteſt, nec probabilitatem facere, ſi habeat contra ſe demonſtrationem, & evidentiam reflexam; cum tamen illi oppoſitum doceant, & expreſſè dicant ſtare ſimul gravem rationem directam, & directam probabilitatem, cum demonſtratione, & evidentia reflexâ partis oppoſitæ. Negato autem hoc ſuppoſito, ex eo quod *nihil tritius auditur apud omnes Recentiores Probabiliſtas; quàm licitum eſſe ſequi utramque partem contradictionis cum pro utraque ſtat ratio gravis, aut gravis authoritas, &c.* Non eſt ampliùs quæſtio de ſubiecto impoſsibili, aut non ſupponente; ac per conſequens non ampliùs infertur principia reflexa ex doctrinâ Recentiorum Probabiliſtarum falsa eſſe, & fallacia, & nihil probare, quia nimis probant; & quæſtionem, eiuſque ſuppoſitum interimunt, ut infert P. Riccius; imò infertur totum oppoſitum, quod ſcilicet principia reflexa in eorum communi doctrinâ faciant certò licitum quidquid eſt probabiliter licitum, alioquin non poteſt tritum illud commune dictum ab ore Probabiliſtarum audiri, videlicet *licitum eſſe ſequi quālibet partem contradictionis, cum pro utraque ſtat ratio gravis; aut gravis authoritas*, quia hoc dictum ſupponit eos admittere pro utraque parte rationem gravem potentem facere directam probabilitatem, nec minorem deſtrui à maiori directâ; neque maiorem deſtrui ab oppoſitâ reflexâ; ſed potiùs utramque veram ſubſiſtere, alteram ſcilicet certò in ratione reflexâ; & alteram probabiliter in ratione directâ, juxta quod in his eiſdem terminis expreſſè utramque concedit Pater Cardenas, ut vidimus ſupra.

1449 Et multò minùs probat id, quod pro ſe adducit P. Riccius ex ſuo Terillo, dum ait: *ſi verum eſt quod ait Terillus de conſc. prob. diſp. 22. uſum licitum ſententiæ benignæ fundari in principiis reflexis; & ſententiam benignam non poſſe benè intelligi, neque benè defendi, aut impugnari, niſi hæc reflexa principia benè intelligantur, benè defendantur, aut contrà benè impugnentur, dubium eſt non exiguū, quo pacto ſtare poſſit benigna ſententia: cum P. Mendo doceat hæc principia probare nimis, adeòque nihil. & Bardi, Moya, & Caramuel expreſſè, moneant extrinſeca hæc principia ad intrinſeca omninò eſſe reducenda, ut indè vim hauriant; nam ſi ſecùs fiat, meritò clamat P. Mendo: hæc omnia & ſi acutè excogitata, me neutiquam convincunt probare multùm, adeòque nihil.* Multò minùs, inquam, hoc argumētum probat pro Riccio, nam ex hoc quod P. Terillus ait uſum licitum ſententiæ benignæ fundari in principiis reflexis; & ſententiam benignam non poſſe benè intelligi, neque benè defendi, aut impugnari; niſi hæc reflexa principia benè intelligatur, benè defēdatur, aut cōtra benè impugnentur; clarè conſtat Patrem Terillum ſupponere omnes Probabiliſtas, qui ſunt procul dubio defenſores ſententiæ benignæ, admittere hæc principia reflexa, & in illis fundare licitum uſum ſententiæ benignæ. Quomodo ergo Riccius indè vult probari, quod hæc principia à Probabiliſtis ſuis non admittantur? Terillus ea ſupponit ut fundamenta uſus liciti ſententiæ benignæ, & exigit ſolum quod benè intelligantur, & benè defendantur ab eis, qui benignam ſententiam docent; & benè impugnentur ab aliis oppoſitæ ſententiæ, ſi velint iſtos impugnare. Et P. Riccius ex hoc vult arguere illa eſſe falſa, & fallacia, & multùm probare, adeòque nihil? Undè habetur hæc deductio? Si dicat, quia *dubium eſt non exiguum, quo pacto ſtare poſſit benigna ſententia*; nihil dicit, quia P. Cardenas, & alii Probabiliſtæ, ut Terillus, & ſimiles, qui benè intelligunt, & benè defendunt principia hæc reflexa, ſaltem prout ipſi credunt, dubium

iſtad

Digitized by Google

iſtud evacuant; ut vidimus nominatim ex Cardenas. Nec refert ſi P. Mendo dicat ea probare nimis, atque adeò nihil; nam Mendo non eſt omnes Recentiores Probabiliſtæ, imò nec unus, ſi verè in eo ſenſu loquitur, ut refert P. Riccius. Bardi autem, Moya, & Caramuel, quantumvis moneant hæc extrinſeca principia ad intrinſeca reducenda eſſe, non proindè ea negant, ſed ſolùm dicunt ea ſupponere, & fundari in intrinſecis, quia ut ſupra diximus niſi præcedat probabilitas intrinſeca, non ſubſiſtit reflexa, ut communiter fatentur Probabiliſtæ omnes. At non intelligunt hoc in eo ſenſu, quo putavit Riccius, quaſi quod extrinſeca menſurentur ab intrinſecis, adeò ut tanta ſit certitudo, vel incertitudo eorum, quantam habent principia directa, & intrinſeca. hoc enim falſum eſt, ut vidimus ſupra expreſsè ex Patre Cardenas.

1450 Neque probat P. Riccius principia hæc reflexa falſa eſſe, & fallacia, nihilque probare, ex eo quod nimis probant, ut ait Mendo; & ex eo quod probant, non ſolùm, axioma illud communiter receptiſſimum: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*: numquam eſſe verum; ſed etiam probant opinionem etiam probabiliorem non eſſe probabilem, cum habeat contra ſe rationem evidentem. Non, inquam, probat Pater Riccius hoc argumento reflexa hæc principia nimis probare, quaſi ex ipsâ doctrinâ Probabiliſtarum, ſicut ipſe tenetur; (nam ſi probet abſolutè & in ſe, non eſt argumentum eius ad propoſitum.) ex doctrina ipsâ autem Probabiliſtarum hoc non probat: quia Probabiliſtæ axioma illud dicunt verum eſſe in dubio oluſpenſivo, licet non in opinativo, niſi in hoc obſtet lex, conventio, aut pactum in oppoſitum, ut contingit ubi agitur de iuſtitia cum damno tertii, atque ideò principia reflexa tunc non valent, ob evidentis diſparitatis diſcrimen, & tunc habet locum illud axioma, ac proindè falſum eſt, quod eorum doctrinâ probatur numquam eſſe verum. Similiter nec verum eſt, quod principia hæc reflexa probent neque opinionem probabiliorem eſſe probabilem, cum habeat contra ſe reflexam evidentiam: quia Probabiliſtæ, ut vidimus ex Cardenas, dicunt ſtare probabilitatem directam de illicito, & pro lege cum evidentia reflexâ oppoſitâ de licito. Ac proindè admittunt principia reflexa, & reflexam demonſtrationem, & negant indè deſtrui probabilitatem directam opinionis oppoſitæ, aut gravem rationem, cui innititur, non eſſe gravem; quia, inquiunt, ratio reflexa, & directa non ſunt invicem contrariæ ſed unaquæque in ſua lineâ fortis eſt, & permanens.

1451 Undè cum ait Riccius ex illo *Lucæ 11. cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet: ſi autem fortior eo ſupervenitus vicerit eum, univerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet*, quod ſic parıformiter ex doctrinâ Probabiliſtarum: *Ratio gravis eſt, & facit probabilem ac licitam opinionem, cuſtodit atrium ſuum, & in pace ſunt ea, quæ poſſidet; ſi autem fortior eâ ſuperveniens, vicerit eam, univerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet*. Cum, inquam, ſic ait Riccius, totum verum eſt, ſi tamen fortior vicerit. At ſi fortior non pugnat; vel ſi pugnat, non vincit; adhuc in pace ſunt ea, quæ poſſidet. Probabiliſtæ autem dicunt, quod ratio reflexa licet fortior ſit ratione probabili directâ, utpotè quia illa certa eſt, & evidens, non hæc; tamen non pugnant. Et ſimiliter, licet ratio directa gravior fortior ſit ratione directa minùs gravi partis oppoſitæ, & invicem pugnent, non tamen ſemper ad victoriam, quia interdùm fortior pugnans cum minùs forti, nec vincit, nec vincitur; & tunc utraque, inquiunt, opinio manet in probabilitate ſua, & in pace ſunt, quæ unaquæque poſſidet; & tunc dicunt licitum eſſe ſequi minùs tutam, minùſque probabilem; quod ſæpiſſimè contingere ſupponunt. Cæterùm quando minor probabilitas interimitur à maiori, veriſſimum eſt argumentum Patris Riccii. At per hoc non probat generaliter iudicia reflexa falſa eſſe, ac fallacia, ſed in caſu, quando ſcilicet perit probabilitas directa, quia vincitur omninò & adæquatè ab oppoſitâ; vel quia deſtruitur per accidens ab alia lege certâ vel conventione, aut pacto aliquo annexo, ut evenit in Iudice cum agitur de damno tertii, in quo caſu loquitur Perez, ut alibi ſupra diſtinctiùs examinavimus, vel in ſimili caſu, ut etiam diximus ex P. Cardenas.

1452 Ex quibus patet falſum eſſe id quod ſubdit Riccius, quod ad probabilitatem ex communi doctrinâ Probabiliſtarum requiratur, quod ratio adeò gravis ſit, ut omninò ſolvat, & deſtruat rationes oppoſitas; quia communiter Probabiliſtæ admittunt utramque partem contradictionis retinere poſſe ſuam practicam probabilitatem; & minùs probabilem manere etiam probabilem in concurſu probabilioris, quod eſſet impoſſibile ſi probabilior re verâ vinceret, & deſtrueret rationes oppoſitas alterius minùs probabilis; ut toties dictum eſt; nec Riccius poteſt hoc negare, niſi ſibimet contradicat, cum multoties confeſſus ſit in hoc diſcriminari Recentiores Probabiliſtas à Probabilioriſtis, quod illi admittant minùs probabilem retinere ſuam practicam probabilitatem etiam in concurſu probabilioris; iſti verò negent.

1453 Ad illud aliud, quod dicit P. Riccius; videlicet non ſufficere ad licitè operandum, non eſſe certum de illicito, ſed requiri etiam eſſe certum de licito; quæ ſunt duo valdè diverſa: & ex hoc quod Doctores hinc indè diſputãt, ſolùm habetur non eſſe certũ de illicito; non tamen habetur eſſe certum de licito. Ad hoc Probabiliſtæ Recentiores communiter reſpondent totum verum eſſe, ſtando in quæſtio-

ne directâ; at ſtando in quæſtione reflexâ di-cunt haberi reſolutionem certam de licito.

1454 Et cùm P. Riccius replicat, quod adhuc principia reflexa num concludant, hinc indè diſputatur apud Doctores, ac per conſequens invincibiliter ignoratur, ſi concludant, vel ne. Dico hoc utique veriſſimum eſſe re verà & in ſe, atque abſolutè loquendo; quia de facto ſunt qui negant, & qui concedunt ea evidenter concludere. Sed in hac re Doctores non prætendunt hinc indè diſputare opinabiliter, ſed demonſtrativè & ſcientificè; quare Probabiliſtæ contendunt certum eſſe omninò ea concludere, & oppoſitum dicunt eſſe certò falſum, ut videri poteſt apud Ioannem de Cardenas, & alios. Ac proindè ex doctrinâ Probabiliſtarum principia hæc reflexa non ſunt hinc indè diſputabilia, ita ut poſſint invincibiliter ignorari quoad eius efficaciam evidenter concludendi, ſicut eſt de extenſione legis, quæ eſt ex utraque parte diſputabilis, & a neutra parte Doctorum certò ſcita. Atque ideò ſi argumentum hoc Patris Riccii probat aliquid contra principia reflexa, non tamen probat ex doctrina Probabiliſtarum, ſicut ipſe tenetur hîc probare; nam Probabiliſtæ cum certò teneant principia hæc benè, & evidenter concludere, negant ſuppoſitum, quod ſcilicet hæc ſit materia hinc indè diſputabilis; & ad actualem diſputationem Doctorum dicunt procedere ex manifeſto errore contrariorum. Si verò P. Riccius intendit hîc probare abſolutè contra hæc principia reflexa, & non ex Probabiliſtarum doctrinâ, benè probat hoc ſuo argumento, ſed non ad propoſitum, quia non concludit quod Recentiores Probabiliſtæ ea negent ex vi ſuæ doctrinæ, ſed quod debeant negare illa, at ipſi re verà illa defendunt, & ad hoc argumentum reſpondent, ut ſuprà dictum eſt.

1455 Ad id etiam quod P. Riccius ſubiungit, quod Doctores diſputant num ratio pro aliqua concluſione adducta ſit gravis, vel levis. Et dum ſignatè probant aliquam concluſionem eſſe falſam, exercitè probant Authores illius in eâ erraſſe, quamvis in aliis doctè, piè, ac prudenter proceſſiſſent; ac per conſequens exercitè adducunt exceptiones, & capita ſuſpicionis contra Doctores illius ſententiæ, ita ut non liceat eos tunc ſequi, niſi hæc capita ſuſpicionis iudicentur non ſubſiſtentia, & falſa; alioquin in eâ materia habendi ſunt pro ſuſpectis; & multo magis ſi pro parte oppoſitâ contra eos urgeant rationes validiores, quia tunc de eis magis ſuſpiciones creſcerent, hæc poſſent iudicari falsæ & inſubſiſtentes ex Perez, & aliis; & ideò, inquit, Riccius, meritò docent Recentiores Probabiliſtæ ſolvenda eſſe argumenta contraria, ut toties dictum eſt. Ad hoc, inquam, reſpondeo, quod fruſtrà his verbis aerem verberat P. Riccius, nihil enim ex his concludit ad propoſitum, quia Doctores dum hinc indè diſputant in aliquâ particulari quæſtione raro reiiciunt oppoſitas ſententias ut improbabiles, ac propterea raro diſputant num ratio ſententiæ oppoſitæ ſit gravis an levis; imò multoties expreſsè fatentur de ſibi oppoſitis eas eſſe probabiles, vel ſaltem minùs probabiles, licet ipſi non illis, ſed ſuis magis adhæreant, & tunc procul dubio non dubitant de gravi ratione illarum ſufficiente ad practicam probabilitatem; ſed ad ſummum dicunt eſſe minùs gravem, quàm ratio ſuæ concluſiones; alioquin numquam poſſent Recentiores Probabiliſtæ verificare ſuum commune dictum, videlicet: licitum eſſe ſequi minùs tutam minùſque probabilem relicta tutiore, & probabiliore. In quo ſuo dicto procul dubio non poſſunt accipere ly minùs tutam, minùſque probabilem per defectum ſecuritatis, & probabilitatis, ſicut ſcandalum dicitur minùs rectum cum non ſit rectum; ſed oportet quod accipiant illam per defectum graditalitatis comparativè ad oppoſitam. Quo ſuppoſito non opponuntur principiis iſtis reflexis, & reflexæ evidentiæ ſeu certitudini, imò ea convincuntur admittere, alioquin non poſſent certò aſſerere licitum eſſe ſequi minùs tutam minùſque probabilem. Ergo hoc ſuo argumento non probat P. Riccius Probabiliſtas ſuos negare principia hæc reflexa. Et ſimiliter cum ſignatè docent Doctores deciſiones ſuas contra alios, non intendunt exercitè dicere illos certò erraſſe, ſed ſolùm probabiliter, ſalvâ etiam oppoſitâ probabilitate ſaltem minoris gradualitatis, quia nec de ſuâ ſunt certi, loquendo de probabilitate directâ; ac propterea non adducunt exercitè exceptiones, & capita ſuſpicionis, alioquin ſibimet contradicerent, quia nullam exceptionem, aut ſuſpicionem ſignatè adducunt, cum dicunt communiter licitum eſſe ſequi minùſque probabilem: ac proinde ſi exercitè in particularibus deciſionibus aliquam exceptionem, vel ſuſpicionem adducerent, ſibimet contradicerent, quia exercitè ponerent aliquid, contra id, quod docerent ſignatè. Quò quò ergo ſe vertat P. Riccius, numquam argumentis ſuis probat Recentiores Probabiliſtas negare hæc principia reflexa. Ex quo patet falſam eſſe ex doctrinâ Probabiliſtarum conditionem illam de ſolvendis adæquatè, ac deſtruendis rationibus contrariis, quam ipſe fingit, ut opinio ſit practicè probabilis: alioquin numquam poſſet ſupponi opinio minùs probabilis practicè probabilis, & ſic dictum illud commune ac tritum Recentiorum Probabiliſtarum eſſet de ſubiecto non ſupponente, imò impoſſibili, ut idem Riccius probè novit, & eſt confeſſus; jam enim ſupponitur, ut idem Riccius fatetur, numquam ex rationibus minùs efficacibus ſolvi poſſe adæquatè & deſtrui validiores opinionis oppoſitæ probabilioris. Quomodò ergo cohæret doctrina Riccii cum dictis ſuis? Quomodò Recentiores Probabiliſtæ negant principia reflexa? Quomodò con-

concordant cum Probabilioriſtis? Certè P. Riccius ſic accipit dicta Probabiliſtarum, ut vel illi jugiter ſibimet contradicant in dictis ſuis; vel ipſe ea jugiter ſumat in ſenſu nimis ab intelligentia eorum alieno. Veriùs tamen crediderim hoc ſecundum, quia magnam Provinciam aſſumpſit, volens eos vel invitos ad concordiam trahere cum Probabilioriſtis, quibus ex diametro opponuntur; contradictoria enim cum undequaque opponantur, nequeunt ſine contradictionibus concordari.

Summa doctrinæ ejuſdem Authoris in octavo, & ultimo capite.

1456 TAndem prætendit hic Author concludere Recentiores Probabiliſtas, non Probabilioriſtas impugnare, ſed Novatores. Ad quod præfationem ſuam præmittit de cauſa erroris in hac materià, ſic dicens: *longus ille Doctorum ſyllabus, qui pro uſu licito ſententiæ benignæ producitur ad terrorem* (quaſi qui eos citant, cum pueris agant, ad quos terrendum bambari fingimus) *in cauſa eſt, ut quamplurimi ſibi certò perſuadeant, & opinionis minùs tutæ, minùſque probabilis licitum eſſe uſum, & miſellos Probabiliſtas ab innumerabili Doctorum agmine malè vexari. Idque tam certum habent, ut nolint ampliùs ad examen vocari. Undè fit, ut longus ille Doctorum index terroris ſimul cauſa ſit, & erroris.* Et paulò poſt: *non Probabilioriſtas, ſed Novatores impugnat explicatum illud Doctorum agmen. Omnes ſunt à Probabilioriſtis, quotquot pro ſententià benignà, contra rigidam, producuntur Doctores; ſi unum, aut alterum obſcuri nominis excipias, qui ſibi magis, quàm Probabilioriſtis contradicat.*

1457 Probat autem hoc ſic: *P. Thomas Sanchez lib. 1. in decalog. cap. 9. n. 14. propugnat uſum licitum opinionis benignæ contra rigidam: Et hæc habet: ducor primo, quod exiſtimans opinionem eſſe probabilem, juxta eam operans, nec temeritatis, nec imprudentiæ notam incurrat. Quippè temerè, & imprudenter fieri dicitur, quod abſque ratione, & causà probabili fit.*

1458 *Secundò quod ſicut opinio probabilis in ſpeculativis eſt, quam abſque deceptionis, & erroris periculo amplecti licet; ita in moralibus opinio probabilis eſt, quam abſque peccandi periculo ſequi licet; quippe nullus ad melius & perfectius aſtringitur.*

1459 *Tertio quia cum omnimoda de rebus certitudo haberi nequeat, ad eam Deus minimè nos obligavit, ſed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. Namque intolerabile onus, ac multis ſcrupulis expoſitum eſſet, ſi opiniones probabiliores inveſtigare teneremur.*

1460 *Tandem quia oppoſitæ rationes non obſtant, cùm ea in vero dubio procedant, in quo tutius, & certum eſt neceſſariò ſequendum ad vitandum peccati periculum; ſecùs in opinionibus. Neque ſequens minùs probabilem agit contra conſcientiam, ſed is ſolùm, qui cum conſcientià omninò dubià, aut certò dictante aliquod eſſe peccatum, id agit. Neque hic ſe exponit periculo peccandi formaliter, ita ut id peccatum illi imputetur, quia prudenter, & ratione probabili ductus operatur, ſed materialiter, ideſt admittendo id, quod à parte rei peccatum eſt.* Pro qua parte citat nominatim ſexdecim Doctores.

1461 *Una igitur* (dicit nunc P. Riccius) *eademque eſt Thomæ Sanchez, & horum Doctorum, quos citat, ſententia. Ergo ſi Thomas Sanchez non Probabilioriſtas, ſed Novatores oppugnat; omnes illi Doctores, quos ipſe producit, non contra Probabilioriſtas, ſed contra Novatores ſunt citandi. Et ſi favet Sanchez Probabilioriſtis, illis pariter favebunt citati omnes Doctores à Sanchez. Videndum igitur eſt, faveat ne Thomas Sanchez, an refragetur Probabilioriſtis.* Quod propterea examinandum aſſumit, ut infra, ponderando illius verba mox ſupra relata.

1462 Itaque P. Riccius proſequitur ſic: *Ducor,* inquit Sanchez, *quod exiſtimans opinionem eſſe probabilem, juxta eam operans, nec temeritatis, nec imprudentiæ notam incurrat. Quippè temerè, & imprudenter fieri dicitur, quod abſque ratione, & causà probabili fit. Ita Sanchez, & benè. Sed ita pariter omnes Probabilioriſtæ, modò meminerimus, quid ſit juxta Probabiliſtas, opinionem eſſe probabilem, & rationem, in quà fundatur, eſſe gravem.*

1463 *Secundò* inquit Sanchez, *quod ſicut opinio probabilis in ſpeculativis eſt, quam abſque deceptionis, & erroris periculo amplecti licet; ita in moralibus opinio probabilis eſt, quam abſque peccandi periculo ſequi licet. Quippè nullus ad melius, & perfectiùs aſtringitur: Ita Sanchez cum tot tantiſque primæ notæ Doctoribus; qui hic ſumunt probabile pro bono, & eligibili, non pro veriſimili. Sed ita pariter omnes Probabilioriſtæ, definitioni opinionis probabilis, & rationis gravis ſeu magni momenti traditæ à Probabiliſtis, præſertim à D. Caramuele, inſiſtentes; dum probabile idem ſit, ac eligibile; non vero idem, ac veriſimile.*

1464 *Tertiò quia cum omnimoda de rebus certitudo,* inquit Sanchez, *haberi nequeat, ad eam Deus minimè nos obligavit; ſed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. Namque intolerabile eſſet onus ac multis ſcrupulis expoſitum, ſi opiniones probabiliores inveſtigare teneremur. Ita Sanchez, & reliqui, quos citat Doctores. Sed ita pariter omnes Probabilioriſtæ. Modò opinioni benignæ, quam ſequeris, competat definitio opinionis probabilis; & rationi, in quà fundatur, competat definitio rationis gra-*

vis

vis tradita à Probabiliſtis. At ſi definitiones illæ non competant, & tamen opinio illa dicatur probabilis, quamvis minùs probabilis; ly, minùs eſt additum diſtrahens; ſicuti minùs rectum in definitione ſcandali. Si verò competant duæ illæ definitiones, tunc opinio illa benigna non ſolùm non eſt minùs probabilis; ſed eſt ſimpliciter, & abſolute, & ſine ullo addito probabilis, atque adeò probabiliſſima.

1465 *Quartò cum omnimoda de rebus certitudo haberi nequeat, ad eam Deus minimè nos obligavit, ſed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. Interim Probabilioriſtæ non ſolùm ad licitè operandum non exigunt omnimodam certitudinem de rebus; ſed contenti ſunt infimo gradu moralis certitudinis, qui juxta Joannem de Cardenas, tunc habetur, quando non poſſumus prudenter dubitare de oppoſito, ſeu de falſitate. Novatores ad licitè operandum exigunt omnimodam certitudinem, ut patet ex propoſitione 2. & 3. ab Alexandro VIII. damnatis. Ergo hos impugnant Probabiliſtæ.* Ita diſcurrit P. Riccius ex verbis Thomæ Sanchez. *Cæterùm*, inquit, *qui eſt moraliter certus, quod ratio, in qua fundatur opinio benigna, ſit gravis, eſt moraliter certus, quod argumenta contraria ſint ſoluta; ut non poſſit prudenter dubitare de oppoſito. Qui hùc pervenit, habet etiam de rebus ipſis moralem certitudinem, ſicut exigunt, & eâ contenti ſunt etiam in infimo gradu, Probabilioriſtæ. Ergo citare Thomam Sanchez, & alios Doctores à Sanchez citatos, ut Probabilioriſtas accuſes; eſt nolle percipere ſtatum quæſtionis, & aërem verberare.*

1466 *Namque intolerabile onus* (inquit Sanchez.) *ac multis ſcrupulis expoſitum eſſet, ſi opiniones probabiliores inveſtigare, teneremur. In quibus verbis* (ait Riccius) *Sanchez, & Doctores ab ipſo citati, Novatores, non Probabilioriſtas accuſant. Quod patet ex verbis immediatè ſequentibus: (tandem quia oppoſitæ rationes non obſtant, cum ea in vero dubio procedant, in quo tutius, & certum, eſt neceſſariò ſequendum, ad vitandum peccati periculum, ſecùs in opinionibus.) Numquam Probabilioriſtæ docuerunt ex opinionibus ſequendam eſſe ſemper tutiorem, & omninò certam, quæ ſcilicet ſtat pro lege, & illicite; quia illam ſequendo, certum omninò, & infallibile eſt, te nullo pacto poſſe peccare. Novatores hoc docent: negant Probabilioriſtæ. Ergo Novatores impugnant Sanchez, & Doctores ab ipſo citati, non Probabilioriſtas.* Hæc Riccius.

1467 Poſt hæc prætendit Author iſte reddere rationem ſeu cauſam, quare hic nonnulli hallucinentur, & errent: & dicit eſſe quamdam æquivocationem, ſecundùm quam variè accipiunt, ly probabile. Quare intendit hic eam detegere, & ait: æquivocatio ſtat in hoc, quod probare ſignificat etiam approbare. Unde probabile idem etiam eſt atque approbabile ſeu dignum approbatione, ſive electione. Et ſic dicitur magis probabile ſeu probabilius, quod eſt magis dignum approbatione, ſeu dignum maiori approbatione, vel clariùs magis eligibile: Contra verò minùs probabile dicitur, quod eſt minùs eligibile. Alio modo probare non ſumitur pro approbare, ſed pro proprio ſuo ſignificato, & ſic probabile idem eſt quod veriſimile. Eſt autem magna differentia inter hæc duo, videlicet: veriſimile, & eligibile: nam veriſimile dicit ordinem ad veritatem, quæ conſiſtit in indiviſibili, nempe in eſſe; aut non eſſe. Eligibile autem dicitur per ordinem ad bonitatem, quæ multiplex eſt, & magnam habet latitudinem, & gradualitatem. Quare probabile, ſumptum pro approbabili, ſeu pro eligibili, eſt bonum; quod poteſt eſſe magis, & minùs bonum; ſemper tamen bonum. Probabile verò ſumptum pro veriſimili, eſt verum, quod licet probatur eſſe in ſe, vel non eſſe; quod tamen non poteſt eſſe ſemper verum; licet poſſit magis, vel minus apparere verum, aut falſum. Atque hinc eſt quod minus veriſimile eſt magis ſimile falſo, hoc eſt magis apparet eſſe falſum intellectui, qui non habet de illo omnimodam certitudinem. Atque hinc eſt quod certitudo etiam habet ſuam latitudinem, ſicut eligibilitas. Quare quod eſt omninò certum, & infallibile, eſt dignius approbatione; quam quod eſt ſolùm certum moraliter: Unde certum moraliter dicitur minùs probabile, ideſt minùs approbabile, & eligibile: certum verò methaphiſicè dicitur probabilius, ideſt digniùs approbatione, & eligibilius, utrumque tamen certò eligibile & bonum, cum ab bonitatem electionis ſatis ſit certitudo moralis. Ex quo concludit P. Riccius, quod Novatores exigunt ad licitè operandum probabiliora in hoc ſenſu, ideſt quæ ſunt eligibiliora, ſeu magis approbabilia, quæ ſcilicet ſunt certa methaphiſicè, cujuſmodi ſunt quæ favent legi, de his enim habetur certitudo methaphiſica, & infallibilis; quod ſint bona, & licita. Probabilioriſtæ verò exigunt probabiliora in alio ſenſu longè diverſo, ideſt ad excludendum minùs probabilia ſeu minùs veriſimilia, quia requirunt veriſimiliora, quæ ſcilicet ſunt certò moraliter licita, licet non ſint talia methaphiſicè: undè non admittunt ad licitè operandum quamcumque veriſimilitudinem de licito, ſed illam tantum quæ fundatur in gravi ratione, quæ maior eſt quàm quæcumque veriſimilitudo, & pertingit ad certitudinem moralem, ita ut non poſſit prudenter dubitari de falſitate; hujuſmodi autem probabiliora, ideſt veriſimiliora, ſeu certa moraliter, in alio ſenſu dicuntur minùs probabilia ideſt minùs approbabilia ſeu eligibilia, comparativè ad eligibiliora, quæ ſunt certa methaphiſicè. Probabiliſtæ denique contenti ſunt minùs probabilibus, ſed in hoc ſenſu, ideſt quæ ſunt minùs approbabilia ſeu eligibilia; non autem quæ ſunt minùs veriſimilia;

ſta; quia, ut conſtat ex dictis, exigunt quod fundentur in ratione gravi, quæ ſolvat rationes oppoſitas adæquatè, & illas deſtruat, ac per conſequens nomine minùs probabilium intelligunt veriſimiliora cum Probabilioriſtis, quæ dicuntur minùs probabilia idest minùs eligibilia, quatenùs ſunt certò moraliter eligibilia, ſed minùs digna, quàm quæ ſunt certa methaphiſicè. Atque ideo ſolo verbo differunt à Probabilioriſtis, quia utrique exigunt, & contenti ſunt veriſimilioribus, in quibus eſt certitudo moralis de licito; diſcrepant autem utrique à Novatoribus, qui exigunt infallibilia, & certitudinem methaphiſicam. Et hos impugnant Sanchez, & Doctores ab ipſo citati, non autem Probabilioriſtas, ſed his favent. Hæc eſt ſumma Doctrinæ Patris Riccii in hoc capite ad concordandum ſuos. Et totum hoc deducit ex ipſa definitione opinionis probabilis, & rationis gravis, cui eſſe debet innixa, tradita, ut ipſe inquit, ab ipſis Probabiliſtis ſuis.

1468 Et hinc, inquit, patet in quo ſenſu verum ſit illud aſſumptum: *Quod eſt intrinſecè minùs probabile, eſt nunc extrinſecè probabilius*. Si enim illud intelligatur de minùs probabili, ſumpto pro minùs approbabili ſeu eligibili, verum eſt. Si intelligatur de minùs veriſimili, ſic eſt omninò falſum. Et ſimiliter hinc, ait, habetur in quo ſenſu verum ſit, & in quo falſum; opinionem negantem eſſe licitum ſequi minùs probabilia eſſe in confinio improbabilitatis, imò improbabilem. Si enim per ly minùs probabilia intelligantur minùs eligibilia comparativè ad magis digna eligibilia; ſic dictum verum eſt; quia minùs eligibilia ſunt certò digna electione moraliter, licet ſint minùs digna iis, quæ ſunt certa methaphiſicè, ac proindè verum eſt, quod opinio negans eſſe licitum ea ſequi, ſit improbabilis. At ſi per ly minùs probabilia intelligantur minùs veriſimilia; ſic eſt falſum. Et Probabiliſtæ cum dicunt eſſe licitum ſequi minùs probabilia, in primo ſenſu ea accipiunt, non in ſecundo.

1469 Ulteriùs poſt hæc proſequitur P. Riccius ponderare reliqua verba Sanchez dicens: *Nec ſequens minùs probabilem* (inquit Sanchez) *agit contra conſcientiam, ſed is ſolùm qui cum conſcientiâ omninò dubiâ, aut certò dictante aliquid eſſe peccatum, id agit*. Hæc Sanchez, & benè, (ait Riccius) ſed neque hoc negant Probabilioriſtæ. Nam vel *ly probabile* ſignificat approbabile ſeu dignum approbatione; & ſic ultrò concedunt non agere contra conſcientiam, qui ſequitur minùs probabile, puta qui ſequitur certum moraliter, non certum methaphiſicè. Vel *ly probabile* idem valet, ac veriſimile: & tunc petunt, num *ly minùs* ſit additum diſtrahens: nam ſi diſtrahat a probabilitate, ſeu veriſimilitudine, ut minùs rectum in definitione ſcandali diſtrahit à rectitudine; tunc omninò falſum eſt etiam ſecundum omnes Probabiliſtas, non agere contra conſcientiam, qui ſequitur ita minùs probabile. Si verò *ly minùs* non ſit additum diſtrahens. Ergo opinioni illi competit definitio opinionis probabilis, eiuſque rationi competit definitio rationis gravis: quo poſito, habet potiùs, ut dicatur probabiliſſima, quam minùs probabilis; & ſic ultrò concedunt Probabilioriſtæ, quocumque nomine ea vocetur, non agere contra conſcientiam, qui iuxta illam operatur. *Is ſolùm*, inquit Sanchez, *peccat, qui cum conſcientia omninò dubia &c.* Sed quouſque (ſubdit P. Riccius) non habes probabilem opinionem, cui competat definitio opinionis probabilis, & cuius rationi competat definitio rationis gravis, es in mero dubio, aut in aſſenſu imperceptibili, & valdè exiguo, ut vidimus ex Vaſquez. Aſſenſus imperceptibilis non facit fidem; & omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Et imperceptibilis eſt aſſenſus, ex Vaſquez, quoties pro parte contrariâ ſtant rationes maiores, imò etiam æquales, niſi aſſenſus ſit inconſideratus, & præceps. Totum hoc continet definitio rationis gravis tradita à Probabiliſtis.

1470 *Neque hic ſe exponit periculo peccandi formaliter*, ait Sanchez, & benè, *quia prudenter, & ratione probabili ductus operatur; ſed materialiter, ideſt admittendo id, quod à parte rei peccatum eſt*. Sed ita etiam, inquit Riccius, omnes Probabilioriſtæ; nam ratio probabilis idem eſt, ac ratio gravis, ſeu magni momenti, in quâ fundatur opinio illa benigna. Da definitionem rationis gravis, & magni momenti traditam à Probabiliſtis; & tunc vel unum invenias Probabilioriſtam, qui Sanchez, & Doctoribus ab ipſo citatis contradicat, ita diſcurrit P. Riccius pro concordia ſuâ.

1471 Deindè refert quæ Moya in Selectis ad lectorem alloquens proteſtatur, ubi ſe eas opiniones electurum promittit, quas veritati conformiores iudicaverit ſive pro lege, ſive pro libertate pugnantes: quid quæque veri habeat diligenter inquirendo, & nulli parcendo labori. Ex quo infert P. Riccius: *Cur hæc ſervanda in delectu opinionum in docendo, & non in operando? Numquid pluris facienda eſt integritas doctrinæ, quàm vitæ?* Quaſi velit dicere ex P. Moya, quod ſi docendo Probabiliſtæ eligunt opiniones veritati conformiores, eas diligenter inquirendo, & nulli labori parcendo; à fortiori eas volunt eâdem diligentiâ eligendas ad operandum; ac proindè ſtare pro veriſimilioribus cum Probabilioriſtis.

1472 Denique ex omnibus huc uſque à ſe allegatis concludit ſic dicens: *Et quoniam hodierni Probabiliſtæ ad Sanchez, & Doctores ab ipſo citatos recurrunt, tamquàm ad ſuæ ſententiæ Patronos; clarè patet non poſſe probabilioriſtis contradicere, ſicut illis non contradicit Sanchez cum citatis ſuis; niſi ſibimet, ſuiſque Patronis contradicant: nec poſſe Probabilioriſtas cum Novatoribus confundere; niſi puerili, & ineptâ æquivocatione laborent. Et certè*, inquit,

fieri non poteſt, ut qui Probabilioriſtas impugnant, non impugnent definitionem opinionis probabilis, & rationis gravis, traditam à Probabiliſtis (volens per hoc implicitè dicere, quod ex hac definitione concluditur idem eſſe probabile, quod probabilius; ut toties explicitè docerat;) atque inde infert: *Ergo fieri non poteſt, quin omnes Probabiliſtas ad unum impugnent*; ſubaudi; quia idem eſt ex vi dictæ definitionis probabile apud Probabiliſtas, quod probabilius apud Probabilioriſtas. Ac propterea qui Probabilioriſtas impugnant, etiam impugnant Probabiliſtas, qui ſub varietate verborum in probabiliore eligendâ conveniunt.

1473 Quod ſi alicui (ſubiungit) item Riccius diſplicet nomen hoc: *Probabilius*: ei quoque diſpliceat oportet lex utriuſque juris, quæ docet in obſcuris ſectari *veriſimilius*: niſi aliud ſonet apud ipſos veriſimilius, ac probabilius: quam quidem legem (inquit) eſſe etiam naturalem docet Perez, ut alibi vidimus. Contra verò oportet placeant propoſitiones quatuor primæ damnatæ ab Innocentio XI. & uno verbo omnes laxiores opiniones ſaltem in radice.

1474 *Sed neque* (ſubdit P. Riccius) *Probabiliſtis obiicies laxitatem; niſi te æquivocatio defatiget* (ſubaudi: de probabili, & approbabili.) *Quam quidem non curat expendere pruritus detrahendi; aut amor falſæ libertatis; nam ille fingit hoſtem; hic cæcum ducem. Rogandus eſt ergo Deus; ne malitia mutet intellectum, aut ne decipiat animam fictio.*

1475 Poſt hæc iterùm repetit doctrinam, quam ſupra tradiderat, dicens: *Habes igitur, in quo ſenſu verum ſit, & in quo falſum, poſſe nos licitè ſequi minùs probabilia, nec teneri ad ſequenda probabiliora: & utrumque quidem iuxta omnes Doctores Catholicos. Da definitionem opinionis probabilis, & rationis gravis: da reflexa principia eſſe omninò ad intrinſeca reducenda, & hæc omnia iuxta communem Probabiliſtarum doctrinam. Et vide ſi inter Doctores Catholicos; ſi inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas, ullum, aut laxitatis, aut diſcordiæ veſtigium eſſe poteſt.*

1476 *Certum eſt*, inquit, *nec indiget probatione: Probabile dupliciter ſumi poſſe; per ordinem ad intellectum ſcilicet, cuius obiectum eſt verum; & per ordinem ad voluntatem, cuius obiectum eſt bonum: utraque enim hæc potentia poteſt probare, & reprobare. Sed de communi Probabiliſtarum doctrinâ, non poteſt intellectus probare ut verum, quod ei videtur minùs veriſimile; neque reprobare ut falſum, quod ei videtur veriſimilius. At poteſt voluntas probare ut bonum, quod ei videtur, & etiam quod re vera eſt bonum minus. Et in hoc ſenſu non tenemur ad probabiliora, ideſt ad ea, quæ voluntas magis probat, ut maiora bona. Hinc dixit Sanchez, & benè, quod nullus ad melius, & perfectius aſtringitur. Ergo tam ipſe, quàm Authores ab ipſo citati loquuntur de probabili per ordinem ad voluntatem, eiuſque probationem, & electionem. Quod autem eſt probabilius voluntati poteſt eſſe minùs probabile intellectui, & econverſo. Ergo ſunt benè hæc diſtinguenda, ne fiat locus æquivocationi, & errori. Sanchez verò & alii apud ipſum ſolùm docent, & benè, non teneri nos ſequi, quæ ſunt voluntati probabiliora; ſed poſſe etiam licitè ſequi, quæ ſunt eidem minùs probabilia. quod ultrò concedunt Probabilioriſtæ; & ſolùm id negant Novatores. Ergo hos impugnant Probabiliſtæ. Cæterùm non docent, non teneri nos ſequi, quæ ſunt intellectui probabiliora, & poſſe licitè ſequi, quæ ſunt eidem minùs probabilia; neque enim id docere poſſunt, quin ſibi, ſuiſque principiis manifeſtè contradicant; ut pluries eſt oſtenſum. Poſſumus igitur licitè ſequi, quæ ſunt voluntati minùs probabilia, modò non ſint etiam minùs probabilia intellectui, & oppoſita ſint eidem intellectui probabiliora, aut æquè probabilia.*

1477 Tenemur igitur (proſequitur Riccius) ex Sanchez operari cum morali certitudine de rebus, quod ſint licitæ. Quoties autem pro lege, & illicito ſtant rationes æquales, aut ferè æquales, & multò magis ſi graviores; tunc aſſenſus de licito aut nullus eſſe poteſt, aut valdè exiguus, & imperceptibilis. Exigua autem probabilitas de licito non facit licitum, ut patet ex propoſitione tertia ab Innocentio XI. damnata, *Generatim &c.* Ergo dum pro lege, & illicito ſtant rationes æquales, aut maiores, non habetur pro licito niſi exigua probabilitas, in qua non eſt moralis certitudo. Quod ſi (inquit) recurras ad principia reflexa, iam recurris ad principia, quæ de Recentiorum Probabiliſtarum ſententiâ, ſunt quidem acutè excogitata, ſed non convincunt, quia probant nimis, adeoque nihil. Et probant quidem nimis, quia probant facillimè eludi poſſe huius tertiæ propoſitionis prohibitionem. Nam probabilitas directa quantumvis tenuis, vi & virtute principiorum reflexorum dici poſſet probabilitas maxima, & evidentia reflexa.

1478 *Verum* (concludit hic in fine P. Riccius) *ut unde egreſſa eſt, eòdem revertatur oratio*, ad doctrinam nimirum SS. Patrum, quam dicuntur parvi facere Recentiores Probabiliſtæ. *Audi Probabiliſtam recentiſſimum* (Patrem Cardenas) *Ratio formalis motiva extrinſeca dici poteſt in his damnationibus authoritas SS. Patrum, quæ præcipuè in materiâ morum, haberi debet pro regulâ morum, quando inter ipſos SS. Patres non eſt diverſitas opinionum. Ideo in materiâ morum ſententia S. Auguſtini, aut S. Gregorii, aut S. Ambroſii &c. cui nullus patrum refragatur, eſt ſufficiens motivum, ut oppoſita opinio proſcribatur. Hæc Cardenas in Criſi diſſert. 7. cap. 1. art. 111. num. 19. ſic noſtri Probabiliſtæ SS. Patrum doctrinam parvi faciunt. Et eâdem diſſert. 7. cap. 11. art. 11. n. 56. Cenſeo*, inquit, *eſſe ſufficiens motivum pro damnatione illius, quod SS. Patres doceant condamna-*

Digitized by Google

poſitam ſententiam. Nam in materiâ morum doctrina SS. Patrum, qui præcipuè in materiâ morum à Deo illuminati ſunt, pro certa regulâ tenenda eſt; niſi fortè quando inter ipſos Patres eſt controverſia. Vide quæ diximus diſſert. 1. *cap.* 1. *num.* 13.

1479 *Multum facit etiam* (ſubdit hic P. Riccius) *ne facilè credas Doctores Catholicos inter ſe diſcordare, ſi benè diſtinguas probabilitatem practicam à merè ſpeculativâ. Nam multa quæ Doctores docent in re etiam morali, ut merè ſpeculativè, non autem ut practicè probabilia, ea tradunt, ac docent. Vide Cardenas in Criſi Theolog. diſſert.* 2. *in explicatione primæ propoſitionis ab Innocentio XI. damnatæ. Non eſt illicitum in ſacramentis &c.*

1480 *Sed his, qui diſcordias amant* (ſequitur P. Riccius) *ac lites, omnia videntur diſcordare; & qui laxitatem amant, aut inſanum rigorem; omnia ad rigiorem trahunt, vel contrà ad laxitatem. Nam quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Verum non eſt cur in hac re multùm laboremus; illud enim Chriſti Domini verum eſt: qui non diligit me, Sermones meos non ſervabit, Ioan.* 14. & rurſus: *Si Sermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt. Ioan.* 15. *qui non ſtudet Deum diligere, non ſervat Sermones ejus; ergo multò minùs ſervabit Sermones Doctorum: nam; non eſt Diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum.* Matthæi 10.

Criſis præcedentis doctrinæ adverſus ejus Authorem.

1481 POſt tot jacta commentitia fundamenta quaſi ex Recẽtioribus Probabiliſtis deprompta, ut vidimus in præcedentibus capitibus, in hoc ultimo tandem ultimum ſuum agit conatum P. Riccius ad ſuorum concordiam concludendam cum Probabilioriſtis, nec ſine novo quidem excogitato commento. Id unum tamen diligenti obſervatione dignum cenſeo in hujuſmodi adinventionibus ſuis, quod quo magis ſatagit ſuorum concordiæ cum Probabilioriſtis ſtabiliendæ per tot viarum circuitus; eo magis interim ſpoliatur ab utriſque, & paſſim invitus & nolens in veridicam, & noſtram doctrinam incidit, quam ex profeſſo dedimus, cum de Probabiliſmo agebamus, ut infra opportuniùs ſuo loco explicabimus. Eſt enim doctrina noſtra quod ad licitè operandum neceſſaria ſit moralis certitudo de licito, ita ut non poſſit de oppoſito prudenter dubitari: eſt doctrina noſtra quod non exigatur certitudo metaphiſica: eſt doctrina noſtra, & omnibus aliis communis, quod minùs bonum ſit licitè eligibile, & quod non teneamur ad perfectius; imò nedùm quod eſt minùs bonum, ſed adhuc dicimus interdùm licitè fieri, quod eſt in ſe materialiter malum, ſi non ſit agenti via agnoſcendi ejus malitiam, aut prudenter dubitandi de illa, ſed citra omnem ejus culpam ignoretur. At hæc omnia, quæ utique veriſſima ſunt, & nemo Catholicorum negat, Probabiliſtæ contendunt haberi ex vi cujuſcumque opinionis ſaltem practicæ probabilis, non obſtante concurſu opinionis oppoſitæ æquè probabilis, vel etiã probabilioris. Probabilioriſtæ verò hoc negant, & contendunt ſolùm haberi hæc poſſe ex vi probabilioris. Et in hoc re verâ concordari non poſſunt. Sed quidquid ſit de eorum diſcordiâ; id ego veriſſimum cenſeo, quod nec Probabiliſtæ, nec Probabilioriſtæ ea omnia poſſunt verè in ſuis probabilitatibus ſalvare, ut oſtendi ubi de Probabiliſmo egi; & iterum oſtendam infra. P. Riccius autem qui contendit Recentiorum Probabiliſtarum concordiam cum Probabilioriſtis ſtabilire; adeò ea omnia paſſim explicat per tot cõditionum circuitus, quaſi ex mente Probabiliſtarum ad practicam probabilitatem requiſitarum, ut ad terminos veridicæ doctrinæ ea reſtringat; nam ſic reſtringit illa, ut unico ſolo practico, & prudente judicio haberi poſſint, contra quod nullum aliud judicium practicum ſeu opinio probabilis poſſit ſubſiſtere. Sed non advertit, quod dùm ad tantæ reſtrictionis rigorem reducitur, ut probet Recentiores Probabiliſtas non eſſe minùs rigidos in doctrina ſua, quam ſint Probabilioriſtæ, ſed potiùs convenire in rigiditate doctrinæ, excedit vel ipſorum Probabilioriſtarum rigorem; quia re verâ nec Probabiliſtæ, nec Probabilioriſtæ exigunt ad licitè operandum tale judicium de licito, contra quod ſcilicet nullum poſſit aliud judicium, ſeu opinio practicè probabilis ſubſiſtere; nam Probabilioriſtæ volunt utique ſectanda eſſe probabiliora, ſed non cenſent tunc eſſe judicium de licito probabilius, quando oppoſitum deſinit eſſe probabile, & evadit omninò practicè improbabile; ſed fatentur illud eſſe re vera probabile, ſed minùs probabile, atque ideò non poſſe licitè eligi: nec confundunt practicè probabile cum licitè eligibili, ut putat P. Riccius. Atque ideò, ut dixi, dum adeò rem ſtringit Riccius, ſpoliatur ab utriſque, & ſimul à Probabiliſtis, & à Probabilioriſtis recedit, & incidit in veram, & noſtram doctrinam invitus, & nolens; & dum illos vult concordes oſtendere, cogit utroſque ad id dicendum, quod negant; eoſque reddit ſibimetipſis diſcordes: & ipſe qui concordem de probabilioritate doctrinam defenſandam aſſumpſit, nolens, & invitus in rigidiorem recedit, quam ex corde averſatur, ſibimet perpetuò contradicens; de quo infra iterùm redibit ſermo. Pro nunc verò ad criſim ejus doctrinæ ultimi hujus capitis procedamus.

1482 Itaque P. Riccius hìc dicit, ducentos illos Doctores, qui pro licito uſu opinionis minùs probabilis relictâ tutiore, & probabiliore

biliore ei tantùm ad terrorem; non Probabilioriſtas impugnant, ſed Novatores; Probabilioriſtis verò favent potiùs non adverſantur. Probat ex Thomà Sanchez, qui licitum uſum opinionis minùs probabilis ſaltem verbaliter expreſsè admittit, & pro ſe ſexdecim nominatim Doctores citat. Et probat diligenter ponderando eius verba, ut indè colligat non eſſe eius mentem, eorumque, quos citat, re vera licitum eſſe uſum opinionis benignæ minùs probabilis relictà tutiore, & probabiliore, ut pro indubitato putant nonnulli, & adeò pro certo habent, quod certò credant, nec valent ad examen vocari, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem juxta eorum doctrinam, ac proindè ab illis miſellos Probabilioriſtas malè vexari. Nam ſi, inquit P. Riccius, ſemel demóſtratum fuerit Thomam Sanchez, & quos ipſe citat, favere potiùs, & non refragari Probabilioriſtis; conſtabit etiam ducentos illos Doctores citari ſolitos pro opinione minùs probabilis, non refragari; ſed favere quoque cum Sanchez; & Doctoribus ab ipſo citatis, iiſdem Probabilioriſtis; quia ducenti illi Doctores fatentur expreſsè pro ſuis Patronis Thomam Sanchez, & Doctores ab ipſo citatos. Ac propterea una eademque omninò ſupponitur eorũ omnium ſẽtentia, ac Thomæ Sãchez; ita ut ſi Probabilioriſtis faveat Thomas Sanchez, & non eos impugnet, ſed Novatores; faveant quoque ſimul omnes illi ducenti Doctores; nec illos impugnent, ſed Novatores. Atque ideò non verè citantur, ſed ad terrorem, pro ſententia liciti uſus opinionis minùs probabilis, cum re vera ſtent omnes pro probabiliore.

1483 Expendenda ergo eſt, ait Riccius, doctrina Thomæ Sanchez nùm adverſetur, an faveat Probabilioriſtis. Expendit autem dearticulatè illius verba ſic: *Ducor*, inquit Sanchez, *quod exiſtimans opinionem eſſe probabilem, juxta eam operans, nec temeritatis, nec imprudentiæ notam incurrat. Quippè temerè, & imprudenter fieri dicitur, quod abſque ratione, & causâ probabili fit.* Ita Sanchez, & benè, ſubdit Riccius: ſed ita pariter omnes Probabilioriſtæ; modò meminerimus, quid ſit juxta Probabiliſtas, opinionem eſſe probabilem; & rationem, in quâ fundatur, eſſe gravem. Ita Riccius. Sed pondera tu lector nunc hoc eius commentum: refert nuda verba Thomæ Sanchez: & ſubdit: *Ita pariter omnes Probabilioriſtæ*. Undè hoc probat? Ex doctrina, forte quam ſupra tradidit de requiſitis ad opinionem probabilem, & ad gravitatem rationis, ut ſcilicet adæquatè ſolvat, & deſtruat rationes, & probabilitatem opinionis oppoſitæ, & ipſa maneat unicè probabilis, imò probabiliſſima? quæ enim ita eſt unicè probabilis, ut nulla probabilis ratio, nullaque probabilitas oppoſita contra eam ſubſiſtat, procul dubio probabiliſſima eſt; nam opinio probabiliſſima non poteſt ad altiorem gradum aſcendere. At hanc doctrinam ſupra commentitiam eſſe oſtendimus, & non de mente Probabiliſtarum; imò eis repugnans, & deſtruens eorum ſuppoſitum, imò reddens quæſtionem de ſubiecto impoſsibili; nam Probabiliſtæ dum quærunt, & reſolvunt quæſtionem, an licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore; ſupponunt dari poſſe opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris; ut toties diximus, imò ſæpiùs ipſemet Riccius confeſſus eſt, dicens: quod *hoc eſt unicum inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas diſcrimen, quod illi admittunt minùs probabilem retinere ſuã practicam probabilitatem in concurſu probabilioris; iſti verò negant*. At ego addo quod utriq; admittunt. Sed quidquid ſit, ſi id admittant Probabilioriſtæ; ſatis eſt pro nunc quod admittatur a Probabiliſtis, ut ea doctrina, de quâ vult Riccius nos meminiſse, commentitia ſit, & non ad mentem iſtorum, ac per conſequẽs inde evaneſcat probatio Riccii cum fundamento ſuo. Et certè, dicere, quod Thomas Sanchez, & Doctores ab ipſo citati, dum dicunt; licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem de licito, relictà probabiliore, & tutiore; loquantur de minùs probabili, quæ eadem eſt, ac ipſiſſima probabilior; eſt manifeſtè deſtruere dictum eorum, & introducere oppoſitum; quâ quidem interpretatione nulla fieri poteſt abſurdior. Quid enim abſurdius, quàm intelligere pro minùs probabili, unicè probabilem, & probabiliorem, imò probabiliſsimam? Sic enim Riccius extollit opinionem probabilem ex vi illius doctrinæ, cuius vult nos memores eſse, ut benè intelligamus Sanchez, & Doctores ab ipſo citatos. At contrà, nos dicimus eam doctrinam commentitiam eſse, & confictam ab ipſo, ut oſtendimus ſupra, & Probabiliſtis omnibus repugnantem; neque poteſt Riccius eam eſse Probabiliſtarum oſtendere, niſi interpretationibus manifeſtè violentis, & minimè ſubſiſtentibus, ut vidimus ſupra.

1484 Sed procedamus ulteriùs cum codẽ P. Riccio ad alia ſubſequentia verba Thomæ Sanchez. *Secundò*, inquit Sanchez, *quod ſicut opinio probabilis in ſpeculativis eſt, quam abſque deceptionis, & erroris periculo amplecti licet; ita in moralibus opinio probabilis eſt, quam abſque peccãdi periculo ſequi licet. Quippè nullus ad melius, & perfectius aſtringitur.* Ita Sanchez, reſumit P. Riccius, cum tot tantiſque primæ notæ Doctoribus; qui hic ſumunt probabile pro bono, & eligibili; non pro veriſimili. Sed ita pariter (ſubiungit) omnes Probabilioriſtæ definitioni opinionis probabilis, & rationis gravis ſeu magni momenti traditæ à Probabiliſtis, præcipuè à *D.* Caramuele, inſiſtentes; dũm probabile idem ſit, ac eligibile, non vero idem, ac veriſimile.

At

1485 At ponderatu nunc lector commentum P. Riccii. Refert verba Thomæ Sanchez ab ipſo dicta cum tot tantiſque primæ notæ Doctoribus, & ſuperaddit de ſuo: *qui hìc ſumunt probabile pro bono, & eligibili; id eſt approbabili à voluntate; non pro veriſimili.* Certè plùs gravitat hoc eius ſuperadditum, quam verba ipſa Sanchez in ſeipſis. Et nihilominùs ipſe totam vim facit in hoc ſuo ſuperaddito, quod gratis adiungit, nec probat ex ipſo Sanchez, vel ex citatis ab ipſo. Fingit ergo ex Thoma Sanchez, & citatis ſuis, ipſos diſtinctionem facere inter probabile ſumptum pro bono & eligibili, & ſumptum pro veriſimili; & quod cum dicunt licitum eſſe ſequi minùs probabile, relicto probabiliori; loquantur de probabili primo modo ſumpto; non autem de probabili veriſimili. At undè hoc probat? gratis quidem aſſerit, & gratis negari poteſt. Si ergo id negaverim; nihil probabit Riccius. Ego autem illud nego, & rationabiliter; quia probabile regulariter, & cum multis, imò cum omnibus loquendo, pro veriſimili accipitur; & ſi ſumitur ab aliquibus pro bono, & eligibili, non tamen ſumitur ut diſtinctum à veriſimili; imò quia veriſimile, dicitur communiter eligibile a Probabiliſtis, quia communiter dicunt non exigi ad licitè, & benè operandum, quod agibile ſit in ſeipſo verè licitum, ſed quod tale ſit veriſimiliter ſeu probabiliter, quia tunc prudenter, inquiunt, eligitur. Dele ergo lector, & ſupprime hanc diſtinctionem Patris Riccii ab ipſo gratis factam; & vide ſi verba Thomæ Sanchez concludant, quod intendit Riccius. Certè quod non. Vel igitur P. Riccius probet ex ipſo Sanchez, & ſuis citatis diſtinctionem illam; vel fateatur nobiſcum, quod ille intelligat ly probabile pro veriſimili cum multis, atque ideò dicat eſſe prudenter eligibile. Donec ergo hoc non probaverit, verba Sanchez non favent Riccio, quia faciunt hunc ſenſum, videlicet: *quod ſicut opinio probabilis in ſpeculativis* (quæ procul dubio pro veriſimili accipitur, & non pro bono, & eligibili, ſeu approbabili à voluntate; non enim eſt munus voluntatis, quæ non eſt potentia cognoſcitiva, approbare ſpeculationes, ut ſpeculationes, ſed ſolius intellectus) *ſicut*, inquam, *opinio probabilis in ſpeculativis eſt, quam abſque deceptionis, & erroris periculo amplecti licet intellectui*: non enim deceptionis, aut erroris damnatur intellectus, dum aliquid veriſimiliter iudicat ſpeculativè ita eſſe, vel non eſſe; licet fortè in ſe non ita ſit: *Ita in moralibus opinio probabilis eſt, quam abſque peccandi periculo ſequi licet voluntati*: non enim peccati damnatur voluntas, dum quod eſt veriſimiliter licitum, ſequitur; licet fortè in ſe ſit illicitum, quia prudenter eligit, quod eſt veriſimiliter licitum, nec aſtringitur ad id quod eſt in ſeipſo certò licitum, quod eſſet utique melius, & perfectius; & ideò ſubdit: *quippè nullus ad melius, & perfectius aſtringitur*. Hic profectò videtur germanus ſenſus Thomæ Sanchez; Qui quidem ſenſus ſtat pro minus probabili ſumpta pro minùs veriſimili, & non pro veriſimiliori, quæ dicatur minùs probabilis, id eſt minùs perfectè eligibilis à voluntate, reſpectivè ad id quod eſt perfectiùs eligibile, quatenus ſcilicet certò favet legi, etiam ſi ſit minùs veriſimile; ut prætendit Riccius. ac proinde non ſumit Sanchez, cum dicit licitum eſſe ſequi minùs probabilem, *ly minùs probabilem* pro opinione probabiliore intellectui, minùs tamen probabili ſeu approbabili à voluntate. Ergo non favet Probabilioriſtis. Male ergo ſubdit Riccius: *Ita pariter omnes Probabilioriſtæ definitioni opinionis &c. inſiſtentes*. Et maximè cum definitio illa, modo, quo explicatur à Riccio quaſi ex Probabiliſtis ſuis, ſit omninò commentitia, ut toties dictum eſt.

1486 Neque replicet P. Riccius ſe probare diſtinctionem illam de minùs probabili pro bono & eligibili, & minùs probabili pro veriſimili, ex eodem Sanchez per ea verba, quæ ſubdit ille: *quippè nullus ad melius, & perfectius aſtringitur*. Non, inquam, ſic replicet; nam verba illa ſtant cum probabili ſumpto pro veriſimili; quia qui dicunt licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, id eſt minùs veriſimilem, ſtantem pro libertate, non negant hoc eſſe minùs perfectum, quàm agere oppoſitum veriſimilius ſtans pro lege; ſed ſolùm negant hoc eſſe neceſſarium, & ex obligatione; ac propterea conſequenter ad ſuam doctrinam omnes fautores opinionis minùs tutæ, minùſque veriſimilis, rationem illam ſubdunt: *quippè nullus ad melius, & perfectius aſtringitur*: Ergo ex hoc quod Sanchez ea verba ſubdit; non probatur facere diſtinctionem illam, neq; probatur hic ſumere, *ly minùs probabilem*, non pro minùs veriſimili, ſed pro minùs bono, ſeu eligibili à voluntate, veriſimiliori tamen, & probabiliori intellectui; ut prætendit exponere P. Riccius, ut illum concordet cum Probabilioriſtis, & oſtendat favere potiùs iſtis, non refragari.

1487 Tranſeamus autem ad reliqua, quæ ibidem proſequitur Sanchez. *Tertiò*, inquit, *quia cum omnimoda de rebus certitudo haberi nequeat, ad eam Deus minimè nos obligavit; ſed ad operandum cum morali certitudine; qualis in opinione probabili reperitur. Nāque intolerabile eſſet onus, ac multis ſcrupulis expoſitum, ſi opiniones probabiliores inveſtigare teneremur*. Ita Sanchez, & reliqui, quos citat, Doctores. Sed quid reperit in his verbis P. Riccius, quod faveat Probabilioriſtis? fortè quod dicit Sanchez noluiſſe Deum nos obligare ad operandum cum omnimodâ certitudine, ſed ſolùm cum certitudine morali? At videat qualem moralem certitudinem intelligat Sanchez, *qualis*, inquit, *in opinione probabili reperitur*. Supponit ergo in opi-

 nione

nione probabili eſſe quamdam moralem certitudinem, & illam credit ſufficere ad prudenter, & licitè operandum. Sed non ſic dicunt Probabilioriſtæ, iſti enim dicet contenti ſint de morali certitudine, eam tamen non agnoſcunt in opinione probabili, ſed in probabiliore. Quod ſi dicat P. Riccius Thomam Sanchez agnoſcere moralem certitudinem in opinione utique probabili juxta definitionem opinionis probabilis traditam à Probabiliſtis toties explicatam ab ipſo Riccio, quæ ſi talis fit, eſt ipſiſſima opinio unicè probabilis, & probabilior, imò probabiliſſima. Si ſic, inquam, dicat: in oppoſitum ſunt ſequentia verba ejuſdem Sanchez, dum ſubdit: *Namque intolerabile eſſet onus, ac multis ſcrupulis expoſitum, ſi opiniones probabiliores inveſtigare teneremur.* Ergo Sanchez non exigit ad licitè operandum inveſtigandas eſſe opiniones probabiliores, ad habendam moralem certitudinem, ut quis licitè, & prudenter operetur; quia hoc exiſtimat onus intolerabile, & multis ſcrupulis expoſitum. Ergo contentus eſt de opinione probabili, & minùs probabili, & in ea credit haberi ſufficiẽtem moralem certitudinem, quod negant Probabilioriſtæ. Ergo non favet, ſed oppugnat Probabilioriſtas.

1488. Et ſi replicet P. Riccius quod Pater Sanchez, dum ait, onus eſſe intolerabile, & multis ſcrupulis expoſitum, ſi opiniones probabiliores inveſtigare teneremur; locutus fuit de probabilioribus ſumptis pro bonis perfectioribus, ſeu dignioribus eligibilibus; non autem de probabilioribus ſumptis pro veriſimilioribus; quia ut dictum eſt toties à P. Riccio, id ſolùm quod eſt veriſimilius eſt unicè probabile intellectui, & quod eſt probabile intellectui idem eſt, quod veriſimilius, & probabilius, licet dici poſſit minùs probabile voluntati, ſeu minùs electione dignum; & hoc neceſſariò inveſtigandum eſt, ut habeatur moralis certitudo, ſicut dicunt Probabilioriſtæ: & de hoc probabili contentus eſt Sanchez, ſicut & contenti ſunt Probabilioriſtæ: Cæterùm probabiliora, ideſt eligibilia digniora neceſſariò ſequi, onus intolerabile eſſet: & hoc dicit Sanchez, quod negare non poſſunt Probabilioriſtæ, ſed ſolùm negant Novatores. Si, inquam, ita replicet P. Riccius, in contrarium ſunt eadem verba Sanchez, ſi benè conſiderentur, nam ait: Intolerabile eſſe onus, ſi opiniones probabiliores inveſtigare teneremur. Non dixit, ſi ſequi, ſed ſi inveſtigare teneremur. Conſtat autem quod probabiliora ſumpta pro bonis electione dignioribus, ſeu pro perfectioribus eligibilibus, nullum onus eſt inveſtigare, benè tamen onus eſt ſequi. Inveſtigare autem uniſquiſque abſque ulla prorſus difficultate poteſt, quilibet enim vel etiam Plebeius diſcernit quod eſt favorabilius legi; at ſequi omnibus videtur onus intolerabile. Econtra verò onus grave eſt inveſtigare quod eſt veriſimilius, quia indiget multa diſcuſſione, nec poteſt quiſquam facilè reſolvere. Cum ergo Sanchez dicat onus eſſe intolerabile, ſi opiniones probabiliores inveſtigare teneremur ad habendam moralem certitudinem pro licita operatione, intellexit onus eſſe intolerabile inveſtigare veriſimiliores; ac proinde voluit non teneri nos ad veriſimiliores opiniones perquirendas, ut eas ſectemur, ſed ſatis eſſe ſi habeamus veriſimiles, & minùs veriſimiles, quod negant Probabilioriſtæ. In quo ergo favet Sanchez Probabilioriſtis? quo pacto igitur, ad hæc verba Sanchez ſubiungit P. Riccius; *Ita pariter Probabilioriſtæ omnes?* Nec refert additum illud, quod de ſuo ponit P. Riccius, videlicet: *Modo opinioni benignæ, quam ſequeris, competat definitio opinionis probabilis, & rationi, in quâ fundatur, competat definitio rationis gravis tradita à Probabiliſtis*, juxtà ipſius commentum: quia totum hoc de cerebro ſuo eſt, non de mente Probabiliſtarum, imò ipſis repugnans, ut toties vidimus. Certum eſt, fateor, quod ſi tot adminicula ad probabilem opinionem exigerent Probabiliſtæ, nulla foret opinio probabilis, quæ non eſſet Probabiliſſima, & ſola ſemper foret, atque unicè probabilis in omni materia; quod eſſet deſtruere concurſum opinionum probabilium, quem tamen communiſſimè admittunt omnes; ſed jam ſibimet contradicerent. At ipſi ea adminicula minimè requirunt, ſed finguntur à Riccio ad componendam quoquo modo concordiam, quæ in ſe nulla eſt inter ſuos, & Probabilioriſtas.

1489. *Quarto* (reſumit iterùm P. Riccius ex ipſo Sanchez) *cum omnimoda de rebus certitudo haberi nequeat, ad eam Deus minimè nos obligavit, ſed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur*: ergo interim Probabilioriſtæ nō ſolũ ad licitè operandum non exigunt omnimodam certitudinem de rebus, ſed contenti ſunt infimo gradu moralis certitudinis, qui juxta Joannem de Cardenas, tunc habetur, quando non poſſumus prudenter dubitare de oppoſito, ſeu de falſitate. Novatores autem ad licitè operandum exigunt omnimodam certitudinem, ut patet ex *propoſ.* 2. & 3. ab Alexandro VIII. damnatis. Ergo hos impugnant Probabiliſtæ. Sed pondera tu nunc lector diſcurſum hunc, & vide ſi quid probet ad propoſitum. Fateor Deum minimè nos obligare ad omnimodam certitudinem, quæ procul dubio non poteſt ſemper de rebus haberi. Fateor Probabilioriſtas, & omnes Doctores Catholicos contentari de morali certitudine; licet verum non ſit, quod ipſe ait de P. Cardenas, quod infimum gradum eius conſtituat in hoc, quod non poſſit prudenter dubitari de oppoſito, præcipuè ſiſtendo in probabilitate directa. Fateor quoque Novatores, ſi eo nomine intelligantur defenſores propoſitionis 2. & 3. quas Alexander VIII. damnavit, exigere omnimodam certitudinem. Fateor denique Probabiliſtas contra iſtos pugnare.

re. Sed quid inde? Numquid ideò ſequitur non etiam pugnare contra Probabilioriſtas? Certè contra iſtos pugnant, dum moralem hanc certitudinem in quacumque opinione etiam minùs probabili reperiri affirmant, quod tamen Probabilioriſtæ negant loquendo de opinione benignâ, ſeu de licito, & contendunt ſolùm haberi in probabiliore. Nec verum eſt id, quod poſtea ſubdit: *Cæterùm qui eſt moraliter certus, quod ratio in qua fundatur opinio benigna, ſit gravis; eſt moraliter certus, quod argumenta contraria ſint ſoluta, ut non poſſit prudenter dubitari de oppoſito*. Quia nemo Probabiliſtarum re verê tantam efficaciam tribuit rationi gravi, in qua opinio probabilis fundatur, neque id exigunt ad veram probabilitatem requiri; ſed totum hoc purum commentum Riccii eſt, ut toties diximus. Fateor tamen quod qui ad hoc perveniret, id eſt ad non poſſe prudenter dubitare de oppoſito, haberet utique moralem certitudinem, ſicut exigunt Probabilioriſtæ, imò maiorem, nam nec tantam exigunt ipſi Probabilioriſtæ. Ex his ergo conſtat quàm malè ex hoc ſuo diſcurſu tandem infert: *Ergo citare Thomam Sanchez, & alios Doctores ab ipſo citatos, ut Probabilioriſtas accuſet; eſt nolle percipere ſtatum quæſtionis; & aerem verberare*. Quaſi ſatis ex dictis non ſit, quod Sanchez oſtenderit Thomam Sanchez favere Probabilioriſtis, & non contra eos pugnare, ſi ſtatus quæſtionis percipiatur: cum tamen ipſe potiùs ſtatum quæſtionis deſtruat, & illam reddat de ſubiecto non ſupponente, imò impoſſibili. Quæſtio enim eſt, num licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore? Et Sanchez cum citatis à ſe, reſolvunt affirmativè, ſupponendo utique dari opinionem minùs tutam minùſque probabilem, & oppoſitam tutiorem, & probabiliorem. Et Pater Riccius exponit quæſtionem, & reſolutionem Thomæ Sanchez, & Doctorum, quos citat, de opinione minùs tutâ minuſque probabili, quæ eſt ipſiſſima prabibilior, & utrè probabilis imò probabiliſſima. Quis ergo aerem verberat? lector tu iudica.

1490 Sed progrediamur ulteriùs: Reflectit iterùm P. Riccius ſuper verbis illis Thomæ Sanchez: *Intolerabile onus, ac multis ſcrupulis expoſitum eſſet, ſi opiniones probabiliores inveſtigare teneremur*. Et dicit quod in his verbis Sanchez, & Doctores ab ipſo citati Novatores, non Probabilioriſtas accuſant. Sed non video quâ bonâ conſequentiâ hoc dicat. Numquid Novatores ſunt, qui docent ſequendas eſſe opiniones probabiliores, & non Probabilioriſtæ? quis hoc dicat? Novatores neque Probabiliſſimam admittunt; ut conſtat *ex prop.* 3. damnata ab Alexandro VIII. ſed exigunt omnimodam certitudinem in ſe, nam negant excuſare quamlibet ignorantiam etiam invincibilem. Quomodo ergo Sanchez loquendo contra opiniones probabiliores, Novatores impugnat, & non Probabilioriſtas, qui ſtant pro probabilioribus? Et quod peius eſt, prætendit P. Riccius hoc probare ex aliis verbis eiuſdem Sanchez immediatè ſequentibus, quatenus ait: *Tandem quia oppoſitæ rationes non obſtant, cum eæ in vero dubio procedant, in quo tutius, & certum, eſt neceſſariò ſequendum, ad vitandum peccandi periculum, ſecùs in opinionibus*. Sed hæc verba non probant quod Sanchez Novatores impugnet, & non Probabilioriſtas; nam re vera contra Probabilioriſtas ſunt; nam illi dicunt quod per hoc, quod quis ſequitur opinionem minùs tutam minùſque ſibi probabilem, relictâ tutiore, & ſibi veriſimiliore, conſtitui debet in dubio, ac proptereà tenetur eligere oppoſitam ſtantem pro lege ſibi veriſimiliorem: Sanchez autem contra hoc dicit, quod ratio hæc dubietatis militat in vero dubio, non autem in opinionibus; hoc eſt in dubio ſuſpenſivo, non opinativo; nam dubium verè, & rigoroſè ſumptum maximè iuxta doctrinam Probabiliſtarum; importat purum ſuſpenſionem judicii ſine ullo aſſenſu: In opinionibus autem habetur iudicium, & aſſenſus in unam determinatam partem, ut alibi vidimus ex P. Cardenas, & aliis Probabiliſtis. Ergò Sanchez cum citatis ſuis in hoc contra Probabilioriſtas loquitur.

1491 Nec aliquid probat P. Riccius per id, quod ſubdit ibidem dicens: *Numquam Probabilioriſtæ docuerunt ex opinionibus ſequendam eſſe ſemper tutiorem, & omnino certam, quæ ſcilicet ſtat pro lege, & illicito; quia illam ſequendo certum omnino, & infallibile eſt, ac nullo pacto poſſe peccare. Novatores hoc docent: negant Probabilioriſtæ. Ergo Novatores impugnant Sanchez, & doctores ab ipſo citati, non Probabilioriſtas*.

1492 Non, inquam, hoc argumento aliquid probat P. Riccius, quia nimis æquivocè procedit in propoſitionibus ſuis; aſſumit enim propoſitionem negatam à Probabilioriſtis pro ea, quam impugnat Sanchez; cum tamen hæc ſit longè diverſa ab illa, & doceatur à Probabilioriſtis, imò acerrimè defenſetur. Et ratio huius æquivocationis eſt, quia inter iſtam, & illam reperitur quædam vocum ſimilitudo. Atq; ideò P. Riccius, occaſione acceptâ ex hac ſimilitudine, fingit impugnari à Sanchez unam pro alterâ; videlicet illam, quam Probabilioriſtæ negant, & affirmant Novatores; cum tamen re verâ Sanchez impugnet alteram, quæ defenditur à Probabilioriſtis, & non eſt propria Novatorum.

1493 Ad cuius evidentiam ſciendum eſt, duas illas propoſitiones eſſe longè inter ſe diverſas; videlicet: numquam Probabilioriſtæ docuerunt ex opinionibus ſequendam eſſe ſemper tutiorem, & omninò certam, quæ ſcilicet ſtat pro lege, & illicito. Et hanc alteram: numquam Probabilioriſtæ docuerunt ex opinionibus, quarum una eſt minùs tuta, utpotè ſtans pro licito, & libertate, & ſimul minùs pro-

Digitized by Google

probabilis; altera verò tutior, & probabilior, ac propterea omninò certa utpote ſtans pro lege, ſequendam eſſe ſemper tutiorem, & omninò certam, quæ ſcilicet ſtat pro lege, & illicito. Prima enim veriſſima eſt; ſecunda verò falſa; nam Probabilioriſtæ ſemper docuèrunt, & docent, quod ex duabus opinionibus, unâ ſtante pro licito, & minùs probabili, & alterâ ſtante pro illicito, & probabiliori, ſemper ſequenda eſt tutior, & omninò certa, quæ ſcilicet ſtat pro lege, & illicito: non quod velint ad licitè operandum requiri omnimodam certitudinem, nam ipſi contenti ſunt certitudine morali; ſed quia ſuſtinent in opinione minùs probabili benignâ non haberi moralem certitudinem, benè tamen in probabiliore; ac per conſequens quando opinio benigna eſt minùs probabilis, ex vi huius agens non licitè operatur, quia non habet moralem certitudinem ſibi neceſſariam, ſed conſtitui debet in dubio, atque ideò oportet quod eligat oppoſitam tutiorem, ſtantem pro lege, & illicito, quæ utique eſt omninò certa; ſed non quà omninò certam dicunt teneri illam ſequi per ſe loquendo, nam ſi eſſet ſolùm certa moraliter, adhùc ſufficeret ad licitè operandum; ſed quia per accidens cum illa probabiliore coniungitur omnimoda certitudo licitæ operationis. Cæterùm ſi econtrà probabilior eſſet illa, quæ ſtat pro licito, & libertate; tunc dicunt licitum eſſe illam ſequi, quia ibi haberetur certitudo moralis, nec requiritur omnimoda certitudo. Sanchez autem cum citatis ſuis contrarium docent, quia dicunt licitum eſſe ſequi ſententiã benignam, etiam minùs probabilem relictâ tutiore, & probabiliore; quia credunt in minùs probabili haberi certitudinem moralem, & non eſſe in eâ verum dubium, ſicut credunt Probabilioriſtæ, ac proindè non opus eſſe recurrere ad tutiorem, & certam ſtantem pro lege, & illicito, quia non ſumus in caſu veri dubii, in quo communiter omnes dicunt eligendum eſſet certum. Ergo Sanchez Probabilioriſtas impugnat, non Novatores. Doctrina autem Novatorum alia eſt, exigunt enim ſemper omnimodam certitudinem, & numquã contenti ſunt certitudine morali, undè nullam opinionem benignam ſeu de licito, & pro libertate, etiam ſi ſit probabilior, imò & probabiliſſima, admittunt eſſe licitum ſequi; ut conſtat ex opinione tertia damnatâ ab Alexandro VIII. contra quam hic Sanchez nihil dicit: ſed totus eſt in probando licitum eſſe ſequi minùs tutam, minùſque probabilem: relictâ tutiore, & probabiliore, quod negant Probabilioriſtæ; quia ſemper docuerunt, & docent ex opinionibus, quarum una eſt minùs tuta, minuſque probabilis, & altera tutior, & probabilior, sẽper eſſe ſequendam tutiorem, & probabiliorẽ, quæ ſcilicet ſtat pro lege, & illicito, quæ tunc coincidit cum omninò certa; ipſi verò non omnimodam certitudinem per ſe exigunt ad licitè operandum, ſed contenti ſunt certitudine morali, quæ ſemper inquiunt, habetur in probabiliore, non autem in minùs probabili, ut credunt Probabiliſtæ. Atque ideò malè aſſumit P. Riccius in ſuo argumento illam propoſitionem: *Numquam docuerunt Probabilioriſtæ ex opinionibus ſequendam eſſe ſemper tutiorem, & certam omninò, quæ ſcilicet ſtat pro lege & illicito*; fingẽdo hanc impugnari à Sanchez, & Doctoribus à ſe citatis. Quia Sanchez, & citati a ſe Doctores non talem doctrinam impugnant; ſed aliam, quæ habet quamdam vocum ſimilitudinem, ſed eſt longè diverſa, & eſt Probabilioriſtarum, videlicet: ex opinionibus quarum una eſt minùs tuta, minùſque probabilis, altera verò tutior, & probabilior; ſequenda ſemper eſt tutior, & omninò certa, quæ ſcilicet ſtat pro lege, & illicito. Contra quam dicit Sanchez cum citatis ſuis, poſſe licitè ſequi minùs tutam minùſque probabilem; quia oppoſitæ rationes ſolum probant in vero dubio, non verò in opinionibus. Et propterea ſubſumendo: *hoc Novatores docent. Negant Probabilioriſtæ.* Malè arguit; & malè infert: *ergo Novatores impugnant Sanchez, & Doctores ab ipſo citati, non Probabilioriſtas.*

1494 Ad doctrinam autem, quam P. Riccius affert de probabili, & approbabili; ex quà vult ſuadere a multis æquivocari, & errari circa intelligentiam illius communis dicti Probabiliſtarum, quod ſcilicet: licitum ſit ſequi minùs tutum minùſque probabile, relicto tutiore, & probabiliore. Atque ideò ex hoc errore credere quod Probabiliſtæ opponantur Probabilioriſtis; quia iſti dicunt ſequenda eſſe probabiliora; illi verò dicunt poſſe ſequi minùs probabilia. Ubi P. Riccius prætendit hac ſua doctrina diſtinctionis inter probabile, & approbabile eos facilè concordare; quia inquit probabile, & approbabile quandoque voce cõfunduntur, re vera tamen multùm inter ſe differunt, quia probabile poteſt ſumi per ordinem ad intellectum, & per ordinem ad voluntatem; primo modo, ait, idem eſt quod veriſimile, quatenùs intellectus ex vi diſcurſus per rationes intrinſecas indicat aliquid eſſe veriſimile, magis, vel minùs iuxta efficaciam rationum. Secundo modo, ait idem eſt quod bonum & eligibile, magis vel minùs, iuxta certitudinem moralem, vel omnimodam, & methaphiſicam; quia, inquit, quod eſt moraliter certum licere, eſt ſatis bonum eligibile à voluntate, & ſine culpa, cum certitudo moralis ſufficiens ſit ad licitè operandum; ſed dicitur minùs dignum electione, ſeu minùs dignè eligibile, quàm id quod eſt certum licere certitudine infallibili, & methaphiſica, ac propterea poteſt dici minùs probabile, ideſt minùs approbabile, ſeu eligibile à voluntate, quantumvis ſit probabilius, ideſt veriſimilius intellectui. Undè vult P. Riccius, quod Sanchez, & cæteri ſui Doctores Probabiliſtæ citati, quando dicunt licitum eſſe ſequi

minùs

minùs tutum, minùſque probabile, intelligunt de veriſimiliore, & probabiliore intellectui cum Probabilioriſtis, quod tamen appellant minùs tutum, minùſque probabile, ideſt minùs eligibile à voluntate, quatenùs ut vera minùs eſt moraliter certum tutum, quod etiam fatentur Probabilioriſtæ; ſed quia non eſt certum ſecundùm omnimodam, & infallibilem certitudinem; ſicut eſt pars oppoſita tutior ſtans pro lege, & illicito, dicitur minùs probabile, ideſt minùs dignè eligibile, quod negare non poſſunt Probabilioriſtæ. Et ſic, inquit Riccius, Sanchez & ſui Doctores citati non impugnant, nec contradicunt Probabilioriſtis, ſed eis favent. Sed multi hoc non advertentes, æquivocantes ly minùs probabile ſumptum à Probabiliſtis pro minùs dignè eligibili, quod idem eſt quod veriſimilius, & probabilius juxta eorum doctrinam, (ut ipſe fingit) cum minùs veriſimili; decipiuntur, & credunt illos opponi, cum tamen non opponantur.

1495 Ad hanc, inquam, doctrinam dicò omninò commentitiam eſſe, & fictam quaſi ex mente ipſius Sanchez, & ſuorum Doctorum, quia iſti loquuntur expreſsè de minùs probabili ſumpto pro minùs veriſimili reſpectu intellectus, ut conſtat ex eodem Sanchez *loco citato num. præced.* 12. *&* 13. *nam num.* 12. dicit, & præmittit pro intelligentia ſtatus quæſtionis, quod idem intellectus poteſt utramque partem contradictionis habere ut probabilem, & unam ut alterà probabiliorem non ſolùm per principia extrinſeca, id eſt ob authoritatem Doctorum, ſed etiam per principia intrinſeca, & rationes utriuſque partis, *&* *num.* 13. ſequenti, dicit quod his præmiſſis quæritur an licitum ſit ſequi opinionem, quam quis indicat minùs probabilem? ergo quærit de minùs probabili reſpectu intellectus, & non reſpectu voluntatis. Ergo cum poſtea *num.* 14. ſuperiùs allegato à P. Riccio, reſolvit licitum eſſe ſequi minùs probabile, loquitur de minùs probabili reſpectu intellectus, quod idem eſt, ac minùs veriſimile; alioquin non reſponderet cathegoricè quæſtioni propoſitæ, pro quà præmiſerat, eidem intellectui poſſe utramque partem eſſe probabilem, ſeu veriſimilem, & unam magis, vel minùs veriſimilem pro efficacia ſuarum rationum. Ad hoc enim hoc præmiſerat, ut quæſtio de magis vel minùs veriſimili locum haberet poſſit reſpectu eiuſdem agentis, qui ſuo intellectu ambas partes tenet, ut probabiles, & veriſimiles, unam tamen magis, vel minùs, quàm aliam. Et huic quæſtioni reſpondet, cum reſolvit, licitum eſſe ſequi minùs probabilem, nempè quæſtioni, quà quæritur: num quis habens in intellectu ſuo utramque partem, ut probabilem, ideſt ut veriſimilem, poſſit ſequi minùs tutam, minùſque probabilem ſuo intellectui, relictâ tutiore, & probabiliore. Ergo non intelligit de minùs probabili ſumpto pro bono, & minùs eligibili à voluntate; ſed de minùs probabili ſumpto pro minùs veriſimili; & de hoc intendit dicere, quod hoc ipſo quod eſt veriſimile, eſt etiam licitè eligibile, quia intendit, quod quidquid eſt probabile, & veriſimile intellectui, eſt prudenter eligibile, & licitum ex conſequenti voluntati. Ergo non nos æquivocamus in intelligentia doctrinæ Sanchez, & Probabiliſtarum; ſed P. Riccius potiùs æquivocationem inducit, ut Probabiliſtas violenter trahat ad ſenſum Probabilioriſtarum. Videatur Sanchez, & attentè conſideretur in fonte, & apparebit quàm aliena ſit ab eius mente interpretatio P. Riccii.

1496 Atque hinc patet, vanas eſſe explicationes illas, quas affert P. Riccius de quibuſdam dictis Probabiliſtarum, puta cum dicunt: *quod eſt intrinſecè minùs probabile, eſt nunc extrinſecè probabilius*. Et ſimiliter cum dicunt: *opinionem negantem eſſe licitum ſequi minùs probabilem, eſſe in confinio improbabilitatis, imò improbabilem*: dum ea explicat dicta de minùs probabili ſumpto pro minùs dignè eligibili; non autem de minùs veriſimili. Nam re vera Probabiliſtæ ſemper de minùs probabili pro minùs veriſimili, hæc dicunt.

1497 Et ſimiliter malè P. Riccius concordat verba illa Sanchez cum Probabilioriſtis, videlicet, cùm Sanchez dicit: *Nec ſequens minùs probabilem agit contra conſcientiam, ſed is ſolùm, qui agit cum conſcientiâ omninò dubiâ, aut certò dictante aliquid eſſe peccatum*. Ad quæ verba ſubdit Riccius: ſed neque hoc negant Probabilioriſtæ. Nam vel ly probabile, inquit, ſignificat approbabile, ſeu dignum approbatione, & ſic ultrò concedunt, non agere contra conſcientiam, qui ſequitur minùs probabile, ut is qui ſequitur certum moraliter, non certum metaphiſicè. Vel ly probabile idem valet, quod veriſimile: & tunc, inquit, petunt Probabiliſtæ, num ly minùs ſit additum diſtrahens à probabilitate, ſeu veriſimilitudine; & ſic jam non eſt probabile, et qui ſecundum illud agit, falſum eſt, quod non agit contra conſcientiam, etiam ſecundum omnes Probabiliſtas. Si verò ly minùs non ſit additum diſtrahens; ergo opinioni illi competit definitio opinionis probabilis, eiuſque rationi competit definitio rationis gravis; quo poſito, inquit, habet potiùs, ut dicatur probabiliſſima, quàm minùs probabilis; & ſic ultrò concedunt Probabilioriſtæ quocumque nomine ea vocetur, non agere contra conſcientiam, qui iuxta illam operatur. Malè, inquam, ſic concordat: nam ibi, ut patet ex dictis ly probabile idem valet quod veriſimile, & ly minùs non eſt additum diſtrahens à veriſimilitudine, ſed diminuens gradualitatem eius. Unde competit ei definitio opinionis probabilis, & eius rationi definitio rationis gravis; ſed falſum eſt quod indè habeatur, ut potiùs dicenda ſit probabiliſſima, quia ratio gravis non eſt ex doctrina Probabiliſtarum talis, qualem ex ſuo cerebro confinxit P. Riccius, ut toties dictum eſt;

 ſed

ſederit re verà in ſe minùs probabilis, de quâ non concedunt Probabilioriſtæ, quod non agat contra conſcientiam, qui juxta illam operatur, quia conſcientia minùs probabilis per ſe non habet moralem certitudinem, ſed potiùs cum dubia cõputanda eſt, quia quod eſt minùs veriſimile, potiùs ad falſum accedit, quàm ad verum. Et ſic malè P. Riccius verba illa Sanchez hoc ſuo artificio concordat cum Probabilioriſtis. Et idem dico de reliquis verbis ejuſdem Sanchez ſupra relatis à P. Riccio, quæ eodem artificio, eademque doctrinâ de definitione opinionis probabilis, & rationis gravis, reducit violenter ad ſenſum Probabilioriſtarum.

1498 Ad id quod dicit de P. Moya, quod proteſtatur ſe in *ſelectis* alloquens ad lectorem, eas opiniones electurum, quas veritati conformiores judicaverit, dico parum urgere ad propoſitũ, ubi factis potiùs opus eſt, quam verbis. Certum autem eſt, quod qui in praxi ita procedunt, cum Probabilioriſtis ſunt. Liquet ergo ex hucuſque dictis malè arguere P. Riccium, Probabiliſtas Recentiores non contradicere, ſed favere potiùs Probabilioriſtis, ſicut favet Sanchez cum citatis ſuis; quia, inquit, hodierni Probabiliſtæ ad Sanchez recurrunt, & Doctores ab ipſo citatos tamquàm ad ſuæ ſententiæ Patronos. Malè, inquam; quia & Sanchez, & Doctores à ſe citatos, contra Probabilioriſtas eſſe ſatis oſtenſum eſt. Et falſum eſt quod probabile, & minùs probabile apud Sanchez, & reliquos Probabiliſtas, idem ſit quod probabilius, & veriſimilius apud Probabilioriſtas; & quod dicatur minùs probabile, id eſt minùs digne eligibile, quatenùs eſt eligibile ut veriſimilius, id eſt ut certum ſolùm moraliter, per contrapoſitionem ad certum metaphiſice, quod eſt magis digne eligibile. Nam totum hoc oſtendimus, jam non eſſe ad mentem Sanchez, & ſuorum, ſed commentum Patris Riccii. Ac proindè fruſtra id totum pluries repetit, & in eo fundat concordiam ſuam, quia diruto fundamento omnia corruunt in eo ſuperædificata.

1499 Undè fruſtrà indè concludit dicens: tenemur igitur ex Sanchez operari cum morali certitudine de rebus, quod ſint licitæ. Quoties autem, ſubiungit; pro lege, & illicito ſtant rationes æquales, aut ferè æquales, & multò magis ſi graviores; tunc aſſenſus de licito, aut nullus eſſe poteſt, aut valdè exiguus, & imperceptibilis; exigua autem probabilitas de licito non facit licitum, ut patet ex propoſitione tertia damnata ab Innocentio XI. *Generatim, &c.* Ergo dum pro lege, & illicito ſtant rationes æquales, aut majores, non habetur pro licitò, niſi exigua probabilitas, in quâ non eſt moralis certitudo. Fruſtra, inquam, inde ſic concludit. Nam Sanchez in opinione etiam minùs probabili moralem certitudinem agnoſcit; & expreſſè negat, quod ubi pro lege, & illicito ſunt rationes æquales, aut graviores; tunc aſſenſus de licito ſit valdè exiguus, & imperceptibilis, aut nullus, ut videri poteſt apud ipſum dicto loco *cit. num.* 12. *præced.* ubi expreſſè admittit in eodem intellectu poſſe eſſe vere probabilem utramque partem contradictionis, & unam minùs probabilem alterâ. Ex quo poſtea *num.* 14. reſolvit licitum eſſe ſequi minùs tutam minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore. Non ergo intendit aſſenſum de licito tunc eſſe aut nullum, aut valdè exiguum, & imperceptibilem, & non facere licitum. Sed certum moraliter; imò expreſſè ait quod dum ſumus in opinionibus, non ſumus in vero dubio, in quo oportet ad certum recurrere, quod ſtat pro lege; quia putat ſatis eſſe, quod opinio ſit probabilis: quod implicitè eſt recurrere ad principia reflexa probabilitatis, quatenus probabile quà probabile moralem certitudinem inducit.

1500 Atque hinc etiam patet, quod fruſtra ſubiungit P. Riccius dicens: quod ſi recurras ad principia reflexa, jam recurris ad principia, quæ de Recentiorum Probabiliſtarum ſententiâ, ſunt quidem acutè excogitata, ſed non convincunt, quia probant nimis, adeòque nihil; quia probant faciliimè eludi poſſe hujus tertiæ propoſitionis prohibitionem; *Generatim, &c.* nam probabilitas directa, quantumvis tenuis vi, & virtute principiorum reflexorum dici poſſet probabilitas maxima & evidentia reflexa. Fruſtra, inquam, id ſubiungit; quia ut vidimus ſupra Probabiliſtæ re vera admittunt principia reflexa; & negant ea nimis probare, adeòque nihil. Neque indè admittunt eludi poſſe cenſuram Innocentii XI. circa illam tertiã propoſitionem; quia inquiunt eam ſolum fundari in vera probabilitate, non in probabilitate dubia; probabilitas autem tenuis, & exigua, eſt probabilitas dubia, ut exponit Joannes de Cardenas; qui tamen & principia reflexa admittit, & minùs probabilem licitè ſequi poſſe, & fieri reflexè omninò certam, & evidentem expreſſiſsimè docet, ut vidimus in ſuperioribus; nec indè dicit eludi cenſuram Innocentii. Ergo fruſtra P. Riccius id ſubiungit, quaſi ex communi Probabiliſtarum ſententiâ.

1501 Denique librum ſuum claudit cum commendatione doctrinæ SS. Patrum ex ſuo Joanne de Cardenas ad oſtendendum, quanti faciant eorum doctrinam Recentiores Probabiliſtæ, *ut unde* (inquit) *egreſſa fuit, eòdem revertatur ejus oratio*. Sed hæc nuda verba ſunt, quæ nihil probant. Si Cardenas, & alii doctrinam SS. Patrum ore commendant, eos ingenuè ſequantur, & nos pariter laudabimus eos. Si ſecùs faciant, ſciant parum eſſe ſolis labiis eos honorare; oportet enim operibus magis, quàm verbis credere.

1502 Monet ulteriùs hîc in fine P. Riccius, multùm facere, ne facile credamus Doctores

ctores Catholicos inter ſe diſcordare, ſi benè diſtinguamus probabilitatem practicam a morè ſpeculativa: nam multa, inquit, quæ Doctores docent in re etiam morum; ut merè ſpeculativè, non autem ut practicè probabilia ea tradunt. Sed non obſtante hac eius diſtinctione, jam vidimus eos diſcordare; nam oſtendimus eos multa ut practicè probabilia explicitè docere, & fateri inſuper eſſe ſibi ut minùs probabilia, & nihilominùs aſſerere licitum eſſe ea ſequi; quod tamen negant Probabilioriſtæ. Imò regulariter quaſi omnes opiniones ſibi oppoſitas ut practicè probabiles quoque probant, & paucas reiiciunt ut improbabiles practicè, ut videre eſt paſſim apud ipſos. Ex quo nimis clarè conſtat non ſentire cum Probabilioriſtis.

1503 Quod autem denique dicat, quod qui diſcordias amant, ac lites, videntur eis omnia diſcordare. Et qui laxitatem amant, aut inſanum rigorem, omnia ad rigorem trahunt, vel contrà ad laxitatem: licet verum, fruſtrà tamen id dicit ad propoſitum. Ubi enim evidens, & manifeſta diſcordia eſt; non eſt cur aliis de eâ loquentibus, quaſi malè affectis, tribuatur. Sciat ergo Riccius, quod nos nec diſcordias, nec lites diligimus; ſed veritatem, quam vel ipſimet Doctores inter ſe diſſidentes palam fatentur, & ſolus ipſe negat. Certè celebris facta eſt inter Recentiores quæſtio hæc, num licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore: & Doctores hinc indè videntur manifeſtè altercari; & nemo uſque adhùc Probabiliſtarum, vel Probabilioriſtarū dixit unam, eamdemque omninò eſſe unam, & alteram ipſorum doctrinam. Numquid omnes ignorarunt proprias voces? Aut omnibus voces, ac verba defecerunt apta ad id indicandum? Si in unâ doctrinâ conveniunt, cur non tulerunt vocum æquivocationes, ut nititur tollere P. Riccius? Numquid hoc Arcanum fuit ſoli Patri Riccio divinitùs reſervatum? Quis hoc credat? Veriſſima ergo eſt inter eos controverſia, & diſcordia ſumma; quam opus eſt potiùs veritate doctrinæ evincere; non tegere; tecta enim efficiet, ut virus eius latiſſimè ſerpat in perniciem animarum, & irrefragabiliter. Nec proindè nos, qui ad hoc unicè laboramus, ut jura practicæ probabilitatis à Recētioribus defēſa funditùs evertamus, rigorem diligimus inſanum; ſed rationabilem, ſed verum, qualem ratio expoſcit, & doctrina ſana ſuadet; quam & Sancti Patres, ac Doctores Eccleſiæ tradiderunt; quorum nos Diſcipulos fideliſſimos profitemur, & ſi ſermonem eorum ſervaverimus, ſatis ſermonem Domini ſervabimus, quibus id dictum credimus: *Si ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt Joan.* 15. quandoquidem non ex nobis loquimur contra illos doctrinas noſtras, ſed ex illis Diſcipulos agentes, non Magiſtros, quæ ex eis ſuſcepimus, propagamus; atque indè & ipſorum, & Domini ſermonem ſervare intendimus, juxta quod ex ſcriptura hìc finaliter allegat P. Riccius, & non aliter; *nam non eſt Diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum. Matthæi* 10.

CAPUT ULTIMUM.

In quo examinantur tria dicta præcipua P. Riccii, & reprobantur.

1504 TRia ſunt, quæ præcipuè Author iſte ait in opere ſuo, ut in principio retulimus. Primum, quod Probabiliſtæ Recentiores, & Probabilioriſtæ inter ſe omninò conveniant, & ſolo verbo diſcrepent, quod fuit principale eius aſſumptum demonſtrandum; idque per duas diſſertationes in quatuordecim capita diviſas fusè in opere ſuo per totum diſcuſſit; ſuadendo unam omninò eamdemque eſſe eorum omnium ſententiam de ſequendâ probabiliore, nec licitum eſſe ſequi minùs tutam, minuſque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore; adeòque ſummè concordes eſſe Recentiores Probabiliſtas, & Doctores omnes Catholicos cum Probabilioriſtis. Id quod nos latè uſque modò impugnavimus.

1505 Secundum eſt, huiuſmodi eorum concordem doctrinam eſſe tutam regulam honeſtatis in agendo in materiâ opinativâ. Et tertium denique, eam eſſe doctrinam unicè Catholicam, & mediam inter duos extremos errores ab eccleſiâ damnatos; ita ut qui voluerit aliquantulum *rigoroſiùs ſentire* de regulâ honeſtatis in materiâ opinativà, nequeat eſſe doctor catholicus, ſed neceſſariò incidat in rigorem ab Eccleſia damnatum, & Janſenizet; quemadmodùm & qui laxiùs vellent Regulā hanc extendere ad quamlibet probabilitatem. Utrumque enim extremum, & laxitatem, & rigorem (inquit) damnavit Eccleſia: laxitatem quidem proſcripſit Innocentius XI. in ſecunda illa propoſitione: *Generatim, &c.* Rigorem vero Alexander VIII. in ſecunda, & tertia quarum prima incipit: *tametſi detur ignorantia invincibilis, &c.* & altera incipit: *non licet ſequi opinionem vel inter, &c.*

1506 Cum igitur nos ſupra ſatis principale illud eius aſſumptum de concordiâ Recentiorum Probabiliſtarum cum Probabilioriſtis everterimus: nunc oportet quod & alia duo eius dicta ad eiuſmodi præſumptam concordiam conſequentia pariformiter reiiciamus, ſicut in principio promiſimus. quare datâ modò gratis, ac liberaliter Patri Riccio pro deſiderio ſuo prætensâ illâ concordiâ de licito uſu opinionis practicè probabilis, non quidem cuiuſcumque, ſed quæ ſit probabilior ſuâ oppoſitâ ſtante pro lege, ut affirmant Probabilioriſtæ, ſupereſt adhùc inquirendum hìc, nùm

hæc

hæc ſit tuta regula proxima honeſtatis? Quod idem eſt ac quærere, num licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam, ſed probabiliorem, relicta tutiore, ſed tamen minùs probabili? Et an doctrina Probabilioriſtarum aſſirmantis id eſſe licitum, & quam P. Riccius contendit communem quoque eſſe Recentioribus Probabiliſtis, ſit verè, & ubicè media inter' eſtremos errores ab Eccleſiâ damnatos; ita ut qui aliquid rigoroſiùs ſentiat, incidat in rigorem extremum, & inſanum, jam damnatum, & Janſenizet? Sunt enim duo hæc neceſſariò hic diſtinctè reſolvenda; ut clariùs conſtet veritas, & doctrina Eccleſiæ Catholicæ; & nullatenùs permittatur cum Janſeniſmo confundi; & eo titulo Viros ſimplices perterritos à ſana doctrina quandoque deviare. Quæ duo quæſita per duos ſequentes paragraphos examinabimus, & reſolvemus. Unde ſit.

§. I.

Num licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam probabiliorem, relicta tutiore ſtante pro lege, minùs tamen probabili?

1507 BReviſſimè hic quæſtionem hanc reſolvam, quia fusè eam, ubi de Probabiliſmo egi, reſolutam habes lector, licet fortè non ſub his propriis terminis. Ibi enim oſtenſum fuit non excuſari operantem ex opinione etiam probabiliore de licito, ſi in ſe contingat eſſe falſam: nec peccare eam ſequendo ſi contingat eſſe veram in ſe, & non agat conſcientia trepidante. Quæ reſolutio in ſubſtantiâ deciſio etiam huius præſentis quæſiti eſt, ſub variis tamen terminis; quam hic placet repetere, ut iterùm ac variè expoſita clariùs ac firmiùs habeatur, quæ ſit doctrina noſtra, atque inde appareat ſit ne media, vel extrema; & an erronea, vel verè Catholica.

1508 Dico itaque quod ſi loquamur de ſequela formali opinionis minùs tutæ, ſed probabilioris, relicta tutiore ſeu ſtante pro lege, minùs tamen probabili; ſic abſolutè illicitum eſt illam ſequi. Si verò loquamur de ſequelà materiali; ſic quandoque contingit eſſe licitum, & quandoque illicitũ evadit. Ante quam concluſio hæc probetur, oportet prius eius terminos explicare. Quare ſciendum eſt quod duplici modo contingit, aliquem ſequi opinionem minùs tutam, id eſt ſtantem pro licito, & libertate, ſed probabiliorem, relictâ oppoſitâ tutiore, id eſt ſtante pro lege, ſed minùs probabili, ſeu minùs veriſimili. Uno modò formando ſibi aſſenſum ſeu judicium practicum; ſive conſcientiam, juxta ipſum aſſenſum ſeu judicium opinionis minùs tutæ probabilioris formaliſſimè ſumptum: & tunc cum judicium ſeu aſſenſus huiuſmodi opinionis formaliſſimè ſumptus ſit in rem tamquam ſibi viſam utique magis veriſimiliter licitam, quam illicitam, tamen non eſt in illam ſine formidine partis oppoſitæ, imò neceſſariò cum illa permixtus; quia eiuſmodi eſt eſſentialiter aſſenſus opinativus; conſequenter judicium practicum ſeu conſcientia iuxta talem aſſenſum, opinativum formata, erit etiam cum eadem formidine practicè. Ita ut qui talem rem agit, ſic ſibi practicè iudicet potiùs eſſe licitam, quam illicitam, ut tamen adhuc formidet practicè ne fortè ſit illicita, & ſic operatur cum practica formidine, & dubietate de illicito, ſeu de peccato. Alio modo autem dicitur quis ſequi huiuſmodi opinionem materialiter, formando ſcilicet ſibi iudicium practicum ſeu conſcientiam de re iam licita iudicatà per eiuſmodi opinionem, accipiendo abſolutè illam rem ut licitam, & nihil reſpiciendo in praxi de formidine iudicii opinativi, quaſi fuiſſet res illa abſolutè, & non formidoloſe, licita iudicata. Et tunc agens dicitur habere conſcientiam de licito abſolutè, & ſine formidine, & operando cum tali conſcientiâ certum eſt, quod non peccat ex parte conſcientiæ, quia non agit formaliter, & ex intentione contra legem: At ex parte legis & ex parte facti materialiter quandoque rem illicitam, & contra legem agit, quandoque verò rem re vera licitam, & non contra legem, ſecundùm quod erit in ſe factum ipſum licitum, vel prohibitum à lege. At ſi factum illud materialiter erit in ſe illicitum, & prohibitum à lege, tunc redit in naturam ſuæ formæ; non quia non agit ſecundum veritatem rei in ſe, & ſecundum certitudinem methaphiſicam ipſius rei actæ, nam hæc veritas, & certitudo non eſt neceſſaria agenti morali, ſed agenti phiſico; de quo in moralibus non eſt curandum, alioquin nulla ignorantia quantumcumque invincibilis excuſaret, quod utique damnatum eſt ab Eccleſiâ; ſed quia materiale illud erat ipſimet agenti manifeſtè prudenter, & moraliter dubitabile, & ex culpa ſuà dubitatum moraliter non fuit; ac proinde fit ei voluntarium in cauſa illud illicitum, utpotè factum non requiſità morali certitudine, quam poterat, & tenebatur ſcire ibi non eſſe ex vi ipſius opinionis minùs tutæ etiam probabilioris, utpotè quæ erat non aſſenſus abſolutus, ſed formidoloſus de parte oppoſità adhuc probabili licet minùs probabili; nam manente hac probabilitate oppoſitâ, erat ei prudens motivum moraliter dubitandi; & quod non dubitaverit moraliter, ex eius voluntate fuit, quia noluit in praxi ipſimet aſſenſui opinativo adæquatè conformari, ſed accepit voluntariè partem propriæ libertati favorabilem imprudenter, relinquendo prudentem formidinem faventem legi, quam ipſamet opinio ipſi manifeſtè proponebat, & dictabat. Atque ideò materiale illud illicitum redit in eo caſu in naturam ſuæ formæ, videlicet in practicè prudenter

denter dubitabile, & moraliter incertum, ac per conſequens cum morali periculo peccandi, in quod procul dubio voluntariè, & de facto incidit, & ideò perit. Quemadmodùm qui occidit hominem non ex intentione occidendi, ſed ex negligentia debitæ cautelæ in caſu, quo cautelam adhibere tenebatur; aut qui delictum grave proximi occultum prodit ex animi levitate, nō ex intentione denigrandi famam; incurrit homicidium materiale, & materialem detractionem; quæ tamen redeunt in naturam ſuæ formæ; non quia agens tunc ignoravit veritatem in ſe, quod ſcilicet in ſe proximum lædebat in vitâ, vel honore; ſed quia ex ipſo facto poterat, & tenebatur ſcire in actu ſuo periculum illud; atque ideò fit ei voluntarium in cauſa factum ipſum periculoſum, qua periculoſum, & conſequenter de facto perit peccato homicidii, & infamiæ, quia per ipſum ſtetit, quod non accepit prudenter, & moraliter factum illud, quale in ſe erat, & tunc morali certitudine voluntariè in cauſa ad illud proceſſit.

1509 His præmiſſis, & præſuppoſitis conſtat evidenter ratio poſitæ concluſionis. Nam qui ſequitur formali ſequelâ opinionem minùs tutam etiam probabiliorem, relictâ tutiore, licet minùs probabili, operatur cum judicio practico ſeu conſcientia dubiâ, & formaliſſimè dubia, ut patet ex dictis. At illicitum eſt agere aliquid cum conſcientiâ dubiâ de peccato, ut fatentur omnes. Ergo illicitum eſt ſequi opinionem minùs tutam etiam probabiliorem, relictâ tutiore, minùs probabili, loquendo de ſequelâ illius formali, prout explicatum eſt. Ergò doctrina Probabilioriſtarum, & Probabiliſtarum, etiam ſi una eademque omninò ſit, & concors eorum ſententia de ſequendâ probabiliore ſeu veriſimiliore de licito, non eſt vera; loquendo ſaltem de ſequela formali illius. Qui verò illam ſequitur materiali ſequelâ, ut conſtat etiam ex dictis, quandoque agit materialiter licitum, quod ſcilicet in ſe re vera licet, & non eſt contra legem; & ſic non peccat, quia neque contra conſcientiam agit, neque contra legem: ſicut ex eadem ratione nec peccat, qui ex levitate nihil conſiderando de poſſibili periculo ſagittam projicit, & neminem offendit; vel loquitur, & nemini famam detrahit. Quandoque verò agit materialiter illicitum, & quod in ſe eſt contra legem; & tunc materiale illud, cum ſit prudenter, & moraliter in ratione illiciti dubitabile, imò de facto ut prudenter dubitatum ex vi ejuſdem opinionis proponitur ipſimet agenti, ut explicatum eſt, hoc ipſo redit in naturam ſuæ formæ, & fit agenti in cauſâ voluntarium etiam ſub ratione qua illicitum eſt, & contra legem, quia voluntariè non vult præcavere ab illicito, de quo poterat, & tenebatur prudenter dubitare, ac per conſequens præcavere; & per ipſum ſtetit, quod non dubitaverit, & non evaſerit periculum, atque ideò eſt ei imputabile ad peccatum, ſicut re verâ eſt; quemadmodum imputatur ad peccatum Projicienti ſagittam homicidium materiale, de quo poterat prudenter dubitare, & non dubitavit. Ergo loquendo de ſequela materiali, qui ſequitur minùs tutam etiam probabiliorem, relicta tutiore minùs probabili; aliquando peccat, & aliquando non; ſecundùm quod materiale illud in ſe quandoque contingit eſſe licitum, & quandoque illicitum, & contra legem. Ergo vera concluſio quoad omnes ejus partes. Probabilioriſtæ verò, & Probabiliſtæ dato quod in una eademque omninò doctrinâ conveniant, admittunt ſemper, & abſolutè licitum eſſe ſequi opinionem probabiliorem ſeu veriſimiliorem, eſto ſit minùs tuta, & ſtans pro licito, & libertate, contra oppoſitam probabilem, ſed minùs probabilem, ſtantem pro lege & illicito. Et hanc doctrinam tradunt pro regula honeſtatis in materiâ opinativâ, quia ibi credunt ineſſe moralem certitudinem; ſed certè valdè decipiuntur, quia nequit haberi moralis, ſeu quod idem eſt, prudentialis certitudo de licito, ubi habetur ſufficiens motivum prudenter dubitandi de illicito, ſicut habetur in materiâ opinativâ perſiſtentibus hinc indè opinionibus verè probabilibus, etiam ſi illa de licito ſit probabilior alterâ. Quod optimè novit, & confeſſus eſt P. Riccius; & ideò excogitavit quaſi ex doctrinâ Probabiliſtarum (ſed re vera proprium & purum ejus commentum eſt ex proprio cerebro, ut vidimus) requiri ad opinionem practicè probabilem, quod ſolvat adæquatè, & deſtruat rationes contrarias, & probabilitatem oppoſitam, ita ut ipſa maneat unicè probabilis, & ſit nedum probabilior, ſed probabiliſſima, taliter quod non ſit prudenter dubitabile oppoſitum. Quod certè, ſi verum eſſet, procul dubio afferret ſecum moralem certitudinem, quam omnes Catholici fatemur ſufficere ad licitè operandum, ſicut fatemur omnes de probabiliſſima, cum oppoſita propoſitio ſit ab Alexandro VIII. damnata. At commentum illud, ut oſtendimus, neque ad mentem Probabiliſtarum, neque Probabilioriſtarum eſt. Et ideò diximus ſupra, quod P. Riccius adeò probabilitatem practicam ſtringit, ut concordet Recentiores Probabiliſtas ſuos cum Probabilioriſtis, ut ab utriſque recedat, & invitus ac nolens ad doctrinam noſtram declinet. Hoc enim eſt, quod nos docemus, nimirum ad licitè operandum requiri, & ſufficere moralem certitudinem de licito; eamque dicimus tunc ſolùm haberi, quando non poſſumus prudenter ſeu moraliter dubitare de illicito; hoc autem negamus haberi in opinione probabili vel etiā probabiliori, ſtante oppoſitâ pro lege etiam minùs probabili; benè tamen in probabiliſſima, & quæ eſt unicè probabilis, contra quam nulla alia probabilitas ſubſiſtere poteſt.

[illegible]

Nam doctrina Probabilioriſtarum, quod ſcilicet licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam ſeu ſtantem pro licito, & libertate probabiliorem, relicta tutiore ſeu ſtante pro lege, & illicito, minùs tamen probabili, ſit verè & unicè media inter extremos errores ab Eccleſiâ damnatos. [illegible]

1510 P. Riccius in ſuo fundamento Theologiæ moralis, ferè per totum, hoc inculcat, quod doctrina Probabilioriſtarum, quam eamdem eſſe contendit ac Probabiliſtarum Recentiorum, ſit unicè media inter laxitatem, & rigorem, errores extremos ab Eccleſia damnatos. Atque hinc ſuſtinet quod qui negaverit licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam probabiliorem relicta tutiore ſtante pro lege minùs tamen probabili, incidat in rigorem damnatum ab Eccleſia, & in Janſeniſmum; quia, inquit, vult ſemper eligendum eſſe id, quod ſtat pro lege, quod utique certum eſt, nedum moraliter, ſed etiam metaphiſice; ac proinde non eſt contentus morali certitudine, ſed requirit ad licitè operandum veritatem in ſe, & metaphiſicam certitudinem, & negat invincibilem ignorantiam excuſare. Quod totum damnatur ab Alexandro VIII. in duabus illis propoſitionibus 2. & 3. *in ordine*. Quare hunc talem computat cum Novatoribus ab Eccleſia proſcriptis. Et ideò ut Recentiores Probabiliſtas ſuos defendat ab uno extremo nempè laxitatis damnatæ ab Innocentio XI. in ea 3. propoſitione *Generatim &c.* conatur eos omnes revocare ad ſententiam Probabilioriſtarum: ut verò eoſdem liberet ab altero extremo, nempè rigoris uſque ad metaphiſicam certitudinem, & veritatem in ſe, dicit neceſſarium eſſe eos in probabilioritate ſiſtere cum Probabilioriſtis; alioquin ſi tantiſper quis velit ad aliquid plus ultra probabilioritatem obligare, incidet in infauſtum rigorem metaphiſicæ certitudinis cum Novatoribus; quia inter hos extremos errores ſola, & unica doctrina Probabilioriſtarum mediat. Et hanc dicit eſſe Catholicorum omnium ſententiam, nec eſſe inter Doctores Catholicos habendum, qui ab ea receſſerit. [illegible]

1511 At nos certè Catholici ſumus, & in ſanâ ac catholica doctrina vivere, & mori mediis divinæ gratiæ auxiliis volumus, & proteſtamur. Et nihilominus dicimus, & docemus doctrinam Probabilioriſtarum non eſſe unicè medium inter illos extremos errores; ſed alteram adhuc, & noſtram, quæ aliquantulum ſtrictior eſt ea Probabilioriſtarum, verè mediare inter errores illos extremos. Uno verbo, ut non fiat in re tam gravi aliqua æquivocatio, & nemini cenſuram aliquam inferamus cōtra Summorum Pontificum decreta, dicimus quod tam noſtra doctrina in ſuperiori paragrapho explicata, quàm doctrina Probabilioriſtarum, imò etiam, & illa Probabiliſtarum de licito uſu opinionis practicè probabilis, etiamſi non probabilior; dummodò non ſit tenuis probabilitatis juxta propoſitionem illam 3. damnatam ab Innocentio *Generatim &c.* omnes ſunt uſque adhuc mediæ inter errores illos extremos damnatos ab Eccleſia, & nullam earum uſque modò agnoſcimus fuiſſe ab Eccleſia proſcriptam, ſed ſolùm doctrinaliter diſputari inter Doctores Catholicos. Quare nos ab illis ſolùm doctrinaliter, & diſputative recedimus; & ſolùm doctrinaliter eas rejicimus, cæterùm nullam eis intendimus inferre cenſuram. [illegible]

1512 Verùm quia noſtrum onus eſt ſpecialiter id oſtendere de doctrinâ noſtrâ, ideò omiſſis aliis, probabimus doctrinam noſtram, quod ſcilicet non ſit licitum ſequi formali ſequela opinionem minùs tutam probabiliorem, relicta tutiore minùs probabili, nec ſemper licitum contingat illam ſequi ſequelâ materiali, ſed quandoque evadat illicitum, ſecundùm quod factum ipſum licitum, vel illicitum contingit in ſe reperiri, ut ſupra explicavimus; eſſe re verâ doctrinam mediam inter duos illos errores extremos, & nullatenùs coincidere cum rigore illo damnato ab Eccleſiâ. Hoc enim eſt, quod noſtrum eſt hic probare, ut majori luce appareat doctrinam noſtram Catholicam eſſe, & longè diverſam, imò ex diametro oppoſitam doctrinæ Novatorum proſcriptæ ab Eccleſiâ. Quod ſic oſtendimus. Doctrina proſcripta ab Eccleſia eſt illa, quæ continetur in duabus illis propoſitionibus damnatis ab Alexandro VIII. 2. ſcilicet & 3. in ordine, nempè: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.* Et altera *non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.* In quibus conſtat Auctores illarum propoſitionum negaſſe ignorantiam invincibilem excuſare à peccato, & fundabant hunc ſuum errorem in hoc quod omnis ignorantia ex peccato originali homini contingit primordialiter, atque inde fieri omnibus in ipſo originali peccato voluntariam, ac propterea non excuſare; & inde conſequenter dicebant, quod ignorantia, quæ contingebat etiam in ſententia probabiliſſima, quantumvis omninò invincibilis eſſet, non excuſaret. Quare per iſtos oporteret neceſſariò non errare, ſed ſemper veritatem in ſe attingere operantem, ut in ſuo opere non peccaret, quia omnis error etiam invincibilis per eos erat imputabilis. At nos ex diametro in doctrina noſtra illis opponimur, quia volumus ignorantiam, & errorem invincibilem prorsùs excuſare à peccato formali, nec requirimus ad licitè operandum veritatem in ſe, aut certitudinem infallibilem, & metaphiſicam, ſed ſolùm moralem, cùm quia contingit multoties errare in ſe, & tamen inculpabiliter, & ſine ullo peccato, ut accidit Jacob, qui verè,

& in

[illegible] ipſe [illegible] ad [illegible], erravit & materia-[illegible] [illegible] fecit, [illegible] quia er-ror [illegible], & ſecundum certitudinē [illegible] [illegible] ſui, licet fal-ſus [illegible], & [illegible], non peccavit. [illegible] admittimus moralem [illegible], & ignorantiam invin-cibilem, atque [illegible] [illegible] illam operan-tem, [illegible] vi [illegible] erret, dicimus licitè ageret, nec peccare illam ſequendo. [illegible] [illegible] [illegible] dicimus nō intervenire ignorantiam invincibilem, ſi con-tingat eſſe in ſe falſam, quia in illa nulla eſt moralis certitudo, [illegible] eſt eſſentiali-ter [illegible] prudens [illegible] de illicito, quæ eſt [illegible] moralis [illegible], & dubietas de [illegible], quam qui deponit, imprudentiſſimè deponit, & ſine rationabili fundamento, cum [illegible] fundamentum talis opinionis pro-babilioris ſit ſimul fundamentum, & aſſen-tiendi, ſeu judicandi opus potiùs licitum, quā illicitum, & [illegible] de illicito, quia eſt fundamentum aſſentiendi licito, non certò & abſolutè, ſed cum formidine, & incertitudi-ne, cum qua ſtare non poteſt prudens ſeu mo-ralis certitudo. Ac propterea ſi hæc formido deponatur, gratis, & voluntariè deponitur, & conſequenter ſi error, & ignorantia contingat, [illegible], & voluntarie [illegible], ignorantia autem, & error voluntarius non eſt invinci-bilis, & inculpabilis, ut vidimus alibi ex D. Thoma, & ex aliis Doctoribus communiter; ergo juxta talem opinionem agens etiam de-poſitâ formidine, ſi errabit, & faciet opus in ſe illicitum, non excuſabitur; non quia non at-tingit veritatem in ſe; aut quia non habuit cer-titudinem metaphiſicam, ſed quia proceſſit ad opus imprudenter, & ſine morali certitudine, ſeu quia voluit gratis, & voluntariè deponere formidinem, quam moraliter, & prudenter de-bebat habere, & periculum præcavere. Ergo in nihilo convenimus cum Novatoribus ab Eccleſia proſcriptis, imò ex diametro illis op-ponimur. Certè correctiùs oportebat loqui P. Riccium, & non tam facilè Catholicum ſen-ſum cum illo Novatorum cōfundere; multum enim differt dicere: quod in opinione probabi-li de licito, vel etiam probabiliori, non habe-tur moralis certitudo requiſita ad licitè ope-randum, ac proinde non poſſe ex ſimili opi-nione reddi prudentem, & licitam operatio-nem, & conſequenter ex defectu certitudinis moralis eligendam eſſe oppoſitam ſtantem pro lege, in qua certum eſt, & omninò indubita-bile non poſſe peccari: & dicere quod ad licitè operandum requiratur omnimoda, & infalli-bilis certitudo ſeu metaphiſica, quaſi quod cer-titudo moralis non ſufficiat, & invincibilis ignorantia non excuſet. Primus enim ſenſus Catholicus eſt, & nulla cenſura dignus; ſe-cundus autem erroneus eſt, & Janſenianus. Primum nos admittimus, ſecundum verbo-tenus rejicimus. Ergo rigor noſter non in rigorem ig-[illegible], & ab Eccleſia damnatum declinat, nec partem habet cum Novatoribus, ut videtur P. Riccius aſſereret. Ergo non ſola, & unicè do-ctrina Probabiliſtarum, & Probabilioriſtarum media eſt inter extremos illos errores, quos proſcripſit Eccleſia [illegible] [illegible] 1513. Quod ſi velit Riccius veritatem hanc a Probabiliſtis ſuis expreſſiſſimè confir-matam, audiat ſuum Joannem de Cardenas *in ſua Criſi tract. 1. de probabilit. diſp. 15. cap. 2. art. 2. num. 50.* ubi ſic habet: *propoſitionem confir-mationis dico primo: non eſt propoſitio damna-bilis, quæ aſſerit hominem teneri ad ſequen-dam ſemper opinionem, quæ ſibi proponitur ut probabilior. Id enim non eſt impoſſibile, atque adeo inde non ſequitur quod Deus jubeat im-poſſibilia.* Quod dicit P. Cardenas adverſus Ca-ramuelem, qui videtur damnare opinionem Domini Fagnani. *Et num. 51. ait: Dico ſecun-do: neque eſt propoſitio damnabilis, quæ aſſerit hominem teneri ad probabiliorem, quoties ſe-[illegible] evidenter probabilior.* *Et num. 52. ait: Di-[illegible] non eſt damnabilis, quæ dicit eligen-dam ſemper eſſe opinionem [illegible], & tu-tiorem; quia ſic operari non eſt impoſſibile, &c. & num. 53. ait: Dico quintò ſententia Fagna-ni in quacumque univerſalitate ſumpta, non eſt hæretica; quamvis illi hæreſim appin-[illegible] &c. & num. 54. ait: Dico quin-to: hæc propoſitio: in materia fidei, & morum ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis; etiam ſumpta illa univerſalitate, quam illi attribuit, continet & habet ſenſum Catholicum, &c.* & articulo 3. ſequenti à num. [illegible] uſque ad 91. ubi explicat errorem Janſe-niſtarum, & dicit illum conſiſtere in hoc, quod velint Deum præcipere impoſſibilia. Et quod velint actionem neceſſariam, & quæ non eſt ſub poteſtate liberi arbitrii, eſſe moraliter ma-lam; Quæ utique contingunt in caſu igno-rantiæ invincibilis, quia hæc non eſt ſub po-teſtate liberi arbitrii, ut vitetur; ſi enim poſſet ex libero arbitrio vitari, non eſſet invincibilis, ſed vincibilis; & nihilominus volunt Janſeni-ſtæ eam vitandam eſſe, & niſi illam vitet homo, dicunt eum peccare etiam errando invincibili-ter, & eius actionem eſſe moraliter malam; quod idem eſt, ac Deum præcipere impoſſibi-lia, & ignorantiam invincibilem, quam homo vitare non poteſt, illum minimè excuſare. Hoc ipſum autem negat P. Cardenas intervenire in doctrina eorum, qui tenent tutiorem ſem-per opinionem inter probabiles ſeligendam; quia juxta eorum principia; ignorantia, quæ continetur in omni opinione probabili, eſt; & ponitur vincibilis, quatenùs poteſt liberè re-ſolvi in dubium; & illud dubium obſtringit ad tutiorem partem ſeligendam; & prædi-ctum dubium non deponitur, quacumque opinione probabili, ſed ſolâ tutiori. Atque hinc concludit P. Cardenas, quod opinio iſtorum non

non eſt damnabilis, ſed habet ſenſum Catholicum, & nullo modo convenit cum errore Janſeniſtarum, ut videri poteſt fuſius apud ipſum. Ergo ex ipſis Probabiliſtis habemus confeſſum, & demonſtratum, doctrinam noſtram Catholicam eſſe, & mediam inter errores damnatos, nec ullo modo cum inſano rigore convenire ab Eccleſiâ proſcripto, aut Janſenizare.

1514 Diximus autem loquendo de doctrinâ ſive noſtrâ, ſive Probabilioriſtarum, ſive etiam Probabiliſtarum comparativè ad extremos illos errores, eas omnes medias eſſe inter illos; quia re verâ nulla earum ullo modo videtur Pontificum Definitionibus, aut cenſuris ſubiacere; ac proindè nullam eis audeo cenſuram inferre. Cæterùm loquendo de eiſdem doctrinis comparativè ad rigorem, vel laxitatem in ſe, cenſeo abſolutè quod nec doctrina Probabiliſtarum, nec Probabilioriſtarum, ſive inter ſe conveniant, ſive diſcrepent, ſit verè media inter laxitatem, & rigorem quali in ſe, & ex natura rei, & ſecundum veritatem, indebitum. Sed tantùm, & unicè in hoc ſenſu media ſit doctrina noſtra in ſuperiori concluſione explicata; ita ut hæc ſola ſit media inter laxitatem, & rigorem indebitum, & ſiſtat in rigore medio ad menſuram veritatis, ita ut nec ſit reprehenſibilis per defectum, neque per exceſſum. Ut alibi, ubi de Probabiliſmo egimus, explicatum fuit. Et probatur: nam rigor medius, & debitus ad menſuram veritatis in ſe, in hac materiâ, ille eſt, qui nec onus legis diminuit, neque auget; ſed tantum ſtringit, quantum lex cogit; & tantum relaxat, quantum lex permittit. At hoc tantum, & unicè facit doctrina noſtræ concluſionis. Ergo hæc ſola, & unicè ſiſtit in rigore medio, ſeu eſt media inter laxitatem, & rigorem indebitum. Maior conſtat ex propriis terminis, & conſequentia ſequitur. Minor verò oſtenditur, quia nos dicimus quod loquendo de ſequelâ formali opinionis ſtantis pro licito, ſive probabilis, ſive etiam probabilioris, formando ſcilicet conſcientiam formidoloſam & cum illa operando, agens peccat; quia agit cum conſcientiâ dubiâ ſeu cum formidine practicâ de illicito; quod utique certum eſt apud omnes, & ſecundum legem tum juris naturæ, tùm divini, ut alibi explicavimus. Dictat enim jus naturæ, quod ſtante formidine ſeu dubio practico de periculo peccandi, tenemur illud præcavere. Et ſcriptura dicit, quod qui amat periculum, peribit in illo. Loquendo verò de ſequela materiali, non condemnamus de peccato operantem, niſi re vera, & in ſe factum illud materiale lex ipſa prohibeat, ut illicitum; ita quod ſi lex prohibens ſit, peccet; ſi verò non ſit, nec agens peccet. Ergo non imponimus plus oneris agenti, quam imponat lex; nec legis onus diminuimus, quia ſi lex prohibens ſit, tunc agentem contra illam non excuſamus ex vi opinionis probabilis, quam ſequitur materialiter. Econtra verò doctrina Probabiliſtarum, ac Probabilioriſtarum (ſive inter ſe conveniant, ut prætendit Pater Riccius, ſive diſcrepent, quia illi contenti ſunt ad licitè operandum quacumque opinione probabili; iſti verò ſolum ſiſtunt in probabiliore) econtra, inquam, doctrina hæc ſemper minuit onus legis, & eſt in causâ, ut bona pars legis ex vi opinionis probabilis, vel probabilioris, gratis & ex liberâ agentis electione relaxetur; & vis eius coactiva multoties infringatur. De quare videatur ubi ſuprà in tractatu de Probabiliſmo, ubi fuſiùs hoc ipſum explicatur, & defenditur. Ergo ſola doctrina noſtra in hoc ſenſu media eſt inter laxitatem, & rigorem indebitum ſeu ſuperfluum, & unicè ſiſtit in rigore medio ad menſuram veritatis in ſe.

1515 Placet hic tandem pro coronide totius operis teſtimonium producere irrefragabile Patris Ioannis de Çardenas adversùs prætenſam concordiam Patris Riccii, & eius principia, quæ pro ſuo arbitrio quaſi ex Probabiliſtarum doctrinâ deprompta ſtuduit ſtabilire. Ut enim vidimus Author iſte in fundamento ſuæ Theologiæ moralis ferè per totum volens oſtēdere Recentiores Probabiliſtas ſuos convenire omninò cum Probabilioriſtis, atque inter ſe eſſe ſummè concordes in doctrinâ de opinione probabiliore ſemper eligendâ, & non aliter, ut licitè fiat operatio, ſicut expreſsè ſuſtinent Probabilioriſtæ: & videns ex alia parte commune dictum Probabiliſtarum, quod ſcilicet licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam, minùsque probabilem, relicta tutiore, & probabiliore: excogitavit modum, quo duo hæc dicta in propriis terminis oppoſita poſſint concordari. Atque ideò finxit præcipuè duo commenta; alterum ad concordandum res ipſas ſignificatas; alterum verò ad concordandum voces ſeu terminos, quibus illi utuntur, ut ſic compoſitis vocibus, & rebus per eas ſignificatis, fieret una, & omninò eadem facies doctrinæ unius, & alterius partis; cum re verà una ſit alteri ex diametro oppoſita. Pro concordandis itaque rebus ſignificatis, excogitavit interpretari communem definitionem opinionis probabilis traditam ab ipſis Probabiliſtis, qua dicitur: eam eſſe quæ innititur gravi rationi, & magni momenti. Quam ut ad intentum ſuum traheret, per quamdam interpretationem ſibi accommodam, expoſuit eam eſſe quæ innititur rationi gravi, ideſt quæ adæquatè ſolvat, & deſtruat rationes oppoſitas alterius partis, eiuſque probabilitatem, adeò ut ipſa maneat unicè probabilis, & oppoſita evadat improbabilis. Quâ datâ interpretatione concludit, quod nulla opinio poſſit eſſe re vera probabilis, niſi ſit unicè, & ſola probabilis, nec contra ipſam ſit, aut poſſit eſſe aliqua opinio probabilis; eiuſmodi autem opinio unicè, & ſola probabilis, nedùm probabilior, ſed & probabiliſſima re vera eſt. & ſic, inquit,

illa

illa minùs tuta, minùſque probabilis, quam dicunt Probabiliſtæ licitum eſſe ſequi, relicta tutiore, & probabiliore, cum ſit & ſupponatur verè probabilis ab ipſiſmet Probabiliſtis; quia de minùs probabili, modò ſit verè probabilis, intelligunt ſuum illud commune dictum, ut ipſimet ſe explicant; iam eſt & ſupponitur unicè, & ſola probabilis, ac per conſequens nedùm probabilior, ſed & probabiliſſima re vera, & in ſe eſt. & ſic ex parte rei ſignificatæ in illo dicto Probabiliſtæ loquuntur de opinione probabiliore, & opinionem re vera probabiliorem intelligunt ſub voce illa minùs probabilis; atq; ideò concordant in re cum Probabilioriſtis; & ſic manet ſola diſcrepantia in vocibus. Ad concordandum autem voces, ne videantur Probabiliſtæ ineptè loqui, & uti vocibus contrariis; excogitavit diſtinguere, ly probabile, per ordinem ſcilicet ad intellectum, & ſic idem eſt quod veriſimile: & per ordinem ad voluntatem, & ſic idem eſt, quod approbabile ſeu bonum eligibile. Et quia bonum ſeu moraliter eligibile dicitur illud, quod licitum eſt eligere; & hoc contingit dupliciter, vel quia ſcilicet certum eſt licere ſecundum certitudinem moralem, nam certitudo moralis de licito reddit opus licitum, & eligibile; vel ſecundùm certitudinem metaphiſicam: & ſecundum has duas certitudines unum dicitur eligibilius alio; nam quod eſt certum metaphiſicè licitum, perfectius eligibile eſt, quàm quod eſt certum tantùm moraliter; hinc eſt quòd illud quod probabilius ſeu veriſimilius videtur intellectui licere, cum ſit ſolùm moraliter certum licere, dicitur minùs probabile, ideſt minus approbabile ſeu eligibile voluntati; quod autem eſt intellectui certum infallibiliter, & metaphiſicè, dicitur probabilius, ideſt approbabilius, & perfectiùs eligibile voluntati. Et ſic probabilius ſeu veriſimilius intellectui coincidit cum minùs probabili voluntati; ac per conſequens vox iſta, minùs probabilis, ſumpta pro minùs eligibili, non opponitur, ſed concordat cum voce illâ, probabilior, ſumptâ pro veriſimiliori intellectui. Cum autem in communi illo dicto Probabiliſtarum (inquit P. Ricius) habetur, licitum eſſe ſequi minùs probabilem, intelligitur opinio minùs probabilis voluntati ſeu minùs eligibilis, quæ eadem eſt cum probabiliore ſeu veriſimiliore viſâ intellectui; nã opinio probabilior, ſeu veriſimilior de licito eſt ſolùm certa moraliter; & cum dicitur relicta tutiore, & probabiliore, intelligitur de eligibiliore habente certitudinem infallibilem, et metaphiſicam, ad quam nemo tenetur; & ſic habetur ſumma concordantia inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas, nam neque Probabilioriſtæ exigunt ad licitè operandum metaphiſicam certitudinem, ſed moralem, quæ conſtituit minùs eligibile voluntati ſeu minùs approbabile, & reperitur in opinione probabiliore intellectui, ideſt veriſimiliore.

1516 At contra hanc doctrinam & eius principia eſt expreſsè irrefragabile Teſtimonium Patris Joannis de Cardenas, quem tamen plurimi facit P. Riccius, & illum prætendit ſtare pro concordiâ ſuâ. Itaque P. Ioannes de Cardenas, opportunè cenſui, quod in medium producatur, & ferat nobis teſtimonium ſuum; & ſaltem de ſeipſo nobis aperiat, an ita ſentiat, ut exponit Riccius, & an concors ſit cum Probabilioriſtis, vel potiùs illis adverſetur. Audiamus ergo ipſum ex ore proprio, quid expreſsè dicat. *In ſua Criſi tract. 1. de probabilit. diſp. 15. cap. 5. num. 423.* ſic loquitur. *Vera, & omninò certa ſententia eſt, quæ docet licitum eſſe amplecti in ordine ad praxim quamlibet ſententiam verè, & practicè probabilem. Et primò quidem ita eſt, ſi ſalis ſit, ut pro ſe habeat rationes graves, & urgentes, dignos viro prudenti; oppoſita verò leves, aut nullas pro ſe habeat. Supponimus autem materiam eius opinionis eſſe incertam, pro quâ, & contra quam nullum ſit principium certum.* In quibus verbis, ſi eis nihil aliud adiungeret Cardenas, procul dubiò non contradiceret Riccio, ſed immediatè poſt hæc *num. ſeq. 424.* adiungit ſic: *Secundò; ſi pro utraque parte contradictionis ſint motiva probabilia, quæ intellectui ut æquè probabilia repreſententur; licet amplecti quamlibet ex eis, ſive ſtrictiorem militantem pro lege, ſive benigniorem ſtantem pro libertate. Cum qualibet earum habeat motiva ſufficientia, quibus humana prudentia niti poſſit; & probabilitas unius non deſtruat probabilitatem alterius (loquimur enim de probabilitate iuris, non facti) ſed optimè componuntur cum illâ.* Et ulteriùs *num. 425.* immediatè ſequenti dicit: *Tertiò; ſi una proponatur intellectui ut probabilior, & altera ut minùs probabilis; poteſt adhùc licitè homo accommodare ſe in praxi opinioni minùs probabili, etſi ſtet pro libertate contra legem, Tum quia poteſt iudicare fortè ſe decipi, cenſendo eſſe probabiliorem. Tum præcipuè, quia ex dictis cap. præced. art. 9. cum motivum probabilius adhùc incertum ſit, non cogit intellectum ad ſui aſſenſum; ideòque voluntas poteſt imperare aſſenſum ad partem minùs probabilem, quæ cum habeat etiam rationes graves, & firmas, quibus nitatur, dici non poteſt aſſenſus temerarius, ſed prudens, & viro prudente dignus.*

1517 Quid clariùs dicere poterat P. Cardenas contra Riccium eiuſque conficta principia ad ſuam concordiam firmandam? non requirit ad probabilitatem practicam opinionis rationes illas graves, quibus ſolvantur adæquatè, & deſtruãtur rationes partis oppoſitæ, eiuſque probabilitas, ita ut ipſa ſola maneat unicè probabilis; nam expreſsè admittit utramque partem contradictionis poſſe eſſe æquè practicè probabilem, & unam non deſtrui ab aliâ. Inſuper & unam eſſe minùs probabilem, & alteram probabiliorem. Et dicit poſſe hominem licitè in praxi amplecti quamlibet ex æquè

probabilibus, ſive ſtrictiorem ſtantem pro lege, ſive benigniorem ſtantem pro libertate. Et alterutris poſſe hominem licitè in praxi ſe accommodare opinioni minùs probabili, etſi ſtet pro libertate contra legem. Nec ſumit *ly minùs probabili* pro minùs dignè eligibili, ſed pro minùs veriſimili, quia expreſsè loquitur de minus probabili, ut viſo intellectui ſeu ſic ut minùs probabili propoſito intellectui, ut conſtat ex propriis verbis ipſius; & rationem reddit de tali uſu licito partis ſibi viſæ minùs probabilis *præcipuè quia motivum partis oppoſitæ probabilius cum ſit adhuc incertum non cogit intellectum ad ſui aſſenſum, & ſic relinquit locum, intellectui, ut ex imperio voluntatis, eliciat aſſenſum ad partem minùs probabilem, quæ cum habeat etiam rationes graves, & firmas, quibus nitatur, dici non poteſt aſſenſus temerarius, ſed prudens; & viro prudente dignus.* Supponit enim ex dictis *cap. præced. art. 9.* quo ſe remittit, quod ubi neutra pars contradictionis eſt certa, ut contingit in opinabilibus, intellectus non cogitur ad aſſenſum neque ad partem probabiliorem, neque ad minùs, vel æquè probabilem; ac propterea poteſt voluntas facere ſuo imperio, quod intellectus vel ſuſpendat ab omni aſſenſu, vel aſſentiat uni, & non alteri, vel econtra, & talis aſſenſus cuicumque parti fuerit, erit aſſenſus probabilis prudens, utpotè ſuis rationibus gravibus innixus; admittit enim pro utraque parte tam probabiliore, quam minùs probabili ſtare etiam graves rationes, ut expreſsè conſtat ex propriis eius verbis, dum de minùs probabili dicit: *quæ cum habeat etiam rationes graves, & firmas &c.* Ergo P. Cardenas expreſsè ſe opponit Patri Riccio, tum in hoc, quòd opinio practicè probabilis innitatur rationi gravi, quæ deſtruat rationes contrarias, & probabilitatem oppoſitam; tum in hoc quod ſit unicè, & ſola probabilis, atque ideò probabilior, imò probabiliſſima; tum in hoc quod Probabiliſtæ dum dicunt licitum eſſe ſequi minùs probabilem, non intelligant ly minùs probabilem pro minùs veriſimili apparente intellectui, ſed pro minùs dignè eligibili bono; tum & denique in hoc quod Probabiliſtæ conveniant cum Probabilioriſtis in doctrinâ de ſequenda opinione probabiliore ſeu veriſimiliore, cum ipſemet Pater Cardenas dicat in præfato textu mox relato, quod vera ſententia eſt quæ docet licitum eſſe amplecti in ordine ad praxim quamlibet ſententiam verè practicè probabilem; ſive ea repreſentetur intellectui æquè probabilis, ſive repreſentetur minùs probabilis, quam altera, quia ſemper exiſtimat quemlibet aſſenſum probabilem prudentem eſſe, & viro prudente dignum, ſive ſit reſpectu intellectus æquè, ſive magis, aut minùs probabilis. Ergo ex teſtimonio hoc conſtat Commentum Patris Riccii eiuſque prætenſam concordiam ex proprio eius cerebro eſſe, & non ad mentem Probabiliſtarum, & multò minùs ſui Joannis de Cardenas, quem tamen ipſe ſæpiſſimè quaſi unum ex ſuis Recentioribus Probabiliſtis pro ſe ſtantem citavit.

1518 Sed neque minùs alii omnes Probabiliſtæ Recentiores adverſus hanc concordiam reſiſtunt, ut vidimus, et paſſim in ipſorum libris videri poteſt. Ex quibus concluſum ſatis ſuperque manet eiuſmodi eius concordiam omninò eſſe confictam ad promovendam doctrinam ſuorum Authorum quoquo modo ſibi poſſibili, tegendo, vel removendo omnem laxitatem, quæ indè in uſu doctrinæ eorum poſſet viris ſimplicibus, et minùs veritatem penetrantibus, obvenire. Quod quia in magnam animarum perniciem fieri poſſe agnovimus, ideò oportuit ex profeſſo, ac pro noſtris viribus eam impugnare, ut fecimus. Deus, qui ſcrutator eſt cordium, et in veritate ſua me judicaturus eſt, ipſe volo mihi teſtis ſit, ſi ex intentione rectâ, ac zelo veritatis ingenuè ſcripſerim, et ad communem animarum ſalutem, quibus grave quidem periculum timeo ex doctrina non ſana. Non enim lites, aut diſcordias diligo; nec cum Doctoribus bella volo, ſed eorum quandoque minùs veridicam doctrinam ſuſtinere non poſſum, nec debeo; præſertim cum hac noſtra tempeſtate perſpicuum ſit, periculoſum illud tempus adveniſſe, *de quo Apoſtolus 2. ad Timoth. 4.* dixit: *erit enim tempus cum ſanam doctrinam nō ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus; & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Contra quos idem Apoſtolus eidem Timotheo ibidem præcepit, *prædicare verbū, inſtare opportunè, importunè; arguere, obſecrare, increpare in omni patientiâ, & doctrinâ.* Atque ideò non ad lites, et diſcordias ſuſcitandas, aut calumnias Doctoribus inferendas, quæ ſcripſi, dicta volo; ſed ad agnitionem veritatis: conſcientiæ ſecuritati, paci, atque tranquillitati conſului; non odio, aut livori adverſus ullos Authores; etenim omnes ut par eſt ex corde diligo; utinam, & ab ipſis reciproca, ac mutua charitate pariformiter redamarer. Probè ſiquidem novi, quod *qui non diligit manet in morte 1. Joan. 3.* & ibidem monemur, ut *non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate.*

1519 Propterea autem hæc ego ſcripſi, quoniam in veritate dilexi, quos hactenus impugnavi; illis enim, & omnibus, eorumque ſaluti benè conſului, ut doctrinis ſuis variis, & peregrinis non abducerentur à viis rectis, & perirent multi in diſputationibus ſuis. Ideò ipſorum ſententiis me validè oppoſui, & uſque ad interemptionem earum, quoniam ut ait Salomon *fortis eſt ut mors dilectio.* Ad hoc me excitarunt ex Apoſtolico Throno verba illa mærore plena Alaxandri VII. quibus *ſummā illam luxuriantium ingeniorum licentiam,* teſtatus eſt, *in dies magis excreſcere, per quam*

in

Digitized by Google

tæ rebus ad conſcientiam pertinentibus; modus operandi irrepſit alienus omnino ab Evangelicâ ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrinâ, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens erumpere eſſet chriſtianæ vitæ corruptela. Et quemadmodum Sanctiſſimus ille Pontifex eam authoritate ſuâ compeſcuit, ne, ut ibidem ait, *ullo modo umquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari ſeu veriùs perverti contingeret:* ita & ipſe pro viribus mihi a Domino præſtitis eamdem calamo impugnare, ejus charitate me interiùs urgente, decrevi. Saluti ergo hominum in dilectione, & veritate conſului, quæ ſi odium parit, non proindè evacuabitur dilectio mea. Non homines impugnavi, ſed novam eorum, & noſtra ætate adinventam, aut magnificatam doctrinam, minùs utique ſanam: contra quam opus fuit arguere, ne in omnium vergeret detrimentum. Maximè autem id timui ex præfata hujuſmodi attentata concordiâ, qua fortiùs prætenditur Probabiliſmum in totâ ſuâ latitudine ſtabiliri, & decantata illa jura ſua quaſi pacificè poſſidere, quod non ſine magnâ chriſtianæ vitæ corruptelâ contingeret. Atque ideò contra eam ſpecialiùs, & ad hominem adversùs P. Riccium dimicavi, ut omnibus meridianâ luce clarius fieret, numquam Doctores omnes Catholicos ad itnum in hoc concorditer conveniſſe; ſicut Præfatus Author vel obſignatis tabellis ſe demonſtraturum promiſit; ſed fruſtra, quantumvis longo, & laborioſo circuitu id attentaſſet, ut ſatis uſque modò in ſuperioribus oſtenſum eſt. Imo & illis, & ſibimet quoque cōtradicère multoties coactus fuit in adinventionibus ſuis.

1520 Non potuit itaque, ut vidiſti lector, P. Riccius Probabiliſtas ſuos cum Probabilioriſtis componere, & multò minùs Doctores omnes Catholicos in unâ eademque ſententiâ de licito uſu opinionis probabilis ad unū concordare; ita ut una omninò ſit omnium Catholicorum de hac quæſtione doctrina, a quâ (ut ipſe aiebat) ſi quis receſſerit per majorem laxitatem, aut rigorem, incidet in errores ab Eccleſiā damnatos. Non potuit, inquā, cum omnibus adhùc obſervationibus, & reflexionibus ſuis ſuper variis illorum dictis, & ſpecioſis, ac peregrinis interpretationibus quamlibet induſtria ad intentum proprium accommodatis; quoniam veritas ipſa, quæ vinci non ſinit, valide, & manifeſtè reſtitit adinventionibus ejus, ut viſum eſt, imò & à ſeipſo recedere, ac multis contradictionibus implicari apertiſſimè demonſtravit. At hoc parum eſt. Attende lector quam potens veritas ſit, & da gloriam Deo. Ecce illum tandem vel nolentem traxit, ut cum ſuorum, & Catholicorum omnium concordiæ unice attenderet, & vario argumentorum circuitu quæreret eam ſtabilire contra Rigidiores, quos Novatores appellat, veriſicaret tandem illorum, & noſtram ſententiam ſuis doctrinis exponeret, & publicè omnibus neceſſariam fateretur invitus. Et ubi credidit ſuos, & Catholicos omnes in ſua ſententia favente probabilitati concordes efficere, ſeque cum illis concordare; ipſamet rei veritas effecit, ut frauderetur a deſiderio ſuo, & volens nolens concors fieret ſententiæ noſtræ, quam ipſe Novatoribus perperam tribuit. Quare quantumvis ipſe non potuerit, ipſamet rei veritate fortiter reſiſtente, perficere intentam concordiam ſuam; facilè tamen mihi erit eum ore proprio confeſſum oſtendere, (licèt fortè cor ejus longe ſit a me) & propriis ſaltem labiis veritatis aſſertorem in ſuis ſingulis obſervationibus, ac doctrinis convincere; ita ut merito eum tandem dixeris mecum in doctrina ſana vero ſalutaris concordiæ tendere ſtrictiſſimè colligatum. Quod utique punctualiter efficiam, & fideliſſimè, ut inde videatur veritas triumphare, etiam ex ore eorum, qui ſtudent illi contradicere. Attende ergo lector ſingula hujus Authoris dicta, & obſervationes ejus, quæ & quas tibi compendiosè proponam, et videbis in eis apertiſsimè contineri totam doctrinam noſtram; licet ipſe eam totam falsò tribuat Probabiliſtis ſuis, ut ex eâ, quæ profectò tota noſtra, et veriſsima eſt, atque catholica, concludat doctrinam eorum de probabilitate, quæ à noſtra longiſſimè diſtat, ſolidiſsimam eſſe, et à ſolis Novatoribus impugnari. Vide induſtriam: doctrinam aſſumit, quam nos docemus, et fingit rejici à nobis; et illam ſuis attribuit, qui eam rejiciunt; ut ſic, ementita utriuſque partis facie, ex nobis ipſis firmet ſuos contra nos; et ex Novatoribus redarguat nos, quaſi per aliud extremum impugnantes ſuos, ac ſi idem eſſet rigor doctrinæ illorū, & noſtræ; quod falſiſſimū eſt. At ſi ſemel hæc falſitas detegatur, et doctrinæ ſingulæ in facie diſtinguātur, cōtinuò apparebit nec nos cū Novatoribus, nec Probabiliſtas cū Probabilioriſtis, aut nobiſcū cōvenire; ecōtra vero ſimul conſtabit doctrinam illam, quam P. Riccius ſuis Probabiliſtis tribuit, ad terminos preſertim ſuæ expoſitionis reſtrictam (vel ut veriùs dicam, apparenter accommodatam) totam omninò eſſe cum noſtrâ concordem. Ac proindè ſi (ut arceret a Probabiliſtis ſuis laxitatem, eoſque concordaret cum Probabilioriſtis, imò eos oſtenderet doctrinam catholicam, & in Eccleſiâ neceſſariam docuiſſe) ad terminos ſententiæ noſtræ illorum doctrinam reduxit, videtur manifeſtè agnoviſſe veritatem noſtræ ſententiæ, ejuſque neceſſitatem pro verâ Ideâ bonæ conſcientiæ formandæ. Quare ſi ſemel ex dictis ejus hoc totum demonſtravero, fas erit mihi hilari fronte, palàm, & confidenter dicere: vivat Deus; agnovit Riccius veritatem; & in concordia ſua, ſi minùs concors ſuis, ſibique fuit, concors factus eſt mihi, & ve-

citati in virtute ſuâ. Hoc autē totū ſic oſtendā.

1521 Audi ergo attentè lector brevi compendio totum, quod habet in libro ſuo P. Riccius pro ſuorum concordiâ cum Probabiliſtis. Obſervat primò duas veritates, quas nemo negare poteſt. Prima eſt veritas Eccleſiæ Catholicæ, à quâ veniunt duæ extremæ ſententiæ damnatæ; altera ſcilicet, quæ laxitatem docet, & hæc proſcripta fuit ab Innocentio XI. in illâ propoſitione: *Generatim, &c.* altera, quæ nimium rigorem ſapit, & damnata ab Alexandro VIII. in illâ propoſitione: *non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles, probabiliſſimam*. Secunda eſt ſententia Probabiliſtarum, quâ dicunt: *licitum eſt ſequi opinionem minùs tutam, minuſque probabilem, relictâ tutiore, & probabiliore.* Quod quidem dictum eſſe Probabiliſtarum negari non poteſt, cum in eorum libris expreſſiſſimè doceatur.

1522 Obſervat ſecundò P. Riccius ex vi primæ veritatis non poſſe ampliùs admitti à Catholicis probabilitatem in totâ suâ latitudine; atque ideò oportere eam reſtringere ad certos terminos, ita ut nullam prorſus laxitatem ſapiat: ſed nihilominùs obſervat neque eſſe adeò reſtringendam, ut ſit reducenda ad certitudinem metaphiſicam; alioquin incideretur in aliud extremum damnatum ab Eccleſiâ ob nimium rigorem, quod ſcilicet non eſſet licitum ſequi opinionem probabiliſſimam. Ac propterea obſervat juxta doctrinam catholicam ſatis eſſe ad licitè operandum ſolam moralem certitudinem: quod veriſſimum eſt. Obſervat tertio dictū ſuorum Probabiliſtarū validè, & efficaciter à Probabilioriſtis impugnari, & de laxitate rationabiliter reprehendi adeò ut non poſſint Probabiliſtæ in virtute ſuorum principiorum ſe tueri, & multò minùs ab omni laxitate ſe purgare: quoniam eorum principia minùs ſolida ſunt, & inſufficientia; ac propterea opus eſſe fortiori fulcimento ut non totaliter corruat præfatum commune dictum eorum.

1523 His autem obſervatis volens P. Riccius ſuos defendere, excogitavit, & ſagaciter quidem, per aliam viam incedere, quâ meliori modo potuiſſet à clamoribus contra ſuos declinare, & notam laxitatis effugere, perſiſtendo tamen in eadem ſententia cum Probabiliſtis ſuis; ægrè enim ſentiebat, quod nonnulli de R. P. Thyrſo Gonſalez ſuo Præpoſito Generali, & aliis eiuſdem Societatis probabilitatem impugnantibus dixere, nimirùm eos errorem prioris ſententiæ de uſu licito probabilium, ferè communis ſuæ Societatis Scriptoribus, revocaſſe, & paſſim ſuos ab illâ pedem retrahere, & in oppoſitam ſententiam abire, quod fuit unicum eius motivum ſuper hac materiâ ſcribendi, ut in proemio ſui libri ore proprio fatetur. Vidit autem ad hoc dictum, & ſuſcitatos clamores reprimendos optimum ſibi eſſe conſilium, ſi eos omnes in unâ eademque ſententiâ, eâque tutiſſimâ, verâ, catholicâ, atque ab omni laxitate purgata perpetuò firmos oſtenderet, ſibi ſemper conſtantes, concordes, & uniformes, ſed ſolo verbo quandoque diſſidentes; atque ideò hoc ſtatuit perficere: ſed quâ induſtria? evertendo eorum principia, & nova illis, ipſorumque nomine, ſtatuendo, quæ ſunt ipſiſſima principia noſtra; ut ſic videantur aliud docere, quam dicant, & tutam doctrinam tradere, quam non docent; reiicere verò, quod verbotenùs tradunt, quaſi proprios cōceptus exprimere penitùs ignoraſſēt.

1524 Hinc totum tractatum ſuum in duas diſſertationes diviſit; quia duo vidit eſſe genera principiorum totius doctrinæ Probabiliſtarum juxta duplex genus probabilitatis, directæ ſcilicet, & reflexæ. Et ideò in prima diſſertatione per ſex capita diffunditur in ſtabiliendis principiis probabilitatis directæ quaſi juxta omnium ſuorum Probabiliſtarum doctrinam, imò Doctorum omnium Catholicorum, ut vidimus ſupra, aſſeritque vera principia practicæ probabilitatis, & puriſſimos fontes, unde hæc deſumi debet, eſſe Sacram Scripturam, Sacra Concilia, Sacros Canones, Sanctos Patres, & Antiquiores Theologos, & ſimiliter rationes graves, & adeò graves, quæ evidenter ſolvant omnes rationes partis oppoſitæ, ita ut hanc omninò deſtruant, & improbabilem reddant, nec relinquant locum ampliùs prudenter dubitandi de veritate obiectiva ex ipſis deducta, maneatque proinde hæc unicè, & ſola probabilis, ac per conſequens dicenda probabilior, imò probabiliſſima, & moraliter certa. Quid enim magis probabile, & certius moraliter eſſe poteſt eo, cuius oppoſitum eſt improbabile, & de quo non poteſt prudenter dubitari? Ecce qualem probabilitatem tribuit Probabiliſtis ſuis, & quæ principia illis ſtatuit, quaſi ex doctrina illorum requiſita, ut aliquid dici poſſit probabile; & inde concludit quod minùs probabile illorum voce tantùm dicitur minùs probabile, re verà tamen unicè probabile, & Probabiliſſimum eſt, certumque moraliter, de cuius obiectivâ veritate dubitari non poteſt, cum eius oppoſitum ſit omninò improbabile, & certò moraliter falſum. Atque hinc quaſi ex verâ ſententiâ ſuorum reiicit omnem aliam probabilitatem alterius generis, eamque ponit in confinio improbabilitatis practicæ. Hanc autem eſſe ſuorum ſententiam probat ex quibuſdam dictis aliquorum ſuæ Societatis, & in hoc probando tota eius prima diſſertatio eſt, in ſex illa capita diviſa; & ſimiliter in explicando vocem illam, *minùs probabile*, quo pacto poſſit ſtare cum unicè probabili, & Probabiliſſimo, atque moraliter certo, ut vidimus ſupra. Quod an verum eſſe poſſit, & ſine contradictione, ibi examinavimus; & oſtendimus omninò falſum eſſe, & purum eius commentum. At quidquid ſit de hoc: pro nunc enim id ſolùm velim mecum

ponde-

Digitized by Google

ponderes, lector, nempè cujus generis principia ſtatuat P. Riccius Probabiliſtis ſuis, & quale probabile eorum ſententiæ tribuat: profectò (ut vides) tale, quod voce tantùm dici poteſt minùs probabile, vel probabilius; re autem probabiliſſimum eſt, & moraliter omninò certum, ita ut de eius veritate obiectivâ prudenter dubitari non poſſit, eiuſque oppoſitum ſit omninò improbabile, & moraliter certò falſum; & de tali probabili interpretatur ſuos intellexiſſe in voce illâ *minùs probabile*, cum dixerunt: *licitum eſſe ſequi minùs probabile, minùſque tutum, relicto tutiore, & probabiliore*. Et non de probabili alterius generis. Ergo tale probabile tantùm agnovit eſſe licitum ſequi: Cætera verò fatetur non eſſe tuta, ſed periculoſa, & dubia, ac proindè in eis urgere legem illam iuris: *In dubiis via tutior eſt eligenda*. & illam aliam: *Inſpicimus in obſcuris &c.* ut pluries repetit. At hæc tota doctrina noſtra eſt per totum ſuperiùs extenſa, & millies repetita à nobis, & inculcata; quæ tamen a Probabiliſtis ſuis re verâ rejicitur, ut ſupra fusè oſtendimus. Ergo dum ipſe eam in ſe veram agnoſcit, nec potuit ſuis ſine contradictione tribuere, ut oſtenſum eſt ſupra, manifeſtè convincitur ab illis, & à ſemetipſo recedere. Et dum credit illos ad unum inter ſe & cum Catholicis omnibus concordare, ſibi, & illis contradicit, & ſimul concors efficitur ſententiæ noſtræ, & veritati. In quo ergo nos reiicit? In quo Novatores nos dicit, aut dicere poteſt, quaſi in inſanum rigorem, ut eius phraſi loquar, declinantes, & in errores damnatos ab Eccleſia? In quo nos ianſeniſare, quaſi metaphiſicam certitudinem exigentes ad operandum accuſat? & quaſi invincibilis ignorantiæ exceptionem non admittentes? Non plus nos exigimus ad licitè operandum, quam quod ipſe probat, & fingit expoſcere Probabiliſtas ſuos. Tanta profectò eſt veritatis efficacia, ut qui eam impugnant, tandem, velint, nolint, concordent inviti cum eis, quibus contradicunt. Fruſtra ergo Riccius in priore diſſertatione ſuâ per ſex capita laboravit pro ſuis, ut minùs probabile eorum ab omni laxitate purgaret, eoſque concordes efficeret catholicæ veritati contra Novatores, finxit enim hoſtes, quos tandem veritas ipſa eum compulit in ſummâ concordiâ amplexari, ut hactenùs demonſtratum eſt.

1525 Idipſum autem contingit in poſteriore diſſertatione, ubi contra principia reflexa, reflexamque evidentiam invehitur adeò à Probabiliſtis commendatam, quaſi hanc Probabiliſtæ ſui ſemper averſati fuerint, niſi ad principia probabilitatis directæ iuxta eius expoſitionem reducatur. pro quo per octo capita laboravit, oſtēdens nulla eſſe principia illa, puta: *Ubi hinc indè diſputant de lege Doctores, lex non eſt ſufficienter promulgata, ſed invincibiliter ignoratur, ac proindè non obligat.* Et illud aliud: *Qui ſequitur viros, doctos, prudentes, & pios prudenter operatur.* Et ſimilia, ex quibus communiter Probabiliſtæ dicunt fieri demonſtrationem, & evidentiam reflexam de licito hinc indè diſputato, & probabiliter directè concesſo à viris piis, prudentibus, & doctis. P. Riccius autem hæc nulla eſse voluit apud Probabiliſtas ſuos, nec aliquid concludere poſse, niſi reducantur ad principia illa directa; ita ut parum referat, ſi aliquid licere doceant viri docti, prudentes, & pii; non enim proindè fit reflexè evidens id licitum eſse (inquit Riccius) niſi conſtet de facto viros illos id directè reſolviſse verè doctè, prudenter, & piè: neque hoc conſtare poteſt, niſi conſtet illos verè ex Sacra Scriptura, Sacris Conciliis, Sacris Canonibus, Sanctis Patribus, & rationibus gravibus illud deduxiſſe cum evidenti ſolutione rationum partis oppoſitæ, ita ut hæc evadat improbabilis, et certò moraliter falſa, et econtra licitum illud ſit directè unicè probabile, et probabilius, imò probabilisſimum, et moraliter certum, adeò ut non poſsit de veritate eius obiectiva prudenter amplius dubitari: tunc enim ſolùm, inquit, concludere poſsunt principia hæc reflexa evidenter de licito illo: & totum hoc ait exigere ad licitè operandum Probabiliſtas ſuos, & Doctores omnes Catholicos. Quod an verum ſit examinavimus, & impugnavimus ſupra. Sed quidquid ſit de hoc: Id ſemper veriſsimum eſt, quod ipſe tot requiſitis ſuis, & conditionibus adeò reſtringentibus, totam doctrinam Probabiliſtarum penitùs evertit, ut conſtat benè hæc conſideranti, ac proindè in hoc fit concors ſententiæ noſtræ, et veritati, ſi nolimus dicere, quod fortaſsis excedat in ſenſu rigidiore, iuxta terminos, in quibus videtur velle homines contineri, ut poſsint licitè operari. Verùs tamen dicam, ut paulò priùs dixi, non voluntariè ad hæc P. Riccium deveniſse, ſed invitum: Tanta eſt efficacia veritatis. Vidit enim in Probabiliſtarum ſuorum doctrinâ aditum fieri ad omnem prorsùs laxitatem, et licentiam operandi, propter quam tot clamores fuerant contra illos excitati, & animadvertit non poſſe eam verè ab omni laxitate purgari, donec à ſeipsâ penitùs diſtraheretur, & violentis interpretationibus revocaretur ad terminos veritatis; atque ideò invitus tandem, & nolens, ſic ſuam ſententiam expoſuit, quod ad noſtram acceſſit, ut indè, in suâ perſiſtens, videretur concludere ſuorum ſententiam habere undequaque omnem faciem honeſtatis. Sed quid refert, ſi id egerit invitus? Nihil hoc derogat veritati; imò indè magis firmatur, quod vel nolentes eam Adverſarii fateantur. Vera ergo eſt ſententia noſtra, cui vel invitus concors tandem factus eſt P. Riccius, qui nobis quaſi Novatoribus adverſabatur, ut concordaret Probabiliſtas ſuos.

REFLEXIO.

Placet denique in calce huius operis hanc reflexionem adducere, ut videant Recentiores, quid ad ipſorum placita, non minùs verè, quàm lepidè, quaſi conſequens eliciamus. Docent enim ipſi, & aſſeveranter ſuſtinent, plures Hominibus in ſuâ quibuſque conſcientiâ præſto eſſe ſe excuſandi à legibus prætextus, & vias, quantumvis re ipsâ eis contingat à legibus declinare. Nam qui ex conſcientiâ erroneâ licitum aliquid credunt, quod agunt; in promptu indè excuſari poſſunt, quod invincibiliter ignorent legem. Qui de actu, quem acturi ſunt, qualis in ſe ſit, licitus, vel illicitus, dubitant; facilè excuſationem habent illum exequendo, ſi ratione aliqua ſibi benè viſa, puta quia ſunt in poſſeſſione libertatis, vel alia ſimili, dubium deponant. Qui probabilibus utuntur; hoc ipſo tuti evadunt tot juribus practicæ probabilitatis, puta vel ex morali certitudine ſibi ex judicio reflexo protinùs emergente, & prudentiâ agendi indè conſequente; vel jure poſſeſsæ libertatis, vel ex invincibili ignorantiâ inibi neceſſariò involutâ. Qui ſcrupulis aguntur, eis liberum eſt benigniorem partem ſtantem pro libertate eligere, etiam in oppoſitum propria conſcientia reluctante. Qui ſunt in aliqua contingentiâ perplexi, quamcumque partem eligant, non peccant, eo quia neceſſitas agendi eis adimit libertatem ad peccandum neceſſariò requiſitam. Et ſimilibus aliis viis homines in errore, & in ignorantia ſua à lege, quæ eis obſtat, optimè eximuntur, allegando excuſationes in peccatis. Quam ergo felix eiuſmodi Hominum fortuna! quam fortunata eorum conditio! quandoquidem eis data eſt perfecta libertas, eis poteſtas perfectiſſima, & abſoluta facultas ligandi atque ſolvendi cōſcientias ſuas, ut quidquid ſibi pro ſuo arbitrio ſolverint in terris, ſit eis ſolutum & in Cœlis. O feliciſſima ignorantiæ jura! O erroris ſingularia merita, quæ tantæ prærogativæ privilegium promeruere. Væ autem ſcientibus, & ſapientibus, quibus jura omnia reſciſſa ſunt, & univerſæ viæ eorum penitùs obſtructæ, ut nec jota unum à legibus valeant inculpatè præterire. Numquam eis contra leges jus libertatis prævalet, quo tamen pacificè, & ſuperabundanter ſemper, & ubique, aliis in ſua dubietate, in ſua perplexitate, in ſua probabilitate adhùc errantes, citra omne periculum perfruuntur. Nulla eis immunitas, nulla exemptio ſuffragatur: ſed totus rigor juris, & legis pondus, & onus eorum humeris, nemine commiſerante, impoſitum eſt. Lex ergo ex integro, & adæquatè ſapientes cogit: alios verò ſive dubitando, ſive opinando, vel etiam firmiter quidpiam erronei judicando, nunc uno, nunc altero privilegio exemptos ad forum ſuæ excuſationis dimittit, Illos ſtrictè in ſuis compedibus retinet, abſque ulla indulgentia: Aliis frequenter indulget, abſque ullo rigore. Hos numquam ex toto judicat, ſed ex parte, & minùs his præcipit facere, quam debeant: Illos vero de toto condemnat, nec minimum de debito eis relaxat. Miſeri Sapientes! Vobis unis arcta eſt via, quæ ducit ad Cœlum, ut neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram vel minimum valeatis declinare. Vobis nihil prodeſt Chriſti dictum: Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve; cum ſemper & ubique, totumque ſit ſuper humeros veſtros, ut feratis illud totis diebus vitæ veſtræ, numquàm dimiſsuri. Felices quotquot eſtis per probabilia vagantes: Vos enim ſequetur agnus, quòcumque ieritis, nec vos umquàm dimittet, quia ſemper & ubique immaculati eritis: vobis plana ac lata Cœli via facta eſt: Si ad ſiniſtram perrexeritis, læva eius, qui iuſtificat animas, ſub capite veſtro erit; ſi ex diametro ad partem oppoſitam, dextera illius amplexabitur vos. Quam ſuave vobis Chriſti iugum, quàm leve onus eius! cum illud facile pro veſtro beneplacito ex qua parte gravitet, probabilitas veſtra ſuſpendat ab humeris veſtris. Sed hæc quæ ironicè diximus, conſecutivè tamen ad vagos illos præſertim ex practicæ probabilitatis iuribus excuſandi modos, quis non videat abſurda eſſe, & indigna, quæ in cordibus humanis verſentur? Non ergo tam ampla credi debent iura probabilitatis: Sed veriſſimum id habendum, quod in ſuperioribus latè docuimus; quod nempè ſic probabilitate uti valeamus; ut ubi re vera lex cogit, rigor illius nullatenùs diminuatur: Sicut enim illum ad plus, quàm in ſe obliget, extendere; videtur onus intolerabile; ita illum, ubi ligat, facile mutilare prætextu iurium practicæ probabilitatis, videri debet impium, & execrandum. Et hoc eſt quod toto hoc opere ſuadere voluimus, ut videlicet quiſquis verum iugum legis ex integro ferat; non enim pro noſtro verſatili iudicio ea ligat, ut interdùm diminui à nobis poſſit. Cæterùm ad plus, quàm illa re vera obliget, confeſſi ſumus, & iterùm fatemur onus importabile eſſe quempiam obligare; nec nos ad id aliquem obligavimus, ut perperam ſolent conqueri Probabiliſtæ. Diximus enim expreſſiſſimis verbis, & rotunda ac clara periodo in ultima reſolutione noſtra, quod quicumque opinione probabili etiam ſtante pro commodo, & libertate utitur, niſi re vera ei lex reſiſtat in oppoſitum, non peccabit: dummodò tamen ipſe non illud agat conſcientia dubitante; tunc enim non nos illum ad peccatum obligamus, ſed ipſe ſe obligat ad peccatum ex conſcientia ſua, quia contra propriam conſcientiam dubitantem practicè agit, quod vel ipſi Probabiliſtæ communiter fatentur. Si autem re vera in ſe lex illi reſiſtat; tunc rigor totus ex lege eſt, non nos ei ſuperimponimus. Ut quid ergo Adverſarii conqueruntur, quod nos imponamus onera importabilia? Nos quippè iugum verum legis exponimus eſſe nimis cuſtodien-

dum,

dum, iuxta illud Pſalmi 118. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Cæterùm iugum aliquod ſuperimponere numquàm ſomniavimus. Ipſi potiùs convincuntur velle probabilitatibus ſuis legem minuere, & iugum eius excutere ab humeris hominum, quantumvis re vera lex ex adverſo ſtare dicatur, ad excuſandas excuſationes in peccatis; quod quidem nos nullo iure fieri poſſe contendimus. Hæc ergo Lector pondera, & benè moraliter vives.

FINIS.

LAUS DEO PRIMÆ VERITATI.

Digitized by Google

INDEX PRIMUS CAPITUM ET PARAGRAPHORUM

Primæ Partis.

Caput primum. De natura, & quidditate conſcientiæ pag. 1.

§. 1. Quid ſit conſcientia p. 1.

2. Num, & qualiter conſcientia differat à morali ſcientia, vel opinione, aut quacumque alia cognitione p. 2.

Caput ſecundum. De diviſione, ſeu multiplici acceptione conſcientiæ p. 4.

§. 1. Quotuplex ſit conſcientia p. 4.

2. An prædictæ ſpecies conſcientiæ ſint ſpecies inter ſe adæquatè contradiſtinctæ p. 6.

Caput tertium. De proprietatibus, & effectibus conſcientiæ p. 7.

§. 1. An omnis conſcientia dictans aliquid agendum, vel non agendum ſemper obliget p. 7.

2. An conſcientia pro utraque parte contradictionis dictans de peccato obliget ſub peccato ad utramque p. 8.

Caput quartum. De depoſitione conſcientiæ erroneæ p. 12.

§. Unicus. Qua via ſit deponenda conſcientia erronea dictans aliquid eſſe agendum, vel non agendum p. 12.

Caput quintum. De altera principali proprietate cõſcientiæ quoad vim excuſandi p. 16.

§. Unicus. An conſcientia erroneè dictans aliquid non eſse peccatum, excuſet p. 16.

Caput ſextum. De conſcientia dubitante p. 17.

§. 1. Explicatur quid, & quotuplex ſit dubium p. 17.

2. An operans cum conſcientia dubitante peccet p. 20.

3. Ad quam ſpeciem peccati ſit reducendum id, quod agitur cum conſcientia dubia p. 22.

4. Quid ſit agendum ab habente conſcientiam dubiam de opere in ſe aliàs licito p. 23.

Caput ſeptimum. De intellectu illius regulæ juris: In dubiis tutior via eſt eligenda p. 26.

§. 1. Quid importet, & ad quæ ſe extendat dicta regula iuris p. 26.

2. Examinatur intellectus D. Antonini de eadem regula iuris p. 30.

Caput octavum. De intellectu alterius regulæ iuris: In dubiis melior eſt conditio poſſidentis p. 32.

§. 1. Quid importet illa alia regula iuris in ſexto: In dubiis melior eſt conditio poſſidentis. Et an per hanc mitigari poſſit rigor præcedentis Regulæ p. 32.

2. Præcedens reſolutio & veritas iterum, & fortiùs demonſtratur p. 35.

3. Eadem veritas iterum alia ratione oſtenditur p. 37.

Caput nonum. De conſcientia probabili p. 42.

§. Unicus. Quid ea ſit, & an agens ſecundùm illam ſit à peccato immunis, etiam ſi contingat errare p. 42.

Caput decimum. De conſcientia ſcrupuloſa, eiuſque remediis p. 44.

§. 1. Quid ſit conſcientia ſcrupuloſa, & qualiter ſit ei obviandum p. 44.

2. De Regulis SS. Patrum pro ſcrupuloſis p. 48.

INDEX CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM Secundæ Partis.

Caput primum. De Ignorantia in genere p. 53.

§. 1. Quid, & quotuplex ſit ignorantia p. 53.

2. Proponuntur dubia, quæ de ignorantia ſunt diſcutienda. Et ſimul exponitur cauſa, & connexio diſcuſſionis eorum p. 55.

Caput ſecundum. De Ignorantia prout cauſare poteſt involuntarium p. 56.

§. 1. An Ignorantia ſemper cauſet involuntarium, ſaltem in eo, in quo nulla præcedit cogitatio, aut ſuſpicio malitiæ p. 56.

2. Aſſignantur tres modi ignorantiæ conſequentis ex D. Thoma. Et in iis oſtenditur non cauſari involuntarium ſimpliciter, quia ſemper in eis eſt, undè haberi poſſit aliqualis prævia cognitio malitiæ, ſaltem virtualis, & in confuſo; quantumcumque nihil agens in actu, quem actualiter agit, de ſpeciali eius malitia cogitet, aut ſuſpicetur p. 57.

3. Stabilitur quænam ignorantia cauſet abſolutè, & ſimpliciter involuntariam malitiam actus, cuius eſt cauſa p. 60.

4. Confirmatur tota præcedens doctrina ex D. Thoma iuxta diviſionem, quam ipſe tradit de ignorantia antecedente, conſequente, & concomitante p. 63.

Caput ſecundum. De ignorantia prout poteſt eſse cauſa actus peccati p. 67.

§. Unicus. An, & quæ ignorantia poſſit eſse cauſa peccati, & qualiter p. 67.

Caput tertium. De ignorantia in ſeipſa formaliter conſiderata p. 69.

§. 1. An Ignorantia ſit peccatum in ſeipſa p. 69.

a 2 Sa-

2. Satisfit obiectionibus in oppoſitum p. 79.
3. Quando incipiat peccatum ignorantiæ, ſeu peccatum omiſſionis debitæ ſtudioſitatis, in qua peccatum ignorantiæ conſiſtit p. 71.
4. Satisfit obiectionibus contra præcedentem doctrinam p. 73.
Caput quartum. De Ignorantia prout interdum à peccato excuſare poteſt, vel non poteſt p. 79.
§. 1. Reſolvitur an ignorantia excuſet à peccato. Et primò id determinatur de ignorantia concomitante, quæ non eſt cauſa actus peccati, ſed illum purè comitatur p. 79.
2. Reſolvitur eadem difficultas de ignorantia promiſcuè tum antecedente, tum conſequente, quæ ſunt cauſa actus peccati p. 81.
3. Reſolvitur ſpecialiter quænam ignorantia excuſet totaliter à peccato p. 82.
Caput quintum. De Ignorantia prout eſt ratio diminuendi peccatum p. 85.
§. Unicus. An ignorantia diminuat peccatum p. 85.
Caput ſextum. De Ignorantia iuris naturæ p. 86.
§. 1. An ignorantia iuris naturæ aliquando excuſet à peccato p. 86.
2. Examinatur mens D. Thomæ quid ſenſerit de ignorantia iuris naturæ, & oſtenditur ex mente eius numquam excuſare p. 87.
3. Oſtenditur eadem mens D. Thomæ circa idem ex articulo ſpecialiter, & ex profeſſo ab eodem diſputato p. 90.
4. Oſtenditur in eodem ſenſu fuiſse Auguſtinum, quod ſcilicet ignorantia iuris naturæ non excuſet p. 94.
5. Idipſum oſtenditur de mente Philoſophi 3. *Ethic. cap.* 2. & iterum ex D. Thomæ Commentariis *ibid*, & Textus Philoſophi aſſertur ſemper ſibi concors in variis verſionibus, & tandem in ſuo originali græco p. 96.
6. Quid importet formaliter in ſeipſo ius naturæ p. 98.
7. Exponitur qualiter ius naturæ dicatur naturaliter inditum p. 101.
8. Oſtenditur ad quæ præcepta ius naturæ ſe extendat, & unde illa multiplicentur. Et determinatur cum D. Thoma ea multiplicari ex triplici inclinatione, quæ cunctis hominibus naturaliter ineſt p. 104.
9. Aſſignantur ſpecialiter præcepta iuris naturæ, quæ derivantur ex prima hominum inclinatione, eaque per ſe nota eſse naturaliter demonſtratur p. 106.
10. Aſſignantur ſpecialiter præcepta iuris naturæ, quæ derivantur ex ſecunda naturali hominis inclinatione, eaque eſse per ſe nota demonſtratur p. 108.
11. Aſſignantur ſpecialiter præcepta iuris naturæ, quæ derivantur ex tertia naturali hominis inclinatione, eaque per ſe nota eſse unicuique demonſtratur p. 125.
12. Recapitulantur ſuperiùs dicta circa ius naturæ, quid ſcilicet ſit, & ad quæ præcepta ſe extendat p. 129.
13. Oſtenditur ex præmiſſa notitia iuris naturæ quoad ſuam quidditatem, & eius extenſionem ad ſingula ſua præcepta, non poſse dari eius ignorantiam invincibilem, & quæ poſſit aliquem excuſare p. 131.
14. Confirmatur, vel veriùs eadem ratio fortiùs, & evidentiùs iterum inculcatur p. 134.
15. Satisfit quibuſdam reſponſionibus, quibus Adverſarii conantur doctrinam, & rationes noſtras enervare p. 137.
16. Oſtenditur in omnibus ferè quæſtionibus iuris naturæ, quæ difficultatem habent apud Doctores, ita ut in varios ſenſus dividantur, difficultatem oriri ex aliqua permixta quæſtione facti, & non ex eo, quod ius naturæ ibi lateat p. 141.
17. Probatur ulteriùs principalis concluſio negans ignorantiam invincibilem iuris naturæ p. 145.
18. Eadem concluſio denique iterum firmatur, & concludenter ex D. Thoma p. 147.
19. Satisfit nonnullis rationibus in oppoſitum quorumdam adhuc fluctuantium circa veritatem concluſionis, etiam ex noſtris, inter quos videtur eſſe Magiſter Paſserinus p. 151.
Caput ſeptimum. De Ignorantia iuris divini poſitivi p. 160.
§. Unicus. An ignorantia divini iuris poſitivi interdum excuſet, & quando p. 160.
Caput octavum. De Ignorantia poſitivi iuris humani p. 163.
§. Unicus. An ignorantia humani iuris ſit interdum invincibilis, ac proindè totaliter excuſet à peccato, & quando p. 163.
Caput nonum. De Ignorantia facti reſpectu cuiuſcumque iuris p. 167.
§. Unicus. An ignorantia facti reſpectu cuiuſcumque iuris ſemper excuſet, & quando non p. 167.
Caput decimum. De ratione ſpecifica peccatorum, quæ ex ignorantia contingunt, eorumque gravitate p. 169.
§. 1. An peccata, quæ ex ignorantia fiunt,

sint

ſint eiuſdem ſpeciei, ac ſi fierent ſcienter p. 169.
2. Quantùm diminuuntur de ſua gravitate peccata, quæ ex ignorantia fiunt. p. 172.

INDEX CAPITUM, ET PARAGRAPHOrum Tertiæ Partis.

Caput primum. De opinione probabili p. 177.
§. 1. Quid ſit opinio probabilis, & quæ verè talis dicenda ſit p. 177.
2. Oſtenditur eumdem intellectum non poſſe ſimul habere opinionem de utraque parte contradictionis p. 178.
3. Ex dictis ſpecialius animadvertitur multas exiſtimatas opiniones Doctorum non eſſe verè probabiles, nec inter opiniones verè computandas p. 180.
Caput ſecundum. De prætenſo licito uſu opinionum probabilium p. 182.
§. 1. Aperitur quid Moderni Probabiliſtæ prætendant de uſu opinionum probabilium in materia morum p. 182.
2. Recenſentur breviter motiva præcipua Probabiliſtarum ex uno, vel altero eorum commodiùs, atque opportuniùs deprompta, utpotè uno quaſi pro omnibus abundantiùs loquente p. 186.
Caput tertium. De Probabiliſtarum doctrina ex modo loquendi utique expeditiore Patris Ioannis de Cardenas deprompta p. 187.
§. 1. Refertur ſummatim huius Authoris doctrina p. 187.
2. Exponuntur limitationes quædam, ſeu clauſtra opinionum improbabilium, quibus à practicè probabilibus ſegregantur iuxta doctrinam Patris Ioannis de Cardenas, & aliorum p. 189.
3. Proſequuntur aliæ limitationes, ſeu clauſtra eiuſdem Authoris p. 190.
4. Quid, & an benè ad intentum ſuum ex præfatis limitationibus, ſive clauſtris improbabilium opinionum inferant Probabiliſtæ p. 192.
Caput quartum. De iuribus probabilitatis practicæ iuxta exiſtimationem Recentiorum Probabiliſtarum, ipſorumque principia p. 193.
§. 1. Exponitur dictamen, ſeu iudicium reflexum, cui ſupra modum Recentiores confidunt ad ſuſtinenda iura practicæ probabilitatis, & qualiter ex illo arguant certitudinem licitæ operationis p. 193.
2. Oſtenditur demonſtrationem prædictam Probabiliſtarum eſſe nullius roboris p. 196.
Caput quintum. De exiſtimata prudentia operationis ex opinione practicè probabili regulatæ p. 197.
§. 1. An qui operatur iuxta opinionem practicè probabilem, hoc ipſo prudenter operetur, etiam datâ Probabiliſtis eorum definitione opinionis probabilis, quod ſit prudenti rationi innixa p. 197.
2. Præmittitur notitia prudentiæ, & exponitur quænam prudentia inſit iudicio probabili; & quod inde nullatenùs ſequatur operatio prudens p. 199.
3. Confirmatur, & magis explicatur præcedens doctrina p. 201.
4. Iterum magis explicatur doctrina præcedens p. 205.
5. Dilucidatur magis tota præcedens doctrina. Et exponitur quot modis ſe habere poſſit opinans ex parte ſuæ intentionis in opinando; & inde oſtenditur quo genere prudentiæ dum opinatur re verà procedat p. 209.
6. Exponitur finis proprius prudentiæ virtutis: Et inde nullo modo eam ineſſe opinioni probabili, & operationi per eam regulatæ iterum concluditur p. 212.
7. Oſtenditur quod adhuc gratis dato, quod iudicium opinionis practicè probabilis ſit prudens prudentiâ ſimpliciter dictâ, non poteſt operatio indè regulata dici ſimpliciter prudens, ac proindè nec iudicium reflexum ſuper probabilitate directâ poteſt moralem certitudinem de licito in illam refundere p. 215.
8. Refellitur alia via, quam ſibi ſternit P. Ioannes de Cardenas pro certitudine iudicii reflexi ſtabiliendâ. Ex quo iterum oſtenditur operantem ex opinione practicè probabili non poſſe certò dici prudenter operari p. 218.
9. Refelluntur argumenta cuiuſdam D. Franciſci de Perea Moderni Doctoris Granatenſis p. 223.
Caput ſextum. De Ignorantia invincibili à Recentioribus prætenſa in omni opinione probabili p. 225.
§. 1. An certò licitum ſit operari ex opinione probabili de licito, eo quod in eâ præſumatur involuta ſemper ignorantia invincibilis excuſans à peccato, ſi fortè in ſe opus ſit illicitum p. 225.
2. Defenditur doctrina Vincentii Baronii argumentis contra Caramuelem ſuper invincibilitate ignorantiæ opinionis probabilis. Et vindicatur ab improbationibus Patris Ioannis de Cardenas p. 230.
3. Defenditur ampliùs Vincentius Baronius in reliquo ſuo diſcurſu contra Caramuelem ab aliis improbationibus Patris Ioannis de Cardenas p. 232.
4. Refelluntur quædam alia reſponſio argumenti in Baronium factæ à P. Cardenas p. 238.

Refel.

5. Refellitur ulterius invincibilitas ignorantiæ allegata à Patre Cardenas, & aliis cum ipſo in omni opinione practicè probabili p. 241.

6. Refellitur eadem invincibilitas ignorantiæ opinionis practicè probabilis, etiam prout in eâ prætenditur à Patre Cardenas ex vi doctrinæ D. Thomæ p. 243.

Caput ſeptimum. De probabilitate quatenus prætensâ regula agendorum p. 246.

§. Unicus. An opinio probabilis poſſit dici ſufficiens regula agendorum p. 246.

Caput octavum. De prætenſo licito uſu, & delectu opinionis practicè probabilis p. 248.

§. 1. Quid tandem ſentiendum ſit de uſu opinionis probabilis, deque probabilium delectu p. 248.

2. Reſolvitur expeditiùs quid tandem definiendum ſit de uſu opinionis probabilis: cumque licitum eſſe dicitur cum duplici limitatione p. 252.

3. Reſolvitur quid dicendum ſit de delectu opinionis practicè probabilis de licito, & in quo differat delectus ab uſu. Et indè abſolvitur concluſio noſtra à calumniis, & querelis Probabiliſtarum contra Baronium, & nos p. 255.

Caput nonum. De intellectu quodlibeti octavi ar. 13. D. Thomæ circa uſum opinionis practicè probabilis p. 259.

§. 1. Expenditur ex profeſſo Textus Divi Thomæ in præfato quodlibeto adverſus Recentiores Probabiliſtas p. 259.

2. Refellitur confirmatio Patris Ioannis de Cardenas pro ſua interpretatione dicti quodlibeti ex aliis D. Thomæ locis prætenſa p. 262.

3. Refellitur alia Patris Cardenas confirmatio interpretationis ſuæ deſumpta ex praxi opinandi eiuſdē D. Thomæ p. 265.

Caput decimum. De ſenſu SS. Patrum circa uſum probabilitatis p. 266.

§. 1. Oſtenditur reſolutio noſtra de uſu opinionum practicè probabilium cum duabus ſuis limitationibus conſtans, & ſtabilis ad mentem SS. Patrum, & primo S. Patris Auguſtini p. 266.

2. Confirmatur reſolutio noſtra ex aliis SS. Patribus p. 270.

3. Confirmatur denique reſolutio noſtra authoritate Pontificia, & aliorum p. 272.

Caput undecimum. De inefficacia rationum, quas pro ſe contra nos congerunt Probabiliſtæ p. 273.

§. 1. Solvuntur argumenta præcipua adverſariorum p. 273.

2. Exponitur quid ſit certitudo moralis prudenter agentibus neceſſaria. Ex qua Adverſarij nos redarguunt, quaſi exigamus certitudinem phiſicam, ſeu mathematicam ad agendum: cum tamen nos ſimus cum ipſis ſola morali certitudine contenti p. 277.

3. Satiſfit inſtantiæ deſumptæ ex decreto Alexandri VIII. p. 279.

4. Satiſfit alteri inſtantiæ cuiuſdam Recentioris Canonici Catanenſis ex eodem decreto Alexandri VIII. p. 282.

Caput duodecimum. De aliis improbationibus, vel veriùs eiſdem iterùm, & noviſſimè inculcatis adverſus nos à R. P. Paulo Segneri Societatis Ieſu, & plus nimio amplificatis p. 289.

§. 1. Profertur motivum huius Authoris, ſeu prætextus ab ipſo aſſumptus ſcribendi ſuper uſu Probabilium. Et ſimul aperitur in quo ſenſu abundet: & cur eius improbationes hic ſpecialiter ventilentur p. 289.

2. Referuntur fideliſſimè, & ſimul impugnantur, quæ in prima parte ſuæ epiſtolæ affert præfatus Author in favorem practicæ probabilitatis p. 290.

3. Referuntur quæ habet Author iſte in ſecunda parte ſuæ epiſtolæ, & impugnantur p. 299.

4. Referuntur, quæ idem Author habet in tertia parte eiuſdem ſuæ epiſtolæ, & impugnantur p. 306.

5. Referuntur quæ in quarta parte habet Author iſte, & impugnantur p. 308.

6. Refertur, & impugnatur quod habet Author iſte in quinta parte ſuæ epiſtolæ p. 311.

7. Refertur, & refellitur quod idem Author habet in ſexta parte p. 312.

8. Refertur quod habet Author iſte in ſeptima parte ſuæ epiſtolæ, & ſatiſfit petitionibus eius p. 314.

9. Referuntur, & impugnantur quæ idem Author habet in octava parte ſuæ epiſtolæ p. 316.

10. Altera præfati Authoris querimonia, quæ in nona parte ab eo ſit adverſus nos, refertur: & congrua ei reſponſio ingenuè exhibetur p. 317.

11. Referuntur, & impugnantur quæ dicit Author iſte in ultima parte ſuæ epiſtolæ. p. 320.

Caput XIII. De noviſſima quadam concordia à R. P. Ioſepho Riccio Societatis Ieſu nuperrimè prætenſa inter Recentiores Probabiliſtas, & Probabilioriſtas nuncupatos circa regulam honeſtatis in materiâ opinativâ deſignandam p. 326.

§. 1. Exponitur Moderni huius Scriptoris intentio, & indè ſimul neceſſitas reſcripti præſentis aperitur p. 326.

2. Summa primi Capitis prioris diſſertationis huius Authoris pro præfata concordia ſua p. 328.

Criſis

Digitized by Google

Criſis doctrinæ præcedentis p. 329.
3. Aſſertur ſumma doctrinæ eiuſdem P. Riccii in 2. cap. p. 333.
Criſis doctrinæ præcedentis p. 336.
4. Summa doctrinæ eiuſdem P. Riccii in 3. cap. p. 343.
Criſis doctrinæ præcedentis p. 346.
5. Summa doctrinæ eiuſdem P. Riccii in 4. cap. p. 355.
Criſis doctrinæ præcedentis p. 358.
6. Summa doctrinæ eiuſdem P. Riccii in 5. cap. p. 364.
Criſis doctrinæ præcedentis p. 366.
7. Summa doctrinæ eiuſdem P. Riccii in 6. & ult. cap. p. 370.
Criſis doctrinæ præcedentis p. 372.
Caput XIV. De altero principio P. Riccii ad ſuam prætenſam concordiam firmandam p. 376.
§. 1. Proponitur intentio huius Authoris in hac ſecunda ſua diſſertatione; & dum eius aſſumptum refertur, ſimul de contradictione redarguitur p. 376.
2. Summa doctrinæ eiuſdem in primo capite ſuæ poſterioris diſſertationis p. 378.
Criſis præcedentis doctrinæ p. 379.
3. Summa doctrinæ eiuſdem in ſecundo capite p. 381.
Criſis eiuſdem doctrinæ p. 383.
4. Summa doctrinæ eiuſdem in tertio capite p. 386.
Criſis eiuſdem doctrinæ p. 388.
5. Summa doctrinæ eiuſdem in quarto capite p. 394.
Criſis eiuſdem doctrinæ p. 396.
6. Summa doctrinæ eiuſdem in quinto capite p. 397.
Criſis eiuſdem doctrinæ p. 401.
7. Summa doctrinæ eiuſdem in ſexto capite p. 409.
Criſis eiuſdem doctrinæ p. 411.
8. Summa doctrinæ eiuſdem in ſeptimo capite p. 416.
Criſis eiuſdem doctrinæ p. 418.
9. Summa doctrinæ eiuſdem in octavo capite p. 423.
Criſis eiuſdem doctrinæ p. 427.
Caput ultimum. In quo examinantur tria dicta præcipua Patris Riccii, & reprobantur p. 435.
§. 1. Num licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam probabiliorem, relicta tutiore ſtante pro lege, minùs tamen probabili p. 436.
2. Num doctrina Probabilioriſtarum; quod ſcilicet licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam, ſeu ſtantem pro licito, & libertate probabiliorem, relictâ tutiore ſeu ſtante pro lege, & illicito, minùs tamen probabili, ſit verè & unicè media inter extremos errores ab Eccleſiâ damnatos p. 438.

INDEX SECUNDUS
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in toto Opere continentur.

ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS.

Prior numerus eſt marginalis, qui ſemper idem continuatur. Secundus verò paginam indicat.

A

ABſtinentiæ, ieiunia, diſciplinæ, & carnis macerationes qualiter de jure naturæ licitæ, & bonæ ſint, vel illicitæ. 414. pag. 107.

Academicis falsò tribuit Joannes de Cardenas, quod probabilitatem quamdam chymericam, repugnantem, & falſam docuerint; & quod ſecundùm illam dixerint licitum eſſe operari, ut teſtimonium Auguſtini contra Probabiliſmum ſuum effugeret. 950. & ſeqq. p. 268.

Actus proprii, ſeu munera, quæ conſcientiæ attribuuntur, quæ ſint. 3. p. 2.

Actus coniugii inter impotentes coire, vel verum ſemen emittere jure naturæ illicitus eſt, nec poteſt invincibiliter ignorari. 430. & 432. p. 113.

Actus omnes libidinoſi extra matrimonium ſunt jure naturæ prohibiti. Nec poteſt hoc invincibiliter ignorari. 450. p. 118.

Actus coniugalis in loco publico, aut Sacro jure naturæ illicitus eſt, nec poteſt invincibiliter ignorari. 473. p. 124.

Agens cum conſcientia dubia de peccato peccat ex vi huiuſmodi conſcientiæ, & eo genere peccati puta mortalis, vel venialis, de quo ipſe, dum agit, practicè dubitat. 84. p. 20.

Agens cum conſcientia dubia tantùm de veniali, ex vi ſuæ conſcientiæ tantùm venialiter peccat. Sed aliundè videlicet ex vi legis contra quam fortè agit, poteſt peccare mortaliter. 85. p. 21.

Agens cum conſcientia dubia de peccato, nihil cogitans de mortali, vel veniali, mortaliter peccat ex vi conſcientiæ; niſi dubium virtualiter ſit de ſolo veniali. Quod quando, & quomodo contingere poſſit explicatur. 86. uſque ad 90. p. 21.

Agens cũ cõſciẽtia dubia peccat ea ſpecie peccati, quod opponitur præcepto, aut virtuti, contra quod, aut contra quam agens dubitat ſe agere. 91. & 92. p. 22.

Agens cum conſcientia dubia de peccato in confuſo, ita ut de nulla contrarietate ad aliquod præceptum, vel virtutem cogitet; ſed abſque ullo prorsùs motivo alicuius huiuſmodi contrarietatis dubitet, ſi tamen poſſibile ſit, qua ſpecie peccati peccet. 93. uſque ad 96. p. 22.

Agens dubitans de peccato in actu aliàs ſecundum ſe licito, debet dubium practicum, ſeu conſcientiam ſuam deponere, vel alteram partem pro lege eligere. 98. & 99. p. 23.

Agens habens conſcientiam dubiam de peccato ex utraque parte contradictionis an peccet quamcumque partem eligat, & reſolvitur pars affirmativa. Et quid facere debeat, ut non peccet. 100. uſq; ad 108. p. 24.

Agens juxta opinionem probabilem de licito non poteſt dici prudenter agere per ordinem, & ſubiectionem ad legem, neque tamquam ad finem, ad quem poſitivè tendat; neque tamquam ad finem, à quo nolit recedere, ac propterea nullo modo prudenter agit ſecundùm prudentiam virtutem. 782. & ſeqq. p. 219.

Agens ſecundùm opinionem probabilẽ quinque modis poteſt ſe habere: & ſecundùm quod uno, vel altero modo contingit ſe habere, dicitur peccare, vel non peccare. 890. & ſeqq. p. 250.

Agendorum ſufficiens regula an dici poſſit opinio practicè probabilis. Et reſolvitur pars negativa. 877. & ſeqq. p. 246.

Affectata ignorantia, licet ſit in ſeipſa, & per ſe volita, nihilominùs diminuit peccatum, quod ex illa ſubſequitur. 336. & 337. p. 85.

Affectata ignorantia quo ſenſu à D. Thoma dicatur augere peccatum. 337. & 338. p. 85.

Alexandri VII. Decreto reprobatur Probabiliſmus. 967. p. 272.

Alexandri VIII. Decretum Doctrinæ Authori nullatenus opponi poſſe oſtenditur. 994. & ſeqq. p. 279.

Amplexus, tactus, & oſcula libidinoſa jure naturæ prohibentur, idque nequit invincibiliter ignorari. 473. p. 124.

Antecedens ignorantia totaliter excuſat à peccato, conſequens verò non, ſed ſolùm diminuit. 315. & 333. p. 81. & 85.

D. Antoninus quid ſenſerit de regula illa juris: in dubiis via tutior eſt eligenda, an importet

tet

tet præceptum, vel conſilium. Et reſolvitur quod importet præceptum etiam juxta eius doctrinam contra nonnullos. 126. & ſeqq. p. 30.

Argumenta Probabiliſtarum pro uſu licito opinionis probabilis recitantur, & ſolvuntur. 972. & ſeqq. p. 273.

Argumentū Probabiliſtarum contra Authoris Doctrinam deſumptum ex Decreto Alexandri VIII. refertur, & ſolvitur. 994. & ſeqq. p. 279.

Argumento ex pluralitate Doctorum ſtantium pro Probabiliſimo ſatisfit. 1028. & ſeq. p. 288.

Aſſiſtens infirmo graviter Ægrotanti perplexus de peccato die feſtivo ſi infirmum deſerat, ut Sacrum audiat; vel illi aſſiſtat, & omittat Sacrum, quid debeat facere, ut non peccet; & quid in ſimilibus exemplis. 49. p. 12.

Auguſtinus Firmum Epiſcopum Tagaſtenſem commendat, quod noluerit Innocentem fugientem ab Apparitoribus Imperatoris indicare, nec mentiri, ac propterea multa ſit paſſus ab illis. 41. p. 10.

Auguſtini teſtimonio Probabiliſmus ſpecialiter, & expreſsè condemnatur. 945. p. 266.

Auguſtini præfatum teſtimoniū gloſſat Joannes de Cardenas, quod intelligendum ſit adversùs quamdam probabilitatem chymericam. Sed eius gloſſa ex eodem Auguſtino ibidem reiicitur. 946. & 947. p. 267.

Auguſtini Textum, quem pro ſe magnificat Paulus Segneri in commendationem opinionis probabilis, omninò alienum à Probabiliſſimo eſſe, imò illi contrarium oſtenditur. 1069. p. 304.

Authoritas Petri non extinguenda in Petro, ſed perpetuò continuanda in ſucceſſoribus ſuis. 592. p. 162.

B

BAronius vindicatur ab improbatione Joannis de Cardenas circa hoc, quod ille ſenſerit non poſſe jus naturæ invincibiliter ignorari. ubi pro eo ſatisfit petitioni eiuſdem de Cardenas de quæſtione illa: An, & ex quo principio oſtendi poſſit, ſi jure naturæ quis teneatur ad reſtitutionem damni illati cum ſolâ culpâ veniali? & ſimul oſtenditur huiuſmodi quæſtionem non eſſe tantùm juris; ſed mixtam, nempè juris, & facti. 508. & ſeqq. uſque ad 517. p. 137.

Baronius Definitionem opinionis probabilis, quâ utuntur Probabiliſtæ impugnat, & ſuam tradit, & optimè. 717. p. 198.

Baronii definitionem opinionis probabilis reiicit Joannes de Cardenas, & peſſimam eam appellat; ſed perperam, idque oſtenditur ex Bernardo. 718. p. 198.

Baronius defenditur ab impugnatione Joannis de Cardenas, quâ illum redarguit, quaſi non benè concludentem adversùs Caramuelem ex principiis eiuſdem. Et notatur Cardenas de lapſu notabili, dum congruam locutionem Baronii ex non intelligentiâ illius perperam correxit. 818. & ſeqq. p. 229.

Baronius contemnitur a Joanne de Cardenas eo, quod promiſerit plura errorum monſtra demonſtrare ex doctrina probabilitaris Caramuelis, quaſi poſtmodùm non demonſtraverit. 824. p. 232.

Baronium demonſtraſſe monſtra, quæ promiſerat oſtenditur, & defenditur ab omnibus, quæ in ipſum arguit Joannes de Cardenas 825. & ſeqq. uſque ad 855. p. 240.

Baſilii teſtimonio, & authoritate reprobatur Probabiliſmus. 960. p. 270.

Bernardi teſtimonio, & authoritate reprobatur Probabiliſmus. 964. p. 271.

Bernardus opinionem probabilem per veriſimilitudinem definivit. 718. p. 198.

Bona conſcientia quæ ſit. 18. 20. & 21. p. 5.

C

CArcere detentus, vel cuſtos gregum in campis ſi conſcientiam habeat dubiam, vel perplexam de peccato ſi die feſtivo Sacrum non audiat, an peccet. 50. p. 12.

Catholici quantumcumq; rudes, & idiotæ non excuſantur ex ignorantia myſteriorum fidei, vel communium Eccleſiæ præceptorum. 594. p. 162.

Certitudo moralis quid ſit diffusè explicatur. 985. & ſeqq. p. 277.

Certitudinem moralem haberi non poſſe ex vi probabilitatis oſtenditur ibid.

Certitudinem moralem haberi in opinione probabiliſſima inter probabiles, ſi hæc verè ſit talis, oſtenditur. 1000. & ſeqq. p. 281.

Concordia noviſſimè prætenſa à Joſepho Riecio inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas; imò & inter omnes Doctores Catholicos, pro opinione etiam minùs probabili, refertur: & indè grave periculum totius Ethicæ Chriſtianæ corrumpendæ animadvertitur: atque ideò ut fuſiſſimè impugnanda aſſumitur. 1118. & ſeqq. p. 326.

Conſcientia quid ſit. 1. p. 1.

Conſcientia non eſt aliqua potentia, neque habitus, ſed actus intellectus practici. 2. p. 1.

Conſciētiæ actus proprii, ſeu munera quæ ſint 3. p. 2.

Conſcientia qualiter differat à ſcientiâ, vel opinione morali. 7. p. 2.

Conſcientia eſt judicium practicum per modum indicantis, ſeu dictantis, non autem per modum imperantis, & præcipientis: atque ideò differt a judicio practico prudentiæ. 12. p. 3.

Con-

Conſcientia quotuplex ſit. 13. p. 4.

Conſcientiæ diviſio, quæ communiter circumfertur, non eſt adæquata. 14. p. 4.

Conſcientia bona quæ ſit. 18. 20. & 21. p. 5.

Conſcientia prudens quæ ſit, quæve imprudens. ibid.

Conſcientiæ ſpecies non ſunt inter ſe adæquatè diſtinctæ. 26. p. 6.

Conſcientia qualiſcumque ſit, ſive vera in ſe, ſive falſa, & erronea dictans aliquid agendum, vel non agendum ſemper obligat ad peccatum. 30. p. 7.

Conſcientia vim obligandi habet derivatam ex Dei lege. 31. p. 8.

Conſcientia perplexa non differt à dubiâ, niſi materialiter. 29. p. 7.

Conſcientia perplexa dicitur ab aliquibus auferre agenti libertatem, ac proindè non obligare ad peccatum, quamcumque partem agens eligat. 32. p. 8.

Conſcientia perplexa ex D. Thoma, & ſecundùm veritatem obligat ad utramque partem contradictionis. 33. & 34. p. 8.

Conſcientiam perplexam habens tenetur illam deponere, alioquin agendo ſemper peccabit. 45. & 49. p. 11. & 12.

Conſcientiam perplexam habens dum eſt carcere detentus, vel gregem cuſtodit in campis, eo quod in die feſto Sacrum non audit, an peccet. 50. p. 12.

Conſcientiam erroneam ut quis deponat, non opus eſt, quod habeat rationem aliquam convincentem, aut ſaltem probabilem ſibi ſuadentem eſſe in errore; ſed ſatis eſt ſi illam contemnat ut erroneam etiam gratis, & voluntariè, eamque quomodocumque deponat, ut non peccet. 52. & 53. p. 12.

Conſcientiam rectam deponens, & formans ſibi erroneam, & falſam contra legem virtute opinionis probabilis in ſe falſæ, nedùm imprudenter ex modo procedendi agit, ſed etiam peccat iuxta ſpeciem operationis, quam agit contra legem. 56. p. 14.

Conſcientia erronea dictans aliquid non eſſe peccatum, ſi ſit ex ignorantiâ aliquo modo voluntariâ ſive directè, ſive indirectè, non excuſat; ſecus verò excuſat. 64. & ſeqq. p. 16.

Conſcientia dubia, & dubium quid ſit. 69. & 70. p. 17.

Conſcientia dubia diſtinctiùs exponitur. 80. & 81. p. 19.

Conſcientiam habens dubiam de peccato agendo peccat ex vi ſuæ conſcientiæ, & eo genere peccati, puta mortalis, vel venialis, de quo ipſe dubitat. 84. p. 20.

Conſcientiam habens dubiam de veniali ex vi conſcientiæ tantum venialiter peccat; licet poſſit aliundè ex parte legis, contra quam fortè agit, peccare mortaliter. 85. p. 21.

Conſcientiam habens dubiam de peccato nihil actu cogitans de mortali, vel veniali, mortaliter peccat ex vi conſcientiæ, niſi dubium virtualiter ſaltem ſit de ſolo veniali. Quod quando, & quomodo poſſit accidere, explicatur. 86. & ſeqq. p. 21.

Conſcientiam habens dubiam agendo eâ ſpecie peccati peccat, quod opponitur præcepto, aut virtuti, contra quod, aut contra quam agens dubitat agere. 91. & 92. p. 22.

Conſcientiam habens dubiam de peccato in genere, & confusè, ita ut de nulla contrarietate ad aliquod præceptum, aut virtutem cogitet, ſed abſque ullo prorsùs motivo contrarietatis ad aliquam legem dubitet, ſi tamen poſſibile ſit, qua ſpecie peccati peccet. 93. & ſeqq. p. 22.

Conſcientiam habens dubiam de peccato in actu alioquin in ſe licito, debet conſcientiam deponere, ut non peccet; vel alteram partem pro lege eligere. 98. & 99. p. 23.

Conſcientiam habens dubiam de peccato ex utraque parte contradictionis, quamcumque partem eligat, peccabit, niſi eam deponat. 100. & ſeqq. p. 24.

Conſcientiam dubiam habenti an ſit præceptum, vel conſilium regula illa iuris. In dubiis tutior via eſt eligenda. 110. p. 26.

Conſcientia probabilis quid ſit, & qualiter ab opinione probabili diſtinguatur 177. p. 42.

Conſcientiam probabilem habens an agendo iuxta illam peccet, duplex quæſtio eſſe poteſt, nempè de peccato ex parte legis, & de peccato ex parte conſcientiæ. 178. p. 43.

Conſcientia probabilis poteſt dupliciter ſumi, videlicet adæquatè, & quatenùs importat iudicium practicum de licito cum formidine illiciti; & inadæquatè prout ſcilicet dicit tantum iudicium practicum de licito, præciſâ ex parte agentis formidine illâ de illicito. 179. p. 43.

Conſcientiam habens probabilem primo modo agendo peccat ex vi eiuſdem conſcientiæ, non autem ſi illam habeat ſecundo modo, ſtando tamen in vi conſcientiæ. 180. & ſeqq. p. 43.

Conſcientia ſcrupuloſa quid ſit, & qualiter a ſcrupulo diſtinguatur. 183. & 184. p. 44.

Conſcientia ſcrupuloſa obligat ad peccatum, niſi deponatur, non autem ſcrupulus. 185. p. 44.

Conſcientia ſcrupuloſa eſt omninò deponenda, ſcrupulus verò ſatis eſt ſi repellatur, & non permittatur tranſire in conſcientiam. 187. p. 44.

Conſcientiæ ſcrupuloſæ remedia quæ. 201. & ſeqq. p. 48.

Concomitans ignorantia non excuſat; & in quo ſenſu ſit hoc intelligendum. 307. & ſeqq. p. 79.

Conſequens ignorantia non excuſat à toto, licet peccatum diminuat. 315. p. 81.

Concomitans ignorantia ex ſe neque diminuit, neque auget peccatum. 334. p. 85.

Conſequens ignorantia tantum de peccato dimi-

minuit, quantum minus relinquit de voluntario. 335. p. 85.

Conſequens ignorantia una plus diminuit de peccato, quàm altera, ſecundùm quod una minùs, quam altera habet de voluntario. 336. & 337. p. 85.

Coniugium vetulorum licitum eſt, & quare. 433. p. 114.

Coniugium filiorum cum propriis Genitoribus iuræ naturæ eſt illicitum, atque ideò indiſpenſabile. 436. p. 115.

Coniugium inter fratres, & ſorores non eſt iure naturæ prohibitum, ac propterea eſt diſpenſabile. 437. p. 115.

Coniugium inter conſanguineos aſcendentes, & deſcendentes per lineam rectam, exceptis filiis, & parentibus, non eſt iure naturæ prohibitum, contra nonnullos. 437. & ſeqq. p. 115.

Cultus diſparitas non impedit iure naturæ matrimonium; unde poteſt cum tali diſparitate validum eſſe; & nihilominùs poteſt eſſe diſſolubile, & quare. 443. & ſeqq. p. 117.

Clauſtra Joannis de Cardenas opinionibus practicè improbabilibus oppoſita aſſignantur, & exponuntur. 684. & ſeqq. p. 189.

Chryſoſtomi teſtimonio, & authoritate Probabiliſmus reprobatur. 961. p. 270.

D

DAmnum inferens ex levi culpa an ad reſtitutionem teneatur. 514. & 515. p. 139.

Debiti coniugalis petitio à menſtruata iure naturæ illicita eſt, ſi ſupponatur iuxta plurimorum ſententiam indè imminere Proli damnum notabile. Sed talis ſuppoſitio non videtur vera. 452. & ſeqq. p. 119.

Debiti coniugalis redditio, etiam facta huiuſmodi ſuppoſitione damni, licita eſt ex D. Thoma, & quare. 456. p. 120.

Sed vide in ſeqq. uſque ad 462. ubi hoc melius expenditur.

Delectatio moroſa eſt iure naturæ prohibita, neque poteſt hoc invincibiliter ignorari. 475. p. 125.

Depoſitio conſcientiæ erroneæ non exigit rationem aliquam convincentem, aut ſaltem probabilem in agente, ut volunt nonnulli, ſed ſatis eſt ſi fiat voluntariè, ut agens non peccet agendo. 52. & 53. p. 12.

Depoſitio conſcientiæ dubiæ non prodeſt agenti contra legem, ut ipſum excuſet à tranſgreſſione legis, ſed ſolùm ut excuſet à peccato contra conſcientiam. 603. p. 165.

Depoſitio formidinis, quæ annexa eſt opinioni probabili de licito non poteſt reddere moraliter certum agentem ſecundùm illam, ucque ex vi iudicii directi, neque ex vi iudicii reflexi ſuper ratione gravi, cui ſua opinio ſupponitur innixa, contra Ioannem de Cardenas. 775. p. 218.

Definitione opinionis probabilis, qua Probabiliſtæ eam dicunt eſſe, quæ gravi, & prudenti rationi innititur, gratis eis admiſsâ, non benè infertur prudenter eum agere, qui iuxta illam operatur. 723. p. 199.

Dictamina quædam aſſignantur in mente divina exiſtentia quaſi diſtinctæ leges æternæ, undè ſunt recta noſtra dictamina participata, etiam pro quando contingit noſtra eſſe in ſe falſa ex ignorantia tamen invincibili. Et illa ſingula ſemper veriſſima oſtenduntur. atque indè demonſtratur Deum nos ſemper eſſe iudicaturum ſecundùm veritatem ſuæ legis æternæ, etiam dum nobis non imputatur ad peccatum id, quod alias in ſe peccatum eſt, ſed à nobis invincibiliter ignoratum. 164. uſq; ad 174. p. 39.

Dubium poſitivum, & negativum quid ſit. 70. p. 17.

Dubium ſtrictè ſumptum puram ſuſpenſionem iudicii ab utraque parte contradictionis importat. Unde non ſtat cum opinione. at ſi non ita ſtrictè ſumatur confunditur cum formidine opinionis contra Probabiliſtas. 71. & 72. p. 17.

Dubium ſtrictè ſumptum dividitur in practicum, & ſpeculativum, & utrumque exponitur contra nonnullos aliter id exponentes. 75. & ſeqq. p. 18.

Dubium practicum quid ſit diſtinctiùs exponitur. 80. & 81. p. 19.

Dubia Conſcientia. Vide Conſcientia dubia, ubi reperies quæ poſſent ad hunc locum pertinere.

In dubiis an ſit præceptum, vel conſilium regula illa Iuris: *Via tutior eſt eligenda*. 110. & ſeqq. p. 26.

In dubiis quid importet altera illa regula iuris: *Melior eſt conditio Poſſidentis*. Et ad quæ ſe extendat. 134. p. 32.

Vide etiam Regula Juris.

E

ERronea Conſcientia dictans aliquid agẽdum, vel non agendum ſemper obligat ad peccatum. 30. p. 7.

Erronea Conſcientia eſt deponenda. Et ſatis eſt, ſi purè voluntariè deponatur, contra P. Tamburinum, & alios, qui exigunt rationem aliquam vel probabiliorem, vel ſaltem probabilem in oppoſitum. 52. & ſeqq. p. 12.

Erronea Conſcientia dictans aliquid eſſe licitum, ſi error ſit ex ignorantia quomodocũque, ſive directè, ſive indirectè voluntaria, ſeu vincibili, non excuſat. 64. & ſeqq. p. 16.

Error probabilis, ſeu qui contingit in opinione probabili in ſe falſa, non excuſat, quia in ea ſemper habetur motivũ ſufficiens pru-

 den-

denter dubitandi de illicito. 604. & 608. p. 166.
Ebriorum peccata non ſunt rigoroſè loquendo in ſua propria ſpecie, ſed trahuntur ad ſpeciem ſuæ cauſæ, nempè peccati Ebrietatis tamquam circumſtantiæ illius mutantes ſpeciem. 621. Vide V. Ignorantia. p. 170.
Excommunicatus ſi ſit perplexus de peccato immiſcendo ſe divinis, ut Sacrum audiat in die feſtivo; vel omittendo ſacrum, ut non contemnat cenſuram, quid efficere debeat. 49. p. 12.

F

FActi ignorantia an, & quænam excuſet à peccato. 609. p. 167.
Facti ignorantia regulariter eſt invincibilis. 610. p. ibid.
Fidei ignorantia poteſt in aliquo caſu raro eſſe invincibilis, ut ſi quis nutritus in ſylvis, vel alibi, nihil audiat de Evangelio, qui eſſet purè negativè infidelis, & non poſitivè fidei reſiſteret. 595. & 605. p. 162. & 166.
Fidei myſteriorum ignorantia, ſicut & communium præceptorum Eccleſiæ in Catholicis etiam rudibus non excuſat. 594. p. 162.
Fidelis cum infideli jure naturæ non prohibetur contrahere, quia diſparitas cultus non impedit de jure naturæ matrimonium, ſed eſt impedimentum juris Eccleſiaſtici. 443. p. 117.
Fidei diſparitas non quæcumque impedit matrimonium de jure eccleſiaſtico, ſed ea ſolùm quæ eſt inter baptizatum, & non baptizatum, quia impedimentum dirimens conſtitutum ab Eccleſia propriè non eſt fidei, ſed cultus diſparitas. Unde fidelis cum hæretica validè contraheret, licet peccaret. 447. p. 118.
Filii cum Parentibus jure naturæ prohibentur contrahere, atque ideo non eſt cum eis diſpenſabile, ut matrimonium contrahant. Idque non poſſe invincibiliter ignorari oſtenditur. 436. p. 115.
Fratres verò cum ſororibus, aut quicumque alii conſanguinei etiam aſcendentes, & deſcendentes per lineam rectam non impediuntur jure naturæ, ſed jure Eccleſiaſtico. 437. & ſeqq. p. ibid.
Finis quærentis ſibi licitum nequit eſse bonū honeſtum, in quod unicè tendit virtus prudentiæ. Undè quicumque vult agere quod ſibi ſit licitum, ſeu permiſſum, ſicut accidit ei, qui ſequitur opinionem probabilem de licito, non poteſt dici prudenter agere in genere prudentiæ virtutis, cui repugnat peccatum, ſed in alio genere prudentiæ. Et in hoc valdè æquivocant Probabiliſtæ. 759. & ſeq. p. 211.
Finis proprius prudentiæ virtutis quinam ſit magis exponitur, & inde ſit magis evidens, quod qui ſequitur opinionem probabilem de licito, non reſpicit talem finem, ac propterea non prudenter operatur prudentia virtute, cui peccatum repugnat. 761. & ſeq. p. 212.
Firmi Epiſcopi Tagaſtenſis conſtantia commendatur ab Auguſtino. 41. p. 10.
Formidinem ſuæ opinionis probabilis de licito in praxi deponens, non proinde poteſt reddi moraliter certus de licito ſuæ operationis, ueque ex vi ſui judicii reflexi ſuper ratione gravi, cui ſua opinio ſupponitur innixa, ut prætendit Joannes de Cardenas. 775. p. 218.
Franciſci de Perea rationes pro tuenda certitudine judicii reflexi Probabiliſtarum reiiciuntur. 792. & ſeqq. p. 223.

G

GLoſſa Joannis de Cardenas in favorem ſui Probabiliſmi ſuper art. 13. quodlib. 8. D. Thomæ ſpecialiter expenditur, & reprobatur ex vi ipſiuſmet literæ D. Thomæ. 924. uſq. ad 944. p. 259.
Gloſſa eiuſdem Ioannis de Cardenas ſuper textu Auguſtini impugnātis Probabiliſmum contra Academicos, quod videlicet impugnet probabilitatem quamdam chymericam & repugnantem, prout ipſe prætendit eam Academicorum fuiſſe, reiicitur ex litera eiuſdem Auguſtini. 947. p. 267.
Gloſsæ prædictæ eiuſdem, & aliorum Probabiliſtarum, iterum reiiciuntur, ex hoc ipſo, quod promptæ, & communes eſſe poſſunt, & importunè applicari ad quæcumque Sāctorum Patrum teſtimonia, quæ poſſent adverſus Probabiliſmum adduci. 965. & ſeq. p. 271.
Gregorii teſtimonio, & authoritate reprobatur Probabiliſmus. 962. p. ibid.

H

HÆreticorum nota, quam Paulus Segneri tribuit impugnantibus uſum opinionis minùs probabilis de licito modeſtè repellitur. 1088. p. 313.
Hominibus permanenter ineſt jus naturæ, etiam ipſis dormientibus, & nihil cogitantibus. Et qualiter hoc contingat, cum lex naturalis non ſit aliquis habitus. 389. & ſeqq. p. 100.
Hominibus quomodo dicatur lex naturalis naturaliter indita. 392. & ſeqq. p. 101.
Hominibus undè incipiat lex naturalis tamquàm à primo præcepto. 402. & ſeqq. p. 104.
Hominibus multiplicantur præcepta juris na-

turæ juxta ordinem inclinationum naturalium, quæ ipſis inſunt ad diverſos fines, ſeu bona intenta ab ipſamet natura. 405. p. 105.

Hominibus ſingulis triplex genus inclinationis naturalis ineſt, ex quibus procedunt veluti tria prima genera præceptorum, ſeu tria prima præcepta juris naturæ, undè reſiqua omnia derivantur. 406. & ſeqq. p. ibid.

Humanæ huiuſmodi triplicis generis inclinationes, quæ ſint diſtinctè aſſignantur. ibid.

Hominis præcipua, & propria naturalis inclinatio, & ſecundùm quam diſcriminatur ab omnibus aliis agentibus inferioribus, eſt ad vivendum ſecundùm rectam rationem, ita ut ſecundùm hanc ſibi ſubiiciat etiam omnes alias ſuas inclinationes ut regulandas. 476. & ſeqq. p. 125.

Homo ex propriâ, & ſpecificâ ſua naturali inclinatione poteſt conſiderari ut quaſi agens univerſale reſpectu omnium ſuorum actuum etiam ſibi cum aliis ſubſtantiis, & agentibus inferioribus communium; & ſic reſpicit pro fine bonum honeſtum ut ſic, ubique ſibi proſequendum, & oppoſitum fugiendum; quæ ſunt duo prima principia, ſeu præcepta iuris naturæ univerſaliſſima, & veluti dignitates in genere agibilium. Et ut agens particulare, ideſt reſpectu actuum ſibi ſoli competentium in quantum homo eſt; & ſic reſpicit tale ſibi ſpeciale bonum honeſtum ſibi proprium, quod duplex eſt, nempè bonum ſcientiæ ſibi debitæ, & bonum ſocialitatis cum aliis, ut ſic benè vivat in ſe, & cum aliis hominibus; utrumque enim naturaliter appetit in quantum eſt homo ut ſpecialiter ſibi proſequendum, & oppoſitum fugiendum; quæ ſunt duo prima principia ſeu præcepta iuris naturæ ſpecialia in genere determinatæ huius inclinationis. 480. & ſeqq. p. 126.

Honeſtum, & licitum non ſunt formaliter idem, nec dicuntur ad convertentiam. 758. p. 211.

Humanæ rationis ſtatus triplex aſſignatur à D. Thoma, nempè in infantia, impubertate, & pubertate, & ſinguli explicantur. 559. p. 151.

I

Jeiunia, abſtinentiæ, diſciplinæ, & ſimilia qualiter de iure naturæ licita ſint, vel illicita. 414. p. 107.

Ignorantiæ nomine quid veniat, quotuplex ea ſit, & quæ de illa hic ſint diſcutienda. 215. uſq. ad 229. p. 53.

Ignorantia an ſemper cauſet involuntarium. 230. p. 56.

Ignorantiam cauſare ſimpliciter involuntarium dixerunt nonnulli, quando nulla prævia cogitatio, ſeu ſuſpicio malitiæ habetur: vel quandocumque ſcientia de veritate haberi non poteſt. Sed utrumque falſum eſſe oſtenditur. 231. & ſeqq. & 535. & ſeqq. p. 56. & 146.

Ignorantia, quæ eſt cauſa actus peccati, non omnis reddit illum involuntarium ſimpliciter in ratione malitiæ. 235. p. 57.

Ignorantiâ aliquem peccare tripliciter contingit, idque oſtenditur diſcurrendo per ſingulos modos, qui a D. Thoma aſſignantur. 236. & ſeq. p. ibid.

Ignorantiam in ſingulis huiuſmodi tribus modis non cauſare involuntarium ſimpliciter oſtenditur ex eo, quod ſemper manet in eis aliqua prævia ſaltem confuſa, & virtualis cognitio malitiæ; undè ignorantia conſequens dicitur a D. Thoma. 237. uſq. ad 246. p. ibid.

Ignorantia ea ſola cauſat omninò, & ſimpliciter involuntarium in ratione malitiæ, quæ omninò, & ſimpliciter privat agentem omni prorſùs prævia eiuſdem malitiæ cognitione tam formali, quàm virtuali, ita ut agens nec poſſit, nec teneatur illam prævidere, neque vitare, quæ proindè à D. Thoma dicitur ignorantia antecedens. 248. p. 60.

Ignorantia eorum, quæ quis non tenetur ſcire cauſat involuntarium ſimpliciter. & quare. 248. & ſeqq. uſque ad 253. & 320. uſque ad 323. p. ibid. & 82.

Ignorantiæ triplex genus aſſignatur à D. Thoma, nempè concomitantis, conſequentis, & antecedentis. 256. & ſeqq. p. 63.

Ignorantia an, & quæ poſſit eſſe cauſa peccati, & qualiter. 269. & ſeqq. p. 67.

Ignorantia eſt cauſa actus peccati per hoc, quod removet alteram ex duabus cognitionibus, videlicet vel iuris, quo quilibet actus humanus debet regulari: vel facti, ſeu actus, qui eſt ſecundùm iura regulandus. 272. p. 68.

Ignorantia an ſit in ſeipſa peccatum. 276. p. 69.

Ignorantia accipi poteſt formaliter prout dicit privationem ſcientiæ: & activè, vel quaſi activè prout dicit omiſſionem debitæ ſtudioſitatis, ſeu negligentiam acquirendi debitam ſcientiam, quâ quis quaſi in genere cauſæ efficientis ſe privat ſcientiâ ſibi neceſſariâ. 277. p. ibid.

Ignorantia quaſi activè ſumpta eorum, quæ quis poteſt, & tenetur ſcire, eſt in ſeipſâ formaliſſimè peccatum, quia opponitur virtuti morali debitæ ſtudioſitatis. 278. & ſeqq. p. ibid.

Ignorantia qualiter ſit in ſeipſâ peccatum, cum hoc modo non importet aliquem actum, ſed actus potiùs omiſſionem; & peccatum ex Auguſtino dicatur dictum, vel factum, aut concupitum contra legem æternam. 282. p. 70.

Ignorantiæ peccatum formaliter an in omiſſione actus intellectus, vel voluntatis conſiſtat. Et indè oſtenditur qualiter prudentiæ oppo-

Digitized by Google

opponatur, quæ eſt intellectualis virtus, & ſtudioſitati, quæ eſt virtus motalis. 283. & 304. & ſeqq. p. ibid. & 77.
Ignorantiæ peccatum non ponit in numero cum peccato tranſgreſſionis legis ignoratæ, quaſi ſit moraliter, ut diſtinctum ab illo computandum. 289. & ſeq. p. 72.
Ignorantiæ peccatum quando incipiat fusè explicatur, & generaliter quando incipiat peccatum omiſſionis. 292. & ſeqq. p. 73.
Ignorantia concomitans non excuſat à peccato ſecundum D. Thomam; ubi explicatur quo ſenſu id verum ſit. Et ſtabilitur quod intelligi debet in ſenſu negativo, quatenùs ex ſe non habet quod excuſet, non autem in ſenſu poſitivo, quaſi quod reddat operantem poſitivè inexcuſabilem. Undè verus ſenſus eſt, quod ex ſe neque excuſat, neque accuſat, ſed permittit poſſe operantem aliundè excuſari, vel accuſari. & qualiter hoc fieri poſſit. 307. & ſeqq. p. 79.
Ignorantia antecedens totaliter excuſat: conſequens verò non excuſat à toto, ſed à quanto. 315. p. 81.
Ignorantiam non totaliter excuſare poteſt dupliciter contingere, vel ex parte rei ignoratæ, vel ex parte ipſius ignorantiæ, & utrumque explicatur. 316. & ſeq. p. ibid.
Ignorantiam non excuſare ex parte ipſius ignorantiæ poteſt adhuc dupliciter contingere; vel quia ipſa eſt per ſe volita, & affectata; vel ex negligentiâ. 318. p. 82.
Ignorantia eorum, quæ quis non tenetur ſcire, totaliter excuſat: non autem eorum, quæ quis ſcire tenetur. 319. & ſeqq. p. ibid.
Ignorantia ut totaliter excuſet, oportet quod ſit omninò involuntaria non ſolum phiſicè, ſed etiam moraliter. 322. uſque ad 328. p. ibid.
Ignorantia tunc eſt talis, quando eſt ſtudio, ac diligentiâ debitâ omninò invincibilis. nomine autem ſtudii, & diligentiæ debitæ non venit ſola inquiſitio ſcientiæ (quæ interdùm haberi non poteſt) ſed cognitionis practicæ, qua prævideatur, & præcaveatur periculum peccandi, ſi quod immineat. 329. p. 84.
Ignorantia, quæ eſt omninò involuntaria, propriè loquendo, non diminuit, ſed totaliter tollit peccatum; & ita eſt ignorantia antecedens. 332. & ſeq. p. 85.
Ignorantia concomitans ex ſe neque diminuit, neque auget peccatum. 334. p. ibid.
Ignorantia conſequens licet non excuſet totaliter à peccato, diminuit tamen illud; & tantum diminuit, quantum plus tollit de voluntario. 335. p. ibid.
Ignorantia conſequens una plus diminuit, quàm altera, ſi comparentur ad invicem, prout una minùs, quàm altera habet de voluntario. 336. & ſeq. p. 85.
Ignorantia etiam affectata diminuit peccatum. ibid.
Ignorantia affectata quo ſenſu dicatur à D. Thoma augere peccatum. 337. & ſeq. p. ibid.
Ignorantia juris, & facti. Vide V. Juris. Et V. Facti.
Impotentia coeundi jure naturæ matrimonii dirimit, & ſi ſucceſſerit matrimonio actum coniugii illicitum reddit. 430. p. 113.
Impotentia emittendi verum ſemen illicitum reddit actum coniugalem, contra Sanchez, & alios. 432. p. ibid.
Joannes de Catdenas clauſtra opinionibus practicè improbabilibus opponit. 684. p. 189.
Joannes de Cardenas quæ jura tribuat opinionibus practicè probabilibus. 700. p. 193.
Joannes de Cardenas, cum aliis, probabilitatis practicæ jura fundat in quodam dictamine practico, ſeu judicio reflexo. 701. & ſeqq. p. ibid.
Jo: de Catdenas quâ ratione prætendat hujuſmodi judicium reflexum eſſe in ſe certum, & evidens demonſtrare. Sed vana ejus prætenſio cum ſuâ demonſtratione oſtenditur. 712. & ſeq. p. 196.
Jo: de Cardenas optimè dicit ignorantiam, quæ nequit vinci per ſcientiam, adhuc poſſe eſſe vincibilem, & culpabilem, quatenus poteſt vinci practicè, & per electionem tutioris partis, ut contingit in dubiis. 807. p. 226.
Jo: de Cardenas Caramuelem impugnat eo, quod dixerit ignorantiam probabilem eſſe inculpabilem per hoc præcisè, quod ſit invincibilis per ſcientiam. Quod etiam ante ipſum impugnaverat Vincentius Baronius, licet hujus impugnatio ipſi non placeat. 810. p. 227.
Joannis de Cardenas impugnatio adversùs Caramuelem rejicitur ut deficiens in principiis ſuis. 811. & ſeqq. p. 228.
Joannis de Cardenas impugnatio adversùs Caramuelem retorquetur ad hominem contra ipſum. 817. & ſeq. p. 229.
Joannes de Cardenas rejiciens impugnationem Baronii adverſus Caramuelem redarguitur, & defenditur Baronius ut benè ad hominem concludens contra Caramuelem. 819. & ſeqq. p. 230.
Joannis de Cardenas lapſus notabilis, dum congruam Baronii locutionem voluit corrigere, addendo illius textui particulam (niſi) id quod ex non intelligentia textus proceſſit. ibid.
Jo: de Cardenas Baronium contemnit eo, quod promiſerit plura errorum monſtra demonſtrare ex doctrinâ probabilitatis Caramuelis. Sed hactenùs illum ea demonſtraſſe oſtenditur, & defenditur ab omnibus, quæ in ipſum arguit Joannes. 824. & ſeqq. uſque ad 855. p. 232.
Jo: de Cardenas non benè docet ignorantiam probabilem ſeu errorem opinionis practicæ probabilis eſſe invincibilem, & inculpabilem,

lem, eo quod qui illam ſequitur, non tenetur ampliùs de maiori diligentia. 856. & ſeqq. p. 241.

Joannis de Cardenas interpretatio quodlibeti 8. a. 13. D. Thomæ in favorem opinionis practicè probabilis oſtenditur omninò violenta, & contraria manifeſtè ipſimet textui S. Doctoris 924. & ſeqq. uſq. ad 944. p. 259.

Joannis de Cardenas gloſſa ad textum Auguſtini adverſus Doctrinam Probabilitatis, quod videlicet Auguſtinus impugnaverit Probabilitatem chymericam Academicorum, reiicitur. 947. p. 267.

Joſephi Riccii Concordia inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas, imò & omnium Catholicorum pro opinione etiam minùs probabili refertur: Et indè grave periculum conſcientiis imminere notatur. 1118. & ſeqq. p. 326.

Joſeph Riccius fontes practicæ probabilitatis optimè aſſignat; ſed minùs verè docet de Probabiliſtis ſuis, quod iis fontibus omnes, & ſemper tùm ſignatè, tùm exercitè inſiſtant. 1125. & ſeqq. uſque ad 1141. p. 328.

Joſeph Riccius perperam dicit de ſuis, omnibuſque Probabiliſtis Catholicis a veterum Patrum Doctrinâ numquam deflectere, imò quod in tuendâ ſententiâ benignâ, ideſt minùs probabili ſtante pro commodo, & libertate, inſiſtant Doctrinæ D. Thomæ. Neque textus, quem pro ſe ex eo allegat poteſt ad ipſius intentum conducere. 1142. & ſeqq. uſque ad 1178. p. 333.

Joſeph Riccius item malè prætendit de ſuis, oſtendere quòd non multùm confidant humanæ authoritati præſertim Recentiorum; oppoſitum enim facilè ex illis oſtenditur. 1179. & ſeqq. p. 343.

Joſeph Riccius in uno tantùm dicit Probabiliſtas ſuos diſcōvenire à Probabilioriſtis, quod ſcilicet illi concedant minùs probabile in conſpectu probabilioris retinere ſuam probabilitatem practicam: iſti verò negent. Id quod induſtriosè dicit, ut non poſſit convinci diſcordia eorum in puncto principali de regula honeſtatis, quod ſcilicet quæcumque opinio practicè probabilis, ſi ſit re verâ practicè probabilis, ſit regula ſufficiens. Sed vana tota hæc eius induſtria oſtenditur, & ad hominem in his omnibus impugnatur. 1185. & ſeqq. uſque ad 1211. p. 345.

Joſeph Riccius nititur item oſtendere de ſuis non multùm indulgere humanis ſpeculationibus contra legem, ſed per arctiores vias incedere, etiam dum affirmant licere ſequi minùs tutum, minùſque probabile. Ac propterea hoc ipſorum dictum noviſſimâ quadam ſuâ interpretatione induſtriosè exponit, ut coincidat cum ſententiâ Probabilioriſtarum. Sed in hoc ipſo ad hominem impugnatur, & de contradictione revincitur. 1211. & ſeqq. uſque ad 1246. p. 355.

Joſeph Riccius nititur de ſuis oſtendere, quod benè diſtinguant inter probabilitatem practicam, & ſpeculativam: & ad illam eas conditiones exigant, ut cum probabilioritate coincidat, & pertingat ad moralem certitudinem, ſicut ſupra conatus fuerat probare, & hìc iterum repetit; adeò ut minùs probabile, ſi ſit verè practicè probabile, idē ſit quod probabilius, & moraliter certum. Sed oppoſitum adverſus ipſum iterùm oſtēditur. 1246. & ſeqq. uſque ad 1262. p. 364.

Joſeph Riccius videns nonnullos ex ſuis admittere ad praxim probabilitatem omnem, & in totâ ſua latitudine, eos interpretatur, quod tunc intellexerint comprehendere caſus quoſdam per accidens, & contingentes, in quibus quod per ſe non eſt practicè probabile, per accidens tamen in eâ circumſtantia evadit etiam practicè probabilius, quaſi ex quadam neceſſitate agentis in aliquâ anguſtia operandi conſtituti. Sed hæc etiam induſtria ex doctrina ſuorum pariformiter reiicitur. 1262. & ſeqq. uſque ad 1279. p. 370.

Joſeph Riccius prætendit de ſuis oſtendere reiicere cum Probabilioriſtis doctrinam illam de probabilitate reflexâ, quaſi malè ipſis attribuatur ab Adverſariis, ut eos de laxitate accuſent, & de diſcordiâ à Probabilioriſtis. Sed in hoc manifeſtè ſatis redarguitur ex doctrina ſuorum. 1280. & ſeqq. uſque ad 1287. p. 376.

Joſeph Riccius incipit hoc articulatim, & diſtinctè oſtendere. Et primò quod ſui Probabiliſtæ non admittant hæc principia reflexa in dubio ſuſpenſivo. Sed in hoc ex propria ipſius confeſſione redarguitur, & ad hominem impugnatur. 1287. & ſeqq. uſque ad 1300. p. 378.

Joſeph Riccius procedit ſecundò ad oſtendendum quod ſui Probabiliſtæ neque in dubio probabili hæc reflexa principia admittant, quando agitur de damno tertii. Sed indè nihil pro ſe poſſe concludere oſtenditur. 1300. & ſeqq. uſque ad 1317. p. 381.

Joſeph Riccius procedit tertiò ad hoc ipſum demonſtrandum in dubio probabili, ubi agitur de ſolâ actus honeſtate. Sed oppoſitum demonſtratur ex ſuorum doctrinâ. 1317. & ſeqq. uſque ad 1349. p. 386.

Joſeph Riccius probat quartò falſitatem illius principii reflexi. *Ubi Doctores hinc indè diſputant, lex invincibiliter ignoratur, & ſupponitur non ſufficienter promulgata.* Et ſimiliter illius alterius principii: *Legem ſufficienter intimatam non ignorant Viri pii, prudentes, & docti poſt longas, & diuturnas diſcuſſiones.* Sed indè nihil pro ſe, & ſuorum cōcordiâ cum Probabilioriſtis probari oſtenditur; licet benè probet eiuſmodi principiorum falſitatem in ſeipſis. 1349. & ſeqq. uſque ad 1361. p. 394.

Digitized by Google

Joſeph Riccius oſtendere nititur quintò de ſuis, quod hæc principia reflexa non admittunt ut principia ſufficientia ex ſe ad faciendam evidentiam reflexam de licito probabili; ſed ſolùm ex præſuppoſitâ probabilitate directâ, & inſuper tali, quæ fundet moralem certitudinem de licito, & ponat probabilitatem oppoſitam de illicito in confinio improbabilitatis practicæ. Quod idem eſt, ac dicere: quæ ſit nedùm probabilior, ſed unicè probabilis, ac per conſequens probabiliſſima. Sed oſtenditur fruſtra ipſum hanc doctrinam excogitaſſe, quaſi ex mente ſuorum Probabiliſtarum pro ſua concordiâ concludendâ, quia iſti manifeſtè huiuſmodi doctrinæ reſiſtunt. 1361. & ſeqq. uſque ad 1406. p. 397.

Joſeph Riccius ſextò idem inculcat, & probat ab inconvenientibus, quæ alioquin ſequerentur ad hominem contra Probabiliſtas ſuos. Sed in hoc ex doctrina ſuorum impugnatur, qui ea inconvenientia expreſsè deglutiunt, & negant eſſe inconvenientia, imò pro verâ doctrinâ ea docent. 1406. & ſeqq. uſque ad 1430. p. 409.

Joſeph Riccius ſeptimò iterùm nititur probare ex communi ſuorum Probabiliſtarum doctrinâ principia hæc reflexa eſſe in ſeipſis falſa. Sed fruſtra laboraſſe iteratò convincitur ex ipſis Probabiliſtis. 1431. & ſeqq. uſq; ad 1456. p. 416.

Joſeph Riccius tandem prætendit concludere Probabiliſtas ſuos non contra Probabilioriſtas pugnare, ſed contra Novatores, qui prætendunt eligendum ſemper eſſe, quod eſt perfectius, & certò bonum certitudine metaphiſicâ, & infallibili. Idque probat ex Sanchez, quem dicit alios omnes ad unum ſequi. Et inſuper excogitatam quamdam æquivocationem inducit in hac voce, *Probabile*, quâ conatur interpretari ſuos, quod nomine minùs probabilis intelligant id, quod eſt probabilius, & certò bonum, licet minùs perfectum. Sed tota hæc eius doctrina ad hominem contra ipſum evertitur ex eodem Sanchez, cum reliquis, qui eum ſequuntur. 1456. & ſeqq. uſque ad 1504. p. 423.

Joſephi Riccii tria præcipua dicta in toto ſuo opere prætenſa reprobantur. 1504. & ſeqq. p. 435.

Judicium conſcientiæ aliud eſt à judicio ſcientiæ, vel opinionis moralis, licet iſtud præſupponat, & ab iſto dependeat. & differt ab iſto, tùm obiecto, tùm fine; ex quo habet ulteriùs differre, quia iſtud eſt ſpeculativum, ipſum verò practicum. 8. & ſeqq. p. 2.

Ius naturæ quid ſit. 383. p. 98.

Ius naturæ non eſt ipſa natura rationalis, ſed aliquid illi ſuperadditum, non tamquàm potentia, vel habitus, ſed tamquàm aliquid per rationem conſtitutum. ibid. & ſeqq.

Ius naturæ eſt quoddam verbum practicum compoſitum ad inſtar propoſitionis ab ipſa ratione ſeu intellectu practico, non per modum enunciantis, ſed per modum præcipientis. 388. p. 99.

Ius naturæ manet in nobis permanenter, & habitualiter, etiam nobis nihil cogitantibus, & dormientibus: & qualiter hoc verificetur, cum conſiſtat in verbo practico, ut ſupponitur. 389. & ſeqq. p. 100.

Ius naturæ quomodo dicatur naturaliter inditum. 392. & ſeqq. p. 101.

Ius naturæ ad quæ præcepta ſe extendat, & undè incipiat tamquàm à primo præcepto. 402. & ſeqq. p. 104.

Ius naturæ ſua præcepta multiplicat ſecundum ordinem inclinationum naturalium ad diverſos fines, ſeu bona intenta ab ipſa natura. 405. & ſeqq. ubi aſſignantur tria genera inclinationum naturalium in homine, ex quibus procedunt veluti tria prima genera præceptorum, ſeu tria prima præcepta, undè reliqua derivantur. p. 105.

Iuris naturæ ſpecialia præcepta, quæ fundantur in inclinatione naturali primi generis aſſignantur. 410. & ſeqq. p. 106.

Iuris naturæ præcepta, quæ fundantur in altera naturali hominis inclinatione, ſeu ſecundi generis, ſpecialiter percurruntur. 417. & ſeqq. p. 108.

Iuris naturæ prima præcepta tùm generalia, tùm ſpecialia, quæ fundantur in tertio genere inclinationis naturalis humanæ, quæ ſint. 482. & ſeq. p. 127.

Iuris naturæ præcepta non poſſe invincibiliter ignorari, ultra quod ſatis diſcurrendo per ſingula, de unoquoque ſpecialiter probatum eſt locis præcitatis, ubi ea quaſi ſingulatim aſſignata ſunt iuxta triplex genus inclinationis humanæ, concluditur tandem, & probatur ex dictis, quaſi per ultimam, & finalem reſolutionem. 485. p. 128.

Ius naturæ iterùm, & compendioſè ex dictis exponitur quid ſit, undè originem habeat, & ad quæ præcepta ſe extendat; & inſuper probatur ea omnia non poſſe invincibiliter ignorari. 488. & ſeqq. uſque ad 501. p. 129.

Ius naturæ non poſſe invincibiliter ignorari ſtabilitur. 340. p. 86.

Ius naturæ non poſſe invincibiliter ignorari, adeò in ſe verum eſſe oſtenditur, ac quod verum eſſe conſtat eſſe in ſe ius naturæ. 529. p. 145.

Ius naturæ licet à nemine poſſit invincibiliter ignorari, non proindè ſequitur, quod in eius notitia poſſent Rudes, & Indocti cum Doctiſſimis Viris æquiparari. 530. p. ibid.

Ius naturæ cur nonnulli in quibuſdam caſibus non agnoſcant, ita ut credant aliquid licere, quod tamen eo iure non licet; puta mentiri ad liberandum innocentem, & ſimilia. Et cur etiam Viri docti interdùm circa ius naturæ

Digitized by Google

turæ diſcrepent, ut in quæſtione illa de actibus indifferentibus in propria ſpecie, ſi maneant tales in individuo, an potiùs evadant neceſſariò vel boni, vel mali, 532. p. 145.

Ius naturæ non poſſe in ſe invincibiliter ignorari probatur ex D. Thoma. 344. uſque ad 355. p. 87.

Idipſum probatur ex alio textu D. Thomæ 356. uſque ad 361. p. 90.

Idipſum probatur ex D. Auguſtino. 368. p. 94.

Idipſum oſtenditur ex D. Antonino, 370. p. 95.

Idipſum quoque ex textu Philoſophi 3. *Ethic. cap.* 2. & Comment. D. Thomæ ibid. iuxta verſionem antiquam, & varias alias verſiones, quæ omnes referuntur, cum ipſo tandem textu originali græco. 373. & ſeqq. uſque ad 382. p. 96.

Idipſum denique, & expreſſiùs tàm quoad præcepta primaria, quam etiam quoad quæcumque alia probatur ex alio textu D. Thomæ. 538. & ſeqq. uſque ad 547. p. 147.

Iuris divini poſitivi, ſeu evangelicæ legis ignorantia regulariter loquendo non poteſt eſſe invincibilis: undè Sectarii à peccato infidelitatis excuſari non poſſunt. 584. & ſeqq. p. 160.

Iuris humani ſive Canonici, ſive Civilis poteſt facilè contingere ignorantia invincibilis; & tunc eſt talis, quando quis citra ſuam negligentiam adeò illam ignorat, ut nec motivum habeat ſufficiens prudenter dubitandi de illâ: alioquin erit vincibilis, & culpabilis, quia poterit vinci, & debebit ſi non per ſcientiam, ſaltem practicè, & electione tutioris partis. 597. & ſeqq. p. 163.

Iuris ignorantia probabilis etiam humani non excuſat, nam in probabilibus ſemper adeſt motivum ſufficiens prudenter dubitandi de lege. 604. & 608. p. 166.

Iura practicæ probabilitatis. vide V. Probabilitas.

Iudicium reflexum, in quo præcipuè fundant iura probabilitatis Probabiliſtæ quâ ratione prætendat eſſe in ſe certum, & evidens, Ioannes de Cardenas demonſtrare, ubi eius demonſtratio reiicitur, & de gravi æquivocatione reprehenditur. 712. & ſeqq. p. 196.

L

LEgem ſemper in caſu dubietatis ſuperpoſſidere poſſeſſionem humanæ libertatis, ac per conſequens in dubiis ſemper eſſe melioris conditionis oſtenditur adverſùs Probabiliſtas. 145. & ſeqq. & 153. & ſeqq. p. 35. & 37.

Legis æternæ dictamina quædam quaſi diſtincta aſſignantur in mente divina ſemper in ſe veriſſima, quibus recta noſtra dictamina correſpondent tamquàm indè participata, etiam ſi hæc noſtra ſint in ſe materialiter falſa, ut accidit in caſu legis invincibiliter ignoratæ; ita ut etiam cum nobis peccatum aliquod ob ignorantiam noſtram non imputatur, adhuc veriſſimè dicatur Deus iudicare nos ſecundùm veritatem ſuæ divinæ mentis. 164. uſq. ad 174. p. 39.

Lex naturalis quid ſit. 383. & ſeqq. p. 98.

Lex naturalis eſt quoddam verbum practicum ad inſtar propoſitionis non per modum enunciantis, ſed præcipientis. 388. p. 99.

Lex naturalis manet in nobis habitualiter, & permanenter; quantumvis non ſit potentia, nec habitus, & qualiter hoc contingat. 389. & ſeqq. p. 100.

Lex naturalis quomodo dicatur naturaliter indita explicatur. 392. & ſeqq. p. 101.

Lex naturalis ad quæ præcepta ſe extendat, & undè incipiat tamquàm à primo præcepto. 402. & ſeqq. p. 104.

Lex naturalis multiplicat præcepta iuxta ordinem inclinationum, quæ hominibus inſunt ad diverſos fines, ſeu bona ipſius naturæ 405. p. 105.

Legis naturalis præcepta prima, & veluti generica, tria deſignantur iuxta triplex genus inclinationum, quæ naturaliter hominibus inſunt, undè omnia alia ſecundaria in unoquoque genere derivantur. 406. & ſeqq. p. 105.

Legis naturalis præcepta fundata in inclinatione primi generis ſpecialiter deſignantur. 410. & ſeqq. p. 106.

Legis naturalis præcepta fundata in ſecundâ inclinatione humanæ naturæ ſpecialiter deſignantur. 417. & ſeqq. p. 108.

Legis naturalis præcepta fundata in tertiâ inclinatione, tùm prima & communia, quibus etiam alia fundata in alijs duabus inclinationibus regulari debent, tum etiam & prima propria huius tertiæ inclinationis, atque ſpecialia deſignantur. 482. & ſeqq. p. 127.

Legem naturalem non poſſe invincibiliter ignorari ſtabilitur. 342. p. 87.

Legem naturalem non poſſe invincibiliter ignorari non minùs verum eſt, quàm verum ſit eſſe legem naturalem. 529. p. 145.

Legem naturalem non poſſe invincibiliter ignorari oſtenditur ex D. Thoma. 344. uſque ad 355. p. 87.

Et iterùm ex alio textu eiuſdem. 356. uſque ad 361. p. 90.

Et iterum ex D. Auguſtino. 368. p. 94.

Et inſuper ex D. Antonino. 370. p. 95.

Et ulterius ex Philoſopho, & Comment. D. Thomæ in 3. *Ethic. c.* 2. 373. & ſeqq. uſque ad 382. p. 96.

Et denique atque expreſſiùs tàm quoad præcepta primaria, quàm quoad omnia alia ex alio textu D. Thomæ, 538. & ſeqq. uſquè ad 547. p. 147.

Lex

Digitized by Google

Lex Evangelica vix poteſt in aliquo caſu raro invincibiliter ignorari, eo quod ſupponitur ubique ſatis promulgata. unde Sectarii non poſſunt à peccato infidelitatis excuſari. 585. & ſeqq. p. 162.
Lex humana tàm canonica, quàm civilis poteſt invincibiliter ignorari. & tunc accidit, quando quis citra ſuam negligentiam illam ignorat, nec motivum ſufficiens habet de illa prudenter dubitandi. 599. p. 164.
Legis ignorantia probabilis, ſeu error probabilis in lege, etiam humana non excuſat, neque enim poteſt eſſe invincibilis omninò, quia in qualibet opinione probabili ſemper adeſt motivum prudenter dubitandi de lege, ac per conſequens obligatio præcavendi periculum, & vincendi ignorantiam ſaltem practicè per electionem tutioris partis. 604. & 608. p. 166.
Licitum, & honeſtum non ſunt formaliter idē, nec dicuntur ad convertentiam. 758. p. 211.
Laxas ſententias poſſe eſſe probabiles, & ſententias probabiles poſſe eſſe laxas oſtenditur contra Paulum Segneri. 1036. p. 290.

M

MAtrimonium quo pacto cadat ſub præcepto iuris naturæ, & quos, ac quando obliget. 420. p. 109.
Matrimonii indiſſolubilitas eſt de iure naturæ, nec poteſt invincibiliter ignorari. 422. p. 110.
Matrimonia ſecunda priore coniuge mortuo licitè contrahuntur. 423. p. 111.
Matrimonium non poſſe fieri niſi unius viri ad unam uxorem iure naturæ oſtenditur, ita ut non poſſit invincibiliter ignorari. 424. & ſeqq. p. 111.
Matrimonium impotentium iure naturæ impeditur, nec poteſt hoc invincibiliter ignorari. 430. p. 113.
Matrimonium ſenum, & vetularum licitum eſt, & quare. 433. p. 114.
Matrimonium filiorum cum propriis Genitoribus iure naturæ illicitum eſt, atque ideò indiſpenſabile, nec poteſt invincibiliter ignorari. 436. p. 115.
Matrimonium inter fratres, & ſorores, vel alios conſanguineos etiam aſcendentes, & deſcendentes per lineam rectam, exceptis parentibus, & filiis, non eſt iure naturæ prohibitum; atque ideò eſt diſpenſabile. Olim ſimilia matrimonia in veteri lege fuerunt iure divino prohibita, nunc verò ſolo iure Eccleſiaſtico. 437. & ſeqq. p. 115.
Matrimonium inter diſpares cultu iure naturæ non prohibetur, unde poteſt cum tali diſparitate validum eſſe; & nihilominùs poteſt eſſe diſſolubile, & quare. 443. & ſeqq. p. 117.
Matrimonium inter diſpares cultu dirimitur iure Eccleſiaſtico. Sed nomine diſparitatis cultus non venit quæcūque diſparitas fidei; undè fidelis cum hæretica poteſt validè contrahere. 447. p. 118.
Matrimonium infidelium, ſi alter coniugum convertebatur ad fidem, altero in infidelitate permanente non diſſolvebatur in primitiva Eccleſia, ſi infidelis volebat cohabitare ſine contumelia Creatoris; nunc verò ab Eccleſia non ampliùs permittitur. 448. & ſeq. p. 118.
Matrimonio non exiſtente omnes actus libidinoſi ſunt iure naturæ illiciti; nec poteſt hoc invincibiliter ignorari. 450. p. 118.
Muliere in menſtruis exiſtente illicita eſt iure naturæ petitio debiti coniugalis, ſi ſupponatur juxta plurimorum ſententiam indè immitere proli damnum notabile; ſed talis ſuppoſitio non videtur vera. Redditio autem etiam facta huiuſmodi ſuppoſitione, licita ponitur à D. Thoma, & quare. 452. uſque ad 456. ſed vide in ſequentibus uſque ad 462. ubi hoc fuſiùs expenditur. p. 119.
Mulierem teneri debitum reddere viro leproſo habetur ex jure Canonico, *De coniuge leproſo c. quoniam.* Sed textus iſte mitiùs exponendus eſt. 462. ſed vide in ſequentibus uſque ad 473. Ubi plura invenies de conſimilibus morbis, ſi licitum ſit tunc petere: Etſi Petenti teneatur alter coniux reddere: aut ſi non tenetur, liceat illi reddere; & ſimilia, quæ ibi reſolvuntur, & magis explicantur. p. 122.
Moralis certitudo quid ſit explicatur. 985. uſque ad 994. p. 277.
Moralem certitudinem de licito haberi non poſſe ex vi probabilitatis oſtenditur. ibid.
Moralem certitudinem neque haberi poſſe virtute judicii reflexi quantumcumque fundati in prudenti judicio opinionis probabilis directæ oſtenditur contra Ioannem de Cardenas, & alios Probabiliſtas. 769. & ſeqq. & iterùm 788. uſque ad 791. p. 215. & 222.
Moralem certitudinem haberi per opinionem inter probabiles probabiliſſimam demonſtratur. 1000. & ſeqq. uſque ad 1027. p. 281.
Maxima illa: In rebus obſcuris, & incertis prudenter ille operatur, qui utitur rationibus graviter impellentibus, & ſuadentibus operationem eſſe honeſtam, veriſſima eſt. Sed perperàm ad opinionem probabilem de licito extenditur à Probabiliſtis. 777. & ſeqq. p. 218.
Mercorus defenditur à laxitate, quam eius certæ cuidam opinioni attribuit Paulus Segneri. 1056. p. 299.

N

NEgligentia, in qua peccatum ignorantiæ formaliter conſiſtit, quænam ſit. Et an importet omiſſionem actus intellectus, vel potiùs voluntatis. Et qualiter prudentiæ virtuti intellectuali opponatur, & etiam ſtudioſitati quæ eſt virtus moralis reſidens in voluntate. 283. & iterùm 304. & ſeqq. p. 70. & 77.

Negligentia ſeu omiſſio ſtudioſitatis, in quâ conſiſtit peccatum ignorantiæ, non facit quod homo ſemper, & continuè peccet, quandiù in ignorantiâ manet; ſed ſolùm pro quando urget præceptum ipſius ſtudioſitatis, contra quod ſit omiſſio. 285. p. 71.

Negligentia huiuſmodi ſtudioſitatis non ponit in numero cum peccato tranſgreſſionis legis ignoratæ quaſi ab iſto moraliter diſtinctum. 289. p. 72.

Negligentia huiuſmodi ſtudioſitatis quando incipiat in ratione peccati fusè explicatur. Ubi etiam generaliter determinatur de quolibet alio peccato omiſſionis. 292. et ſeqq. p. 73.

Negligentia levis, vel gravis: vel ut alii dicunt culpa lata, levis, et leviſſima, undè ſequitur grave alterius damnum malè diſtinguitur ab aliquibus. 517. p. 141.

Neceſſitas agendi in perplexo de peccato ex utraque parte contradictionis, non tollit libertatem ad peccandum, vel non peccandum, contra nonnullos Recentiores. 32. & ſeqq. p. 8.

O

OPinio probabilis quid ſit. 643. p. 177.

Opinio probabilis nequit eſſe in eodem intellectu de utraque parte contradictionis. 645. p. 178.

Opinio probabilis non cadit ſub voluntate opinantis, quia intellectus neceſſitatur ad id opinandum, in quod rationes ipſum fortiùs urgent. Cum quo ſtat, quod nihilominus aliquando poſſit aliundè in alteram partem flecti; & undè id proveniat. 646. p. 178.

Opiniones multæ Doctorum nec probabiles ſunt, nec poſſunt re verâ opiniones dici, ſed potiùs voluntaria placita ipſorum. 653. p. 180.

Opinionum probabilium uſus duplex: & qualis fuerit apud Sanctos Patres. 659. p. 182.

Opinionum probabilium uſus an ſit licitus. Et quid de hoc ſenſerint varii Doctores. 661. & ſeqq. p. 183.

Opinionum practicè probabilium jura propugnantes, quibus præcipuè fundamentis innitantur; & ad duo reſtringuntur. 674. p. 186.

Opinionum practicè probabilium jurium, earumque liciti uſus doctrina cur in hoc libro impugnetur nominatim, & ſpecialiter adversùs Ioannem de Cardenas, Paulum Segneri, & Ioſephum Riccium Scriptores noviſſimos Societatis Ieſu. 678. p. 187.

Opinionum practicè probabilium doctrina quoad earum licitum uſum ſpecialiter refertur juxta modum loquendi Ioannis de Cardenas. 679. & ſeqq. p. 187.

Opinionibus practicè improbabilibus, quæ clauſtra opponat Ioannes de Cardenas, ut practicè probabiles liberè, & pacificè ſuis juribus potiantur. 684. & ſeqq. p. 189.

Opinionibus practicè probabilibus quæ jura tribuat Ioannes Cardenas cum aliis Probabiliſtis. 700. p. 193.

Opinionum practicè probabilium de licito praxim in quodam practico dictamine, ſeu judicio reflexo præcipuè fundat Ioannes Cardenas cum aliis; & illud certum omninò atque evidens in ſe eſſe nititur demonſtrare. Sed eius demonſtratio funditùs evertitur, & ipſe de gravi æquivocatione redarguitur. 701. & ſeqq. uſque ad 713. p. 193.

Opinionis practicè probabilis Definitio, quæ ſit apud Ioannem Cardenas, alioſque Probabiliſtas. 716. p. 197.

Opinionis practicè probabilis definitione, quâ Probabiliſtæ eam dicunt eſſe, quæ gravi, & prudenti rationi innititur, gratis eis admiſſâ, non benè infertur, quod qui juxta opinionem practicè probabilem operatur, prudenter agat. 723. p. 199.

Opinionis practicè probabilis iudicium de licito, & iudicium prudens de licito ſecundùm prudentiam virtutem ſunt duo iudicia diverſi generis, & perperam à Ioanne Cardenas, aliiſque, confunduntur. 724. & ſeqq. p. 199.

Opinio practicè probabilis de licito quoad ſuum eſſe ſpecificum, hoc eſt quoad hoc, quod profert hanc ſpeciem iudicii, nempè affirmativi de licito potiùs, quàm negativi, non poteſt cadere ſub conſilio, & prudentia, nec dici poteſt prudens, quia ſic eſt purum iudicium ſpeculativum, ad quod neceſſitatur intellectus ex vi rationum, quibus naturaliter magis urgetur: benè tamen quoad ſuum exercitium; ſed tunc poteſt dici prudens in alio genere prudentiæ à prudentia virtute, cui ſoli repugnat peccatum, videlicet in eo genere, in quo erit finis opinantis. quod totum fusè explicatur. 733. & ſeqq. uſque ad 750. p. 201.

Opinio practicè probabilis de licito quo genere prudentiæ dici poſſit prudens ſpecialiùs, & diſtinctiùs explicatur. 752. & ſeqq. p. 209.

Opinio practicè probabilis de licito,& prudentia virtus æquivocè tantum conveniunt in hoc, quod eſt iudicare de agibili per ordinem, & ſubiectionem ad leges. 763.& ſeqq. p. 213.

Opinionis practicè probabilis iudicium etiam ſi gratis admittatur eſſe prudens in genere prudentiæ virtutis, non proindè operatio conſequens erit in eodem genere prudens. Ex quo oſtenditur iudicium reflexum Probabiliſtarum in prudentiâ fundatum non habere illam moralem certitudinem, quam cum Ioanne Cardenas prætendunt. 769. & ſeqq. p. 215.

Opinionis practicæ probabilis formidinem deponens non proindè poteſt reddi moraliter certus de licito probabili, quod ſequitur, neque ex vi iudicii ſui reflexi ſuper ratione gravi, & prudenti, cui ſua opinio ſupponitur innixa, ut vult Ioannes Cardenas. 775. p. 218.

Opinio practicè probabilis de licito an involvat ignorantiam invincibilem. 802. p. 225.

Opinio probabilis non omnis involvit ignorantiam, & errorem ut videntur aliqui univerſaliter affirmare. 803. p. 225.

Opinionis practicè probabilis error, & ignorantia perperam dicitur invincibilis, & inculpabilis, ex eo, quod qui opinionem probabilem ſequitur, non tenetur ampliùs de maiori diligentia ad licitè operandum, ut docet Ioannes de Cardenas. 856.& ſeqq. p. 241.

Opinionem practicè probabilem non eſſe ſufficientem regulam agendorum oſtenditur contra Probabiliſtas. 877. & ſeqq. p. 246.

Opinionis practicè probabilis uſus nequit dici abſolutè licitus, aut illicitus, quia poteſt utroque modo contingere. 886. p. 249.

Opiniones probabiles licet omnes incertæ ſint, & cum formidine partis oppoſitæ in ſeipſis; per accidens tamen, ex parte ſcilicet ſubiecti, formidinem, & incertitudinem quandoque amittunt. 888. p. 249.

Opiniones practicè probabiles, quæ in ſeipſis veræ ſunt, nec errorem, nec ignorantiam continent; ſed ſemper habent incertitudinem: quæ verò in ſe ſunt falſæ, nedùm incertitudinem habent; ſed ignorantiam,& errorem, ſive vincibilem, ſive invincibilem. 889. p. 250.

Opinionem practicè probabilem ſequens poteſt quinque modis ſe habere; & ſecundùm quod uno, vel altero modo contingit ſe habere, contingit etiam peccare, vel non peccare. 890. & ſeqq. p. 250.

Opinionis practicè probabilis uſus, ut licitus evadat, duabus limitationibus reſtringi debet. & explicatur. 903. p. 252.

Opinionis probabilis delectus difficiliùs ſortitur licitus agenti, quàm uſus,& quare. 912. p. 255.

Opinionis probabilis uſus, & delectus in quo differant. 885. p. 248.

Opinionis probabilis de licito reſtrictio per duas illas limitationes ab Authore aſſignatas n. 903. ut eius uſus evadat licitus, non reddit ſententiam Authoris rigidam,aut a veritate alienam, ſicut à Probabiliſtis ferè ſemper ea redarguitur;nam rigiditas,quam præſeferre videtur ex ipſo ipſius legis eſt, quod ab Authore exponitur, non imponitur. 914. & ſeqq. p. 255.

Opinionis inter probabiles probabiliſſimæ variæ acceptiones adducuntur. Et quænam illa ſit verè talis explicatur. 996. & ſeqq. p. 280.

Opinionem inter probabiles probabiliſſimam habere in ſe moralem certitudinem demonſtratur. 1000. & ſeqq. uſque ad 1027. p. 281.

P

Parochi, Sacerdotes, & alii non excuſantur ſi ignorent de iure canonico, quæ pro munere ſui officii ſunt regulariter neceſſaria. Neque hoc cenſeri debet onus importabile, quantumvis ius canonicum ob ſui vaſtitatem vix à doctiſſimis viris totaliter ſciri poſſit; quia quæ uniuſcuiuſque officio ſunt regulariter, & communiter neceſſaria non exigunt in promptu ſcientiam totius canonici iuris. 606. & ſeq. p. 166.

Paſſerini doctrina circa ignorantiam iuris naturæ examinatur. 548. uſque ad 583. p. 151.

Paſſerinus non benè probat ignorantiam privativam invincibilem iuris naturæ ad aliquod tempus ex eo, quod aliquando opus ſit aliquo tempore ad ipſum diſcurſum complendum alias neceſſarium ad aliquod iuris naturæ præceptum inveſtigandum. Neque ei prodeſt exemplum de unius Dei exiſtentia inveſtiganda, ad quam videtur multum temporis prærequiri, utpotè quæ ex plurium ſingularium cognitione experimentali dependet. 550. & ſeqq. p. 151.

Paſſerinus dari poſſe errorem probabilem circa ius naturæ, & dari non poſſe; & ſimiliter illum nunc vincibilem, & nunc invincibilem videtur inconſtanter pronunciare. 554. & ſeqq. p. 153.

Paſſerinus probat poſſe in impuberibus dari ad tempus ignorantiam probabilem, & invincibilem alicuius præcepti iuris naturæ ex doctrinâ D. Thomæ de triplici ſtatu humanæ rationis in homine, ſed illud minimè indè probari oſtenditur. 559. & ſeqq. p. 154.

Paſſerinus idipſum dicit in impuberibus de malitia homicidii; imò etiam in puberibus deceptis à parentibus ſimili errore imbutis. Sed reiicitur. 566. p. 156.

Paſſerinus ex Doctrina illa D. Thomæ (quâ do-

docet communia præcepta juris naturæ vera ut in pluribus, poſſe quandoque deficere ut in paucioribus) infert poſſe contingere, quod quis in quibuſdam caſibus particularibus probabiliter, & invincibiliter erret in jure naturæ. Sed oſtenditur non benè id inferri. 567. p. 156.

Paſſerinus videtur poſt hæc videtur negare abſolutè ignorantiam invincibilem juris naturæ. Ex quo oſtenditur in hac re fuiſſe ancipitem, & timidum ex utraque parte. 568. p. 157.

Paſſerini quædam exempla de aliquibus quæſtionibus controverſis circa jus naturæ ad probandum poſſe in quibuſdam circumſtantiis dari probabilem, & invincibilem ignorantiam juris naturæ examinantur; ut de præcepto ſubveniendi parentibus in circumſtantia gravis neceſſitatis, & de præcepto non mentiendi in circumſtantia propriæ, vel alienæ vitæ defendendæ, & ſimilibus, de quibus variè ſentiunt Doctores. 572. & ſeqq. p. 157.

Paſſerinus tandem in fine ſuæ diſcuſſionis circa ignorantiam juris naturæ ferè abſolutè concludit eam non poſſe eſſe invincibilem. 582. & ſeqq. p. 159.

Pauli Segneri improbationes adverſus eos, qui Probabiliſmum impugnant, referuntur ex quadam eius Epiſtola typis data Coloniæ 1703. & impugnantur. 1030. & ſeqq. p. 289.

Paulus Segneri commendatur ex munere prædicationis ut Vir Apoſtolicus. Sed indè magis de eo dolet Author, quod Probabiliſmum defendum ſuſceperit. 1033. p. 289.

Paulus Segneri tenaciter negat poſſe opiniones etiam minùs probabiles de licito, quas benignas cum aliis Probabiliſtis appellat, eſſe, aut dici laxas; nam docet, & credit ſententias laxas numquam poſſe eſſe probabiles. Sed oppoſitum ex adverſo contra ipſum oſtenditur. 1035. uſque ad 1043. p. 290.

Paulus Segneri practicè probabile commendat ut totum plenum honeſto ſenſu, idque ex vi ipſius nominis probat, ex eo, quod idē ſit, ac quod practicè approbatione, ſive electione dignum. Sed impugnatur, & ſimul oſtenditur eum in hoc magnam æquivocationem committere. 1044. & ſeq. p. 293.

Paulus Segneri minùs verè dicit cauſam, cur aliqui ſequelam opinionis minùs probabilis impugnent, eſſe, quia confundunt, & æquivocant minùs probabile cum improbabili; cum aliàs non ita ſit, imò ſit etiam omni honeſtate plenum. Sed hoc ipſum falſum eſſe oſtenditur; & inſuper ipſum probabile veriùs in ſeipſo eſſe undequaque plenum illiciti, atque inhoneſti formidine demonſtratur. 1050. p. 296.

Paulus Segneri perperam dicit importunum eſſe remedium ad relegandas ſententias laxas, minùs probabiles relegare. 1053. p. 298.

Paulus Segneri malè pro ſe contra impugnantes Probabiliſmum arguit ex quibuſdam illorum ſententiis, quas ipſe de laxitate accuſat. Imò ex hoc contra ipſum fortiùs retorquetur argumentum. 1055. p. 298.

Paulus Segneri malè infert ex doctrina impugnantium ſequelam opinionis minùs probabilis fore homines in deſperationem ituros. 1058. & ſeqq. p. 299.

Paulus Segneri malè arguit ex hoc, quod lex hinc inde controvertitur apud Doctores, non eſſe adhùc ſufficienter promulgatam, nec obligare; ſed eſſe puram opinionem, quam quiſque poteſt liberè tenere, vel reſpuere; alioquin leges intolerabiliter multiplicarentur, hoc eſt juxta multiplicitatem opinionum. Quinimò ab oppoſito hoc ipſum argumentum in eum retorquetur, & magis firmatur veritas ſententiæ Authoris. (Et hic benè attende lector, quid Author dicat de opinionibus ſuis, nam multum cōfert ad ſanam intelligentiam ſententiæ ſuæ in præſenti materiâ. 1064. & ſeqq. p. 302.

Paulus Segneri refert, & magnificat textum quemdam Auguſtini quaſi in commendationem opinionis probabilis. Sed illum omninò alienum eſſe, imò contrarium ei oſtenditur ex eodem Auguſtino. 1069. p. 304.

Paulus Segneri remedium contra ſententias laxas aſſignat, & ait id unum eſſe, quod ſcilicet dignoſcatur benè probabile à veriſimili, quaſi ex confuſione iſtorum errent, qui minùs probabile à praxi reiiciunt. Sed hoc remedium ineptum eſſe oſtenditur, & ad hominem contra ipſum ut inutile retorquetur. 1072. & ſeqq. p. 306.

Paulus Segneri ſententiam benignam (nempè minùs probabilem) deplorat, eo quod pro alterâ ab Adverſariis accipiatur, atque ideò innocens pro reâ damnetur, cum nō ſit. Sed vice verſâ ipſum eam jam ream, & ore proprio confeſſam pro innocente ſuſcipere evidentiis demonſtratur. 1078. & ſeqq. p. 308.

Paulus Segneri impugnantes uſum licitum cuiuslibet opinionis practicè probabilis de errore reprehendit, & cauſam eis errandi aſſignat, eo quod regulam agendi ex vi opinionis probabilis ſemper à judiciis directis accipiunt, & numquàm à reflexis. Id quod ipſe confirmat ab exemplo. Sed in hoc ipſo eum valdè deficere oſtenditur; & reſpondetur ſimul ad exemplum ipſius. 1082. & ſeqq. p. 311.

Pauli Segneri quæſito, quo petit ab Adverſariis doceri de ignorantià vincibili opinionis practicè probabilis pleniſſimè ſatisfit. 1089. & ſeqq. p. 314.

Pauli Segneri contemptus, & nota hæreticorum adversùs impugnantes probabiliſmum modeſtè repellitur. 1088. p. 313.

Pau-

Digitized by Google

Paulo Segneri Adverſarios quaſi deridenti, quod dicant ſententiam de minùs probabili fuiſſe ab Innocentio XI. aliqualiter concuſſam, competenter reſiſtitur, & dictum illorum ſuſtinetur. 1097. & ſeqq. p. 317.

Paulus Segneri fruſtra nititur oſtendere ſententiam Adverſariorum impugnantiū probabiliſſimum feriri ab Alexādro VIII. 1103. & ſeqq. p. 320.

Paulus Segneri perperam tentat firmare ſentētiam ſuam de minùs probabili ex D. Thoma quodlibeto 8. a. 13. Imò ex eodem textu, quem ipſe truncatum refert, integrè, & ad literam ab Authore producto manifeſtè revincitur. 1116. & ſeq. p. 324.

Peccatum ignorantiæ in quo formaliter conſiſtat. 278. & ſeqq. p. 69.

Peccatum ignorantiæ non ponit in numero cum peccato transgreſſionis legis ignoratæ quaſi aliquid moraliter diſtinctum ab iſto. 289. p. 72.

Peccatum ignorantiæ quando incipiat, & generaliter quando incipiat quodlibet peccatum omiſſionis. 292. & ſeqq. p. 73.

Peccata, quæ fiunt ex ignorantia in qua ſpecie collocanda ſint. 618. p. 169.

Peccata quæ fiunt ex ignorantiâ contra jus naturæ in actualiter habentibus uſum rationis ſunt omninò eiuſdem ſpeciei, ac ſi fierent à ſciente. In non habentibus verò ex propriâ culpa uſum rationis, ut in ebriis, & ſimilibus, non ſunt rigorosè loquendo eiuſdem ſpeciei, puta homicidii, fornicationis, adulterii &c. Sicut ſi fierent ſcienter, ſed trahuntur ad ſpeciem ſuæ causæ, ideſt ebrietatis, vel amentiæ culpabilis, tamquàm circumſtantiæ illius mutantes ſpeciem. 620. & ſeqq. p. 170.

Peccata ex ignorantiâ juris poſitivi circa ea, quæ non ſunt per ſe, & intrinſecè mala; vel ex ignorantiâ facti provenientia non ſunt rigorosè loquendo in ſuis propriis ſpeciebus, ſicut ſi fierent ſcienter; ſed reductivè pertinent vel ad ſpeciem præcedentis culpæ, cuius ſunt effectus; vel ſi non ſupponatur alia præcedens ſpecies peccati, quæ ſit eorum cauſa, pertinebunt ad ſuas proprias ſpecies etiam reductivè; non autem formaliter, & per ſe. 624. p. 171.

Peccata ex ignorantiâ culpabili facta in quo gradu diminuantur à ſeipſis ſcienter commiſſis. 629. & ſeqq. p. 172.

Peccata ex ignorantia culpabili non poſſunt ob ignorantiam adeò diminui, ut transferantur de mortali ad veniale. 632. & ſeqq. p. 173.

Perplexa conſcientia, vide cōſcientia perplexa.

Polygamia ſeu pluralitas uxorum contra jus naturæ eſt nec poteſt invincibiliter ignorari. 424. & ſeqq. p. 111.

Polygamia ſeu pluralitas uxorum aliquando licuit ex divinâ tamen diſpenſatione, & non aliter. 429. p. 112.

Poſſidentis melior conditio in dubiis juxta regulam juris in quibus verificetur, & locum habeat. 140. p. 33.

Poſſeſſionis libertatis ex unâ, & bonorum, atque jurium ad materiam juſtitiæ pertinentium ex alterâ quæ ſit diſparitas. 140. & ſeqq. p. 33.

Poſſeſſio in quo melioris conditionis faciat poſſidentem explicatur. Et indè oſtenditur poſſeſſionem libertatis numquam efficere melioris conditionis hominem contra legem. 143. p. 34.

Poſſeſſio libertatis in homine ſuperpoſſidetur ſemper à lege; idque efficaciter demonſtratur. Et indè concluditur etiam ex vi illius regulæ juris, quâ pro ſe utuntur Probabiliſtæ, numquam homines jure ſuæ libertatis poſſe eſſe melioris conditionis contra legem; ſed potiùs econtra. 145. & ſeqq. & iterùm 153. & ſeqq. p. 35. & 37.

Poſſeſſio quando dicant Probabiliſtæ quod ſtat pro lege, vel pro libertate ex ipſorū doctrinâ refertur; & idipſum ad hominem contra eoſdem impugnatur. Et indè ſuperpoſſeſſio quædam legis ſupra libertatem iterùm ſtabilitur. 150. & ſeqq. p. 37.

Poſſeſſio, etiam gratis dato, quod aliquando non ſtet pro lege, non proindè ſequitur, quod ſtet pro libertate, ut credunt Probabiliſtæ. 159. p. 38.

Perea Doctor Granatenſis quæ argumenta congerat pro poſſeſſione libertatis, referuntur; & ſolvuntur. 162. p. 39.

Poſſidentis melior conditio quæ ſit, & quid importet juxta regulam juris. Vide regula juris.

Probabilis opinio. Vide opinio probabilis.

Probabilis conſcientia. Vide conſcientia probabilis.

Propoſitio illa maxima Probabiliſtarum: *Qui agit juxta opinionem practicè probabilem prudenter agit.* An ſit vera. 716. p. 197.

Præpoſitio illa, ſeu principium philoſophicum: *Nil volitum, quin præcognitum.* Semper veriſſimum eſt, licet difformiter, pro variis ſcilicet modis, quibus aliquid contingit eſſe voluntarium. Ex quo fit, quod huiuſmodi principio in ſua veritate aliqualiter perſiſtente, ſtat quod malitia, de quâ quis in ſeipsâ formaliter nec cogitat, nec minimum quid ſuſpicatur, ſit agenti interdùm aliquo modo voluntaria. 234. p. 57.

Præcepta naturalia ſeu juris naturæ, quæ fundantur in primâ inclinatione naturali eiuſdem, ſpecialiter aſſignantur. 410. & ſeqq. p. 106.

Præcepta juris naturæ quæ fundantur in ſecundâ inclinatione naturali eiuſdem. 417. & ſeqq. p. 108.

Præcepta juris naturæ tàm generalia, quàm ſpecialia quæ fundātur in tertiâ inclinatione naturali, quæ eſt characteriſtica, & pro-

pria ipſius naturæ ſpecificæ hominis. 482. & ſeqq. p. 127.

Præcepta temperantiæ qualiter ad jus naturæ pertineant, & quomodo ſint adeò nota, ut non poſſint invincibiliter ignorari; ſicut nec vitia ei oppoſita. 413. p. 107.

Præceptum juris naturæ de propagatione ſpeciei quos, & quando obliget. 420. p. 109.

Præcepta juris naturæ, quæ ad propagationem ſpecici ſpectare poſſunt, & peccata oppoſita. Vide V. Matrimonium, & alia ſub propriis titulis.

Præcepta juris naturæ eſſe omnia per ſe nota, ita ut nulla ſint, quæ poſſint invincibiliter ignorari ex præcedentibus in particulari diſcuſſis tandem concluditur. 485. p. 128.

Præceptum ſtudioſitatis, contra quod eſt peccatum ignorantiæ non per ſe urget, ſed per accidens; hoc eſt ratione præcepti legis principalis, cui deſervit ſcientia. atque ideò tunc, & eo tempore obligat, quando peremptoriè urget præceptum principalis legis, cui talis ſcientia neceſſaria ſupponitur. 287. & ſeq. p. 71.

Prudens conſcientia quæ ſit. 21. p. 5.

Prudentia non eſt in Ratione ſpeculativâ, ſed in Ratione practicâ. 725. p. 199.

Prudentia triplex ex D. Thoma, nempè falſa, vera imperfecta tamen, & perfecta: & huic tertiæ, quæ eſt virtus intellectualis, tantùm repugnat peccatum. 727. p. 200.

Prudentia perfecta, & virtuoſa non habet locum in opinione practicè probabili de licito, ac proindè judicium iſtius nequit dici prudens in hoc genere prudentiæ, adeò ut agēti ſecundùm ipſum repugnet peccatum, ut credunt Probabiliſtæ. 729. & ſeqq. p. 200.

Prudentia virtus, & opinio probabilis de licito æquivocè tantùm conveniunt in hoc, quod eſt judicare de aliquo agibili per ordinem, & ſubiectionem ad leges. 763. & ſeqq. p. 213.

Prudentiæ judicium reſpectu proprii obiecti certum eſt, & infallibile, alioquin ipſa non eſſet inter virtutes intellectuales computanda. 787. p. 221.

Prudentiæ certitudo, & infallibilitas undè ſit accipienda oſtenditur. Et indè infertur diſcrimen inter judicium prudentiæ, & opinionis probabilis; & quod judicium opinionis probabilis neque directum, neque reflexum dici poſſit moraliter certum. 788. & ſeqq. p. 222.

Q

Quæſtiones multæ perdifficiles ſolent in puris terminis juris naturæ ab aliquibus multotiès proponi, quæ tamen ſunt mixtæ ex quæſtione juris ſimul, & facti. Et difficultas ſemper oritur ex quæſtione facti. 518. p. 141.

Quæſtiones, quæ in materiâ uſuræ agitantur apud Doctores ſunt mixtæ. Et huiuſmodi ſunt etiam multæ de aliis materiis, & in aliis contractibus. 519. & ſeqq. p. 141.

Quæſtiones mixtæ juris, & facti ſimul, atque ideò factæ jam reſolutionis difficilis, cur non reddant ignorantiam, quæ indè contingit, invincibilem. 525. p. 143.

Quæſtiones huiuſmodi diſcutiendo Doctores cur interdùm in earum reſolutionibus decipiantur. 526. & ſeqq. p. 143.

Quæſito Joannis de Cardenas, quo petit doceri à Baronio, ex quo principio oſtendi poſſit, ſi jure naturæ teneatur quis reſarcire damnum, quod alicui intulit ex culpâ levi, ſatisfit; & ſimul oſtēditur eiuſmodi quæſtionem eſſe mixtam, & ideò fuiſſe difficilem apud Doctores, ex complicatione nimirùm difficultatis ex parte facti. Cui nihilominùs pro Baronio reſpondetur; ſicut etiam, & aliis argumentis, quæ opponit Cardenas pro ignorantiâ invincibili juris naturæ. 508. uſque ad 517. p. 137.

Quæſito Pauli Segneri, quo vult ab impugnantibus Probabiliſmum doceri de ignorantiâ, quæ ſit vincenda ab eo, qui ſequitur opinionem probabilem, ſatisfit. 1089. & ſeqq. p. 314.

R

Reflexum judicium. Vide judicium reflexum.

Regula juris: *In dubiis via tutior eſt eligenda*. Sitne conſilium, aut præceptum, variè ſentiunt Doctores. Vera tamen reſolutio eſt, quod ſit præceptum. Imò in eâ oſtēditur omnes concorditer convenire, ſi accipiantur termini in ſuo ſenſu formali. 110. & ſeqq. uſque ad 120. p. 26.

Regula juris: *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis*. veritatem habet tantùm in materia juſtitiæ, non autem extra, & in aliis materiis. Undè poſſeſſio libertatis non reddit hominem melioris conditionis contra legem in dubio de ipſa lege. 136. & ſeqq. p. 32.

Regula prædicta juris in materia juſtitiæ, ubi veritatem procul dubiò habet, importat præceptum pro judicibus, ut in judiciis rem poſſeſſam ipſi poſſidenti adiudicent, donec non conſtet illegitimè poſſidere: pro ipſis verò poſſidentibus importat permiſſionem licitè retinendi, quod poſſident. 176. p. 42.

Regulæ pro ſcrupuloſis ſeptem aſſignantur, & explicantur ex D. Antonino. 201. & ſeqq. p. 48.

Regula ſufficiens agendorum nequit dici, hec eſſe opinio practicè probabilis. Idque oſtenditur tùm ex Decreto Innocentii XI. tùm etiam & ratione ad hominem contra Probabili-

Digitized by Google

biliſtas. 877. & ſeqq. p. 256.
Remedium Probabilioriſtarum contra ſententias laxas importunum appellat Paulus Segneri, quod ſcilicet propterea opus ſit relegare minùs probabiles. 1054. p. 298.
Remedium opportunum ad evitandas ſententias laxas exiſtimat Paulus Segneri eſſe, quod benè dignoſcatur probabile à veriſimili, quaſi quod ex confuſione iſtorum errent, qui minùs probabiles impugnant. Sed hoc remedium ineptum oſtenditur, & ad hominem contra ipſum retorquetur. 1072. & ſeqq. p. 306.
Reſtituere an teneatur, qui damnum alicui notabile infert ex levi culpa. 514. & ſeqq. p. 139.
Riccius quæ doceat, & in quibus impugnetur. Vide Ioſeph Riccius.

S

Scientia, vel opinio moralis qualiter differat à conſcientiâ. 7. p. 2.
Scientiam, vel opinionem habens de bonitate, vel malitiâ alicuius actus, non per hoc dicitur habere conſcientiam de moralitate talis actus. 11. p. 3.
Scrupuloſa conſcientia quid ſit, & qualiter à ſcrupulo differat. 183. p. 44.
Scrupuloſa conſcientia obligat ad peccatum, niſi priùs deponatur; non autem ſcrupulus. 185. p. 44.
Scrupuloſi non debent dubitare de veritate ſui iudicii, quo iudicant ſincerè de ſcrupulis ſuis eſſe in ſe ſcrupulos, ac propterea repellendos. 188. p. 44.
Scrupuloſi cur reluctent conſcientiam ſuam ſcrupuloſam deponere. 189. p. 45.
Scrupuloſi certiorantur non poſſe errare in depoſitione ſuæ conſcientiæ ſcrupuloſæ, ſi animum ſuum benè purgaverint, & diſpoſuerint. 190. p. 45.
Scrupuloſi qualiter ſe diſponere debeant, ut non errent in propriis ſcrupulis iudicandis. 191. p. 45.
Scrupuloſis quæ poſſit eſſe cauſa errandi contra legem. 193. p. 45.
Scrupuloſi non cæco modo, ſed prævio examine debent de ſuis ſcrupulis iudicare, ut eos repellant. Sed præmiſſo examine, ſi eos ſincerè ſcrupulos potiùs eſſe iudicaverint ex propriâ infirmitate ſibi provenientes, debent illos audacter, & conſtanter reiicere; nec refert, ſi ipſorum iudicium in eis ſemper timidum, & formidoloſum ſit, quia ſemper in ſe verum erit, & verum ab ipſis credi debet, quod ſincerè pro ſcrupulo potiùs habent. Et eſto in tali iudicio errent, non proindè, deponendo conſcientiam, agendo peccabunt. 195. & ſeq. p. 46.
Scrupuloſis de huiuſmodi ſuo reflexo iudicio aliquantulum formidantibus, dummodo conſcientiam dictam deponant, non eſt applicanda regula illa iuris: In dubiis via tutior eſt eligenda, & quare. 199. p. 47.
Scrupuloſi niſi de ſcrupulis ſuis priùs iudicent eſſe ſcrupulos, eoſque præctice deponant, non habent remedium, ſed agendo contra illos peccabunt. 200. p. 47.
Scrupuloſis ſeptem regulæ in remedium aſſignantur ex D. Antonino. 201. & ſeqq. p. 48.
Scire quæ quis teneatur. 253. p. 62.
Studioſitatis Præceptum. Vide Præceptum ſtudioſitatis.
Suſpicionem nullam præviam habens, aut cogitationem de malitia ſui actus, non proindè ſemper dici poteſt habere ignorantiam invincibilem, & quæ ipſum excuſet a peccato; id quod etiam explicatur exemplo Sauli Dei Eccleſiam perſequentis. 535. & ſeqq. p. 146.
Sectarij non excuſantur à peccato infidelitatis in propria ſectâ, & quare. 585. & ſeqq. p. 160.
Sectarij undè poſſint a ſeipſis evidenter agnoſcere falſitatem propriæ ſectæ, ſi velint. 590. p. 161.
Segneri quæ doceat, & in quibus impugnetur. Vide Paulus Segneri.

T

Temperantiæ præcepta qualiter ad ius naturæ pertineant, & non poſſint invincibiliter ignorari, ſicut nec & vitia ei oppoſita. 413. p. 107.
Textum Auguſtini, quem pro ſe magnificat Paulus Segneri in commendationem opinionis probabilis, omninò alienum eſſe oſtenditur ab huiuſmodi commendatione, imò illi contrarium. 1069. p. 304.
Textus D. Thomæ ex quodlib. 8. ar. 13. circa uſum opinionis probabilis expenditur, & à gloſſis Ioannis de Cardenas incompetentibus, & violentis vindicatur. 924. & ſeqq. uſq. ad 944. p. 259.
Textus idem ex dicto quodlibetò truncatus allegatur à Paulo Segneri in favorem opinionis minùs probabilis. Sed ab Authore integrè productus iterùm adversùs ipſum retorquetur. 1116. & ſeq. p. 324.
Textus Auguſtini expreſſè probabilitatem reprobantis à Ioanne de Cardenas interpretatus, quod ſit adversùs quamdam probabilitatem chymericam, defenditur ex eodem Auguſtino in ſuo genuino ſenſu contra Probabiliſtas. 946. & ſeqq. p. 267.
D. Thomas qualiter ſit intelligendus, cum ait, quod error conſcientiæ excuſat, quando provenit ex ignorantiâ eius, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur. Et oſtenditur non poſſe hoc eius dictum favere opinioni præcticè probabili, ſicut prætendit

Ioannes Cardenas. 862.& ſeqq. p. 243.

D. Thomas ſi purè opinando doceat aliquid eſſe licitum, efficiet utique illud authoritate ſuæ doctrinæ probabile; ſed tutum, & ſecurum non poterit certò ſaltem moraliter efficere, ſi illud ſit apud Doctores hinc indè controverſum. 1051. p. 296.

D. Thomas cur quandoque aliquid controverſum licitum eſſe opinetur (ſi tamen ibi purè opinatur) & talem opinionem doceat, ſi non poteſt probabilitate ſua illud efficere certò tutum. 1052. p. 297.

V

VOluntarium non tollitur omninò, & ſimpliciter à quacumque ignorantiâ, quæ eſt cauſa peccati. 235. p. 57.

Voluntarium abſolutè, & ſimpliciter ab ignorantiâ ſolum antecedente tollitur. 248. p. 60.

Uſus rationis gradatim, & ſucceſſivè acquiritur, & non totus ſimul, & in inſtanti. & qualis ſit in impuberibus explicatur. 562. p. 155.

Vetularum, & ſenum coniugium licitum eſt, & idem dicendum eſt de ſterilibus, & quare. 433. p. 114.

Uxorum pluralitas ſeu Polygamia plurium ſimul uxorum iure naturæ illicita eſt, nec poteſt invincibiliter ignorari. 424. p. 111.

Uxorum ſimul pluralitas aliquando licuit, ex divinâ tamen diſpenſatione, & non aliter. 429. p. 112.

Uſus opinionum probabilium duplex, & qualis fuerit apud Sanctos Patres. 659. p. 182.

Uſus, & delectus opinionis practicè probabilis an ſit licitus. Et in quo unus ab altero differat. 885. p. 248.

Uſus opinionis probabilis in materiâ morum, nec abſolutè licitus dici poteſt, neque illicitus; ſed poteſt utroque modo contingere. 886. p. 249.

Uſus opinionis practicè probabilis evadit licitus, ſi ſit cum duabus limitationibus, una quæ ſit ex parte legis, & altera ex parte agentis. & utraque explicatur, & probatur. 903. & ſeqq. p. 252.

F I N I S.

651018

Digitized by Google

ERRATA IN HOC OPERE CORRIGENDA.

Graviora propriis ſuis locis aſteriſco * ſignantur, & ibidem in collaterali margine corriguntur. Minùs gravia in hac paginâ referuntur cum correctione ſuâ. Reliqua lectoris benignitati remittuntur.

In Intentione Operis ante principium.

Pagina 5. lin.	54.	fuſiùs.	fuſiùs
à tergo.	4.	humanos	humanas
	31.	præteſtu	prætextu
6.	51.	evolendis	evolvendis
à tergo.	4.	alioquiu	alioquin

I N   O P E R E.

Pag.	Col.	linea.	Errrata.	Correcta.
5.	1.	49.	demontrabitur	demōſtrabitur
19.	1.	5.	obicīti	obiecti
27.	2.	32.	hìc	hùc
67.	1.	56.	bebet	debet
87.	1.	13.	per difficilem	perdifficilem
92.	2.	24.	omnes	omne
96.	2.	32.	*miſericordia*	*miſericordiam*
103.	2.	43.	aliquem	aliquam
106.	2.	4.	deductionum	deductionem
112.	2.	15.	præpta	præcepta
123.	1.	7.	coniugis	coniuges
131.	1.	28.	patiatur	pariatur
133.	2.	17.	ipſimet	ipliſmet
142.	2.	23.	venditioni	venditione
		48.	nominem	neminem
		56.	iuſtm	iuſtum
144.	2.	55.	ſimilius	ſimilibus
180.	2.	20.	alignam	aliquem
188.	2.	12.	miſcantur	miſceantur
207.	2.	56.	repicam	replicam
218.	2.	28.	quid	qui
		41.	impallentibus	impellentibus
		49.	difforma	difforme
219.	1.	4.	illos	illas.
229.	1.	59.	particpiant	participant
231.	2.	3.	æctu	æſtu
239.	1.	40.	elictionis	electionis
240.	1.	20.	oppoſitum	oppoſitam
262.	2.	43.	contradicere	contradiceret
266.	2.	36.	*nno*	*uno*
267.	1.	34.	horreſcant	horreſcant
269.	2.	21.	nullacenùs	nullatenùs
272.	2.	4.	prodiſſe	prodiiſſe
275.	2.	35.	opprotuna	opportuna
280.	1.	59.	intentiſſimam	intenſiſſimam
282.	2.	5.	exiſtimavit	exiſtimavi
283.	2.	13.	proabbiles	probabiles
285.	1.	31.	reflectum	reflexum
		32.	hactenuùs	hactenùs
285.	2.	59.	characteriſca	characteriſtica
287.	1.	8.	characteriſtis	characteriſticis
288.	2.	60.	longum.c	longum
		ult.	tuſilim	ſuſiſſime
290.	1.	6.	beneneritas	benemeritos
292.	1.	11.	abviaretur	obviaretur
293.	1.	29.	quo dicit	quod dicit
		59.	iunitimur	innitimur.
	2.	41.	nobis	à nobis
294.	2.	11.	non probet	non probat
295.	2.	15.	acrem	aerem
297.	1.	34.	verietati	veritati
298.	1.	48.	ab vocem	ob vocem
299.	2.	57.	poſſint:	poſſit.
300.	2.	9.	beſperant	deſperant
		48.	articulatriam	articulatìm
302.	2.	32.	nee	nec
304.	2.	19.	de hoc alio modo	hoc alio modo
310.	1.	16.	*accettarmi*	*accertarmi*
316.	1.	34.	quis	qui
318.	2.	32.	Cāprobabiliſtis	Cōprobabiliſtis
319.	1.	47.	doleatur	deleatur
323.	1.	19.	currereret	curreret
		61.	plusâ	pulsâ
333.	2.	22.	ub	ubi
		25.	dei	de
334.	1.	12.	ſeſpondet	reſpondet
335.	1.	30.	quid	quis
339.	2.	12.	honetis	honeſtatis
343.	2.	4.	damanta	damnata
		19.	ſubuexta	ſubnexa
347.	1.	49.	diſpicere	deſpicere
350.	2.	17.	Iudicis	Indicis
368.	2.	23.	batris	Patris
		60.	potiu	potiùs
383.	2.	8.	putuerit	potuerit
392.	1.	29.	eredibile	credibile
399.	2.	18.	inpexeris	inſpexeris
400.	1.	5.	opinum	opinionum
403.	2.	18.	attemnenda	attendenda
406.	2.	7.	deſtruantes	deſtruentes
407.	2.	57.	probabilir	probabilis
410.	1.	13.	*demonſtrationē*	*demōſtratione*
413.	1.	40.	ſclandalo	ſcandalo
415.	2.	46.	uullus	nullus.
417.	1.	38.	*dedent*	*debent*
422.	2.	11.	concluſiones	concluſionis
423.	2.	22.	*faucat*	*faveat*
428.	2.	50.	*abſqud*	*abſque*
435.	2.	5.	Sermus	Servus
436.	2.	31.	macerialitēr	materialiter.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google